21905/B

A. XXX. e

ETTMUELLER, M.

~~Epitome~~

WELLCOME
HIST. MED. MUSEUM

23354

EPITOME TOTIUS MEDICINÆ,

INSTITUTIONES, PYROTECHNIAM, COMMENTARIUM PHARMACEUTICUM,

ET

PRAXIN MEDICAM

ſuccinctè complectens,

atque è

MICHAELIS ETTMULLERI,

Profeſſoris olim Lipſienſis Celeberrimi

Operibus genuinis

diligenti ſtudio extracta.

Cui in Calce addita eſt

THEODORI ZVINGERI,

Anatom. & Botan. Profeſſ. Baſil.

DISSERTATIO MEDICA

De Adquirendâ Vitæ Longævitate.

BASILEÆ,

Impenſis JOH. GEORGII KÖNIG.

Typis JOH. JACOBI GENATHII, 1706.

WELLCOME
LIBRARY

SERIES CAPITUM

Synopſis Inſtitutionum Medicarum.

Cap.I. PHyſiologia: *ſive de principiis corporum naturalium; corporis humani principio vitali, nutritione, chylificatione, reſpiratione, ſecretione, ſenſu, motu, & partu.* Pag. 1.
Cap. II. Pathologia; *ſeu de Natura, Cauſis, Differentiis & Signis Morborum.* p. 63.
Cap. III. Hygiene & Therapeuſis. *Sive de Methodo medendi & Remediis Pharmaceuticis.* p. 87.

Pyrotechnia Rationalis. p. 122

Cap.I. DE *Salibus; in ſpecie acido, urinoſo, & ſalſo; item de Am̃oniaco & Tartaro vitriolato.* p. 123.
Cap.II. *De Salibus Mineralibus; in ſpecie de Sale com̃uni, Sale Gem̃æ, Nitro, Vitriolo, Alumine & Acidulis.* p. 129.
Cap.III. *De Operationibus chymicis; Solutione, ſcil. & Extractione, & ad hanc facientibus menſtruis; Efferveſcentia, Fermentatione, Præcipitatione, Calcinatione, Coagulatione & Cryſtalliſatione.* p. 140.
Cap.IV. *De Sulphure & Antimonio* p. 149.
Cap.V. *De Mercurio & Cinnabari.* p. 165.
Cap. VI. *De Metallis in genere; & in ſpecie de Marte, Venere, Saturno, Jove, Sole & Luna.* p. 170.
Cap.VII. *De Gemmis.* p. 181.
Cap.VIII. *De Vino, Spiritu Vini, Aceto & Tartaro.* p. 182.
Cap. IX. *De Plantis, Floribus, Lignis & Seminibus.* p. 185.
Cap. X. *De Animalibus perfectis & imperfectis.* p. 187.

Schröderus dilucidatus, ſeu Com̃entarius in *J. Schröderi* Pharmacopeiam Medico-Chymicam. p. 189

Sect.I. DE Phytologia, *ſeu Regno Vegetabili.* Pag. 189.
Claſſis 1. *De* Alterantibus primariis, *quæ ſunt* Plantæ *earumque membra.* ibid.
Claſſis 2. *De* Alterantibus ſecundariis, *quæ ſunt Succi, Olea, Lachrymæ, Reſinæ, Gummata,* &c. p. 247.
Claſſis 3. *De* Purgantibus primariis. p. 256.

Claſſis 4. De Purgantibus ſecundariis. p.263.
Sect. II. *De Zoologia ſeu Regno Animali.* p.267.
Claſſis 1. *De Animalibus terreſtribus perfectioribus.* 268
Claſſis 2. *De Avibus.* p.281
Claſſis 3. *De Piſcibus.* p.283
Claſſis 4. *De Inſectis.* p.286
Sect. III. *De Regno Minerali.* p.292
Cap. 1. *De Terris.* p.292
Cap. 2. *De Aquis.* p.294
Cap. 3. *De Lapidibus, Gemmis, Coralliis, Margaritis, & illis qui minus pretioſi ſunt.* p.296
Cap. 4. *De Metallis in Genere.* p.304
Cap. 5. *De Auro.* p.307
Cap. 6. *De Argento.* p.308
Cap. 7. *De Marte.* p.309
Cap. 8. *De Cupro ſeu Venere.* p.314
Cap. 9. *De Saturno ſeu Plumbo.* p.315
Cap. 10. *De Jove ſeu Stanno.* p.316
Cap. 11. *De Mercurio & Cinnabari.* p.317
Cap. 12. *De Antimonio.* p.318
Cap. 13. *De Recrementis metallicis naturalibus.* p.319
Cap. 14. *De Salibus: In ſpecie Sale communi, Sale Gemmæ, Nitro, Alumine, Sale ammoniaco, & Vitriolo.* ibid.
Cap. 15. *De Arſenico, Sulphure communi, Ambra & Succino.* p.324
Cap. 16. *De Spermate Ceti, Aſphalto, Petroleo, Oleo Terræ, Carbone Petræ & Gagate.* p.329

Epitome Collegii Practici. LIB. I.

Sect. I. DE *Appetitu, ejuſque vitiis.* Pag. 330.
Cap. 1. *De Fame imminuta ſeu Anorexia.* ibid.
Cap. 2. *De Appetitu aucto: Bulimo, ſcil. & Appetentia canina.* p.334
Cap. 3. *De Appetitu depravato, Pica, nempe, Malacia & Faſtidio determinato.* p.336
Sect. II. *De Siti læſa.* p.338
Sect. III. *De Maſticatione læſa* p.341

Cap.

Cap.1. *De Muſculorum maſticationi inſervienti um vitiis:in ſpecie de* Spaſmo cynico *&* Tortura oris.ib.
Cap.2. *De Maxillarum & Dentium vitiis.* p.343
Sect.4. *De Deglutitione læſa.* p.348
Sect. V. *De Chyloſeos læſionibus.* p.350
Sect. VI. *De Aſſumpt. retentionis in ſtomacho læſione.* 354
Cap. 1. *De Flatibus.* ibid.
Cap. 2. *De Vomitu & nauſea.* p.355.
Cap. 3. *De Vomitu Sanguinis.* p.359.
Sect.VII. *De Doloribus Stomachi.* p. 361.
Cap. 1. *De præcordiorum anxietate, Cardialgia & Soda.*ib.
Sect. VIII. *De Contentorum in inteſtinis expulſione læſa* 367
Cap.I. *De Alvi Retentione.* p.368
Cap.II. *De Ileo ſeu Volvulo.* p.371
Cap.3. *De Alvi Fluxu ſeu Diarrhœa.* p.376
Cap.4. *De Cholera.* p.382
Cap.5. *De Lienteria.* p.386
Cap.6. *De Fluxu ſeu Cœliaca Paſſione.* p.387
Cap.7. *De Dyſenteria.* p.388
Cap.8. *De Teneſmo.* p.397
Cap.9. *De Fluxu Hepatico.* p.398
Cap.10. *De Affectibus Hæmorrhoidalibus.* p.400
Sect.IX. *De variis Inteſtinorũ Dolorib.; inprimis Colico.*405
Sect.X. *De Situ Inteſtinorum mutato.* p.414
Cap.1. *De Hernia.* p.414
Cap.2. *De Ani Procidentia.* p.417
Sect.XI. *De Chyli diſtributione læſa.* p.419
Sect.XII. *De Chyli ſanguificatione, ſanguiniſque fermentatione læſa.* p.422
Sect.XIII. *De Aëris Inſpiratione læſa.* p.424
Cap.1. *De Suffocatione.* *ibid.*
Cap.2. *De Aſthmate.* p.427
Cap.3. *De Singultu.* p.437
Cap.4. *De Incubo.* p.440
Sect.XIV. *De læſa Exſpiratione.* p.443
Cap.1. *De Sternutatione immoderatâ.* *ibid.*

Cap.2. *De Vocis Vitiis.* p.444
Cap.3. *De Tuſſi.* p.449
Cap.4. *De Catarrho ſuffocativo.* p.457
Sect.XV. *De Sanguinis motu per Cor vitiato, adeoque hujus pulſu læſo.* p.461
Cap.1. *De Virium Languore & Syncope.* *ibid.*
Cap.2. *De Palpitatione & Tremore Cordis.* p.467
Cap.3. *De Febre.* p.472
Art.1. *De Febre in Genere.* *ibid.*
Art.2. *De Febribus intermittentibus.* p.481
Art.3. *De Febribus continuis.* p.493
Art.4. *De Febribus continuis lentis.* p.506
Art.5. *De Febre hectica.* p.514
De Febri malignâ. 518.
Art.6. *De Petechiis & Febre Petechiali.* p.530
Art.7. *De Variolis & Morbillis.* p.533
Art.8. *De Febre Purpurata & Morbo Hungarico.* 544.
Art.9. *De Peſte.* p.545
Sect.XVI. *De Nutritione læſa.* p.559
Art.1. *De Phthiſi & Tabe.* ibid.
Art.2. *De Atrophia particulari ſeu aridura.* p.569
Art.3. *De Cachexia, Anaſarca, & Leucophlegmatia.* p.571
Art.4. *De Hydrope.* p.575
Art. 5. *De Ictero ſeu Cachexia icterica.* p. 586.
Art. 6. *De Malo Hypochondriaco & Scorbuto.* p. 590.
Sect. XVII. *De Sanguinis ex partibus refluxu vitiato.* p. 602.
Art. 1: *De Inflammatione in genere.* ibid.
Art. 2. *De Angina & Tonſillarum inflammationibus.* p.605.
Art. 3. *De Aphthis & affectibus Uvulæ.* p. 612.
Art. 4. *De Inflam̄atione Ventriculi, Inteſtinorum & Ani.* 613.
Art. 5. *De Inflam̄atione Meſenterii, Pancreatis & omenti.* 616.
Art. 6. *De Pleuritide & Peripneumonia.* p. 619.
Art. 7. *De Inflammatione Hepatis & Lienis.* p. 626.
Art. 8. *De Inflammatione & Ulcere Renum.* p. 628.
Art. 9. *De Inflammatione & Ulcere Veſicæ.* p. 630
Art. 10. *De Inflammatione Cerebri.* p. 632.
Art. 11. *De Oculorum Inflammatione ſeu Ophthalmia; item de Epiphora.* p. 633.
Art. 12. *De Inflammatione & Ulcere Aurium.* p. 638.
Art. 13. *De Empyemate.* p. 639.
Art. 14. *De Hæmorrhagia in genere.* p. 643.

Art. 15. *De Hæmorrhagia Narium & Gingivarum* p. 646.
Art. 16. *De Sputo Sanguinis.* p. 648.
Sect. XVIII. *De Urinæ in Renibus Secretione læſa.* p. 650.
Art. 1. *De Iſchuria renali.* ibid.
Art. 2: *De Calculo Renum.* p. 653.
Art. 3. *De Diabete.* p. 659.
Art. 4. *De Mictu cruento.* p. 661.
Sect. XIX. *De Urinæ excretione læſa.* p. 663.
Art. 1. *De Iſchuria veſiculi.* ibid.
Art. 2. *De Calculo Veſicæ.* p. 666.
Art. 3. *De Urinæ Incontinentia.* p. 667.
Art. 4. *De Stranguria.* p. 669.
Art. 5. *De Dyſuria.* p. 670.
Sect. XX. *De Lymphæ in Gland. Generat. & Motu vitiatis.* 672
Art. 1. *De Catarrhis.* ibid.
Art. 1. *De Coryza.* p. 678.
Art. 3. *De Hydropibus particularibus; inprimis Aſcite, Hydrope Pectoris, & Hydrocephalo.* p. 679.

LIB. II.

Sect. 1. DE *Spirituum animalium Generatione vitiata, indeque Motus & Senſus læſionibus; inſpecie de* Vigiliis & Somno *vitiatis.* p. 683.
Cap. 1. *De Vigiliis nimiis.* p. 684.
Cap. 2. *De Somno nimio.* p. 687.
Sect. II. *De Vertigine.* p. 693.
Sect. III. *De Spirituum in partes externas motu inordinato.* 698.
Cap. 1. *De Epilepſia & Convulſione.* ibid.
Cap. 2. *De Tremore.* p. 711.
Sect. IV. *De Spirituum animalium influxu abolito.* p. 715.
Cap. 1. *De Apoplexia.* ibid.
Cap. 2. *De Paraplegiis.* p. 725.
Cap. 3. *De Paralyſi.* p. 728.
Sect. V. *De Læſionibus Senſuum externorum.* p. 734.
Art. 1. *De Variis Viſus læſionibus.* ibid.
Art. 2. *De* Auditus *læſionibus.* p. 737.
Art. 3. *De Læſionibus Guſtus & Olfactus.* p. 739.
Art. 4. *De Læſo Tactu, indeque orto Dolore.* p. 740.
Art. 5. *De Odontalgia.* p. 747.
Art. 6. *De Cephalalgia.* p. 750.
Aet. 7. *De Doloribus Oculorum & Aurium.* p. 758.
Art. 8. *De Arthritide ſeu Podagra, Dolore Iſchiadico, &c.* 761.
Sect. VI. *De Senſuum Internor. & Rational. Function. læſione.* 767
Art. 1. *De Læſione Memoriæ.* ibid.
Art. 2. *De Deliriis: in Specie de Phrenitide & Delirio Mel.* 768
Art. 3. *De Mania.* p. 771.
Art. 4. *De Rabie.* p. 772.

LIB.

LIB. III. De Morbis Sexui virili propriis.
Sect. I. DE Seminis generatione læſa, ubi de Inflammatione teſtium, Pneumatocele, Hydrocele, Sarcocele, & Hernia varicoſa. p. 774.
Sect. II. De Seminis Excretione & Retentione læſa. p. 779.
Art. 1. De Gonorrhæa vera. ibid.
Art. 2. De Gonorrhæa notha, tam benig. quam virulenta. 781.
Art. 3. De nimis cita, vel nimis tarda Sem. ejaculatione. 783.
Sect. III. De Penis Erectione læſa. p. 783.
Art. 1. De Impotentia virili. ibid.
Art. 2. De nimia Salacitate. p. 784.
Art. 3. De Depravata Penis erectione. p. 787.
LIB. IV. De Morbis Mulierum & Infantum.
Sect. I. DE menſtruorum vitiis. p. 788.
Art. 1. De Menſium Emanſione. ibid.
Art. 2. De nimio Menſtruorum fluxu. p. 791.
Art. 3. De Fluore albo mulierum. p. 793.
Sect. II. De vitiis Appetitus venerei, ejus nempe defectu, aut nimia Salacitate. p. 796
Sect. III De Affectibus totius corporis, Utero vulgo attributis. 797
Art. 1. De Febre alba ſeu Chloroſi. ibid.
Art. 2. De Cachexia mulierum. p. 798.
Art. 3. De Suffocatione uteri. 799.
Sect. IV. De Affectibus Viri admiſſionem & Conceptionem lædentibus. p. 805.
Art. 1. De nimia anguſtia vel apertura Vaginæ; & Procidentia uteri. 805.
Art. 2. De Inflatione & Hydrope Uteri. p. 807.
Sect. V. De Morbis Puerperarum. p. 809.
Art. 1. De Lochiis retentis. ibid.
Art. 2. De Lochiorum nimio fluxu. p. 810.
Art. 3. De Doloribus poſt partum. p. 811.
Art. 4. De Lipothymia, Diarrhæa, & Incontinentia aut Suppreſſione urinæ in Puerperis. p. 813.
Art. 5. De Febre lactea, Morbis acutis & Purpura Puerperarum. p. 814.
Sect. VI. De Vitiis Lactis. p. 816.
Sect. VII. De Regimine Fœtus & Morbis Infantum. p. 819.
LIB. V. De Chirurgia Medica.
Sect. I. DE Luxationibus. p. 829.
Sect. II De Fracturis. p. 832.
Sect. III: De Vulneribus. p. 835.
Sect. IV. De Ulceribus. p. 843.
Sect. V. De Tumoribus. p. 849.
Sect. VI. De Gangræna & Sphacelo. p. 859
SYNOPSIS

SYNOPSEOS
INSTITUTIONUM MEDICINÆ,

Theſibus perpetuis comprehenſarum,

PARS PRIMA

PHYSIOLOGICA.

In quâ Medicinæ nomen, definitio, objectum, finis, ortus, Elementa, Temperamenta, Spiritus, Humores & Actiones explicantur.

§. I.

MEdicina à medendo h. e. ægris ſuppetias ferendo dicta, eſt *ars*, quæ corpus humanum vivens curare, ſive ejus ſanitatem præſentem conſervare, abſentem verò reſtituere docet. Genus in hâc definitione ponitur *Ars*, quoniam Medicina eſt habitus cum rectâ ratione effectivus, & omnia, quæ in Medicinâ tractantur, ad finem tandem practicum nimirum ſanitatis procurationem tendunt.

II. *Objectum* ejus eſt Corpus humanum vivens quatenus eſt ſanabile. *Finis* autem *ultimus* eſt Sanitas; ſicut

ſub ordinatus dicitur curatio ſive remediorum uſurpatio, ad ſanitatem, quantum poſſibile eſt, recuperandam. Haud enim ſemper eam reſtituere licet, quoniam interdum doctâ plus valet arte malum.

III. Dignitati hujus Artis nihil detrahit, quod dicatur *conjecturalis*: quas enim adhibet conjecturas, non ſunt temerariæ ſeu ſine fundamento, nec de rebus purè contingentibus; tales enim nil aliud eſſent, quàm puræ ignorantiæ & vanæ perſuaſiones. Sed conjecturæ, quibus nititur Medicus, ſunt circumſpectæ & fundatæ experientiis, hincque deductis concluſionibus rationalibus, ſiquidem verſantur circa res apparenter quidem, ob promiſcuas intervenientes circumſtantias, contingentes, in ſe tamen neceſſariam cohærentiam cauſarum naturalium cum effectibus habentes, adeoque hæ ipſæ veræ ſcientiæ proximæ ſunt.

IV. Eſt ſcilicet unicuique homini ſua peculiaris *temperies* ſive *idioſyncraſia*, ob quam univerſales non æquè in omnibus formari poſſunt concluſiones, quin eæ, quæ utplurimum ſeu in plerisque veræ ſunt, non neceſſariò in omnibus individuis eodem modo ſe habent. Accedit & *ſcientia naturalis* adhuc in pluribus defectuoſa, cui tamen revera ſubalternata eſt Medicina; unde reſpectu fundamenti in naturalibus, & reſpectu objecti in individuis humanis, neceſſariò conjecturis in Arte medicâ utendum eſt.

V. Fundamentum conjecturarum debent eſſe non ſola *experimenta*, hæc enim ſunt temeraria, ſubinde etiam nociva, & *Empiricam Sectam* conſtituunt; non ſolæ *rationes*, hæ enim ſunt cæcæ, & admodum erroneæ, ac *ſectam Methodicorum* efficere ſolent: neque etiam *analogiſmus*, ſeu in plurimis morbis eadem ratio aut eædem communitates, hæ enim pariter *Empiricam Sectam* faciunt ſeu conſtituunt.

VI. Priſcis nimirum temporibus Sectæ eminebant tres,

tres, *Empirica*, *Methodica* & *Dogmatica*. *Empirica* omnium antiquiſſima potiſſimum apud Ægyptios floruit, apud quos, teſte Herodoto, ſinguli Morbi ſingulos ferè Medicos habebant; præcipuum in Medicinâ fundamentum poſuit *Experientiam*, ſed aliquali *ratione* ſtipatam: non enim tam rudes fuerunt Empirici illorum temporum, ſicut noſtri hodie ſunt vulgo dicti Agyrtæ, qui nullâ prorſus ſolidâ ſcientiâ imbuti frequentia per mortes experimenta faciunt. Illius autem ſectæ celebres cultores fuerunt *Acron Agrigentinus*, *Philinus*, *Theſſalus*, *Serapion Alexandrinus*, *Glaucias Anatomicus*, *Heraclides Tarentinus*. *Methodica* ſecta paucis fuit Axiomatibus comprehenſa: juxta hanc enim omnes morbi conſiſtebant in *ſtricto* ſive coagulato, *laxo*, ſ. reſoluto, & *mixto* ſeu medio modo ſe habente; ubi dicebatur, ſtrictum eſſe laxandum, laxum eſſe adſtringendum, & in mixto vel medio ei occurrendum eſſe, quod magis urgeret. Hujus Sectæ conditor dicitur *Aſclepiades*, quem ſecuti fuerunt *Themiſon Laodiceus*, *Soranus Epheſius*, *Antipater*, *Alexander Trallianus*, Neronis tempore Romæ vivens, qui dicere non erubuit, *ſex menſium ſpatio Medicinam addiſci poſſe*. *Dogmatica* ſive *Rationalis* ſecta, rationem experientiæ perpetim adjungens, Medicas obſervationes omnes in regulas certas collegit, atque ſic tandem in Syſtema Medicinæ redegit. Hujus Sectæ Auctor primus fuit *Hippocrates Cous*, quem ſecutus poſt plura ſecula *Claud. Galenus Pergamenus*, & tota hinc Medicorum per diuturnum tempus cohors. Cùm autem ante ducentos, & aliquot annos Alchymia, vel Spagyrica doctrina caput erigeret, Secta quoque hæc bipartita fuit in *Dogmatico-Galenicam*, & *Spagyricam*, quarum illa rationes ſuas deducebat è fonte Phyſices Ariſtotelis, hæc verò cauſas ſuas deprompſit ex analyſi corporis artificiali. Hodie obtinet inter Medicos judicioſiores ſecta

Dogmatico-Mechanica, quæ ſuas deducit rationes è *Phyſicâ* corpuſculari.

VII. Sed *Experientia* & *ratio* ſimul fundamentum ſunt conjecturarum Medicarum, dum memoriâ & judicio inſtructus Medicus obſervata ſua ægrotanti individuo, tam quoad theoriam quàm quoad praxin judiciosè applicat: Quin imò hæc duo, *experientia* & *ratio*, *fundamentum Medicinæ veræ conſtituunt*, ubi *Ratio* certè pro experimentis obſervandis, binis acutis oculis, *ſiniſtro Pyrotechniæ* & *dextro Anatomiæ*, inſtructa eſt: unde & reſpectu Pyrotechniæ *Spagyrica Secta* præ cæteris nobiliſſima eſt.

VIII. Medicinæ *partes* tres ſunt *principales*, *Phyſiologia*, *Pathologia* & *Therapeutica*. *Phyſiologia* conſiderat objectum, videl. Corpus humanum, hujuſque partium conſtitutionem naturalem, uſum & actiones. *Pathologia* ſcrutatur Corporis humani viventis finem, nimirum *Sanitatem*, huicque oppoſitos *Morbos*, cum eorundem differentiis, ſignis, cauſis & Symptomatibus, unde pars ea *Semiotices*, quæ de ſignis agit diagnoſticis, huc pertinet. *Therapeutica* tractat de mediis, quibus vel ſanitas preſens conſervari poteſt, & vocatur *Hygieine* ſive *Diæta*, vel abſens reſtitui ſolet, & dicitur *Therapia*, ſive *methodus Medendi*.

IX. *Semiotica* vulgo eſt bipartita una quidem *Diagnoſtica*, quam ad Pathologiam, altera verò *prognoſtica*, quam ad Therapiam referimus; cùm Medicus practicus debita ratione, inprimis per ſigna morbos, ſubinde abditos in ægris, cognoſcere & perſpicere debeat, & præterea in curatione maturè præcognoſcere, an incurabilis Æger, an verò curabilis, & quomodo ſit?

X. *Miniſtræ* partes *Hygieines* ſunt *Ars culinaria* & huic cognata *piſtoria*; *Therapiæ* verò miniſtratur *Pharmaceutica* & *Chirurgia*: quarum illa omnium ſimplicium

plicium exactam cognitionem : hæc Anatomes crebrius exercitium præſupponit.

XI. Nondum autem perfecta eſt hucuſque Medicina, quin potius à diebus Hippocratis ad noſtrum uſque ſeculum parum profecit: id quod eveniſſe credimus (1) ob variam literarum ac Medicinæ ſub Barbaris fortunam, cùm ſub Regnorum mutationibus & hæc mutationem atque detrimenta ſubinde paſſa ſit. Accedit (2) quod ſuperiorum ſeculorum Medici unicè in Scriptorum Græcorum & Arabum verſione, & iteratâ dilucidatione ac commentatione occupati fuerint, de ulteriori progreſſu ne ſomniantes quidem: Unde ſucceſſivè crevit infauſta & quaſi jurata illa Antiquitatis veneratio.

XII. Hinc (3) factum, ut neglectâ Hippocraticâ methodo, per obſervationes ulteriùs progrediendi, præmaturè Medicina adhuc mutila in corpus Syſtematicum, inſtar cujuſdam perfectæ diſciplinæ redacta fuerit. Et (4) ſimul Ariſtotelis dogmata rationalia ceu fundamentalia ſine ulteriori examine in Medicinam introducta ſint, neglectâ (5) penitus Pyrotechniâ, ceu primario Philoſophiæ & Medicinæ fundamento.

XIII. *Objectum* Medicinæ dictum fuit *corpus humanum vivens quatenus ſanabile.* Illud *materiale*, hoc ſcil. *quat. ſanabile* dicitur objecti *formale.* Ut autem hoc Corpus rectè conſideretur, attendendum eſt ad ipſius tum *ſtructuram materialem*, tum *actum formalem* ſeu *vitalem? Illa* nempe ſtructura *materialis* in ſe conſiderata ſe habet inſtar *Machinæ* admirabilis; *hic* verò ſe habet inſtar principii moventis ſpirituoſi, & dictam machinam dirigentis.

XIV. *Machinam* dicimus corpus noſtrum, non ſecus ac omnium brutorum, ſimilem Machinis hydraulicis. Sed in Brutis nulla eſt anima incorporea

ſive rationalis, quemadmodum in Homine, in quo tamen rationalis anima ſeu mens nullum habet cum corporis actionibus commercium.

XV. In *ſtructura* Machinæ iſtius *materiali* duplex partium differentia inprimis conſideranda eſt, nempe partes quædam ſunt *nerveæ*, ſeu, ut aliàs vocantur, *ſpermaticæ*, aliæ verò ſunt *ſanguineæ*. Illæ ſunt nihil aliud, niſi materialis fibrarum textura, quæ prima partium ſtamina conſtituit, & primitus in ovo ex ejus colliquamento delineatur & effingitur: his fibris poſtmodum per coaguli modum ſanguis hinc inde adhæreſcit, unde parenchymata ſanguinea naſcuntur; quæ duæ partes certo ſitu & nexu invicem cohærentes materialem corporis ſtructuram conſtituunt.

XVI. *Structura* dicta *corporis materialis* non conſtat ex quatuor illis vulgaribus Elementis Ariſtotelic. ex quibus omnia mixtorum concreta compoſita finguntur: Nam hic quaternio à nemine adhuc, neque evidenti ulla ratione, neque ullâ certâ vel probabili ſaltem experientiâ, eſt comprobatus.

XVII. De *Aqua* tamen non dubitandum cenſet *Helmontius*, eam eſſe catholicum omnium materiale principium; eò quòd omnia vegetabilia ex aquâ fiant, & omnia ex eâ conſtare reſolutio probet. Tacemus alia exempla hoc probantia. Sic enim ex aqua pluviali fit terra levis & candida, quæ, quò ſæpiùs deſtillatur, eò magis creſcere & augeri videtur, ita ut tres ejus partes in terram mutentur: Vid. *Boyle de Form. & Qualit.* qui omnia corpora terrea, ut gemmas & lapides, pretioſos ac perſpicuos aquæ fructus pronunciat in Tr. *de Gemmis*.

XVIII. Quamplurima autem dantur corpora, in quibus nullum horum elementorum poteſt demonſtrari, v.gr. *Mercurius vivus, Cryſtallus, & ſimilia* nullum veſtigium elementorum horum quatuor habentia.

XIX. *Spagyrici* alias *quinque principia* aſſumunt, tria activa, *Sal* puta, *Sulphur* & *Mercurium*, & duo paſſixa, *Phlegma* & *Caput mortuum* ſeu *terram*: aſt & hæc principia non rectè explicari aut demonſtrari accuratè poſſunt. Nam omnes Scriptores hujuſmodi ita videntur confuſi, ut res diverſas uno ſulphuris nomine explicent, cùm tamen illud non unum ſed multiplex ſit, aliud puta vegetabile, aliud minerale, aliud animale. Accedit huic quod illi non attenderint, ex reſolutione per ignem nova ſubinde emergere concreta, pro ſimplicibus tamen ab iiſdem habita. Sic enim e. g. *Olea deſtillata* ſunt *Corpora miſta* ſeu *compoſita*, & tamen ab illis pro principio Sulphureo aſſumpta; deinde compoſita putârunt eſſe componentia: Videatur *Boyle* in *Chym. Scept.* ubi delet hanc activorum triplicitatem; it. *Gliſſon. in Epiſtola.*

XX. Circa hæc verò explicanda inter illos Autores non conſtat, ut confuſos potius opinionum nodos, quàm ſolidam ſententiam, ex iſtâ doctrina percipere liceat. Cùm ergo nec hæc ſufficiant, alia iniri via, naturaque ſecundùm principia Mathematica explicari, & rectè quidem, cœpit. Hoc autem primus fecit *Carteſius*, qui in generalioribus quidem laude ſuâ non fraudandus; aſt ubi ad ſpecialiora pervenit, ſuperficiarium eum eſſe atque jejunum, merito ſuo pronunciamus; ejuſque tria elementa non niſi ſuavem ſpeculationem dicimus atque ingenii luſum, ab initio plauſibilem quidem, ſed qui in Medicina uſum habet nullum. Vid. Tattinghoffii *Clav. Philoſ. Carteſianæ.*

XXI. Exiſtentiam quidem aëris, aquæ & terræ, nemo negabit, cum hæc ſint maximæ portiones globum noſtrum componentes, & quaſi receptacula ac diverſoria reliquorum corporum. Sed an *materialiter* unâ cum igne ſic dicto elementari omnia miſta componant dubitatur meritò, utut de Aquâ ſeparatim conſideratâ

res certiſſima ſit, eam frequentiſſimè miſtorum reverâ ingredi compoſitionem; ut taceam ſuperiùs allegatam illam *Thaletis* ab Helmontio revocatam ſententiam, omnia ex ſola aqua *materialiter* conſtare aſſerentis; quam opinionem nonnulli probare voluerunt ſingulari hoc experimento; dum ſcil. levem pulveris igniti quantitatem projiciunt in aquam, & ſic eandem in perfectam, & quidem duriſſimam atque pellucidam gemmam tranſmutari vident: vid. Morhoff. in *Epiſt. ad Dn. D.* Majorem *de Scypho vitreo per certum vocis humanæ ſonitum diſrupto.*

XXII. *Ignis* ipſius natura ſemper obſcura & intricata fuit, modernorum tamen experimenta, Vulcano Chymico adjuta, perſuadent, ignem noſtrum uſualem (nam de cœleſtis in ſolari Corpore concentrato, & inde in univerſam Mundi machinam, inprimis ipſos Planetas, adeoque & Tellurem ſub nomine radiorum & luminis evibrato, non eſt hujus loci tractare; utut multa perſuadeant, eundem non minùs ex ſulphureo luto conſtare) nil aliud eſſe, quàm diſſolutionem corporum dictorum ſulphureorum, id eſt, in receſſu pinguium acidorum, in ſui particulas immediatè minimas factam, inprimis mediante aëre, cujus diſſolutionis effectus duo inſeparabiles ſunt, *Calor* & *Lumen.*

XXIII. Viget Ignis inprimis in *Flammâ*, quæ eſt rarefactio & diſſolutio fumi; ſicut fumus eſt flamma inſpiſſata, conſtans particulis ulteriùs rarefactibilibus, elevatis tamen per aëris, à calore rarefacti, motum: hinc flamma quæcunque extincta vel ſuffocata abit in fumum, fumus condenſatur in fuliginem. Fumus tamen candelæ facilè in flammam incenditur.

XXIV. Hinc unum idemque corpus in flammam, fumum, fuliginem, fuliginis oleum, acidum & pingue, ſimiliaque corpora, prout diverſimodè tractatur & modificatur, eſt reſolubile. Nam *Petroleum*, *Oleum*

com-

commune Olivarum, *Pix*, *Spir. Vini*, &c. facillimè inflammantur, totaque tranſeunt in formam flammæ, ut parum vel nihil reſtitet; hæc autem flama, excluſo aëre, ſuppreſſa abit in fumum, qui fumus eſt illud ipſum corpus, quod in vaſe ab aëre munito in forma *Olei diſtillati*, cum majori licèt fixioris ſubſtantiæ remanentia, propter defectum aëris, ſe manifeſtat; ita ut ipſum corpus pingue, oleum inde deſtillatum, fumus, flamma, &c. ſint una eademque ſubſtantia.

XXV. Hinc etiam *Lignum*, quod in aëre libero ſeu aperto comburitur, & flamma, fumus, fuligo, fuliginiſque ſpiritus oleum & ſal; atque idem *lignum*, quod in vaſe clauſo, aëris ingreſſum omnem excludente, igni committitur, & ejus phlegma, oleum, ſpiritus, &c. per retortam prolicita, ſunt omnia una eademque ſubſtantia materialis, ſed quæ pro varietate ſuæ texturæ, mediante motu inductæ, tot diverſa ſchemata repræſentet.

XXVI. *Nitri* ipſius corpus ſalinum, dum integrum eſt & in crucibulo igni expoſito fluit, cum carbonis igniti fruſto ſubinde adjecto maximam partem in flammam abit, imò tres ferè Nitri partes ſub flammâ deflagrabunt. Eadem autem flamma in retortâ tubulatâ, propter inſufficientem aëris acceſſum, coërcita in fumum rutilantem cogitur, qui dein in ſpiritum acidum condenſatur, quem *Spiritum Nitri* vocamus. Hic verò Spiritus cum ſale alcali quodam, v.gr. *Tartari*, ad ſaturitatem miſtus, poſt abſolutam efferveſcentiam, & heterogenei præcipitationem, in priſtinum Nitrum regeneratur, illudque denuo inflammabile. Ut adeo una eademque materialis ſubſtantia ſit nunc ignis & flamma, nunc aliam inducens larvam, pro variâ ejuſdem texturâ, ſecundum minima corpuſcula per motum adquiſitâ.

XXVII. *Ignis* igitur non eſt diſtinctum quid ab aliis

corporibus, & *deflagratio* eſt actus diſſolutionis corporum plus minus ſulphureorum, quæ aëre reſoluta & rarefacta repræſentant nobis tale ens, quod vulgò *Ignem* vocamus. Ita ut in igne conſiderandum ſit 1. Subjectum ignitum, quod ſunt corpora plus minus ſulphurea ſive oleoſa & pinguia. 2. Medium ignitionis, quod eſt aër. Cæterùm quòd Ignis conſiſtat in ſolutione corporum mediante aëre, probatur exemplo Veneris, cui ſi affundatur Spiritus Nitri, ex mutua actione & reactione calor orietur intenſiſſimus, evolabit fumus, imò interdum ignem ac flammam concipiet.

XXVIII. Sic ſcintillulæ nil aliud ſunt, niſi particulæ ſulphureæ per motum iſtum ſilicis violentum ab aëre nitroſo recluſæ & accenſæ, quod poteſt probari microſcopio, ſi per illud particulæ in charta exceptæ inſpiciantur: vid. *Hoeck* in *Micrograph.*

XXIX. Patet hinc, omnia corpora conſtare ex unâ ſimpliciſſimâ materiâ, per ſuperinductum motum in minutiſſimas particulas confractâ, quæ cùm diverſiſſimarum figurarum ſint, varientque etiam magnitudine, ſitu, ordine & motu; fit hinc, ut pro vario illarum concurſu atque coalitu tot diverſiſſima in univerſo Mundo corpora oriantur.

XXX. Cùm autem videamus, omnia corpora generari, nutriri, augmentari, & corrumpi ſucceſſivè ac inſenſibiliter, per minimas materiæ conſtituentis particulas, ita ut ex harum *ſyncriſi* ſeu unione, certâ *diacriſi* ſeu ſeparatione, & *metaſtaſi* ſeu tranſpoſitione variâ fiant, intereant & alterentur diverſimodè corpora; non abs re erit, multifarias ejuſmodi ſubtiliſſimas particulas pro *principiis* corporum *materialibus* ſive *elementis* aſſumere. Texturæ autem certæ particularum in corporibus, & inde natæ variæ, reſpectu noſtri concipiendi modi, proprietates reverâ ſunt id, quod vulgô *ſubſtantialis* aut *eſſentialis forma dicitur.*

XXX.

XXXI. Particulas illas minutiſſimas Veteres vocârunt *Atomos*, quaſi *indiviſibiles* ſeu non diſſecabiles; ubi tamen diſtinguendum eſt inter *diviſionem realem* ſeu *phyſicam*, & *mentalem* ſeu *mathematicam*. *Atomi* ſunt quidem indiviſibiles *phyſicè* & *realiter*, *mathematicè* verò minimè. Ex his ergo principiis materialibus cùm revera corpora conſtent, veriſſimum hinc quoque erit, corpora omnia conſtare è materiâ; quia verò hæc materia iners eſt, & omnia, quæ fieri debent, fiant per motum, cujus vis exercetur in ſeminibus, exinde procedit vel oritur *Generatio*. Rectè proin ſubſtantia materiæ dividitur in minuta fruſtula, quæ habebunt ſuam certam figuram & magnitudinem, & propterea quoque reſpectivè ad ſe invicem certum ordinem & ſitum in materiâ. Hinc minimæ iſtæ moleculæ ſ. particulæ per unionem componunt omnia corpora; per reſolutionem verò, & ſeparationem deſtruunt; per metaſtaſin denique ſeu tranſpoſitionem immutant eadem & alterant.

XXXII. Probant hoc ipſum exempla. *Vitrum* eſt productum artificiale multiplicis actionis; fit ex particulis minutis *cinerum* & *ſalis alcali fixi*, quæ in igne coëunt in vitrum, tanquam productum tertium. Vel ſumatur *Cinnabaris*, & conſideretur ejus geneſis, ex *Sulphure* & *Mercurio vivo* commiſtis & ſublimatis dependens, quæ dant novum corpus, proprietates planè alias ab iſtis duobus habens. Sic *Minio*, quod nihil aliud eſt, quàm *Plumbum calcinatum*, ſi affundatur *Acetum deſtillatum*, aut alius liquor acidus, emergit liquor dulcis, ſaccharo dulcior. Quòd ſi porrò phlegma ſeu Acetum deſtillatum evaporet, habentur in fundo & lateribus Cryſtalli dulces, candidæ, ponderoſæ, perſpicuæ, planè differentes à Minio & Aceto deſtillato.

XXXIII. Inſuper, ne ſolùm in arte factis hæreamus,

mus,ſiſtamus ex nativis *Vinum*,cujus v.gr.liquor primogenitus, qui verè defluit ex palmitibus, ſi deſtillatur tantillum acidus exiſtens,nil certè dabit niſi phlegma & pauxillum ſalis acidi. Interim ex hoc liquore creſcunt folia, poſtea baccæ, in quibus adhuc immaturis ſuccus auſtero-acidus contentus eſt: porrò ſuccus,è maturioribus baccis expreſſus, dat muſtum, muſtum dat vinum, vinum exhibet tartarum fæces & acetum, atque hæc tandem phlegma & ſpiritum, quæ toto cœlo invicem differunt. Hæc mille producta ſecundum ordinem fiunt ex aquâ ſimplici, conſtante ex minutiſſimis particulis in motu conſtitutis, quæ diverſimodè intertextæ & tranſpoſitæ dant tam varia nova concreta.

XXXIV. Similiter *Vinum* in phiala hermeticè clauſa, ita ut nequeat ſubſtantiæ ſeparatio contingere, blando calori expoſitum, in *Acetum* degenerat, per nudam particularum minutiſſimarum tranſpoſitionem. Porrò accipiatur *Sal Tart. fixum*, affundatur illi *Liquor Salis acidus*, ex ambobus efferveſcentibus novum Sal regenerabitur, ac ita per ſyncriſin novum corpus prodibit. Quòd ſi ergo particulæ *homogeneæ* concurrant, conſtituunt corpus *ſimplex*; ſin *heterogeneæ*, *compoſitum* efficient. Sic enim v. g. *Aqua* eſt corpus ſimplex, quòd conſtat ex particulis minutis ejuſdem eſſentiæ, parvis, oblongis, rotundis, utraque extremitate nonnihil acutis, quæ invicem unitæ conſtituunt Aquam. Ex hac Aquæ ſtructurâ omnes illius proprietates demonſtrantur: ſi enim iſtæ particulæ in continuo ſunt motu, dant Aquam limpidam; ſin verò mutuo ſibi intertextæ impediuntur in motu, conſtituunt corpus durum ſeu glaciem; ſicut, ſi ſine intermiſtione heterogenearum molecularum exiſtat aqua, erit hæc & vocabitur *inſipida.* Tandem ſi particulæ illæ celerius ac in ſublime moveantur, *Vapor* audit & nuncupatur.

XXXV. Cùm verò omnes hæ particulæ ſint materia-

teriales, adeoque quantæ, neceſſariò proprietates ſuas quantitativas & mechanicas, h. e. determinatam figuram ac magnitudinem, certum ad ſe invicem ordinem & ſitum habebunt ; unde pro variâ particularum talium, mediante motu, unione & texturâ diversâ neceſſariò fient & exurgent diverſa corpora, horumque multiplices ac differentes affectiones.

XXXVI. Textura iſta particularum conſtituens corpora, prout diversâ ratione afficere valet organa noſtra ſenſoria, ita quoque erit fundamentum tot conceptuum diverſorum in noſtra mente, ratione quorum à nobis tot diverſa corporibus iſtis attributa ſub *Qualitatum* nomine adſcribuntur, tanquam tot accidentium realium, cùm reverà non ſint entia realia, ſed duntaxat materiæ modi, ex particularum minimarum diversâ texturâ oriundi, non realiter ab ipſa materiâ ita contextâ differentes, ſed noſtro ſolùm concipiendi modo.

XXXVII. Res clarior evadet exemplo: quando nempe *Spiritus ſulphuris* perſpicuè acidus, rodit *Venerem*, ex utriuſque unione fit *Vitriolum Veneris*, conſtans ſolùm ex particulis acidis, certo modo particulis venereis intertextis, ex qua novâ texturâ fit corpus cæruleum, rhombiforme, opacum, adſtringens guſtu & nauſeoſum, frigidum, inodorum, purum, glabrum, *&c.* quæ omnia attributa ſeu qualitates à corpore diſtinctæ æſtimantur, cùm nihil ſint, quàm diverſi corporis concreti modi, ex particularum texturâ novâ oriundi, ſolâ ratione in conceptu non reipſa à corpore, cui attribuuntur, diſtincti.

XXXVIII. Sed illæ ipſæ contextæ in Vitriolo particulæ, prout per texturam novam novo motu linguam feriunt, ac œſophagum irritant, dicuntur adſtringere & nauſeam movere; prout lumen incidens certo modo ad oculum reflectunt, dicuntur efficere corpus cæruleum;

leum; prout certo ſitu ſibi invicem uniuntur ſeu coëunt in corpus, repræſentant rhombos; prout digitis minùs calidæ ſentiuntur, quàm ipſi digiti ſunt, frigidæ dicuntur; prout digitorum pulpæ non cedunt, corpus durum conſtituunt; propter æqualem tamen unionem pulpæ quoad ſuperficiem corpus glabrum redditur, & ita conſequenter noſtris ſenſoriis tot diverſas impreſſiones faciunt, quæ ceu tot *Qualitates* novæ vulgo æſtimantur.

XXXIX. Particulæ porrò tales per mutuam texturam conſtituunt mediante motu corpora *miſta*, qui tamen motus non vagus, ſed determinatus eſt, tam in materiæ compoſitione, quàm ejus variâ conformatione: adeo ut non niſi vi ſeminum determinatâ ex iſtis particulis, fermentativo motu, per ſalia alteratis, varia efformentur corpora. Sic v. g. *Ferri* fruſtum pro varia ſui configuratione dat modò clavum, modò clavem, modò ſerram, &c. Quæ configurationes tamen non differunt realiter à ſuo ferro, ſed ſunt unum idemque ferrum. Si porrò conſideramus *Ferrum*, quatenus illud eſt corpus *frigidum, durum, ponderoſum, acutum, &c.* varios inde nobis formamus conceptus, & diverſas in ipſa ſtatuimus qualitates, quæ tamen non ſunt, cùm illud ſit una ſubſtantia, & quatenus premit manum, dicitur ponderoſum, atque hæc ponderoſitas dependet à particularum unione, & arctâ compreſſione.

XL. Ita *Calor* quoque non niſi à motu deſcendit, conſiſtit enim in vehementi ac celerrimâ particularum minutiſſimarum, inprimis pinguium, ſeu ſulphurearum motione. Accipiatur v. g. *Spir. Nitri*, qui frigidæ naturæ putatur, infundatur ei *Limaturâ martis* pariter frigida, miſceantur hæc, atque concipient paulatim calorem, tamdiu durantem, quamdiu motus durat. Aut ſumatur *Cera*, quæ eſt corpus durum, & igni exponatur. Ita particulæ ejus moveri incipient, atque emol-

emollientur; ut adeo mollities in corporis ſolutione, durities in compactione conſiſtat; ſicut è contrario frigus in particularum quiete, aſperitas in inæquali ſuperficie glabrities verò in ſuperficiè æquali ponitur.

XLI. Particulæ tales, quæ immediatè corpora componunt, & in quæ etiam eadem immediatè reſolvuntur, *numero quaternario* pro explicandis corporum phænomenis commodè comprehenduntur; nempe ſunt *Sulphureæ*, *Salinæ*, *Aqueæ*, & *Terreæ*, quæ quidem ſunt proxima corporum principia materialia, non tamen ultima principia, ſed horum reſpectu potius principiata, ex aliis particulis ſimplicioribus, per varias texturæ viciſſitudines priùs conſtructa, unde & ſub reſolutione in alias ſucceſſivè faceſſunt particulas ſimpliciores, utplurimum aqueas & terreas.

XLII. Ita ut quamplurima, quæ maximè videntur compoſita, primò ex Aqua per multiplicem particularum aquearum mutationem mechanicam, in alias particulas modò dictas vi ſeminali factam, oriri, & tandem in has ipſas ſub reſolutionibus, deſtructâ ſeminum poteſtate, ultimò redire videantur.

XLIII. Quaternarius autem hic numerus ob id aſſumitur, quòd ſufficiat optimè pro explicandis phænomenis corporum, à materia ſeu concreto dependentibus, & earum aut omnium aut aliquarum præſentia, variatâ tantùm proportione, deprehenditur in iiſdem.

XLIV. Particulas has inter primatum ducunt, & magis fere præ cæteris activæ ſunt *ſalinæ*, acutæ, rigidæ, penetrantes, ſcindentes quaſi & pungentes, linguam, cujus reſpectu ſapidæ ſunt, notabiliter afficientes, in aquâ facilè reſolubiles, & cum eâ etiam facilè unibiles, quæ generali ſub differentiâ ſunt *acidæ & alcalinæ*, indeq; mutuâ factâ unione oriundæ *ſalſæ ſeu enixæ*. Hæ inſtrumentaliter præcipuarum in rerum natura operationum, nempe *coagulationum*, *diſſolutionum*, *fermenta-*

mentationem & efferveſcentiarum , *ſolutionum & præcipitationum*, & quamplurimum aliarum in corporibus inſignium mutationum ſunt primarii authores.

XLV. *Salia* autem ſunt vel *fixa*, vel *volatilia*. *Fixa* in igne durant, *Volatilia* verò avolant. Sic *Sal ammoniacum* eſt Sal compoſitum, alcalinum ſive urinoſum & acidum in ſe continens. Quod ſi cum hiſce duobus ſalibus unitis aliæ partes terreæ ſunt extruſæ, vocatur illa actio *præcipitatio*, e. g. *Vitriolum commune* nihil aliud eſt, quàm *Venus* & *Minera Martis*, à *Sp. Sulph.* ſoluta ac præc.

XLVI. Sub generali autem *acidi* & *alcali* nomine innumerabilis ſalium, tanquam particularum magis activarum, diverſitas comprehenditur, cum tam *urinoſa* quàm *acida* mille modis, pro varietate concretorum, in quibus exiſtunt, ſecundùm proprietates mechanicas inter ſe differant: unde & tam variis modis inter ſe & cum aliis mutuò uniri ac combinari, diverſi quoq; ſapores, atque diverſiſſima ſalia ſeu enixa exinde componi poſſunt. Ex horum omnium varietate tandem ſpeciales quamplurimæ operationes naturales derivandæ ſunt in corporibus.

XLVII. Inprimis *fermentationes & efferveſcentiæ* dependent à ſalium activitate, quæ ſunt media tranſmutationum & digeſtionum in corpore animali. Eſt autem *fermentatio motus inteſtinus particularum minutarum, corpus miſtum conſtituentium, ortus à mutua ſalium alcali & acidi, in unoquoque miſto exiſtentium, ſed reſolutorum, in ſe invicem actione*, quâ omnes reliquæ miſtum componentes particulæ inter ſe variè commiſcentur, & agitantur, donec ſequatur aut ultima miſti talis reſolutio, aut nova ejuſdem alteratio à ſalium miſtorum nova unione, aut ſaltem contemperatione dependens.

XLVIII. Bina illa Salia, *acidum* & *alcali*, reperiuntur in omnibus tribus Regnis, maximè in *Minerali*, &

ſpe-

ſpecialibus in *ſulphuribus mineralium* : nunquam enim in tota natura reperitur *ſulphureum*, cui non ex parte adjunctum ſit *acidum* ſuum. *Metalla* etiam turgent talibus *Sulphuribus*, *Salibuſque ſulphureis acidis.* In *Vegetabili* regno inprimis *Ligna acidum* eructant *ſpiritum volatilem*; unde quod in combuſtione oculos morſicat, eſt acidum in illis latens. In *Animali* Regno parciſſimè habentur *acida manifeſta*, quia ſemper ſub *oleis* ſolent latitare; & ſi quæ ſunt, *volatilia* maximè exiſtunt, nec ita manifeſta; ſicut in Inſectis variis, *Formicis* v.gr. quarum cumulo ſi *Flores cærulei Borraginis* aut *Cichorii* injiciantur, colorem ſuum mutant, & rubedinem induunt, argumento, Formicas acidum ſpirare, quod coloris illius mutationem præſtare valeat. In præternaturali dein ſtatu *Acidum* non raro in Ventriculis, Inteſtinis, atque Ulceribus corporum humanorum ſeſe prodere ſolet.

XLIX. Sal *acido* oppoſitum eſt *Urinoſum*, aliâs *Alcali* & *Lixivioſum* dictum. Sunt *urinoſa Salia* duplicia; vel *Volatilia*, (*nativa dicta*) quia non in igne perſiſtunt, ut ſunt *Sal.volat.C.C.Viperarum*, &c. Vel *fixa* (*artificialia dicta*:) ſic in *Spir. urinæ hominum* & aliorum animalium luxuriat ac latitat tale *Sal volatile.* In Regno *vegetabili* etiam habentur talia *Salia urinoſa*, modò *acriora*, ut in Plantis ſapore cauſtico conſtantibus e.gr. *Armoracia*, *Sinapi*, *Cochlearia*, &c. modò *temperatiora* & *blandiora*, quali prædita ſunt plantæ aromaticæ, *Mentha*, *Abſinthium*, &c. in quorum blando oleo ſubſiſtunt *Alcalia Volatilia.* Denique occulta etiam *Volatilia Alcalia* inveniuntur in plantis *Vulnerariis.* Sal verò *urinoſum* ita vocatur à ſapore & odore, quos ferè ſimiles habet cum Urinâ hominum. Aliâs termino uſitatiore nuncupantur *Alcalia* ab Herbâ *Kali*, apud Ægyptios copioſè juxta Nilum fluvium creſcente, quæ à veteribus Ægyptiis in cineres cremabatur, à quibus

dein copioſiſſimum Sal urinoſum fixum, quod *Kali* nominârunt, eliciebant, unde præpoſito Arabum articulo *Al*, ortum eſt vocabulum *Alkali*, quaſi dicas *Hoc Kali.* Hoc nomen dein latius fuit extenſum, non ſolùm ad Salia omnia vegetabilium, ſed etiam ad qualiacunque Salia Acidis oppoſita, tam fixa, quàm volatilia, cujuscunque etiam Regni vel Proſapiæ fuerint.

L. Quod verò attinet *Urinoſa artificialia* ſeu *fixa ſalia*, ea non præexiſtunt in ipſo concreto ante calcinationem, ſed potius fiunt per artificium ignis, nempe per liquefactionem *Sulphuris acidi* & *Salis volatilis*, quæ dūo invicem ſe arripiunt, coëuntque in *Sal ſalſum.* Talia *Alcalia fixa* ſeu *artificialia* reperiuntur in *vegetabili* & *minorali* Regno, magis quàm in *animali.* Ulterius quando *acidum* & *urinoſum* conjunguntur, mediante ſubjecto liquido coëunt in *ſal miſtum*, novum compoſitum, ex utriſque conſtans. Tale eſt, quando *Sal Tart.* & *Spir. Vitrioli* conjunguntur; tunc enim *Sal tertium* ſeu *enixum* emergit, *inſipidum* ferè vel *ſalſum*, quod *tartarus vitriolatus* eſt. Sic etiam *Spir. Salis* cum quocunque Sale volatili urinoſo junctus conſtituit *Sal ammoniacum.*

LI. Tandem obſervandum, quòd præter *urinoſa* dentur etiam Subjecta *terrea* quaſi *alcalia*, cum acidis etiam efferveſcentiam excitantia. Sic v.gr. ſi affundatur *Spir. Salis Limaturæ Martis*, fit efferveſcentia. Idem fit, ſi *Spir. Sal. Cretæ* aut *Terræ ſigillatæ*, aut ſi *Acetum deſtillatum Coralliis* affundatur; ſunt enim hæc concreta partim corpora poroſa, inſtar alcalium fixorum, partim in ſe habent alcalia volatilia occulta, ſub ſolutionis actu emergentia. Cæterùm, ut *alcalia* dixi eſſe duplicia, *volatilia* & *fixa*; ita ex his *ſalſa* ſeu *enixa* emergentia, etiam erunt duplicia, *Volatilia* ſcilicet, quæ in Igne avolant; & *Fixa*, quæ permanent.

Aliàs

Aliàs tamen ſubinde Autores ludunt in vocabulo *Salſi*, illudque citra rationem opponunt *Acido*, quod obſervandum in lectione *Zuelferi*, qui *Salſa* vocat *ſalia volatilia urinoſa*, cùm tamen *ſalſum* propriè innuat *Sal* compoſitum ex *Alcali* & *Acido*.

LII. Ratio, cur *Alcalia* & *Acida* coëant invicem, eſt, quia *alcalia* ſunt corpora valdè poroſa & quaſi majora, *acida* contrà rigida, ſcindentia, minora, minusq; poroſa, adeoq; etiam hæc duo promptiſſimè uniuntur per motum in ſpatiis alcalinarum. *Muſtum* fermentando extrudit particulas heterogeneas & non unibiles, quæ fundum petentes dicuntur feces. Sic *Vinum fermentans* mutatur in *Acetum*, hoc verò ulteriùs fermentando abit in *Situm*, poſt ſitum fatiſcit in *Aquam*.

LIII. Proxima Fermentationi eſt *Effervescentia*, quanquam enim utraque à ſalium activitate mutuâ oriatur, diverſus tamen ſolùm eſt eorundem ſtatus; ſi enim ſunt aliis permiſta particulis, impedita quaſi blandius agunt & ſolùm fermentationem cient; ſin verò puriora & minus permiſta ſint, adeoque acriora exiſtant, impetuoſius in ſe mutuo agunt, & fortiori invicem colliduntur motu, adeoque majorem effervefcentiam cient, donec brevis facta ſit per debitam unionem omnis pugna & hinc effervefcentia ceſſet.

LIV. *Sulphureæ* ſeu *pingues* corporum particulæ à quibuſdam dicuntur *Ignis* mixti *concretus*, item *Subſtantia inflammabilis*: reſpectu inflammabilitatis à reliquis corporum elementis differunt, & concreta, quibus inſunt, inflammabilia reddunt. Vocantur quoque *Olea* propter unctuoſitatem, licèt olea non ſemper merè ſulphurea & inflammabilia ſint. Particulis ejuſmodi ſulphureis textura ramoſa, flexilis, atque in ſe invicem facilè implicabilis ab hodiernis Phyſicis adſcribitur. Inflammabilem autem talem ſubſtantiam æquè *mineralibus*, v.gr. Sulphuri, Bitumini, Antimonio,

Nitro; atque *vegetabilibus*, horumque reſinis, ac Oleis tam expreſſis quàm deſtillatis; & *animalibus* denique, v. gr. horum Pinguedini ineſſe, experientia quotidiana teſtatur.

LV. Per *aqueas* ſ. *phlegmaticas* particulas Auctores unanimiter intelligunt liquidiorem, inſipidam, & ad ſolvenda ſalia aptam ſubſtantiam, moleculis oblongis, rotundis, flexibilibus conſtantem. Hoc principio Vegetabilia & Animalia in ſuis ſuccis, magis quàm Mineralia dotata ſunt.

LVI. Ultimum corporum principium *terreas Particulas* diximus, quas aliàs Chymici vocant *Caput mortuum*. Sunt autem Concretorum particulæ ſicciſſimæ, non inflammabiles, & aquæ & ignis potentiæ reſiſtentes, quæ in corporibus ſolidioribus idem præſtant, quod aquæ in liquidis, hoc eſt, ſpatioſa inania cæteris principiis interjecta replent, hæcque diſcontinuant, & volatiliores particulas ſibi implicatas retinent, imò his & toti concreto firmitatem conciliant.

LVII. Ex talibus particulis minutis, in ſpecie *ſalinis* & *ſulphureis*, etiam *Sanguis* & *Lac* ſeu *Chylus*, ſucci corporis noſtri primigenii mediate (id eſt, poſtquam in alia parva abierunt compoſita) conſtant, unde & conſequenter totum corpus materialiter ex iiſdem erit compoſitum: id quod confirmat reſolutio ejus mechanico-chymica.

LVIII. Quod ſi plures tales particulæ coëant in unam maſſam, conſtituunt *partes ſimilares*, ex quarum coagmentatione *diſſimilares* oriuntur, ſicut hæ ipſæ fibris & vaſis apprehenſæ & connexæ, ac inde debitam nactæ conformationem ſuper baſin fibrarum, *organicas partes*, certis functionibus mechanicè perficiendis deſtinatas, efformant.

LIX. Textura iſta particularum minutarum, componens partes ſimilares, conſtituit reverà earundem

tempe-

Temperamentum, *elementale* dictum: ſicut eadem particularum textura liquida, *ſanguinem* compingens, *Craſin* hujus *ſeminalem* efficit, unde *Temperamentum vitale*, quod alias in calido & humido conſiſtere dicitur, pro varia ſanguinis materiali miſcelâ in totum corpus derivatur.

LX. Quod vulgo de *quatuor Temperamentis*, *Elementis* quatuor innixis, dicitur, eſt falſum. Attamen eatenus ea concedi poſſunt, quatenus ſtatuitur, quod quorum ſanguis abundat Sale volatili acri oleoſo, ii putentur *Cholerici*; ſicut qui Sal fixius cum particulis occultè acidis imprægnatum habent, *Melancholici*; *Sanguinei*, quorum ſanguis ex debita balſamicarum particularum miſturâ conſtat; *Phlegmatici*, quorum Lympha obruit ſalia ſanguinis fermentativa.

LXI. Ita quidem ſe habet *ſtructura* machinæ corporis *materialis*. Quod attinet ejuſdem *actum vitalem*, notum eſt, quòd Machina hæc animalis dum in motu eſt diverſimodo, dicatur *vivere*; ita ut Vita hominis aliorumque animalium *formaliter* in hujus machinæ corporeæ motu ſeu actuatione conſiſtat: quòd ſi proin iſti motus penitus ceſſent, ita ut irrevocabiles ſint, mortua dicitur illa. Quòd ſi autem rectè & debitè omnes iſtos motus peragat, ad quos per ſe apta nata eſt, ſana vocatur; nam *Sanitas* eſt *Vitæ integritas*: ſin verò perversè & vitiosè, ſive erroneè moveatur, dicitur ægrotare; nam *Morbus eſt Vitæ* labefactatio.

LXII. Cùm autem Machina noſtra corporea in motu conſiſtat, quæritur, *quódnam ſit, quod machinam primariò moveat, ſeu quod vitam impertiat? Reſp.* Principium iſtud internum, quod principaliter actuat, & movet machinam hanc animalem, *vitale* ab effectu, appellatur, quod aliàs etiam ſpeciali nomine *Anima* dicitur. Quo nomine tamen non intelligimus aliquam ſubſtantiam immaterialem, quia 1. eſt in qui-

buſdam diviſibilis; 2. quia alias eſſet indeſtructibilis. 3. quia in non rationalibus eſſet planè inconceptibilis ſeu etiam inintelligibilis.

LXIII. Revera ergò *principium* hoc *vitale* erit *materiale*, toti viventi coextenſum, & propter actionum varietatem omnibus partibus ac organis intimè præſens, ſimulque ob earundem celeritatem, vehementiam ac diuturnitatem ſummè activum ac mobile.

LXIV. Hæc & ſimilia attributa non conveniunt, præterquam ſubtiliſſimæ cuidam & volatiliſſimæ ac mobiliſſimæ materiæ, ob id à Medicis, analogicè licet tantùm, *ſpiritus* appellatæ.

LXV. Intelligitur nempe hoc ipſo nil aliud quàm *Sanguis*, aut ſuccus huic analogus in aliis Animalibus ſeu Brutis, in ſubtiliſſimam ſubſtantiam reſolutus, & exactiſſimè volatiliſatus in præcordiis, tam per continuam ſui fermentationem, quàm non intermiſſam aëris inſpirationem: unde pro actuatione totius machinæ corporeæ unâ cum ſanguine ulterius ex corde quaquaverſum diſtribuitur.

LXVI. *Spiritus materialiter* ex ſanguine, *formaliter* per hujus motum fermentativum & aëris inſpirationem generantur. Sed reſolutio talis ſanguinis, & in ſubſtantiam ſpirituoſam volatiliſatio vix, niſi cum aliquà ejus incaleſcentiâ ac velut accenſione, propter craſin ejusdem ſalino-volatilem oleoſam, & quaſi nitro-ſulphuream contingente, fieri poteſt.

LXVII. Sanguinis ita attenuati, reſoluti, & quodammodo accenſi ſubtiliſſimæ portiones, quaſi flammeæ, ſunt iſti *Spiritus*, unde ob id non immeritò à quibuſdam *luminoſi* dicuntur, ſeu *lucidi*, cum in ſua natura omnes lucis proprietates reverà poſſideant: qui dum in M. S. micant & gliſcunt, *ſpiritus vitales* dicuntur; dum verò in Cerebro & Nervis liberiori lumine radiant, *animales* appellantur; ſicuti iidem, quatenus

ova

ova fœcundant, ſub fœcundo congreſſu, à munere *genitales* dici ſolent. Atq; hinc eſt quod alii Animæ vitalis ſeu brutalis ſubſtantiam bipartitam faciant, igneam nempe ſeu flammeam, & luminoſam. *Lux* autem non eſt qualitas, ſed ſubtilis materia in continuo motu conſtituta. *Vid. Digby de Immort. Anim.*

LXVIII. Spiritibus hiſce alii addunt *naturalem*, ſeu *facultatem naturalẽ*, ſed malè: nam hæc facultas non fundata eſt in officio Hepatis ſanguificatorio; quod cùm falſum ſit, etiam *ſpiritus naturalis* ſponte cadit. *Spiritus* etiam *genitalis* nil aliud eſt, quam *ſpiritus animalis*, qui ipſe in actu generationis *genitalis* nomine venit, cum operationes genitales etiam ad animales pertineant.

LXIX. Præterea cùm *Spiritus* ſubtiliſſimæ ſint ſubſtantiæ ac ſummæ activitatis, rectè ob id à quibuſdam de naturâ *Gas* eſſe dicuntur, pro naturâ tamen ſanguinis ceu materiæ ex qua, *Gas* hoc *ſpirituoſum* reverà naturæ *volatilis*, *ſalino oleoſæ* ſeu *ſalino ſulphureæ* eſſe dicitur, quod per fermentationem & aëris reſolutionem in ſanguine volatiliſatum, & celerrimâ agitatione velut accenſum, inſtar ſubtilis & occultæ flammæ coruſcet, totum corpus calefaciat, & à putredinis corruptione præſervet. Patet ergo, quod Spiritus *materialiter* ex ſanguine, *formaliter* per motum ejus fermentativum, & aëris inſpirationem generentur.

LXX. *Spirituum* horum ſubtiliſſima, & quaſi radioſa textura lucida, neceſſariò mutuam adhæſionem requirit, quâ abruptâ aut in quodam loco interceptâ, non ſine periculo omnes operationes ceſſant: hinc in ſuſpenſis diſcontinuatio lucis hujus ſpirituoſæ in cauſa eſt, cur in momento omnis facultas princeps cerebri pereat, non aliâ ratione ac ſyncopizantibus repentè corpus pallidum, frigidum, & quaſi mortuum jacet.

LXXI. Cùm autem Spiritus iidem Vitæ ſint radices, etiam corpus, quamdiu vivit, ab omni putredine præſervabunt, virtute ſalino-ſulphureo-balſamicâ, non ſecus ac *Gas ſulphuris* Vina, aut alios liquores facilè corruptibiles, à corruptione præſervat.

LXXII. Denique horum *Spirituum*, accenſione velut quadam genitorum, *calor* per totam machinam ſe diffundit, pro operationum quarumcunque facilitatione. Non ergo Vita animalium præcisè conſiſtit in calido ſeu calore, cùm animalia quamplurima ſint frigida; imò ipſa animalia calida ſuas habeant viciſſitudines ſecundum magis & minus, ut in Senibus gelidis, cachecticis, leuco-phlegmaticis & ſimilibus notiſſimum eſt. Eſt ergo potiùs calor conſequens quoddam neceſſarium Vitæ in animalibus calidis.

LXXIII. Nam Animalium duplex eſt obſervanda diſtinctio alia ſunt *calida*, alia *frigida*. Fundamentum diverſitatis conſiſtit in ſanguine, aut huic analogo ſucco nutritivo. In quibus enim hominibus ſuccus talis ſulphureus eſt, pinguior, ſalſior, aut etiam reſolutus, volatiliſatus, ac ab aëre excitatus, inſignem quaſi accenſionem ſubit, unde caloris ſenſibilis per totam machinam diſtributio & perceptio.

LXXIV. In *Animalibus* verò *frigidis*, ut in aquatilibus frigidis, *Inſectis*, *Ranis*, *Piſcibus* ferè omnibus, *Serpentibus*, &c. minùs ſulphureis, ſed potiùs nitroſis, aut quaſi ſalinis mercurialibus, Sanguinis ac Succi nutritii reſolutio, volatiliſatio ac illuminatio, fit ſine ulla tali, aut ſaltem non ſenſibili accenſione.

LXXV. Unde etiam illorum *calidorum* vis vitalis longè *facilius deſtructibilis* ac diſſipabilis eſt, & promptè quaſi extinguibilis; ſecus ac *frigidorum*, quorum ſpiritus luminoſi minùs ferventes ac ſubtiles, ſimulque ſubjecto ſeu materiâ nonnihil viſcidiori irretiti, non adeo facilè diſſipabiles exiſtunt, quin poſt corpora etiam diſciſ-

ſa portiones diviſæ motum & ſenſum, vitamque adhuc retinent.

LXXVI. Hujuſmodi ergo *Spiritus volatiles* revera iſtud ſunt, quod alii per *Animam*, alii per *Spiritus inſitos & influos*, alii per *Calidum innatum*, alii per *Ignem animalem*, alii per *Flammulam vitalem*, alii per aliud nomen, pro hypotheſium varietate, explicare voluerunt.

LXXVII. Cæterùm hic obſervanda eſt iſta differentia inter *corpora violenter & conſtantibus viribus vitalibus interempta*, & inter *corpora naturaliter ultimo ſenio, vel diuturno morbo* ſenſim emortua. In *his* enim univerſum *Spirituum* ſyſtema ſucceſſivè evaneſcit & extinguitur, deficiente ſenſim ſupplemento; unde & animales primò, tandem & vitales pereunt facultates: in *illis* verò ſubitò, ſuppreſſo Spirituum impetu, & ſufflaminato eorundem motu ac radio luminoſo, aliquanta ſubſtantiæ eorum portio, (inſtar ſubtilis fumi aut halitus, à ſubjectis eorum craſſioribus ac viſcidioribus irretita) partibus adhuc naturaliter remanet, utut formali activitate vitali omnino deſtituta ſint; unde & operationes vel effectus diverſi à corporibus diverſimodè mortuis ſuam originem habent.

LXXVIII. Hinc deducendæ ſunt *Actiones magneticæ* omnes, qualis eſt, quando curaturi *Abundantiam lactis*, jubemus illud emulgere ſupra carbones vivos. Sic notum eſt, quod *Uſnea*, ex Cranio hominis violenter occiſi procreſcens, ſtupendas habeat virtutes contra *Hæmorrhagias*, quod alius *Muſcus*, qui in cœmeteriis provenit, non præſtat. Similiter ſi admoveatur manus, Verrucis aut etiam aliis Excreſcentiis obſeſſa, corpori ſucceſſivè mortuo, hoc putreſcente evaneſcent illæ.

LXXIX. Quin & *Spirituum* horum portiones quædam, quocunque medio, vel cum partibus ſolidis, vel per ſanguinem, lac & effluvia, vel alia excreta, à toto

deciſæ, fundamentum exiſtere videntur omnium *Actionum ſympatheticarum*, quatenus ad hæc eſſentialem cum ſuo concreto habent convenientiam, adeoque ſeparatæ, ſed ante ſui diſſipationem plus minùs alteratæ, ſimilem in toto vel parte, in diſtans licet, alterationem inducent.

LXXX. *Fundamentum* ergo *Vitæ* conſiſtit in Sanguine, vel ſucco huic analogo (in aliis Brutis non ſanguineis,) utpote ex cujus penu continua Spirituum, & concatenata eſt reparatio, vel regeneratio. Hujus ergo legitima craſis, indeque oriunda debita fermentatio, ſpirituaſcentia & incandeſcentia; atque Spirituum hinc dependens hypoſtaſis plus, vel minus diſſipabilis, radix eſt Vitæ *ſanæ* vel *ægræ*, *longæ* vel *brevis* &c.

LXXXI. Quæritur, *An Vita poſſit prolongari?* Reſp. naturalem terminum vitæ, quem omnia corpora ſecundum naturæ leges habent, fundatum eſſe in ſanguine & ſpiritibus; adeoque Adamum, etiam ante Lapſum, *naturaliter* mortalem fuiſſe, utut immortalitatem per vitæ arborem ſibi procreare potuerit. Cæterùm Diæta conſervat quidem vitam ſanam, non autem prolongat, adeoque ridendus eſt *Deodatus*, conſervationem ſanitatis ad 120. annos à ſolâ Diætâ ſibi ſomnians: quia potius prolongatio vitæ fit per ſublimiora remedia, qualia in Regno vegetabili *Helmontius* invenit in *Cedro*, naturæ incorruptibilis exiſtente. Aſt cùm arbor ſit rara, & exinde ejuſmodi medicamenti præparatio ob defectum Alcaheſt ſit impoſſibilis, loco ejus Tackius *Juniperum*, & Starckius in *Pyrotechniâ*, *Terebinthinam* ſumit.

LXXXII. Hæc omnia *Homo* cum *Brutis* habet communia; ipſi autem Homini propria dein eſt *Anima rationalis*, ſubſtantia reverâ ſpirituoſa, immortalis & inalterabilis, cum corpore Hominis animali nihil habens commercii, & ab œconomiâ Animali, ejuſque fun-

functionibus planè excluſa, ſolas intellectûs & voluntatis operationes immateriales ſeu inorganicas, ſibique proprias, peragens.

LXXXIII. Ex *unione* tamen ejus cum *corpore animali* Senſuum præſupponit miniſteria & exercitia in intelligendo, ut occaſione certarum Spirituum animalium motionum, ſub ſenſatione ſibi formet conceptus & phantaſmata, unde intelligendo, per horum exorbitantias, ſubinde & ipſa Anima aberrat. Sicut contrà pro voluntatis imperio certum Spiritibus iſtis animalibus motum, ad excitandos voluntarios motus tribuere & imperare valet.

LXXXIV. In *Machinâ* ergo noſtra *corporeâ*, quæ eſt *hydraulico-pneumatica*, *Sanguis & Spiritus* principii *moventis* ſeu *activi* locum obtinent, *partes ſolidæ* verò ſunt *ſubjectum paſſivum*, quæ ab iſtis in motum concitantur: nam ab illis in eſſe, fieri & operari reverà dependent.

LXXXV. Operationes omnes hujus Machinæ reſpiciunt conſervationem ejus vel *in individuo*, vel *in ſpecie*: illæ aut reſpiciunt *eſſe vitale* ſimpliciter, aut *eſſe animale*; unde ad tria generalia Capita omnes corporis operationes ſeu functiones rediguntur, nempe ad *Vitales*, *Animales* & *Genitales*.

LXXXVI. *Vitales actiones* eo ſunt directæ, ut corpus & conſervetur & roboretur in ſuo vigore vitali, omnesque partes ſolidæ pro obeundis meliùs & promptiùs actionibus organicis, debitam magnitudinem conſequantur.

LXXXVII. Cùm enim *principia* corporis *activa* ſint in perpetuo motu, adeoque continuam patiantur, partim *alterationem*, partim *jacturam*, neceſſe eſt, ut horum redintegratione etiam totius Vitæ vigor vitalis & reſtauretur, & quantum poſſibile exaltetur.

LXXXVIII. Nam Spiritus ſub continuo actionum exer-

exercitio ſubtilitate ſuâ magnam partem privantur, per poros aliave loca frequenter exhalantes, in quorum ſupplementum impenditur *Sanguis*, cujus maſſa præterea quoque in partibus ſolidis, nunc in earum ſubſtantiam perfectè convertitur, nunc verò alterata ſolùm nonnihil in iis, per poros hinc tota ſucceſſivè ac inſenſibiliter tranſmittitur; idq; tam *naturaliter* poſt accretionis annos, quàm *præternaturaliter* per exercitia, aut vehementiores corporis motus, aut alias ſimiles cauſas.

LXXXIX. Ut ſilentio *prætereampartes* Maſſæ hujus *effætas*, crebrioribus circulationibus, & in præcordiis ſuſceptis fermentationibus, reſolutas, copiosè itidem per cutim exhalantes: nec non unà cum his, ex partibus ſolidis, inprimis carnoſis, humorem roſcidum & mucilaginoſum, ſeu proprium earum nutrimentum, ex maſſa ſanguinea elaboratum, ſenſim ſenſimque per poros diſſipabilem. Uſq; adeo maſſa ſanguinea eſt in continuo reſtaurationis & perditionis motu, atque juxta Sanctorii *Staticam Medicinam* unica die naturali per inſenſibilem exſpirationem tantum evacuetur, quantum per alvum 15. dierum curſu.

XC. Perditio verô hæc nullo modo fit à ſolo Calore, cùm hujus actio, præſertim ſi vivâ flammâ non fuerit excitatus, univerſim omnia humida miſta ſiccet in tophos & carbones, atque copioſam remanentiam relinquat, ſecus atque in corpore noſtro evenire ſolet, in quo nullibi tale *Sanguinis* caput mortuum naturaliter obvium eſt.

XCI. Quin potiùs fermentorum & aëris inſpirati adjumento in tantum reſolvitur & volatiliſatur *maſſa* ſanguinea, & exinde ſeparandus nutritius *Succus*, ut vel ſponte, vel leni accedente calore, totus à ſero abſorptus ſucceſſivè exhalet.

XCII. Ut ergo inſignes hi defectus reſarciantur, ſimul

mul quoque corpus materiæ appoſitione ad legitimam perveniat magnitudinem, *Alimentorum aſſumendorum* & hinc elaborandi *nutrimenti* imminet neceſſitas, quibus reſtaurentur partim partes abſumptæ, nutrimenti appoſitione & aſſimilatione, in quo conſiſtit *nutritio*; partim augeantur membra omnia perfectiore ejus agglutinatione, pro aptitudine ad functiones faciliori, in quibus conſiſtit *augmentatio & accretio.*

XCIII. Ita ut *nutritio* & *auctio* majoris duntaxat, & minoris ratione differant, quod nempe *nutritio ſit inchoata auctio*, & *auctio ſit perfecta nutritio*: quarum illa ſc. *nutritio*, per totum vitæ curſum, hæc ſeu *auctio* tantùm ad certos annos, tam ob partium augendarum ad majorem extenſionem reſiſtentiam, quàm ob nutrimenti pro perfecta aſſimilatione & agglutinatione ineptitudinem, perdurare naturaliter ſolet.

XCIV. Tribus ergo actionibus *appoſitione, aſſimilatione & agglutinatione nutritio & accretio abſolvitur. Appoſitio* ſimplici mechanicâ per poros partium tranſcolatione & quaſi filtratione peragitur; *Aſſimilatio* verò, & per coagulationis modum firmior *Agglutinatio*, non ſine motu tranſmutationis fermentativo, ab occulto partium volatili acido fieri, hincque omnis muſculus ſuum habere ſtomachum, i. e. digeſtionem, videtur.

XCV. Fiunt nempe *ſuccorum alterationes* iſtæ, quæ dicuntur concoctiones, in corpore noſtro omnes, per *fermenta & fermentationes*; ſicut *ſeparationes* unius ab altero per translationes & filtrationes mechanicas, eorum verò *retentiones*, & variæ motiones per ſolas *propulſiones*, beneficio partium fibroſarum ſtructuræ & texturæ, ſine ulla *attractione* contingunt.

XCVI. Præter dictas neceſſitates aſſumendorum alimentorum ad conſervandam corporis noſtri vitalitatem, ulterius ſenſibilem ſtimulum Ventriculo pro iiſdem appetendis implantavit natura in *fame & ſiti*: qua-

rum *illa* à vellicationis, titillationis vel ſimilis moleſtiæ cujuſdam ſenſu, circa orificium Ventriculi ſuperius ſeu ſiniſtrum, ab acido fermentativo ſalſo volatili Succo, qui in ſtomachici fundi tunicâ cruſtosâ naturaliter hoſpitari ſolet, excitatur; atque *deſiderium* vel *appetitus ciborum* alias quoque audit.

XCVII. Prout autem variat hic *ſuccus eſurinus*, tam in ſingulis ſpeciebus Animalium, quàm in omnibus individuis Hominum; ſive naturali à causâ ſit mutatus, ac diverſus, ſive à præternaturali quodam vitio alteratus, ita etiam varia ſed *determinata* in ſingulis *fames* enaſcitur, ſecundùm quam ſucco tali appropriata ſolùm appeti ſolent.

XCVIII. Nec procedit *Fames à venarum ſuctione*, quia ſequeretur, quòd in omni Hæmorrhagia largiori neceſſariò excitaretur *Fames*, cùm tamen contrarium præbeat experientia; neque à *calore*, quia in *febribus ardentibus*, fervente licet ſtomacho, minimè tamen appetimus. Sed probabilius Fames *radicaliter* conſiſtit in orificio Ventriculi ſiniſtro, *formaliter* autem in appetitu, ſeu deſiderio alimentorum.

XCIX. Sicut è contrario determinata quorundam alimentorum averſatio oritur, vel à vi imaginationis, utplurimum Matris gravidæ, ſtomacho Infantis certum quaſi characterem imprimentis; vel à quadam læſione, ſtomacho per aliquid aſſumtum inductâ, & hujus læſionis quaſi ibidem infixâ memoriâ.

C. *Sitim* quod attinet, conſiſtit hæc in vellicatione, aut inſignioris moleſtiæ cujuſdam circa fauces, ſeu in expansâ pharynge, difficili ſenſu, oriundo ab acrioribus ſalibus ſalſis, aut acrioribus alcalinis, membranas faucium vellicantibus, & pungentibus: concurrente ſubinde Salivæ non ritè diluentis dicta ſalia acria, nec fauces ſufficienter abſtergentis, defectu, Sitim valdè exaſperante.

CI. Defectus hic *Salivæ* eſt cauſa Sitis privativa; ſicut è contrario acrimonia ejus ſalſa tanquam cauſa poſitiva eſt, à qua dependet ſitis Hydropicorum.

CII. Hujus *Sitis* moleſtiâ ſtimulamur ad aſſumenda *liquida aquea*, quò ſimpliciora eò meliora; cùm ſolum, ut pro vehiculo ſolidorum alimentorum inſerviant, à naturâ poſtulentur.

CIII. *Solida Alimenta* aſſumpta, antequam ſtomacho immittuntur, prius per *maſticationem* in ore, ad meliorem ſui tranſmutationem præparantur, beneficio comminutionis & contritionis à dentibus, inprimis molaribus, ut & beneficio eorum cum Salivâ permiſtionis & ſubactionis.

CIV. *Saliva* eſt lympha ſui generis, in *Glandulis conglomeratis* maxillaribus, (ubi & *Parotides* ſubintelliguntur) ac ſtomaticis copioſis tam palatinis quàm ſublingualibus, (quibus etiam *Tonſillæ* addi poſſunt) è ſanguine arterioſo inſtar ſpongiæ emulcta, & in os per peculiares ductus effuſa; conſtans primariò è copiosâ parte aqueâ ſeu ſerosâ, quæ ſubtili & occulto acido volatili oleoſo, ac ſimul Spiritu volatili oleoſo, per nervos advecto, eſt imprægnata: unde cibis conjuncta facillimè attenuativam, inciſivam & fermentativam obtinet virtutem.

CV. *Glandulæ* in ore & circa os ſitæ, generali nomine *Stomaticæ* vocantur, & habent hæ nervos ideo, ut beneficio fibrarum obſcurum motum edant. *Vim fermentativam* ineſſe Salivæ patet ex eo, quia mediante illa morbi contagioſi ſolent propagari; ſicut etiam *Scorbutus*, *Lues venerea*, & alii morbi, cum ea communicari poſſunt.

CVI. Propter hos fines *Salivâ* quoque alimentis ſub maſticatione intimiùs permiſcetur, ut ejus medio ad meliorem fermentationem in ſtomacho, & faciliorē fermenti ſtomachici ingreſſum præparentur; etenim

ſali-

ſaliva illa cum fermento dicto magnam analogiam & convenientiam, adeoque homogeneam quodammodo naturam habere videtur.

CVII. Præter hunc *uſum primarium Salivæ*, (quando nempe particulæ ejus aquoſæ alimenta attenuando, reſolvendo, ſalia acidula incidendo & penetrando, hinc Spiritu volatili ſubtiliſando, adeoque inſtar fermenti farinaceæ maſſæ additi, fermentationem in ſtomacho facilitant, ſicque Saliva alimentis incrementum, Succus verò Ventriculi iiſdem complementum digeſtionis præſtet) ſecundariò etiam confert *Saliva*, 1. Fermentum ſtomachicum ex parte reſtituendo, ad promovendas ſaporum perceptiones. 2. Fauces & gulam pro faciliori illius deglutitione lubricando. 3. Linguam & os pro alacriore illius motione & loquela humectando. 4. Sitim alias perpetuò moleſtam, faucium ablutione reſtinguendo.

CVIII. Tanta nempe hujus Ciborum præparationis in ore eſt neceſſitas, ut comminutioné non eorum ſufficientem quamplurima animalia, inprimis cornigera, quę utplurimum ſuperiori dentium ordine carent, & ob id maſticare convenienter non poſſunt, ruminando reſarciant, Salivæ autem deficientis permiſtionem Aves in Ingluvie abſolvant. Obſervantur etiam, licet rariſſimè, homines ruminantes, quorum ſc. Ventriculus muſculoſus exiſtit.

CIX. Maſticata ſic Alimenta ad Stomachum promota, tranſmutantur ibidem in *liquorem pultaceum*, ſecundùm veteres cremori Ptiſanæ ſimilem, Chylus appellatam, idque beneficio fermentationis planè ſingularis, blandæ videlicet ac minimè moleſtæ, quam calor Stomachi & ambientium Viſcerum non leviter promovet.

CX. *Fermentatio* hæc, qua tranſmutantur alimenta in Chylum, dependet inprimis à ſucco ſubtili acido

ſalino

ſalino ſtomachi, qui partim inſtar menſtrui diſſolvit cibos, partim volatili maximopere blandâ ac penetrante aciditate cum alimentorum particulis diſſolutis, in ſpecie ſalinis alcalibus, lenem fermentationem efficit, & ita ſucceſſivè eadem in aliam ſubſtantiam transformat.

CXI. Autores multi in Stomacho voluerunt *facultatem* quandam χυλοποιητικὴν, quæ juxta calorem primarium eſſet digeſtionis principium. Sed poſito, quod ea detur, neſcimus tamen quid ſit, nec poteſt explicari quomodo concurrat & unde dependeat? Inprimis tamen hanc facultatem refellunt curioſiores Operationes chymicæ, quarum beneficio chylus artificialis in vitro repræſentatur. Sic *Taccken.* in *Hipp. Chym* ſuo aſſerit, ſe beneficio liquoris cujuſdam, novi volatilis, quæcunque alimenta, concurrente ſimul calore, in chylum mutare poſſe.

CXII. Hinc ea omnia, quæ vel ſunt duriora, adeoque difficulter ſolubilia, vel ſale volatili multum depauperata, ut alimenta, vel exſiccata, vel ſale condita, vel fumo indurata, ſolent eſſe difficilis digeſtionis.

CXIII. Maximi momenti negotium eſt hæc alimentorum fermentativa Digeſtio, cum hâc ipſa eadem diſponantur, & ad heterogeneorum maturam in Inteſtinis ſeparationem, & ad promptiorem in præcordiis ſpirituaſcentiam ac volatiliſationem, id quod ſine exacta fermentatione fieri nequit. Hinc in iis, in quibus aut imminuta, aut cruditate acidâ depravata eſt hæc fermentatio digeſtiva, ut in *Cachecticis*, debita ſanguinis maturitas & ſpirituaſcentia, adeoque debitus corpori deficit vigor.

CXIV. Præſentiam hujus *Fermenti acido-ſalini eſurini* in Stomacho teſtantur ructus acidi in ſanis, & quorum optimus eſt Stomachus, naturaliter ſubinde præſentes, qui ipſi & in *Apepſiis*, *Dyſenteriis* & *Lienteriis*

ſupervenientes, ejuſdem reſtituti ſunt indices: hinc illa acida volatilia, ſpeciatim panis, tam grata & amica ſunt ſtomacho, quatenus ſuo modo ſunt homogenea, & à martialium uſu frequentes nidoroſi ſulphurei ructus erumpere ſolent, ſimiles iis, qui odoratu ſenſibiliter percipiuntur, quando *Martis limaturæ Spiritus acidus*, *Salis*, v.gr. affunditur. Unde & pinguia, quæ acrimoniam fermenti hujus obtundunt, uti appetitum proſternunt, ita & digeſtionem in Stomacho turbare & impedire ſolent.

CXV. Origo Fermenti hujus primariò eſt ex tunica ſtomachi glandulosâ internâ, ex qua talis lympha fermentativa quaſi tranſudat, quęq; in rugis ſuis obvias habet reliquias quaſdam alimentorum prius digeſtorum, morâ diuturniori non leviter aceſcentes, hinc à ſalivâ continuò deglutitâ inſigniter ſubactas, & ad fermenti aliqualis naturam exaltatas: quæ omnia mutuâ ſui unione Liquorem hunc fermentativum conſtituere, probabiliſſimè videntur.

CXVI. *Helmontius*, Arabum inſiſtens veſtigiis, originem Fermenti ſtomachici ex Liene derivat, dum inter hunc & Stomachum ſingularem intercedere duumviratum ſtatuit: ſed refutant hanc ſententiam ſufficienter canes, poſt exſectum lienem ſtrenuè vorantes, imò pingueſcentes.

CXVII. Sic ergo fermentantur Alimenta, ut ea tamen, quæ priùs in ſtomacho aceſcebant, non leviter ſucceſſivâ fermentatione tranſmutentur, & aut planè, aut maximam partem depoſito acore iſto abeant in maſſam nunc ſalſo-inſipidam, nunc nonnihil in ſalſo-acidam, ſemper tamen naturaliter volatilem, variâ licet ſub temporis morâ, dum in uno citiùs, tardiùs in altero ob varias circumſtantias negotium hoc abſolvatur.

CXVIII. Chylus ita præparatus delabitur ſucceſ-

ſivè

ſivè per pylorum in Inteſtina, apparenter quidem homogeneus, cui tamen non paucæ partes heterogeneæ, œconomiæ animali conſervandæ ineptæ, miſtæ ſunt, quæ in Inteſtinis, antequam aliorſum pergant, probè ſeparandæ veniunt.

CXIX. Separatio hæc fit mediantibus duobus iſtis ſuccis, *bilioſo & pancreatico*, in fine Duodeni ac principio Jejuni in Inteſtina effuſis, ibidem Chylum diluentibus, imò cum eodem ad lenem turgeſcentiæ actum devenientibus, ſub quo craſſiores, & quaſi caſeoſiores ejus partes præcipitatæ ſequeſtrantur, uti in *Fluxu alvi icteritio*, ac *cœliaco* ſufficienter patet.

CXX. *Bilis* quidem excrementorum catalogo malè olim fuit adſcripta, cùm in ſe reverâ utiliſſimus balſamicus ſit liquor, & conditum quaſi balſamicum pro Chyli ipſius & totius Maſſæ ſanguineæ conſervatione ab omni corruptione putredinali, inſtar Myrrhæ cujuſdam Aloeſve additum, unde & *Vermium* facilem è Chylo generationem, quantum poſſibile, prohibet, rectè *Helmontio* dicente, *ubi deficit Bilis fermentum, ibi Lumbricorum patria.*

CXXI. Præterea quoque *Bilis* volatili oleoſo ſuo ſale, ceu eſſentiali ejus conſtitutivo, ſi quid manifeſti & p.n. acoris, toti corpori hoſtilis, adhuc in Chylo ſupereſt, deſtruit, & in ſalſum tertium vol. tranſmutat, ſimulque Chylum totum optimè diluit, & fluxiliorem ac liquidiorem reddit, fæcumque excretionem ſic per accidens optimè promovet.

CXXII. Nec improbabile eſt, quod alii aſſerunt, Bilem oleoſitate ſuâ ſulphureâ occultâ quaſi tingere chylum, adeoque primam pro faciliori in ſanguinem tranſmutatione diſpoſitionem exhibere, ut hujus tincturæ ſulphureæ medio exaltari facilius, ac in rubrum ſanguinem converti poſſit: cujus defectu *Cachexiæ*,

Leucophlegmatiæ, *Anaſarcæ*, & reliquæ ſpecies *Hydropis* ex parte oriri videntur.

CXXIII. Concurrit cum *Bile* eodem in loco *Succus pancreaticus*, *ſubinde acidus*, plus minus tamen, in Animalibus repertus, qui Chyli dicto modo à bile alterati, craſſiores & quaſi caſeoſas partes leniter coagulando præcipitat, & blandâ quadam cum bile fermentatione, in ſtatu p. n. verò effervеſcentia dictarum Fæcum ſeparationem inſigniter adjuvat.

CXXIV. Chylus ita in inteſtinis tenuibus alteratus & perfectus, & à ſcybalis recrementoſis depuratus, per eadem leni preſſu ulterius diſtribuitur, idque mediante motu illorum periſtaltico, ſub quo ſucceſſivè ſuccus ſubtilior & tenuior nutritivus oſcula Vaſorum lacteorum meſaraicorum, in Inteſtinorum tenuium canalem hiantium, imprimitur.

CXXV. Ex his continuato motu fertur in commune, juxta Renem ſiniſtrum exiſtens receptaculum, ſeu cyſternamChyli, inHomine pariter acBrutis membranoſam, unde ulterius per Ductum thoracicum in Venam ſubclaviam vel axillarem ſiniſtram infertur, ubi cum Sanguine redeunte miſtus dextrum influit cordis ventriculum.

CXXVI. Quippe repertis *Vaſis lymphaticis* ductæ ſunt Hepati, quoad ſignificationis negotium, exequiæ, cùm nulla *Vaſa lactea* ad ejus deriventur viſcus; & quòd Venæ ſanguiferæ meſaraicæ aliquam ejus portionem cum ſanguine Jecori invehant, adhuc experimentis Anatomicis probandum venit.

CXXVII. Nullæ quoque hactenus detectæ ſunt viæ, quibus immediatè Chylus pro materiâ lactis glanduloſæ mammarum ſubſtantiæ, aut fœtui in Utero pro nutrimento afferatur; quin potius mediatè Chylum nondum ſanguini aſſimilatum, ex arteriis in dictis & aliis locis emulgeri probabiliſſimum videtur.

Urinæ

CXXVIII. *Urinæ* tamen materia, an omnis ex ſanguine in Renibus tranſcoletur, & nulla ex primis viis à Chylo immediatè ſeparata ad loca urinaria, quæcunque etiam ſint, viis licet hactenus in locis abdominis admodum impeditis, nondumque detectis, deferatur, in dubio adhuc eſt; ſaltem hoc probabile videbitur conſideranti, *Diabeticos* eodem colore, ſapore & odore Vinum rubellum v. g. loco urinæ excernentes, ſemina aniſi & coriandri integra excreta, citum acidularum tranſitum, violaceum brevi poſt aſſumptam Terebinthinam odòrem, *&c.* Ut proin ob hanc rem nonnulli inter urinam potûs & urinam ſanguinis diſtinguendum eſſe opinentur.

CXXIX. Ubi ergo cum Sanguine Chylus in Vena axillari permiſtus ad dextrum Cordis ventriculum pervenit, ex eo ulterius derivatur per Arteriam pulmonalem ſeu Venam arterioſam in Pulmones, ex his verò per Venam pulmonalem ſeu Arteriam venoſam infunditur in ſiniſtrum Cordis ventriculum, ex quo dein impellitur in Arteriam magnam ſeu aortam, per quam porrò, ejusque ramificationes innumeras in univerſam corporis machinam diſtribuitur, atque inde revertitur, ac reſorbetur per venarum ſurculos, qui omnes tandem in Venam cavam deſinunt, atque hinc ſuum liquorem dextro cordis Ventriculo denuò infundunt.

CXXX. *Harvæus* ille Medicus Anglus, & *Conringius*, Profeſſor Helmſtadienſis, vulgò habentur primi inventores circulationis ſanguinis: ſed revera non ſunt, & notitiam hujus demum acceperunt à *Paulo Sarpa*, Veneto monacho ordinis Servitarum, qui revera primus & verus inventor eſt hujus circulationis.

CXXXI. Confuſus ita cum Sanguine Chylus in Venis axillaribus ſenſim ſenſimque ſubigitur, & ſucceſſivè alteratur, ac in Sanguinem mutatur, quæ actio ſpe-

ciatim in aut circa Cor abſolvi videtur : licet in hoc ſanguificationis negotio Cor, ipſique annexa vaſa ſe tantùm habeant paſſivè, locumque his liquoribus pro motu & tranſitu meliori concedant, uſque adeo ut Cor non niſi antliæ munere in machina hacce hydraulica defungatur.

CXXXII. Etenim *Sanguificatio* non eſt actio organica, ſed purè tantùm ſimilaris, adeoque propriè loquendo nullum corporis Viſcus organi ſanguificationis nomen merebitur, ſed Cor duntaxat vas erit, per quod ſanguis pro inſigniori hac mutatione in præcordiis movetur.

CXXXIII. Revera enim nil aliud eſt *Cor*, quàm *muſculus compoſitus*, & muſculorum in modum moveatur, ita quidem, ut ſiniſter ventriculus propriè Cor appellandus ſit, cujus tantùm appendix eſt dexter ventriculus, propter Pulmones ſolummodo fabricatus, ut ex hoc melius & commodius in Pulmones fiat ſanguinis propulſio, (pro ſubeundâ, maximè neceſſariâ ad vitam, alteratione ab aëre,) & per hos ad ſiniſtrum ſinum ſeu cor primarium promotio.

CXXXIV. Chyli in ſanguinem tranſmutatio vix aliter, quàm per blandum aliquem fermentationis motum fieri videtur; quem ab aëre inſpirato, Chylum Sanguini aſſimilante, & Sanguinem in ſpiritus volatiliſante, non pauci probabiliter deducunt.

CXXXV. Veriſimilior tamen adhuc eorum videtur aſſertio, qui *Sanguinem ipſum*, prout in ſe principiis fermentativis, in ſpecie Salinis & Oleoſis volatilibus turgeſcit, *Chylum* permiſtum *tranſmutare*, & ſucceſſivè ſibi aſſimilare, idque mediante motu ſuo fermentativo, chylum & alterante, & in ſimilem ſibi naturam pedetentim convertente, aſſerunt.

CXXXVI. Promovetur inſigniter hæc Sanguinis fermentatio, & conſequenter chyli aſſimilatio, ab aëre in pul-

in pulmones inſpirato, cujus medio, attenuatur, volatiliſatur & ſpirituaſcit inſigniter, atque inſuper propter ſalino ſulphuream mixturam incaleſcit eadem & vitali quaſi calore incenditur.

CXXXVII. His poſitis facilè patebit, ſucceſſivis & repetitis per cor & pulmones circuitibus perfici chyli ſanguificationem: ob id enim non raro *ſemilacteus* adhuc ſanguis, etiam in ſaniſſimis hominibus per venam ſectam apparuit, aut ſaltem ſupernatans cruori coagulato ſerum leni igni inſpiſſatum *gelatinam lacteam* relinquet, quæ phænomena à Chylo nondum Sanguini aſſimilato oriuntur.

CXXXVIII. Unde & tot proſtant obſervationes *ſanguinis albi inſtar lactis*, ex vena ſecta emiſſi, etiam in ſanis hominibus, ob chylum ſc. nondum ritè aſſimilatum. Imò ipſæ ſanguinis fibræ rubicundæ apparentes reverà albicant, & Chyli videntur proles.

CXXXIX. Ita ut *vitalis* iſta *Maſſa*, quæ per arterias & venas circulatur, duplici conſtet materiâ, *chylosâ* & *ſanguineâ*, cum utriuſque communi vehiculo, videlicet *ſero*: quæ materiæ, utcunque exiſtant fluidæ, minimè tamen quatuor illis humoribus, aut elementis, temperamentiſque Veterum ſunt analogi.

CXL. Quæ enim in cruore per venæ ſectionem emiſſo poſt hujus congrumationem & cadaveriſationem reperitur ſanguinis, in ſuperficie floridi & in fundo nigricantis, differentia, partim ab aëre ſuperficiem refrigerante & attenuante, partim à cruoris in fundo tepore, ipſum magis putrefaciente, dependet.

CXLI Propellitur *Sanguis* & *Chylus* ex corde per arterias in univerſum corpus, & hinc per venas ad idem punctum, nempe cor, redit, unde in circulum recurrens *motus circularis* dicitur, qui à muſculoſæ ſubſtantiæ, ventriculorumque Cordis reciprocâ contractione atque expanſione, & hinc contentorum im-

petuoſâ expulſione , principaliter originem trahit.

CXLII. *Proprius* autem *cordis motus* eſt ejus *contractio* ſeu *ſyſtole*, *improprius* verò eſt *dilatatio* ſeu *diaſtole:* in ſyſtole enim agit & ſanguinem exprimit,ſicq; â ſanguinis in arterias ejaculatione harum dilatationem & pulſum efficit, in diaſtole verò patitur, dum à ſanguine irruente ex venis ejus parietes diſtenduntur, & ita moleſtia quadam ſenſibili afficiuntur.

CXLIII. Videlicet Cor à ſanguine, ex auriculis in ejus ventriculos, inprimis dextrum illapſo & turgeſcente, expanditur, qua expanſione fibræ, cordis parenchyma conſtituentes, extenſæ irritantur h.e. nimio diſtenſionis & læſionis ſenſu afficiuntur, inde confertim per nervos ſpirituum animalium fit irruptio,adeoque fibrarum & conſequenter totius Cordis contractio. Et quidem non ſecus atque alii Muſculi, Cor quoque à ſpiritibus animalibus per nervos influentibus in motum cietur.

CXLIV. Continuato tali impulſu ſanguis per totum corpus mediantibus arteriis propellitur, eodemque mediante in venas & per has in cor denuo remittitur; ita ut in toto hoc circulari motu ſola *propulſio*, nulla verò *contractio* contingat.

CXLV. Redit autem toties per orbem ad Cor Sanguis, ut ibidem inprimis in Pulmonibus vigore novo vitali imprægnetur, h. e. de novo volatiliſetur, ſpirituaſcat, fermentetur & incaleſcat.

CXLVI. Sanguinea verò hæc maſſa in omnes corporis partes, in genere pro earum nutritione, diſtribuitur, ita quidem, ut partes ſanguineæ rubicundæ *Sanguinis* nomine *propriè* veniant, partes autem ſpermaticæ ſeu nerveæ albicantes à chylo cum maſſa ſanguinea diſtributo nutriantur & conſerventur.

CXLVII. Ex prima enim Fœtûs in ovo formatione innoteſcit, partes ex duplici materia, nempe partim

tim *ſeminali*, ceu chyloſo colliquamento, partim *ſanguineâ* formari & componi, unde etiam pro nutritione & augmentatione talium partium duplex nutrimenti genus, *chyloſum* ſeu *lacteum*, & *ſanguineum* requiritur.

CXLVIII. Mediâ autem inter utrumque cordis ventriculum via intercedit Pulmonum viſcus, per cujus ſpongioſum ſeu potius veſiculoſum, h. e. ex copioſiſſimis parvis veſiculis angularibus, ſimplici membranâ conſtantibus, invicemq; connexis, compoſitum parenchyma tranſvaſatur Sanguis, dum Chylus, huic permiſtus in vena axillari ſiniſtrâ, pergit in truncum venæ cavæ aſcendentis, & ita in dextrum cordis ſinum, ex quo per arteriam pulmonalem ſeu venam arterioſam in Pulmones derivatur, è Pulmonibus verò per venam pulmonalem ſeu arteriam venoſam transfertur in ſiniſtrum Cordis ſinum.

CXLIX. Senſibilis eſt pulmonis Infantis vivi & in utero mortui differentia; ſiquidem fruſtulum pulmonis Infantis nondum editi, aquæ immiſſum fundum petit, vivi verò ſupernatat eidem. Et ex hac δοκιμασίᾳ cognitio hauritur Infantis occiſi. Cùm enim pulmo Embryonis ſit craſſior, nec ſatis poroſus, hinc reſpiratione ſemel factâ ſpongioſus fit, & ſic ſupernatat.

CL. Id quod contingere nequit, niſi Pulmones dilatentur & expandantur, adeoque Sanguini tranſeunti patefiat aditus, quod equidem fit, quatenus diaphragmatis figura mutatur in planam, unde & cavitatem in ima thoracis parte, & viſcerum abdominis depreſſionem, & illorum majorem protuberantiam efficit.

CLI. Concurrit ſimul coſtarum, deorſum verſus incurvatarum, per muſculos ſerratos & ſubclavios ſublatio, & ita cavitatis thoracis major ampliatio, unde ab abdomine foras protuberante, & thorace extrorſum di-

latato, neceſſariò ſimul aëris ambientis ſequitur protruſio.

CLII. Qui eodem momento partim ita protruſus, partim propria gravitate ac vi, liberali facto impetu, ruit in pulmones, eoſque per ſe immobiles inſtar utris inflat & diſtendit, quod *Inſpiratio* dicitur: Sicut diaphragmate denuo relaxato, & coſtis deorſum demiſſis, pulmonum compreſſio & *aëris Exſpiratio* accidit.

CLIII. *Neceſſaria* admodum aëris *eſt Inſpiratio*, cum hac deficiente omnia intereant animalia, non tamen refrigerium cordis & ſanguinis, aut hujus à nitroſo aëris ſale condenſatlo, primarius ejus eſt finis; cum talia in calore viventium naturaliter conſtituto, aut in ſenibus vel cachecticis tepeſcente, nullum locum obtineant.

CLIV. Sed potiùs *uſum Vitæ* noſtræ ſimpliciter neceſſarium *Aër* inſpiratus ſanguini præſtat, unde & hic omnis prius per Pulmones, quàm per Corruit, ita ut ad eam ſanguinis vitalem reſtaurationem, quam in præcordiis acquirit, inprimis faciat, ut ſupra §. 144. dictum: idque beneficio Salis ſui volatilis univerſalis, ratione cujus occultum vitæ cibum Aëri ineſſe Hermetici aſſerunt.

CLV. Ubi in Arteriam magnam impulſus eſt Sanguis, ex parte deorſum per arteriæ aortæ truncum fertur, & inter varios illius ramos arteriam ſplenicam, atque hâc mediante Lienem ingreditur, exinde per venam ſplenicam, ad truncum venæ portæ ac Hepar diſtribuitur: ita ut hæc communicatio inſignium horum viſcerum, Lienis & Hepatis, dum omnis ſanguis ex Liene immediatè ad Hepar defertur, ſingulare quid in receſſu habeat, ulteriori ſcrutinio indagandum, utpote ſine quo officium eorum vix debitè explicari poterit.

CLVI. *Lienis* viſcus conſtat membranarum congerie, in cellulas & multiplices concamerationes efformatarum,

tarum, per quas glandularum minimarum copioſi globuli uvæ botrum æmulantes diſperſi ſunt.

CLVII. *Non eſt tamen illud ſimpliciter ad eſſe vitale* animalium neceſſarium, cùm Canibus & Suibus ſine ulla ſenſibili functionum læſione exſcindi queat. Sed tantùm ad *bene eſſe* confert, ita ut ad majorem ſanguinis perfectionem, ſed accidentalem hanc facere videatur, quatenus in Lienis glandulis, percurrentibus ſpiritibus animalibus forſan tale fermentum elaboratur, quod ſanguini inſpiratum vel ad faciliorem Chyli tranſmutationem faciat, vel potius molecularum ſanguinis heterogenearum, nec ritè miſcibilium ſeparationem ita promoveat, ut commodè per convenientia loca, in ſpecie Renes, *&c.* evacuari poſſint.

CLVIII. Omnis iſte ſanguis ingreditur *Hepar*, qui partim ex *Splene*, partim è Inteſtinis per Venam portæ vehitur; cujus parenchyma ex glandularum globulis, copioſo ſanguine ſuffuſis & irrigatis compoſitum, hactenus ſoli Bilis tranſcolationi, denegato omni ſanguificationis officio, fuit deſtinatum.

CLIX. Equidem *Bilem* iſtam omnem, quæ per ductum hepaticum ad Inteſtina amandatur, ex *Hepate* derivari cèrtum eſt: ſed *Bilis* quæ in *felleo* reperitur *Folliculo*, in hoc ipſo potiùs generatur ex Sanguine, per arterias cyſticas eò allato; ita ut maxima etiam ejus pars per cyſticum ductum ad Inteſtina amandetur: dum interea etiam aliqualis ejus portio per exiles ductus, ex ejus fundo in Hepar diſperſos, in hoc derivetur, probabiliter ad promovendam Bilis è Sanguine in Hepate faciliorem ſeparationem.

CLX. Sanguis ulterius per Arterias emulgentes diſtribuitur ad *Renes*, ex quibus per Venas emulgentes redit, ut ibidem ſerum ſalibus partim ſuperfluis, partim recrementoſis, aliiſque ſanguinis impuritatibus imprægnatum, tranſcoletur & ſeparetur.

Eſt

CLXI. Eſt ſcilicet in Sanguine latex aquoſus, alias ſerum commune tam ſuccorum nutritivorum quàm excrementorum vehiculum, cujus medio illi per univerſum diſtribuuntur corpus, hi verò in certis colatoriis ſeparantur & amandantur: quod ſi fiat per Renes, *Urina* appellatur; ſin verò per Cutis poros, *Sudoris* nomine venit.

CLXII. *Renum corpus*, quoad extimas partes, conſtat fibris quamplurimis ſubtilibus, perforatis tamen, in Corpus papillare tortuoſum, medium eorum corpus conſtituens, deſinentibus, de quibus vid. Laur. Bellin. *Italus*. Illas ergo fibras ſerum Sanguinis ingreditur, indeque ad Corpus papillare pergit, per cujus minutos & innumerabiles porulos tranſudat ad membranam interius expanſam, unde per Ureteres ad Veſicam deſcendit, ſanguine ipſo à Venis emulgentibus interea reſorpto.

CLXIII. *Urina* hæc Sanguinis eſt propriè loquendo lixivium quoddam volatile, ſeu Aqua ſale ſalſo ſulphureo, adeoque primariò *alcalino*, ſecundario acido, ambobus volatilibus, pinguedine ſufficienti temperatis, compoſito, ſed ſuperfluo imprægnata: quibus ſubinde, ſed p. n. & talia maſſæ ſanguineæ recrementa varia ſe ſociant, & una eliminantur. *Potus* quòd attinet *urinam*, de hac ſup. §. 127. actum.

CLXIV. Poſt Renes excurrit Sanguis ulterius per Arterias ubique ad *glandulas* per univerſum corpus diſſeminatas, eaſque tam *conglomeratas*, quàm *conglobatas*: quarum illæ magis compoſitæ liquorem emulctum in certas cavitates pro peculiaribus uſibus effundunt: hæ magis ſimplices eum per Lymphatica vaſa, quorum truncus communis eſt Ductus thoracicus, in Venam axillarem ſiniſtram Sanguini denuo infundunt.

CLXV. *Conglomeratarum* liquor, prout eædem ſunt vel

vel laxioris vel firmioris texturæ, variat: illæ ſerum lacteum emulgent, ut ſunt Mammariæ, Tonſillæ; hæ ſerum aquoſius ſubtilius, ſale volatili vel ſalſo vel acidulo imprægnatum, ſeparant, ut *Pancreas, Parotides,* & *lachrymales Glandulæ*, &c.

CLXVI. Conglobatæ verò glandulæ lympham efficiunt, eamque omnem à partibus infra Cor ſitis per Ductum thoracicum ſanguini per Venam axillarem ſiniſtram infundunt, ſicut eodem loco omnis in ſuperiori regione confecta Lympha per ſimiles Lymphæ ductus, Vaſa lymphatica dictos, ibidem infunditur.

CLXVII. *Lymphæ* hujus materia primaria probabiliter ſtatuitur nutrimentum partium roridum, miniſterio glandularum collectum, in quod condenſantur Spiritus animales, in partes quaſcunque per nervos allati: dum enim non penitus diſſipantur exercitio aut laboribus, cum latice ſeroſo alimenti, omnium partium Vehiculo, ſe jungunt, & ita ſubtilitatem ſpirituoſam amittunt, ac denuo in halituoſam, tenuem & aqueam condenſantur ſubſtantiam, adjuvante non parùm Artuum frigidiori præ aliis partibus conſtitutione.

CLXVIII. Limpida talis ſpirituoſo-aquea materia à Glandulis conglobatis imbibita, imprægnatur in his ſubtili ſanguinis arterioſi acido ſale, quæ junctim ſumpta Lymphæ liquorem aquoſo ſpirituoſum conſtituunt nonnihil acidulum, ſupradictis locis ſanguini permiſceri conſuetum.

CLXIX. *Finis*, propter quem Sanguini in vicinia Cordis & Pulmonum, ubi de novo magis animandus eſt, Lympha hæc Venæ axillari ſiniſtræ infunditur, eſt non tantùm, ut diluat & fluidiorem reddat Sanguinem, ſed ut in ſpecie Chylo imprægnata inſtar materiæ nutrit. ſanguinis in præcordiis renovationem & reſtauratio-

nem

nem vitalem adjuvet, & inſigniter promoveat.

CLXX. Pertingit ſanguinea maſſa ulterius ad totam corporis peripheriam extimam, ejuſque integumentum *Cutem*, *quæ eſt reticulare corpus, è fibris nerveis copioſis, & capillaribus arteriarum & venarum* vaſis ſeu fibris ſanguineis contextum; ob id naturæ mixtæ, ſanguineæ & ſpermaticæ ſeu nerveæ, inprimis tamen tendinoſæ, eſſe dicitur.

CLXXI. Interſtitia hujus texturæ occupant glandulæ copioſæ minutæ, reverà ex conglomeratarum genere, *miliares* dictæ, vaſe *ſuo excretorio foras hiante*, & cutis *poros conſtituente*, inſtructæ, quæ veri fontes ſunt ſenſibilis tranſudationis, inſenſibiliſque tranſpirationis.

CLXXII. *Seroſus* nempe *ſanguinis Latex*, uti abſorbet ſuperflua & recrementoſa ſanguinis ſalia naturaliter, aliaſque ejus ſordes præternaturales; ita ſalina hac vi, inſtar ſaponis, abſtergit & abluit ſuo tranſitu ſolidarum partium ſordes ex nutritione ſuperfluas, aut ipſum nutrimentum non perfectè agglutinatum, ſed diuturniore mora effœtum redditum: quæ omnia jam antea ſufficienter attenuata & volatiliſata è capillaribus vaſis per dictas glandulas emulgentur, & accedente blando calore plus minus copiosè ſine capitis mortui remanentia notabiliter emittuntur.

CLXXIII. Sanguinis vitale nectar ubertim etiam derivatur ad *Cerebrum & Cerebellum*, inprimis per arterias carotides & vertebrales, quarum exiles & capillares quaſi ſurculi ubique ſuperficiem ejus densè obducunt, & tandem in ſinus duræ matris ſanguinem infundunt, qui venis jugularibus continui in has proximè, & inde remotius in venam cavam ſe exonerant.

CLXXIV. Obſervabilis eſt in Cerebro & Cerebello duplex ſubſtantiæ diverſitas, *corticalis* nempe ſubcineritia, & *medullaris* eleganter candida. *Illa è copioſiſſimis*

mis glandulis minutulis ovalis figuræ conſtat, in quas ſe inſinuant dicta vaſa ſanguifera: *hæc ex filamentis & ductibus nerveis delicatiſſimis*, invicem certo ordine convolutis, & tandem in nervos planè abeuntibus, eſt conſtructa.

CLXXV. Subſtantiæ talis diverſitas diverſum itidem uſum innuit, *cortice enim* mediante ſpiritus volatiles ſanguinis, vitales dicti, ſeparantur à ſanguine, & per ſubtiliſſimæ filtrationis modum agiliter penetrando tranſeunt in Cerebri medullam, Sanguine ipſo, ceu craſſiori corpore, ob pororum anguſtiam, vehiculoque ejus aqueo ob pinguiorem & oleoſam quaſi ſubſtantiam Cerebri excluſis.

CLXXVI. In ipſa verò *medullari ſubſtantia* ceu regio palatio, ſpiritus dicti volatiles luminoſi, *animales* nunc appellandi, debitis motionibus & expanſionibus, & inde per nervos in omnes partes radioſis excurſionibus, operationes Animalibus proprias, *ſenſus* in ſpecie tam *internos* quàm *externos & motus* perficiunt.

CLXXVII. Conſtituunt enim hi primariò *animam ſenſitivam*, tam Brutorum quàm Hominum, cùm ſint primi autores actionum Animalibus propriarum, tam in operationibus modò dictis quàm in genitalibus etiam.

CLXXVIII. Quæ utut ſint variæ & diſtinctæ, determinatur tamen Spiritus animalis ſpecie & eſſentia unus, adeoque ad varias actiones indifferens, pro variâ partium organicâ diſpoſitione & proprietate. Nam is ipſe, qui movet pedem vel muſculum, confert etiam ſuo modo ad viſum, ſi eſſet in oculo, & ſic conſequenter in aliis.

CLXXIX. Quòd ſi dicti Spiritus, in debitâ quantitate & ſubtilitate, blando & moderato, eoque ſimul ordinato motu agitentur, ac inde Cerebrum implendo proprio

prio motu quodammodo expandantur, ſicque porrò ex eodem ſecundùm filamentorum, Cerebri medullarem ſubſtantiam conſtituentium, ductum continuato quaſi rivulo aut radio in corpus, omneſque ejus partes influant, actionum animalium omnium ſequitur exercitium, adeoque vigiliæ.

CLXXX. Sin verò quacunque ex cauſa perturbati, inordinato, vago & ſubinde impetuoſo cieantur motu, in Cerebro hinc Deliria varia, ſpeciatim phrenetica; in partibus verò reliquis ſpaſmi & motus convulſivi, interdum mirabiles, excitantur.

CLXXXI. *Officia*, quibus *præſunt animales ſpiritus*, ſunt *ſenſus & motus*, utrique *interni & externi. Externos* quod attinet *ſenſus*, cùm hi revera conſiſtant in paſſione ſeu motione organi, inductâ ab objecto externo ſenſili, per certam ad hoc factam impreſſionem ſeu motum, adeoque ſolùm in motione filamentorum nervorum organi, in iis ſpiritus animales hoc ſolùm præſtare videntur, ut ſuo influxu nervea organa ſenſus proximè conſtituentia in debito tono & tenſione conſervent, quò facilius ab objectis externis moveri, & ita ſenſatio externa fieri poſſit.

CLXXXII. Expoſita ſcil. eſt corporea noſtra Machina quorumcunque corporum *ambientium* activitati & inſultui. Hæc ergo ambientia, dum in partem quandam agunt, motionem certam inducunt in ejus nervis, quæ motio, ſeu ab objecto externo facta impreſſio, continuato nervi ductu, ad Cerebrum uſque, ſeu ad nervi originem, continuatur.

CLXXXIII. Quem ibid. inſequitur determinatus Spirituum animalium, in vicina Cerebri medulla, motus, ab iſto excitatus, conſtituere videtur *Senſum internum*, occaſione cujus Anima rationalis in nobis format conceptum ſeu ideam, repræſentantem exactè rationem externæ impreſſionis, ſitque tunc formalis

lis cognitio ſeu ſenſuum externorum mediantibus internis perceptio: id quod *dolor imaginarius* eorum, quorum partes fuere abſciſſæ, illuſtrare videtur.

CLXXXIV. *Vires* iſtę objectorum, quę vulgo *qualitates* ſenſibiles dicuntur, quibus ambientia corpora agunt in certas corporis partes, *organa ſenſoria* dictas, conſiſtunt ſolùm in certâ talium corporum, quoad minimas eorum particulas, texturâ vel conformatione, quæ, prout diverſo modo nunc in hanc, nunc in aliam corporis partem agit, & certum motum inducit, vel mediatè vel immediatè, tam varias qualitates ſenſibiles, ſeu in organa Senſum agendi facultates, habere dicitur.

CLXXXV. *Conſtant* autem *ſenſuum organa* variis & diſtinctis partibus, ita tamen ſubordinatis, ut una ſit *primaria*, & cujus per objectum externum motione fit ſenſatio externa, ſeu certa paſſio in parte, quæ ſemper nervus eſſe ſolet, cujus filamenta nunc in membranam fortiter tenſam expanſa, v.g. in Auditu & Viſu; nunc in capitula papillaria ſunt conglobata, v.g. in Guſtu & Tactu, reliquis partibus duntaxat certum uſum, eumque varium habentibus.

CLXXXVI. Quinario numero omnes *Senſus externi* rectè dicuntur comprehendi, quos inter eminet *Viſus*, cujus objectum externum eſt *Lux*, primariò Solis & Ignis, & inde diffuſum in orbe *Lumen*, quod eſt materia quædam ſubtiliſſima, nil aliud nempe, niſi ignis quidam maximè rarefactus. Lumen tale vel immediatè in recta linea, vel mediatè, mediante nempe per corporis opaci ſuperficiem reflexione certâ, tranſit per *tunicam* oculi *corneam & humorem cryſtallinum*, donec impingat in tunicam *retinam*, ſeu *expanſionem filamentorum nervi optici*, & hanc un[illegible]que Spiritu animali perfuſam, ubi hæc quaſi percuſſa ſimiliter movens Spiritus præſentes, talem facit motionem & impreſſio-

nem, quæ ad cerebrum uſque continuata, eo modo ut §.175.& ſeqq. explicatum, à nobis dicitur *Viſio.*

CLXXXVII. Eſt ſcil. *Oculus* reverâ *Camera obſcura* opticorum, in quâ humor cryſtallinus eſt vitrum lenticulare, in quo ut plurimum fieri ſolet decuſſatio radiorum luminoſorum, donec impingant in tunicam retinam, ceu primarium *Viſus organum*, ubi objectum externum exactiſſimè, inverſo licet ſitu, repræſentatur, ut ita reverà per duplicem conum, unum rectum ab objecto ad punctum interſectionis in Cryſtallino, alterum inverſum ab hoc puncto uſque ad Tunicam retinam, omnis fiat Viſio.

CLXXXVIII. Et prout hi interſectionis anguli ſunt majores vel minores, etiam res viſa major vel minor in tunica retina depingitur, & conſequenter ita judicatur.

CLXXXIX. Quòd ſi radii iſti luminoſi ſub ſua in orbem diffuſione impingant in corpora opaca, reſiliunt propter denegatum tranſitum, plus minus exactè ad eos angulos, ad quos inciderant, ita ut incidentiæ & reflexionis anguli perpetuo ſint æquales, id quod in Speculis eſt manifeſtiſſimum.

CXC. Corpus *opacum*, à quo reflectuntur radii, eſt vel *politum*, vel ex particularum ſuperficialium inæquali ſitu *aſperum*. *Illud* radios, eodem fere modo atque incidunt, ad viſum reflectit, unde tale corpus, quaſi ſecundario luminoſum ſplendere dicitur: *hoc* verò radios intra iſtius inæqualis ſuperficiei diverſos porulos, & varias eminentias atque cavitates partim plus minus abſcondit, & ita cum umbris miſcet, partim verò certa ratione, plus minus tamen, à primitiva figura mutatos ad oculum reflectit, unde taliter modificatum lumen *Color* dicitur.

CXCI. Nempe quorum ſuperficiales particulæ minutæ, ceu copioſa polita ſpecula, lumen incidens maximam

ximam partem reflectunt, & ita ſplendentibus proximæ ſunt, *albedinem* repræſentant; quorum verò particularum textura copioſis porulis & meatibus eſt interſtincta, ut in his lumen maximam partem abſcondatur, & quaſi umbris tenebricoſis obſuſcetur, *nigredinem* exhibent.

CXCII. Ubi denique radii luminoſi in ſuperficialibus opacorum corporum partibus modò abſorbentur, modò ratione diversâ ad ſpectantium oculos reflectuntur, ibi colores intermedii, *ruber*, *cœruleus*, *viridis*, *flavus* &c. gignuntur.

CXCIII. Viſum excipit *Auditus*. Hujus *objectum movens* externum nil aliud eſt, quàm *Æther* ſeu *Aër ſubtiliſſimus* diverſimodè, impetuosè tamen & violenter nonnihil, vel percuſſione vel flatu commotus, qui undique undulatorio motu in orbem diffuſus per anfractus auris externæ ad aurem internam, & in ſpecie ad nervum auditorium ſeu acuſticum, in cochleæ extremitate in membranam expanſum, impingit, eamque quaſi percutit, unde motus ibidem percuſſioni analogus, & ad cerebrum continuatus, à nobis *Sonus*, ejuſdem verò dijudicatio ſeu perceptio *Auditus* dicitur.

CXCIV. Motiones ejuſmodi aëreæ ad aurem continuatæ, prout ſibi invicem certâ, ſecundùm Arithmeticæ leges, poſitione in majori vel minori gradu, ac intenſione aut remiſſione reſpondent, gratum ſeu harmonicum vel non harmonicum efficiunt Sonum; & prout iſtis motionibus reſpondentes in cerebro ſpirituum animalium ſe habent motus, in impetu majori vel minori, ordine vel confuſione, &c. varii effectus *Muſicæ* in nobis conſurgunt.

CXCV. Motus talis aëris, prout vel vehementior vel debilior, *fortiorem* vel *debiliorem*, ſeu *remiſſiorem* nobis repræſentat *ſonum*; prout fortior & celerior, acutiorem, prout remiſſior & tardior, gravioré. Sicut etiam

impingens aër in corpus denſum, repercutitur diverſimodè ad angulos incidentiæ æquales, indeque repetitum ſonum ſeu *Echo* conſtituit, quod in cavitate Inſtrumentorum muſicorum Reſonantia dici ſolet.

CXCVI. Ad hujuſmodi aëris motiones flatu factas, tanquam per inſtrumentum pneumaticum, pertinet motus ejus in animalibus per tracheam ſeu aſperam arteriam factus, *Vox* dictus; quæ Vox ſimplici per laryngem, inprimis epiglottidis adjumento, eliſione *Vocales*; per linguam verò, dentes & labia, certâ modificatione *Conſonantes* efficit; hæ verò tandem litteræ in Hominibus pro ratione impoſitionis & conformationis mille modis combinatæ, & certâ ratione articulatæ, *Sermones* conſtituunt: unde ex ſola motus organorum ſermonis obſervatione, ſurdus & mutus ab ortu per oculos ſeu viſum exactè quaſi audiens, & ita perfectè loquens reddi poteſt.

CXCVII. Mulieres habent *Vocem acutam*, cum aſpera earum arteria ſit minor: contrà, qui habent eam majorem, illi habent *Vocis ſonum gravem*, uti hoc obſervamus in Urſis, quibus aſpera arteria adeo eſt ampla, ut integra complicata manus eidem intrudi queat.

CXCVIII. Poſt Auditum tertio loco eſt *Tactus*, ubique ferè in corpore reperibilis, ubicunque nempe filamenta reperiuntur nervea, quæ ab externis objectis mille modis horum approximatione affici, & inprimis variè moveri poſſunt. Filamenta talia, uti in contexenda cutanea maſſa locum primarium obtinent, ita ubique hinc inde in *capitula papillaria conglobata* ex cute nonnihil prominent, & ſub cuticulâ genuinum & naturale organum Tactûs externum conſtituunt.

CXCIX. Corpora externa, quæ ſui approximatione dicta filamenta, & eorum extremitates papillares afficiunt, hoc faciunt ſolâ particularum minutarum

ſuper-

ſuperficiali texturâ, earumq; certa vel motione vel quiete. Atq; exinde etiam ſurgunt *qualitates iſtæ*, quæ à nobis dicuntur *tactiles*. Si enim quoddam corpus, cui v.g. manus admovetur, cedat defectu firmæ minimorum unionis, dicitur *molle* ; ſi verò non cedat , ſed reſiſtat ex forti eorum combinatione, dicitur *durum*. Si quædam particulæ mobiles invicem cohæreant, ſimulque organo adhæreant, dicitur *viſcidum*; ſi aliquæ particulæ à toto ſeparatæ mobiles organo Tactûs adhæreant, dicitur *humidum*, ſi non, vocatur *ſiccum* ſeu *aridum*. Si fiat celerrimus & repetitus in organo ab objecti externi minimis agitatis, motus, dicitur *Calor*; *ſi nullus*, dicitur *Frigus*: & ſic de reliquis in infinitum.

CC. *Guſtus* nil aliud eſt , quàm tactus linguæ ſpecialis & ſingularis, dum itidem fit per nervos, in delicata filamenta diviſos, quæ ad ſuperficiem linguæ, ſub membranam ejus delatæ, conglobantur in ſimiles papillas nerveas, tanquam in capitula Fungorum ſeu cornua extrema Limacum. Illæ ergo ratione ſuæ peculiaris texturæ ita ſunt conſtitutæ, ut præter cōmunia Tactus objecta, ut *durum, molle, aſperum* &c. ſpecialem à particulis ſalinis ſimilibuſve ciborum recipiant impreſſionem.

CCI. Sunt nempe *ſalinæ particulæ* minutiſſimæ genuinum *Guſtus objectum*, quæ ratione texturæ rigidæ, acuminatæ, hiſpidæ, & diverſimodè figuratæ, vehiculo aqueo inprimis dilutæ, ſe inſinuant in Linguam, ejuſque modò dicta filamenta , & ſpeciatim eorum papillas, variè movendo, pungendo , lancinando, &c. talem in iis motum efficiunt, qui à nobis *Guſtus* dicitur.

CCII. Sicuti proin dictæ particulæ plus minus mutantur, & alterantur vel obruuntur, variant ſapore : hinc enim acida & urinoſa mutuâ unione mutando texturam fiunt ſalſa ; acidæ aceti particulæ, cum minio ſive ſaturno calcinato junctæ, mutatâ texturâ dulcem ſaporem repræſentant.

CCIII. Guſtui proximus eſt *Odoratus*, qui duo ſenſus maximum inter ſe conſenſum habent, ita quidem ut intensè ſapida ſimul Odoratum fortiter afficiant,& contrà, velut in *Oleis deſtillatis* & *Salibus volatilibus* apparet, adeo ut Tactus, Guſtus & Odoratus non niſi pura graduatione majoris vel minoris materiæ immerſionis diſtinguantur, & ſolùm Tactus diverſimodè modificatus ſint.

CCIV. *Organum* hujus *Odoratus* minùs probabiliter ſtatuuntur *proceſſus mammillares Cerebri*, potius enim illud eſſe videtur *membrana tenera ſummitati narium* juxta confinia Oſſis cribriformis intus obtenſa, uti eleganter hoc demonſtrat Schneid. *Tr. de Oſſe cribriformi.* Quin & ex analogia cum tactûs & guſtûs organo de præſentiâ certarum papillarum, ex filamentis nerveis contextarum, vix dubitandum videtur. Quibus narium membrana ſenſibilior eſt,facilè,quibus autem inſenſibilior, difficilius ſternutant.

CCV. Dum ergò cum aëre per inſpirationem attracto varia ſimul, imò innumerabilia nares effluvia & miaſmata ſubintrent, è quibuſcunque ferè corporibus, inſenſibiliter licèt, emanantia, adeo ut omnia corpora certam quaſi ſuam & determinatam atmoſphæram circa ſe habere videantur; quædam eorum ratione ſuæ determinatæ texturæ & conformationis inſinuant ſe dictæ narium membranæ, eamque vellicando, pungendo, titillando, &c. talem in filamentis ejus motionem efficiunt, qualis ſub nomine *Odoris* venire conſuevit.

CCVI. *Particulæ* tamen, quæ habent texturam & conformationem mechanicam, ut ſpeciatim hanc membranam ejuſque filamenta nervea movere poſſint, *ſalino-ſulphureæ* plus minus *volatiles* ſunt: vix enim odorem habemus, qui non ex ſulphureo-ſalino tali oriatur principio. Unde &, prout particulæ ejuſmodi Salino-

ſalino-ſulphureæ & pingues ex coalitu cum aliis mutant texturam, & vel volatiliſantur vel figuntur, aut alia ratione immutantur, ſicque diverſo modo papillas nervoſas narium vellicantur, *Odorum* naſcitur varietas. Hinc v.gr. *Moſchus*, odoris expers, ſi in latrinâ ſuſpenditur, ſulphureas particulas in ſe iterum admittit, & inde fragrantem odorem acquirit. Odor *Olei Terebinthinæ* ſuaveolentis longè diverſus eſt ab odore *Balſami ſulphuris*, cum hoc ipſo licet Oleo parati.

CCVII. Ita quidem ſe habent *Senſus externi*: ſed *internos* quod attinet, illi rectè dicuntur triplices, *Senſus communis*, *Phantaſia & Memoria*. Negotium eſt obſcurius, propter inſignem, quæ hic obſervatur, confuſionem operationum animalium & rationalium.

CCVIII. Cùm enim noſtra cognitio intellectualis, & omnis ratiocinatio præſupponat ſpirituum animalium exercitium, occaſione quorum diverſimodè motorum anima rationalis diverſos ſibi formet conceptus ſeu phantaſmata, (cùm nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu) adeoque ſenſus animales interni, & intellectio, in nobis ſemper ſint conjuncta; evenit inde, ut neſciamus, quomodo Senſus interni, ſeparatim conſiderati, ſe habeant.

CCIX. Unde factum, ut ſimilitudo quoad actiones externas intercedat non levis inter homines & quaſdam beſtias, quibus ſenſualis quidem competit, non verò intellectualis cognitio. Quin plurium ejuſmodi *Brutorum docilitas* in causâ fuit, ut iis quoque cognitio propriè ſic dicta tributa fuerit, & conſequenter ad minimum ſemirationalia reddita fuerint, h. e. nobis propria ipſis ſimiliter tributa ſeu adjudicata ſint.

CCX. Exactius ſi velimus ſcrutari negotium, neceſſe eſt, ut exactè quoque abſtrahamus & ſeparemus *res animæ rationali proprias*, h. e. quas cognitione reflexâ in nobis ipſis percipimus, ab iis, quæ *ſpiritibus* & ce-

rebro ſunt propriæ, & conſideremus, qua ratione hæ poſteriores fiant, cùm in his Senſuum internorum ratio conſiſtat.

CCXI. Quo facto manifeſtum evadet, *Senſus internos in ſola ſpirituum animalium varia & multiplici in cerebro & cerebello motione & agitatione conſiſtere*: unde & Brutis omnis perfecta & propriè ſic dicta cognitio eſt deneganda, ſicque eadem Bruta non alio modo ſe habebunt, quàm teneri Infantes, utpote inter quos & Bruta nulla vel levis intercedit, quoad quaſcunque actiones, differentia, dum rationalis anima nondum actu ſecundo in Tenellis operatur. Pariter & conformatio Cerebri organica læſa, impediendo ſpirituum motum, Senſus internos lædit.

CCXII. Senſuum proin internorum in genere conſideratorum operationes ita ſe habent; nimirum filamenta nervorum, in organis ſenſuum externorum commota, ſuum motum continuant in Cerebrum uſque ad radices dictorum nervorum, unde motus ſimiles in corporibus ſtriatis & conſequenter in ſpiritibus animalibus excitati, ſunt id, quod *Senſus communis* dicitur; quæ autem motiones impreſſæ exinde repercutiuntur in corpus calloſum uſque, ubi Spiritus animales ubertim ſcaturientes occaſione fibrarum motarum agitantur, in quo conſiſtit id, quod *vocatur Phantaſia*; & inde reflectuntur ſuo motu ad ſpinalem medullam uſque, ibique impetu facto vario nunc in cerebelli, nunc cerebri nervos motorios derivantur: illic in cerebello pro motu partium internarum, nempe diaphragmatis, &c. & excitatione Affectuum; hic pro motu membrorum externorum, ita ut varii hi motus nunc *Senſus communis*, nunc *Phantaſiæ* nomine veniant: ſicut iidem ſæpius eodem modo evenientes, & in membris externis ſimiles actiones exercentes, *Memoria* vel *Reminiſcentia* appellari ſolent.

Motum

CCXIII. *Motum* quod attinet partium *Animalem*, nempe quarumcunque, ſive internarum ſive externarum, ejus organum proximum ſunt fibræ nerveæ; quæ nunc arctius ſunt conjunctæ in ſyſtema, quod vocatur *Muſculus*, nunc à ſe invicem ſunt ſeparatæ, & circulari utplurimum ductu partem ambiunt, quæ v.g. in *Stomacho*, *Inteſtinis*, &c. propria appellatione carent.

CCXIV. Fibræ hæ in motu dependent à ſpiritibus animalibus, per nervos in partes diſtributis; hinc denegato penitus eorum influxu pars & ſenſu & motu privatur. *Fibræ* nimirum *partium circulares*, non muſculoſæ quidem, ſed motrices tamen, quæ videlicet motum partium internarum periſtalticum ſeu compreſſivum perficiunt, *obtinent nervos ex cerebello* diſtributos, & ſine ulla prægreſſa cognitione ſenſuali motum cient, adeoque talis motus nec prohiberi nec cohiberi poteſt, unde vulgo *motus naturalis* ſimpliciter dicitur.

CCXV. *Muſculorum* verò fibrarum *Syſtema* nervos ex cerebro diſtributos obtinet, & eos gubernat vel præſtat motus, qui prægreſſam cognitionem ſenſualem vel intellectualem ſequitur, adeoque à nobis pro libitu vel impediri vel promoveri poteſt: & hic motus per muſculos *in genere Motus animalis*, in ſpecie verò in Hominibus *voluntarius*, in Brutis *ſpontaneus*, appellatur.

CCXVI. *Muſculi ſtructura* ex copioſis conſtat fibris, in medio ſui coagulo ſanguineo ſeu carneo veſtitis, quarum plures ſibi invicem inæqualiter quidem, æquali tamen ordine, ſuperimpoſitæ, ita ſituantur, ut utrinque, tam in principio, quàm fine, fibræ circa intermediæ carnis ſubſtantiam incurvatæ, figuram & corpus rhomboideum eleganter conſtituat, ſuper angulos obtuſos, donec in rectos mutentur, mobile.

CCXVII. Movetur muſculus & omnis fibra motrix, quando eadem abbreviatur, & quaſi in ſe contrahitur,

ita ut *muſculi unica* ſit *actio ſeu contractio*, quam ſequitur partis annexæ motus, ejuſque mutata figura & ſituatio: quod ſi ita contractus perſiſtat muſculus, dicitur *motus tonicus* ſeu *tenſivus*; ſi relaxetur denuo, ita ut nullo muſculorum agente membrum ſit in figura & ſitu naturalibus, in figura media poſitum eſſe dicitur.

CCXVIII. Motus hic fibrarum ſeu *contractio* à tribus dependet cauſis. *Prima eſt ipſa fibrarum extenſarum* & partibus annexarum *ſpontanea ad contractionem inclinatio*, inſtar chordarum extenſarum ſponte ſe contrahentium.

CCXIX. *Secundò* accedit *impetus radioſus ſpirituum animalium per nervos diffuſus*, qui in fibræ ſubſtantiam diſtributus, eam *replet, & quaſi inflat*, & ita breviorem reddit, quod inprimis in muſculorum ventre obſervabile.

CCXX. In quibus *tertio copioſior Sanguinis arterioſi* in muſculum *influxus* ſupervenit, qui in ventre ejus dilatato, minorem inveniendo reſiſtentiam, uberius infunditur, unde & turgeſcentia muſculi & contractionis vigor maximè reſultat.

CCXXI. Ita quidem ſe habet Corpus *humanum* in *individuo* conſideratum: ut verò conſervetur in *ſpecie*, ordinatum eſt à ſummo rerum naturæ Autore *Generationis* negotium, in quo Mas & Fœmina, ceu cauſæ ſociæ, conferendo ſua mutuo ſymbola, ſe in ſpecie multiplicant, & novum Individuum vitale producunt, quod *Generari* dicitur.

CCXXII. Id quod Mas confert, eſt ejus *Genitura*, vulgo, ſed malè, *Semen* appellata, quæ in teſtium glandulosâ ſubſtantiâ, ex copioſiſſimis minutis ductibus & vaſculis conſtructâ, è Chylo puriore, una cum ſanguine arterioſo per arterias ſpermaticas ſeu præparantes ad teſtes allato ac tranſcolato, vi ſpecifici fermen-

fermenti Teſtium elaboratur, aut per meram potiùs tranſcolationem ſecernitur.

CCXXIII. *Genitura* hæc *chyloſa* ſeu *lactea*, nonnihil *mucilaginoſa* ſub coitûs ardore ſpiritibus, in ſpecie animalibus, largiter imprægnatur, unde turgeſcens & veſiculas ſeminales diſtendens, harum & partium vicinarum muſculoſarum contractione, accedente proprio ſpumoſo impetu, validè è membro virili ejaculatur & evibratur.

CCXXIV. Conjungitur pro facilitando motu, inſtar vehiculi, *Lympha glandularum proſtatarum*, ad collum Veſicæ ſitarum, quæ unà effuſa, facilitat ejectionem genituræ inſigniter. Talis Lympha etiam ln Eunuchis gignitur, & ab ipſis voluptuosè, licet infructuosè, coeundo effunditur.

CCXXV. *Fæminas* quod attinet, omnium etiam animalium, pro generationis negotio ſua conferunt *Ova*, ita ut omnes etiam *Mulieres* ſint *Oviparæ*; hac tamen differentiâ, quòd, quæ ova à ſpiritu genitali marium, cum geniturâ excreto, fœcundata, in utero tamdiu fovent, donec vitalis & perfectus exinde fœtus formatus ſit, eumque demum excludunt, *Viviparæ* dicantur; quæ verò ova fœcundata, ſed rudiora, & nondum in fœtum perfectè formata, præmaturè excludunt, & poſtmodum corporis incubatu, mediante blando calore, fovendo, ad perfectionem omnimodam perducunt, *Oviparæ* ſint appellatæ: vid. præter *Graeff* etiam *Horn. in Prodr. de Gener. Mulier.*

CCXXVI. Valet hoc ipſum etiam in Mulieribus, quarum *teſtes ſunt ovaria*, in quibus ovula ad ſummum piſorum magnitudine producuntur, quæ per tubam uterinam (cornubus uteri in Brutis analogam) ſub coitûs ardore, ad teſtem contortam, expanſo ejus orificio excepta, deferuntur ad uterum, ut ibidem à geniturâ maris fœcundata prius ac vivificata in fœtum ſucceſ-

ſucceſſivè formentur perfectum & grande n. Quòd ſi verò in tuba uterina fœcundatum tale ovulum perſiſtat, *conceptio* fit *tubaria præternaturalis*, matrique lethalis.

CCXXVII. Conſiſtit ſc. *Conceptio* Mulierum in tali ovulo, à ſpiritu genitali maris fœcundato, ita ut Spiritus genitales utriuſque parentis in dicto ovulo, ceu in receptaculo appropriato, ſociati, & tanquam debito fomite mutuo incenſi, ceu principia activa, agitationem & motionem determinatam in ſubjectâ materiâ inchoent, eamque in Fœtus ſucceſſivâ formatione terminent.

CCXXVIII. In *Ovulo* itaque *fœcundato* mox inchoatur *fœtus formatio*, primitus in ſaliente punctulo ſe movente & magis ſubſiliente, cum filamentis circumcirca rubicundis; ita ut *Cordis palpitantis* rudimentum inter partes ſolidas, & Sanguinis *vitalis liquor* inter partes liquidas, partes primigeneæ videantur.

CCXXIX. Emergunt brevi pòſt *bullulæ quatuor*, *cerebri*, *cerebelli*, *&* *binorum oculorum* manifeſta primordia, cum ſubſtantia ſimili inſtar carinæ, circa punctum ſaliens reflexâ, primum medullæ ſpinalis inchoamentum; unde conſequenter reliquæ partes nerveæ ex fibris diverſimodè coagmentatis contexuntur, adnaſcentibus ipſis ſucceſſivè ex ſanguinis coagulo partibus cæteris ſanguineis.

CCXXX. Ita ut adhuc veriſſima ſit *diſtinctio* partium in *ſpermaticas* ſeu *nerveas*, & *ſanguineas* ſeu *carneas*: illis ex materia *chyloſa* ſeu *lactea* ovi uterini pronatis; his ex *Sanguine* circum iſtas concreto pedetentim exſtructis.

CCXXXI. Ut autem in Viviparis ſub formatione nutriatur & augmentetur ſimul Embryo, *nutrimento* opus, quale quidem per uteri ſubſtantiam ad eum derivatur. Adhæret ob id utero Fœtus membranis ſuis, eum ambien-

bientibus nunc immediatè, nunc mediatè, intercedente certa ſubſtantia; unde Animalia vivipara ſunt vel *placentifera*, vel *glandifera*, vel *cotyledonifera.*

CCXXXII. Mulier eſt inter *placentiferas*, etenim fœtûs humani membranis extrinſecus adnaſcitur moles carnea, hepatis æmula, in receſſu glanduloſa, quæ utero connectitur, & in quam fœtûs vaſa umbilicalia divaricantur. Per hanc nutrimentum chyloſum ex matre allatum tranſcolatur in Venam umbilicalem, & inde ad venam cavam Fœtus derivatur, tandemque perfectum in ſanguinem mutatur.

CCXXXIII. Quicquid nutrimenti non tranſit hanc placentam, tranſudat, tanquam per filtra, in cavitatem *Chorii* & *Amnii*, ut in eodem revera *natet Embryo*, qui etiam paulo grandior factus, revera ſugendo *per os* iſtud attrahit, & ita in Stomacho conveniente chylificatione ſibi appropriat; ita ut partim per os, partim per umbilicum nutriatur.

CCXXXIV. Membranæ tales, quæ fœtum cingunt, & quarum circumferentiæ adnaſcitur *placenta*, in homine ſunt tres: *Chorion*, *Amnion*, *&* *Allantoides*, quarum *illæ* nutrimenti chyloſi ſeu lactei Fœtus ſunt & colatoria & receptacula; *hæc* verò urinam per urachum, ex veſica Fœtûs cum umbilicalibus vaſis ad eam protenſum, excretam recipit, & ad tempus partus uſque conſervat.

CCXXXV. *Partus* nil aliud eſt, *quàm fœtus maturi & perfectè formati debito tempore legitima facta excluſio.* Contingit hæc conatu ſimultaneo fœtus & matris; & *hujus* quidem uteri atq; partium vicinarum membranoſarum motibus convulſivis, & contracturis ſpaſmodicis ſummè doloroſis vexatæ, per halitus ſeu aëris retentionem, & diaphragmatis deorſum verſus detruſionem, atque adeo abdominis totius, accedentibus muſculis

ſculis ambientibus validè contractis, compreſſionem, & interiora verſus protruſionem.

CCXXXVI. *Illius* verò, ſcil. Fœtûs, anxietate præcordiorum, ex reſpirationis jam magis neceſſariæ defectu, ſtimulati, valida motione, calcitratione, & hinc inde agitatione, adeoque totius corporis inferiora verſus depreſſione; unde, ruptis tali modo membranis, liquores contenti effluunt, partes, per quas tranſeunt, membranaceas laxant, ut patula Fœtui egreſſuro exiſtat via.

CCXXXVII. Fit hoc ordinario circa menſis geſtationis *noni finem, aut decimi principium.* Patitur tamen hic terminus inſignem latitudinem, cum & *ſeptimeſtres & octimeſtres, undecimeſtres & duodecimeſtres*, obſervati ſint vitales, modò rectum Gravidæ duxerint calculum. *Octimeſtres* quidem habentur communiter pro non vitalibus, cùm ſint revera Abortus Fœtuum nono Menſe naſcendorum; unde minus maturi, minuſque vitales iſti exiſtunt: cùm tamen & *ſeptimeſtres* vitales obſervati fuerint, nullum dubium eſt, interdum & *octimeſtres* revera tales exiſtere.

PARS SECUNDA

PATHOLOGICA.

In quâ Natura, Cauſæ, Differentiæ, Symptomata, & Signa diagnoſtica Morborum exponuntur.

§. I.

MAchina noſtra corporea pro ratione partium, ad ſtructuram ejus requiſitarum, ſi omnes debitas operationes exercere valet integras, dicitur *ſana*; ſin verò vitio partium defectuoſa fit plus minus quædam operatio, dicitur *morboſa*.

II. Partes machinæ ſunt vel *activæ moventes contentæ, & impetum facientes*; ſeu *humores, & ſpiritus influi*: vel ſunt *inſtrumentariæ, motæ, partes nempe ſolidæ* ſeu *continentes*.

III. Omnes iſtæ cùm defectus ſuos patiantur morboſos, ob id *tres eſſentiales* erunt *morborum differentiæ*: (1) *Sanguinis & cæterorum humorum* (2) ex his natorum *Spirituum*, ac (3) per *has actuatarum partium ſolidarum*.

IV. *Solidæ* hinc partes *ſecundarium*, *Spiritus* verò & *Sanguis primarium* conſtituunt Morborum *ſubjectum*. Etenim hæ partes fluidæ *primum* ſunt corporis *vivens* in puncto ſaliente, & *ultimum* quoque *moriens*. Uſque adeo ut his affectis tota Corporis machina morboſa evadat; atque inſuper alterationes inſigniores, quas ſub annorum ſerie, ætatumque diſcrimine patitur homo,

ab his

ab his variè alteratis oriantur, inſigneſque mutationes totius ſub pubertatis annis, mediantibus iſtis, à fermento teſtium inſpirato immutatis, contingant.

V. *Sanguis* per vaſa continuè circulari motu fluens, ac naturaliter diſpoſitus, omnes partes cæteras nutrit & alit, calore vitali fovet, & ſpiritu ſalino balſamico itidem vitali à corruptione tuetur.

VI. Vim hanc obtinet *Sanguis* à ſuâ determinatâ craſi ſeminali, ſeu particularum materialium, ejus liquorem componentium, textura & unione, in ſemine primitus inchoatâ, & per particulas ſalino acidas atque alcalinas, fermentativo motu cum aliis totam maſſam agitantes, continuata.

VII. *Depravatâ* ergo & *corruptâ* Sanguinis *craſi*, ex alteratis primariò ſalibus, morbi *Sanguinis* oriuntur *fermentativi*, ſive Sanguis in acutam efferveſcentiam ex dictorum ſalium acriorum concurſu *turgeſcat* ſub *Febribus*, v.g. *acutis*; *ſive deficiat* nonnihil à vitali iſta fermentatione ob dictorum principiorum inertiam, dum cruditatibus recrementoſis obruta minùs in ſe agere poſſunt, ut v.g. in *Cachexiis*, *&c.* *ſive* denique *fermentatio* hæc variis modis *alteretur* ac *depravetur*, ac inſignes anomalias; & varias ſub iſto motu inteſtino inæqualitates, patiatur ex vitiata proportione dictorum ſalium ad ſe invicem, in ſpecie ex *depravatione acidi*, inſtar prothei variformis inquinantis ſanguinem, ut in *Scorbuticis* confirmatis ac *Hypochondriacis* eſt obvium.

VIII. *Impetum facientium ſpirituum influorum* morbos quod attinet, peccabunt hi, vel (1) *in ſubſtantia*, *dum aut vitiosè ex* M.S. corrupta & alterata *generantur*, aut heterogeneis admiſtis, in ſpecie cauſis malignis, inficiuntur, vel (2) *in quantitate deficiente*; vel (3) *in motu*, quatenus cientur in motum, vel nimis rapidum aut inordinatum, ſub convulſionibus v. g. aut phrenitide,

nitide, vel quatenus deficiunt à debitis expanſionibus, ut in *Affectibus ſoporoſis* contingit.

IX. Quod ſi *Helmontii* terere velimus veſtigia, in *ſpiritu partium inſito ſeu Archæo*, *archæales* conſiderandi eſſent *morbi*, ab ideis peregrinis, Archæum ad p. n. actionum exorbitationes determinantibus, oriundi: adeo ut ſicut â *ſeminalibus* ille *ideis* in machinæ corporeæ ſtructura & gubernatione dirigitur naturaliter, ita à *morboſis* ad p. n. actionum læſiones diſponatur. Sive *ab extra* harum idearum fiat impreſſio, v. g. ab aſſumptis vel admotis, ut in *Morſu Viperæ*, *canis rabidi*, *punctura Tarantulæ*, in eſu *Cicutæ*, vel eſu *Carnis Felis rabidæ*; ſive *ab intra* occaſionali quacunque cauſa materiali excitatus Archæus diverſas Paſſionum exorbitationes, *indignationis*, *furoris*, *terroris*, *pavoris*, &c. concipiat, quarum Paſſionum ideæ morboſæ, pari ratione poſtmodum & vitiosè actiones ejus dirigant: Vid. *Kircherus de Peſte*, & *Helmontius*.

X. Nam contumaciſſimorum *morborum v.g. Podagræ*, *Paralyſeos*, *Quartanarum diuturnarum*, & ſimilium Affectuum, omnem conſuetæ Medicinæ eludentium opem, citra materiæ peccantis ſuppoſitæ excretionem quamcunque, aut per quendam Animi affectum, ut *Podagræ* per inopinatam, vel violentam apprehenſionem pedis dolorifici, aut rei intenſius appetitæ aſſumptionem, ſubitò evaneſcentium ſubſequens curatio hanc ejus Hypotheſin illuſtrat. Ut taceam imaginationis effectus, cujus ope ubertim *corpus* Ægri *purgabatur in hora*, licèt *ancilla ipſi præſcriptas devoraſſet pilulas*: vid. Salmuth. *Obſ.* 8. & 14. *Cent.* 3.

XI. In Partibus *ſolidis* obſervanda eſt *materia*, ex qua earum corpus coaluerit, & *forma ſuperinducta organica*, materiam ad certum opus perficiendum determinans: illius læſionis morbi *intemperiei*, hujus morbi *conformationis* dicuntur.

XII. *Tota* autem *morborum intemperiei ſeries* partim ruinoſo quatuor elementorum, harum qualitatum, & inde natorum temperamentorum,nititur fundamento, partim ſuper hypotheſin dubiam & obſcuriſſimam de *Calido nativo* & *humido primogenio* fundatam eſt ſtructa.

XII. *Intemperiei* enim dicti morbi ſunt vel *ratione temperaturæ elementalis*, *vel ratione temperaturæ vitalis*. Ratione *prioris intemperiei* morbi ſunt, quando materialis particularum minutiſſimarum, ex quibus coaluerunt, textura mutatur & plus minus alteratur,unde & novæ proprietates ſenſiles inde emergunt, v.g. *mollities*, *durities*, *ſiccitas*, *humiditas*, &c. *Origo* talis mutatæ texturæ eſt *vitioſa nutritio*, ſive nutrimenti tam chyloſi quàm ſanguinei culpâ eveniat, ſive ipſius partis nutriendæ peregrino fermento inquinatæ, aut à quacunque causâ etiam externâ læſæ, vitio contingat.

XIII. Ratione verò *poſterioris*, *intemperiei nempe vitalis*, dependent à *Sanguine*, cujus prout erit materialis textura, motuſve fermentativus, & inde reſultantes proprietates variæ, inprimis quoad caliditatem & frigiditatem, etiam erit temperatura totius corporis vitalis, & prout mutatur ſanguis naturaliter ſub ætatum viciſſitudine, etiam mutatur temperamentum totius corporis, & prout mutatur idem p. n. in morbis, etiam temperies totius variat: eodem ferveſcente in *Cauſo* corpus intenſius calet; eodem tepeſcente ſub *Cachexiis*, corpus frigidum apparet, &c.

XIV. Cadit ergo omnis *inæqualis* Viſcerum *intemperies* ſeu contrarietas ſeu *antipraxia* eorundem,in ſpecie *ſtomachi frigida & hepatis calido*, nam ſanguis debito circulo diſtributus proportionaliter calefaciet & ſtomachum & hepar, adeoque debitam obtinebunt temperaturam.

XVI. Ut taceam, ipſum *calorem non eſſe principium* primarium effectivum actionum, ſed tantùm diſpoſitivè

tivè concurrere, quoniam fermenta digeſtionum ſunt Auctores. Unde in ejuſmodi *inæquali* partium *intemperie* vitium erit omne è vitioſo-acidâ Stomachi cruditate arceſſendum.

XVI. In *conformationis Morbis* attendendum (1) ad organorum partem ſeu ſubſtantiam fundamentalem, uti ſunt fibræ; (2) ad ipſas conformationes mechanicas ipſis ſuperinductas. *Fibrarum legitima tenſio, tonum partium conſtituens*, ſi lædatur, robur partis læditur ſive perit, & oritur exinde *atonia*, frequens ſatis vitium; ſive nimia fibrarum *extenſio*, ſive nimia per lymphæ ſerique humectationem *relaxatio*, ſive denique *ſpirituum animalium deficiens influxus* & expanſio malum inferant.

XVII. *Conformationes mechanicas* ipſas quod attinet, optimè dividuntur ſecundùm tres dimenſiones quantitatis, *longitudinem* nimirum, *latitudinem & profunditatem*, & hanc vel *ſolidam* vel *porroſam*: quibus omnibus cōmunis eſt legitima partium unio in *connexione* & *ſitu*.

XVIII. *Obſtructiones morboſæ* vulgo accuſantur ceu fundamentum tantùm non omnium morborum chronicorum, v. g. *Obſtructiones meſenterii, hepatis, lienis, pancreatis*, &c. tanquam autores *Scorbuti, Mali hypochondriaci, Cachexiæ, Febrium*, &c. ſed multoties hæc ſunt ignorantiæ aſyla, cùm reverà vitio primæ digeſtionis omnes oriantur.

XIX. Non poſſunt ſanè obſtructiones eſſe in vaſis vel *ſanguifluis* vel *lymphaticis*, vel *viſceribus*, per quæ continuus humorum eſt trajectus, citra *ſtagnationem ſequentemq; tumorem* partium infallibilem, aut humoris impediti in motu naturali per *aliena loca extravaſationem & excretionem*.

XX. Aut neceſſe erit, ut integer quidam ramus ex materia, in & circa eum in ſcirrhoſam duritiem ſen-

ſim coagulata, totali tranſmiſſioni humoris fiat ineptos, ita ut per vicinos ejus defectus tandem compleatur.

XXI. *Non univerſaliter* quidem *negandæ* ſunt *obſtructiones*, idque inprimis in meatibus quibuſdam particularibus; v. g. in *Cæliaca paſſione* nunc ductus pancreaticus & choledochus, nunc orificia vaſorum lacteorum, ſunt obſtructa; nunc quandoque ureteres à calculis obſidentur, &c. ſed iſtæ obſtructiones, quas in Abdomine morborum chronicorum ſingunt autores, ſunt aut nugæ, aut ſi reperiuntur, v. g. in *Quartana diuturnâ Scirrhus & obſtructio Lienis*, erunt *productum morboſum.*

XXII. *Acidum* eſt, idque vitioſo ſapore varium admodum, quod in talibus Affectibus peccat, ac in materia viſcida radicatum, quod errore digeſtionis in Stomacho depravatæ oritur.

XXIII. Unde & *Martialibus*, per ſe quidem ſemper & ſolùm aſtringentibus, ſed optimè tamen etiam acida abſorbentibus, & ſalinis volatilibus aut fixis, nunc acrioribus, ut antiſcorbuticis, nunc temperatioribus, ut aromaticis & ſtomachicis remediis, viſcida incidentibus & bilem acuentibus, tales intemperies curantur.

XXIV. Ad *fermentativos* morbos *contagioſi* quoq; & *epidemici* pertinent, in quibus ſeminium morboſum ex Ægro exhalans, vel miaſma in aëre volitans, vi fermentativâ patiens corpus immutat. Ut adeo miaſmata hæc non incommodè ex ſalina natura deriventur, ſi quidem *volatilius & acrius* ſit dictum *fermentum*, ut in *Febribus malignis acutioribus & peſtilentialibus*, ſive *ſalſo-acidum* exiſtat, ut in *Lue venerea*, *Scabie*, &c.

XXV. Per conſenſum *pars affecta* dicitur, dum unâ p. n. affectâ & peregrini quid ſentiente, alia, ipſi quacunque ratione connexa, ſimile quid patitur & ſentit.

Eſt

Eſt igitur *conſenſus* propriè dictus ſolùm inter partes nerveas, quas inter, ut conſentire queant, certa connexio requiritur: ſive connectantur ita, ut ſint omnino continuæ, ſive ut ſint contiguæ, ſive ut tandem mediantibus funiculis nerveis certa ratione junctæ ſint.

XXVI. *Tempora* aut rectius *morborum gradus*, prout iiſdem exaſperantur ſenſim, ſenſimque remittunt (in *acutis* inprimis obſervandi *Morbis*) dependent *à gradibus fermentationis in ſanguine*: nam & hanc inſequuntur ſymptomata, vel mediatè vel immediatè, & inprimis omnis coctionis ratio, pro legitimo Remediorum uſu ſpecialius obſervanda, huic ipſi fundamento innititur.

XXVII. *Cauſarum* jam attingendum eſt *ſcrutinium*, quæ vel *externæ* ſunt vel *internæ*; & illæ tum *fortuitæ*, tum *neceſſariæ*. Inter cauſas *externas fortuitas* & non neceſſarias ſunt inprimis *eæ*, quæ unitatem partium mutuamque cohæſionem tollunt, adeoque vel contundunt, vel vulnerant, vel erodunt, vel adurunt, &c.

XXVIII. Omnia hæc, etiam ipſa *Vulnera*, ſpontaneo naturæ motu reſtituuntur, modò *impedimenta* removeantur, quæ *ſunt alimenti partis roridi & ſanguinis effuſi*, ex ſpiritûs vitalis diſſipatione ſuperinductæ in parte læsâ *alterationes* & ſucceſſivæ *Corruptiones*, inprimis in *Vulneribus* ab aëre ambiente obortæ, quas inſeparabiliter comitatur *acor vitioſus*, ex iſta putredine natus.

XXIX. Hic vitioſus acor, inſtar fermenti peregrini, partis affectæ alimentum proximum multivariè alterat, iſtudque in pus, ſaniem, & ichores tranſmutat; unde tandem Vulnera & Ulcera depaſcentia emergunt, fermento hoc acido in Vulneris, vel inde nati Ulceris locum continuo ulterius ſe multiplicante & ſerpente.

XXX. Modò igitur vel præcaveatur, vel jam inducta ſubito corrigatur vitioſa iſta aciditas, per media nunc balſamica dicta ſeu vulneraria, alcali temperato & oleoſo conſtantia, nunc metallica, omne vitioſum acidum ſucceſſivè delentia, quæcunque læſiones,quæcunque *Vulnera*, &c. citra ſuppurationem omnem,inflammationem & tumorem, facilè coëunt ſive coaleſcunt, & *Ulcera* etiam omnia Abſceſſuſve iſtis optimè mundificata, novâ carne facilè implentur.

XXXI. Hinc enim ſuccus *Nicotianæ* aut *Plantaginis*, vel *Terebinthina*, vel *Balſamus peruvianus*, vel *Oleum momordicæ*, vel, qui reliquis præfertur, Balſamus de *Copaiba*, vel *Opolbalſamum*, recentia *Vulnera* omnia ſubitò ad conſolidationem perducunt. Hinc *Colcothar Vitrioli* abſorbendo acidum omnem *Vulnerum* & *Ulcerum* corruptionem tollit; hinc *Plumbum Ulcera*, eorumque dolores ac inflammationes curat, acidum omne ſuo attactu dulcificans, & aluminoſam adſtrictionem inde acquirens. Hinc *Ceparum ſuccus*, & cum eo dilutus *Sapo venetus*, ut *Cancrorum fluviatilium ſuccus*, item *Calx viva* cum *Oleo Lini* ſubacta, *Ambuſtionibus* reſiſtunt virtute alcalina, acidi colliquefacientis partes ſolidas & nutritium ſuccum deſtructivâ.

XXXII. His ſuccedunt *ſex res n. n.* ita dictæ, ex eo, quod nec principia, nec cauſæ corporis noſtri ejuſque partium, conſtitutivæ ſint, ſed neutro modo, legitimo uſu corpus ſanum conſervent, perverſo verò abuſu illud ægrum reddant; adeoque primario quidem ad ſanam, non ad longam vitam faciunt, nedum ut eam cum Deodato ad 120. annos propagare valeant.

XXXIII. *Aëris ſumma* ſc. ad vitam *neceſſitas* pro volatiliſatione ac reſolutione ſanguinis, tam ad continuandam ſpirituum productionem; quam ad promovendam excrementorum inſenſilem evacuationem; idque

idque beneficio ſui ſalis volatilis quaſi nitroſi, inſtar veri ſalis hermetici, omnia coagulata diſſolventis, & omnia fixa volatiliſantis; mediante inſpiratione nobis communicatur.

XXXIV. Prout igitur ſal hoc minus aërem imprægnat, aut copioſiori effluviorum aqueorum miſcelâ plus minus hebetatur, variat ſubinde *aëris efficacia*; quibus & multivaria effluvia fermentativa, ex omnibus corporibus continuo exſpirantia, conjuncta, noſtrorum epidemicorum & non epidemicorum familiares autores, vim aëris noſtri corporis alterativam inſigniter variant.

XXXV. *Alimenta aſſumenda, ratione quantitatum & qualitatum*, ſolus præſcribit *appetitus*, ita ut ſanis ſint omnia ſana, modò ſobriè & probè maſticata aſſumantur; cùm ea, quæ dictante appetitu ingeruntur, fermentum digeſtivum promptè ſubigat & tranſmutet: nam ex re intenſius appetita ſubinde corpori remedium paratur à ſtomacho; & quæ inſolita, & apparenter nociva ingerunt *picantes*, etiam venenoſa, ſunt innocua: ſicut viciſſim ſi quæ cum aliquo faſtidio vel horrore deglutiuntur, quia in Ventriculo non benè diſſolvuntur, morborum ſuggerunt occaſiones.

XXXVI. Per *fermentationem* reſolvuntur alimenta in Chylum, quâ mediante gummoſa & viſcida, temperata tamen vegetabilium nutrientium, in ſpecie cerealium ſeminum fructuumque ſubſtantia, duo ſalia, acidum & alcali, in receſſu habens, reſolvitur in alimentitium ſuccum, & diſponitur ad promptiorem aſſimilationem.

XXXVII. Hæc ipſa ut promoveatur in Stomacho fermentatio, ante prius fermentantur in panificio, in cujus medio tamen curſu impediuntur per toſtionem, undè non perfectè ſpiritus volatilis inflammabilis, ſed tantum ſpiritus intermedius ab iis generatur.

XXXIIX. Ratione hujus Spiritus *acido-volatilis*, homogenei quodammodo ac amici fermento ſtomachali, nunquam panis, licet continuò comeſti, nos capit faſtidium: quin potius odor ejus debiliores recreat, ac nauſeam medicamentorum ingratorum cohibet, cùm & liqueſcens panis intra Stomachũ in cremorem cibos, quibuſcum maſticatus & aſſumptus eſt, ſimul facilius colliqueſcere cogit, ut ita panis ſit quaſi adjunctum quoddam alimentis fermentum, quorum & Theriaca quibuſdam audit.

XXXIX. Idem uſu venit in *Cereviſiarum coctura*, in quibus abſolutâ fermentatione poſt cocturam liquor, ſpiritu perfectè inflammabili præditus, remanet; reſolutâ nutritivâ ſeminum gummeâ ſubſtantia in liquorem, in quo, pro acidi exaltatione impediendâ, aromatico Lupuli condimento, ſale volatili oleoſo imprægnato, præſervatio inſtituitur.

XL. Præmittitur his inchoata germinatio, ut eâ reſolutâ & viſcidæ ſubſtantiæ compedibus extricatâ ſalia poſt cocturam promptius fermentare queant: quia, citra hanc germinaturam, per coctionem paſta ſaltem tenax, facilè aceſcens ſeu ſitum contrahens (h. e. in plantulas & floſculos progerminans) non autem liquor dulcis fermenteſcibilis eliceretur.

XLI. Ut verò potus ex cerealibus ſeminibus ſunt *Cereviſiæ*, ita ex ſuccis fructuum, ſi parentur, dicuntur *Vina*: quo etiam *Saccharum* & *Mel* pertinent, quæ fermentationis medio itidem Vina ſuppeditant. Hinc in potibus vinoſis, per ſpirituum volatilium fermentationem producta aciditas, plus minus manifeſta, inprimis attendenda eſt: nam & Vina dulcia acido ſuo non ſunt ſpoliata, utut propter copioſum ſociatum

alcali

alcali volatile oleoſum aut pingue, minus percipiatur.

XLII. *Aciditas* iſta *vinoſa*, niſi probè ſub digeſtione correcta & alterata, aut à Bilis volatili ſale in Duodeno in Salſum volatile tranſmutata fuerit, (id quod fit vitio nimis copioſæ & inordinatæ ingeſſionis, quodque etiam affatim hauſtum quotidie vinum, ſubcrudum adhuc per Inteſtina diſtribuitur,) mille malis ex acore vitioſo pronatis, v. g. *Torminibus*, *Lithiaſi*, *Podagra*, *Pareſi*, *Catarrhis*, *Apoplexia*, ſubinde etiam *Epilepſia*, ſui amatores mulctat.

XLIII. Ut igitur *Alimenta* maſſæ ſanguineæ reſtaurationi & corporis nutritioni conducunt, ita & *Motus* moderatus ejus aſſimilationi & purificationi, circulationem ſc. ac vitalem ejuſdem ſanguinis fermentationem promovendo, inſervit. Hoc ipſo etiam ſimul alimentorum aſſimilationem, per univerſum corpus diſtributionem, heterogeneorum per fermentationem præcipitationis modo ſeparationem adjuvat.

XLIV. Qualia heterogenea à latice aquoſo ſanguinis abſorpta, nunc mediante *Urinâ*, ſub nubeculæ vel levis ſedimenti formâ, nunc per inſenſibilem tranſpirationem, foras eliminantur; adeo ut legitimum *ſanitatis conſervativum & morborum præſervativum ſit Motus*, vicarus nempe omnis Venæſectionis, Purgationis, alteriuſque ſimilis ſanguinis correctionis, quod Mechanicorum & Ruſticorum turba palam teſtatur.

XLV. Circa *Somnum* quæritur, an meridianus ſalubris ſit, nec ne? Reſp. in aſſuetis, & iis qui noctu parum dormiunt, ſenibus, item lucubrantibus Studioſis concedendus eſt; ſi nempe fiat ſedendo, non jacendo: non enim adeo conveniens fit digeſtio modo poſteriori.

XLVI. Hæ ipſæ *occaſionales cauſæ*, & quaſi *remotæ*, alterando & immutando Sanguinem & Chylum, & inde oriundos reliquos, corporis machinam gubernantes ſuccos, *proximas* inferunt vel incitant cauſas, & ita res p. n. dictas producunt; dum Chylus, & ex hoc ſucceſſivè genitus Sanguis, hinc mutatus peccat nunc, licèt rarius, in *quanto*, ſeu dum nimia copia abundat, unde *Plethora*; nunc, idque frequentius, in *quali*, dum deficit à debitá ſeminali ſeu naturali craſi, unde *Cacochymia*.

XLVII. *Plethora ad vires* eſt contradictoria & impoſſibilis; cùm ipſe corporis vitalis vigor in Sanguine & Spiritibus fundatus ſit: undè, niſi ipſas vires viribus vitalibus graviores eſſe, dicere velimus, etiam Plethoram quoad vires aſſerere non poterimus.

XLIIX. *Athleticus veterum Luctatorum* habitus euſarcus & muſculoſus, adeoque robore artuum inſigni notabilis, ortum duxit ex uberiori ſpirituoſi ſanguinis copia in vaſis, indeque ab uberiori ſanguineo nutrimento; ſicut obeſorum ſuperabundans pinguedo nutrimenti chyloſi circa membranas uberius collecti, & blando acido coagulati, congeſtionem ſequitur: nam *athletici Sanguine*, *obeſi* Chylo butyroſo, magis *abundant*. Malè hic homines craſſiores pro plethoricis habentur; cum reperiantur homines craſſiſſimi, carnoſi, exilia tamen ſanguinis vaſa habentes.

XLIX. Videretur etiam *Plethora ad vaſa* abſurda, Chyli diſtributi, à copioſis alvi fæcib⁹ ſeparati, paucitatem, cum neceſſariâ continuataq; uberrimâ inſenſibili tranſpiratione, conſideranti; qua ſc. ex ſtatica Sanctorii ſingulis diebus naturalibus, ſeu 24. horis, tantum inſenſibiliter ferè difflamus, quantum 15. dierum curſu per alvum egerimus.

L. Sed *intemperantia otioſa*, Medicorum nutrix, cum Stomacho robuſto ex alimentis copioſis

&

& ἐυπέπτοις largiorem laudabilemque Chylum, indeque oriundum ſanguinem ſuppeditans, cum vita deſidioſa minus inſenſibiliter diſſlante, neceſſariò Sanguinis abundantiæ, vaſis propriis citra ejus evacuationem vel ſtagnationem vix coërcibili, fomitem continuum ſubminiſtrat.

LI. Cui accedit non rara Sanguinis *fermentativa* p. n. *turgeſcentia*, præter Febrilem orgaſmum, inprimis in Fœminarum menſtrua purgatione notabilis, qui ſanguis apparenter abundans niſi factâ vel artificiali per Venæſectionem, vel naturali per quæcunque vaſa epigaſtrica, evacuatione depletus, debito circulo per corpus diſtribui nequit.

LII. Qualis *plethora ad vires apparens* in iis, qui ſolenni vel Venæſectioni, vel Scarificationi, ſimilive ſanguinis ſubtractioni, adſueti ſunt, eo tempore, quo iſtæ ſolitæ depletiones alias inſtitutæ fuere, etiam ſe manifeſtare ſolet, ut citra ſanitatis nocumentum eaſdem, nulla licet alia neceſſitate urgente, omittere nequeant.

LIII. Diſtribuitur per univerſum Microcoſmum Sanguis mediante *latice aquoſo*, vehiculo nempe tam nutrimenti ſanguinei pariter ac chyloſi, in vaſis ſanguiferis & lymphaticis, quàm vehiculo excrementi ſub Urinæ, Sudoris, aliave formâ eliminandi: unde ſive deficiat, ſive nimis abundet, morbi oriuntur, inprimis autem læditur *corpus acrimoniâ ejus* vitiosâ, tam *ſalsâ*, quàm, quod pejus ſimulque frequentius, *acidâ*, exinde enim quamplurimi Affectus urinarii, & ex inquinatâ nimiſque acidâ lymphâ quarumcunque glandularum, *Affectus catarrhales*, *Febres lentæ*, *&c.* originem ducunt. Omnes enim morbi, quos è colluvie ſerosâ oriri voluerunt vel *Piſo* vel *Schneiderus*, optimè ex vitiatâ Lymphâ, glandulisque lætis deduci poſſunt.

LIV.

LIV. Cæterùm ex continuata ſecundum res n.n. *alteratione* (1.) in maſſa ſanguinea, hujus varia exſurget indoles, ac inſignis non raro depravatio, fomes ac mater futurorum morborum; ſimulque vitio, vel (2) interno digeſtionis primæ in Stomacho, vel ſeparationis fæcum ex Chylo in inteſtinis mediante Bile, vel aſſimilationis Chyli cum Sanguine, vel deputationis per renes ac poros corporum; vel vitio (3) alieno, aut ſub prima generationis origine, aut ex acceſſu fermenti cùjuſdam exotici & peregrini, Sanguis à debita & naturali craſi ſenſim deficit, adeoque Cacochymus evadit.

LV. Craſis hæc cùm conſiſtat in maſſæ Sanguineæ texturâ materiali, dependente inprimis à particulis ejus ſalinis, ob id hujus texturæ particularum multiplex mutatio & alteratio, plus minus cacochymicum & qualitatibus vitioſum reddit ſanguinem.

LVI. Multiplicem hancce *Cacochymiam*, ejuſque cauſas graphicè nobis delineat *Autor libri de priſca Medicina*, inter ſcripta Hippocratea, determinans eam per *acidum, amarum, dulce, ſalſum, inſipidum & 600. vel infinita* alia, ſub saporum notione repræſentata.

LVII. Quæ ipſa infinita ſub infinitâ ſpeciali cauſarum morboſarum differentia, ſe unicuique offerunt, dum in ſingulis morbis, ſingulisque eorum cauſis, ſpecialis peccat ſapor, nonniſi per remedium eidem in ſpecie adverſum, eumque corrigens, ob id *ſpecificum* dictum, emendandus.

LIIX. Hoc ipſum inſtanter urget *Helmontius*, dum in ſimplicibus ſpecificum ſaporem æſtimandum ſuadet. Sic enim *ſaturnina* in ſpecie conveniunt ad delendum acidum *Vulnerum*, *Myrrha* ad *Affectus menſium* ex acido ortos, & *Variolas*; *Allium* in *Calculo*; *Cochlearia* ad *acidum ſcorbuticum*.

LIX. Hæc ipſa autem *ſexcenta* non ad definiendam

ſolùm

ſolùm cauſarum morboſarum rationem, ſed ad alimentorum pariter ac medicamentorum explicandas facultates, applicat dictus Autor.

LX. *Infinita* hæc Cacochymiæ differentia ad tria capita generalia non incommodè reduci valet, ad *acidum, amarum, & dulce* ſeu *inſipidum*: habito reſpectu ad duo quaſi catholica, inſtrumentalia tamen, principia ſalina, acidum & urinoſum, eademque temperantem & diluentem in corpore *Chylum* vel dulcem, vel quodammodo inſipidum.

LXI. *Acidum* peccabit vel in *quanto*, dum abundat nimis, vel in *quali*, dum p. n. habet ſaporem *auſterum, ponticum, acrem* &c. exinde enim Sanguinis coagulationes, ut in *Pleuritide, Fames canina*, & quædam *Picæ, Tormina colica, Dolores arthritici fixi & vagi, Concretiones calculoſæ, Affectus nephritici & catarrhales, Scorbutus, Paſſiones hypochondriacæ; Suffocationes* dictæ *hyſtericæ*, aliiſque in nerveis partibus convellentes *Spaſmi*, etiam *Febres acutæ* cum *Inflammationibus eryſipelaceis* conjunctæ, originem ducunt.

LXII. Corrigunt hoc *acidum in genere*, (1) omnia *ſalia urinoſa* ſeu alcalia, tam *fixa*, ut *Sal Abſinthii, Centaurii minoris, Cardui benedicti, &c.* quàm *volatilia*, ut *Spiritus ſalis ammoniaci, Spiritus & Sal cornu cervi, Sanguinis humani, Naſturtii, Menthæ, Cochleariæ*, &c. (2) omnia *concreta quaſi terrea metallica fixa*, iſtud abſorbentia, aut potius invertentia, v. gr. Mars & omnia *Martialia*, it. *Saturnina, Saccharum Saturni, Antimonium diaphoreticum, C.C. uſtum & ſine igne præparatum, Lapilli Cancrorum* & omnia dura *marina*, ac *Animalium oſſa*. (3) *Oleoſa & pinguia*, quæ obtundunt & inviſcant quaſi aculeos acidi, ſive ſint expreſſa, ſive, quod melius, deſtillata, ut *Spir. vini, Oleum deſtillatum Caryophyllorum, Macis*, &c. quo & *ſuccinata, camphorata, caſtorina* &c. pertinent.

LXIII.

LXIII. *Amarum* ſeu *acidum volatile oleoſum*, alcali volatili plus minus ſaturatum (unde oritur Bilis, corporis balſamum) peccabit vel in *quanto*, dum abundat præter modum; vel in *quali*, oleoſitate ejus vitiatâ, inprimis dum hæc eſt minùs volatilis, ſed potiùs aquea, adeoque iners reddit adjunctum ſibi *Sal urinoſum*; unde *à priori* effervescentiæ Sanguinis auctæ, indeque *Ardores* totius corporis plus minus continui oriuntur; vel ſi in Inteſtinis fiant, *Phlogoſes vagæ*, item *Diarrhææ colliquativæ*, *Choleræ*, &c. oriuntur; *à poſteriori* verò *Decolorationes* variæ *corporis*, ſub *Cachexiæ* & *Icteri* generali nomine notæ, dependent. Fomes itidem hac ratione exiſtit, ſuſtentans omnes morbos chronicos, minùs ſc. corrigendo acidum viſcidum.

LXIV. *Corrigunt hoc amarum*, & quidem in ſpecie prius ejus peccatum (1) omnia *acida*, alcali ejus præcipitantia, ut *Acetum*, *ſuccus Citri* & *Berberum*, *Spir. minerales acidi*, ſimplices & compoſiti (2) *Sulphurea mineralia* cum Nitro fixata, figentia volatilem orgaſmum, & hebetantia pinguedine ſuâ, ſub qua occultatum eſt acidum, ejus acrimoniam figens, ut ſunt *Sulphur commune*, omnia *antimonialia fixa*, v. g. *Antimonium diaphoreticum*, *Bezoardicum minerale*, item *Sulphura* alia *metallica* dicta; (3.) *Nitrum* & omnia cum & ex *Nitro* parata remedia, ex *acido ſulphurea*. *Poſterius verò* ejus vitium corrigunt omnia *acria*, plus minus *oleoſa*, augendo acrimoniam Salinam, & volatiliſando oleum, ut Salia volatilia oleoſa: item omnia *Aromata* & *aromatica*, *Febrifuga*, ut *Abſynthium*, *Gentiana*, *Mentha*, &c. qua ratione *Abſynthium Hydropes*, *Chelidonium* majus *Icterum*, &c. curare ſolent.

LXV. *Inſipidum* denique aut *dulce* ac *chyloſum peccat* vel in *quanto*, ſi copioſius, quàm par eſt, coacervetur; vel *in quali*, dum eſt *nimis viſcidum*, & quod *frequentius*, conjungitur ipſi *vitioſum acidum*: hinc enim,

ex

ex viſcido inprimis acido, quamplurimi morbi *Chronici, febriles, cachectici, Viſcerum infarctus* ac *Tumores*, ductuum *Obſtructiones*, originem trahunt.

LXVI. Corrigunt hoc ipſum, præter *evacuantia* ſuperfluum vel per os vel per alvum (1) *attenuantia & reſolventia ſalina temperata*, qualia ſunt remedia tartarea, ex Tartaro Vini parata, ut *Tartarus vitriolatus, Nitrum vitriolatum, Sal volat. Salia alcalia fixa, & volatilia ex Animalibus acriora, Sal Tartari, Tinctura Tartari, Spiritus* & *Sal volatile Tartari*, item *Spiritus carminativus*, &c. (2) *Reſolventia gummoſa*, ut *Sagapenum, Maſtix, Myrrha*, primariò *Gummi ammoniacum* (3) *Aromatica ſeu ſalina volatilia plus minus oleoſa*, vulgo *aperientia*, item *hepatica*, &c. appellata, ut *Abſinthium, Centaurium minus, Fœniculum, Roſmarinus, Mentha, Angelica, Galanga*, &c.

LXVII. *Hæc ipſa* mutatis mutandis facilè applicari poſſunt tritæ in Scholis Medicis doctrinæ de Cacochymiâ pituitosâ, melancholicâ & biliosâ, intelligendo per *pituitoſam inſipidum* ſeu *dulce chyloſum*, per *melancholiam acidum*: (nam & ab *Hippocrate* ſub nomine acidi venit, & apud *Galenicos Hippocraticos* ſubinde aceto comparatur, cujus acidi ſummus gradus maximè corroſivus volatilis *atra bilis* appellatur) per *Bilem* denique *amarum* ſeu *Sal volatile oleoſum* aut *acidum volatile oleoſum*.

LXIIX. Vulgata enim doctrina de *quaternione humorum* naturalium ſanguinis, & inde derivatis excrementis bilioſis, pituitoſis, & melancholicis, tam naturalibus, ut vocant, quàm præternaturalibus, falsò præconceptis nititur hypotheſibus.

LXIX. Nempe quaternioni elementorum ſuperſtruitur: unde conſequenter & quadruplex partium diverſitas, indeque totuplex pro iis ſuſtentandis nutrimenti differentia, non ſecus atque 4. humorum in Sanguine diſtin-

diſtinctio, hincque nati cæteri humores p. n. per multiplicem caloris nativi gradum continuatâ ſerie derivantur.

LXX. *Sanguis ſimplex* ſolùm *& homogeneus eſt liquor* volatilis oleoſus, *nutrimentum* verò partium *duplex*, *chyloſum* pro ſpermaticis, *ſanguineum* pro ſanguineis. Bilis folliculi fellei tantum abeſt ut excrementum ſit, ut potius ſaluberrimum corporis totius ſit *balſamum*. *Humor* vero *melancholicus naturaliter eſt nullus* (de hoc eleganter diſſerit *Conringius*,) uti nec p.n. imò Lienis officium circa eum ſolùm ex arbitrio aſſumptum.

LXXI. *Quæ verò in ſanguine, per Venæſectionem emiſſo, apparet humorum diſcrepantia*, nata eſt (1) ex Sanguinis extravaſati neceſſaria corruptela & cadaveriſatione; (2) ex ſuperficiei ejus ab aëre ambiente plus minus inducta alteratione, unde ſuperficies coccineo nitore ſplendet, fundus autem inferior coagulatus obſcurè nigricat.

LXXII. *Excrementorum* per alvum & os quod attinet diverſitatem, ea ſub tali formà in corpore antea non extiterunt, ſed fiunt ita per mutuam diverſorum ſuccorum in primis viis miſcelam, unde ſecundum efferveſcentiæ & præcipitationis rationes, aliaſve ſimiles âlterationes, tam diſcrepantes emergunt excrementorum differentiæ.

LXXIII. Speciatim fiunt vel (1) ex varia *Chyli corruptione* in Stomacho & Inteſtinis, qua ratione Infantes copioſiſſima flava ſubinde rejiciunt, quæ tamen non ſunt bilioſa, ac propterea dulcium inſtar avidè à canibus devorantur, ſed ſunt lac ſub digeſtione, aut diſtributione, per Inteſtina corruptum, inque tale flaveſcens liquamen degenerans.

LXXIV. Vel fiunt (2) ex *Bilis & Succi pancreatici*, nunc *ſeorſim* nunc *ſimul alteratorum* miſcelà, unde &

ipſorum

ipſorum unitorum & Chyli permiſſi & fæcum alvinarum variæ larvæ præternaturales, v. g. *porracea & æruginoſa* dicta *Bilis*; quæ videlicet ex Succo pancreatico nimis acido, cum Bile vitiosè efferveſcente, & ita Bilis colorem per præcipitationem alterante, unito oritur; unde & manifeſtè acidum ſpirant talia rejecta, & v. g. in Infantibus excitantur ſemper *Tormina*, ex acido corrupto oborta, quæ per acidum deſtruentia, *Corallia*, *Cryſtallum*, *Lapides cancrorum* & ſimilia curantur.

LXXV. Vel originem ducunt (3) ex ipſis *Medicamentis*, ſuccos corporis variè alterantibus & immutantibus, in ſpecie *purgantibus*. Ita *Martialia* ritè operantia ſemper excreta nigricantia reddunt: *Rhabarbarum* & *Aloe* tingunt eadem intensâ flavedine, unde etiam Bilem evacuare vulgo æſtimantur: *Colocynthis* craſſa & viſcida excernere facit, qui non ſolùm ſunt pituita præternaturalis, ſed revera ſuccus nutritius à malignitate laxantis ſimul corruptus: *Opuntiæ* majoris ſuccus urinam rubro colore tingit, cui *Terebinthina*, *Juniperus*. *Nux moſchata*, &c. odorem violaceum tribuit. Fœtorem contrà impertiunt Allium, Aſparagus, &c. Denique Mercurialia ſub forma ſalivæ viſcidioris nutrimentum partium ſpermaticarum liquefactum evacuant.

LXXVI. Morboſis cauſis conjuncta eſt *quædam conditio*, ut nunc benigna: nunc ratione ſymptomatum extra ordinem periculoſorum *maligna* dicatur. *Natura malignitatis admodum intricata eſt*: ſive enim ſingularem *putredinem*, ſive ſanguinis *coagulationem*, ſive ejuſdem *nimiam diſſolutionem*, ſive *verminoſam putredinem & corruptionem* aſſerere velimus, nunquam tamen univerſalem malignitatis rationem exhauriemus.

LXXVII. Reverà autem *malignitatis ratio generalis* in hoc conſiſtit, ut ſummum Vitæ inferat periculum: qua ratione idem ferè erit cum Veneno, ſive *ſangui-*

nem ejuſque ſpiritum vitalem ſolum, ſive utrumque ſimul afficiat; *ſpecialis* vero *ratio* in *ſingulis* morborum *malignorum cauſis* & ipſa diſtincta eſt.

LXXVIII. *Alia* enim ratio eſt *Dyſenteriæ malignæ*, alia *Variolarum*, alia *Peſtis*, alia *Purpuræ Puerperatum*, alia *in Catarrhis epidemicis*, alia *Morſus Canis rabidi*, unde & Symptomatum diverſitas ubique emergit, ex quibus diverſis malignitatis ratio diſtincta facilè poſtmodum conjecturari poteſt.

LXXIX. Productum morboſum variè affligens, multarum tamen moleſtiarum origo, in ſpecie in Abdomine, ſunt *Flatus*, merito ab Helmontio ad *gas ſylveſtria* ſeu *ſpiritus incoërcibiles* relati. Generantur neque à calore, neque à frigore per ſe, ſed tantùm ab acido præternaturali, mediante vitiosâ fermentatione ex materia quacunque, ut plurimum tamen aliquid viſciditatis, aut glutinoſitatis oleoſæ in receſſu habente; unde & Hypochondriacis, ſimilibuſque, vitio fermenti Ventriculi vel Succi pancreatici vitiosè acidorum, ex quibuſcunque aſſumptis copioſiſſimus Flatuum eſt proventus.

LXXX. Ordinariè quidem *Flatus cum exhalationibus & vaporibus confunduntur*, ſed falsò: nam *vapores* ſunt effluvia humida, beneficio caloris ſoluta, frigoreque condenſabilia, unde condenſati Flores & Fuligo vocantur; contrà hic nullum habent commercium Flatus, quippe qui non poſſunt coërceri ſeu reduci in corpus viſibile & palpabile, unde fruſtra agunt, qui ſpiritus ex Muſto exhalantes, applicato alembico, volunt capere.

LXXXI. Hinc *aromatica flatuum ſunt medicamina*, corrigendo acidum, & reſolvendo viſcidum. Ipſe *ſpiritus Nitri*, *acidus* licet, reliquis tamen præfertur, inprimis *ſpiritu Vini dulcificatus* & temperatus, nobiſque ſic magis appropriatus redditus, figendo ſpiritus e-

rum-

rumpentes flatuoſos, & impediendo fermentationis impetum.

LXXXII. Hæ ipſæ autem *cauſæ*, cùm ſubinde non minus, quàm Morbi partium afflictarum, in obſcuro lateant, & ſenſibus directè non pateant, ob id per *certa media*, videlicet *ſigna*, *diagnoſtica dicta*, à Medico perſcrutandæ ſunt.

LXXXIII. *Signa* hæcce *ex tribus* primariò univerſalibus emergunt *fontibus*: nempe (1) ex *Antecedentibus*, ſeu *cauſis* tam *internis* quàm *externis*, tam *communibus* quàm *propriis*: ad quod poſterius Subjecti quoque conſtitutio pertinet, quatenus exinde inclinat ad hunc vel iſtum Affectum, tam nativa, ratione idioſyncraſiæ naturalis, proprietatum hæreditariarum, ſexûs, &c. quàm adventitia, ratione ætatum, victûs, & vitæ generis. (2) E *conſequentibus ſeu effectis*, quo præter Symptomata quæcunque, etiam juvantia & nocentia referenda ſunt; & (3) ex *eſſentialiter inhærentibus* ſeu *objecto cognoſcendo* propriè attributis, quo omnia, quæ quacunque ratione cognitionem Medici dirigunt, referri poſſunt: quorum plurimorum concurrentium ſignorum *ſyndrome talis*, quæ omni, ſoli, & ſemper tali objecto convenit, *pathognomonicum ſignum* appellari conſuevit.

LXXXIV. *Fundamentum ſignificandi ſeu ſignorum conſiſtit in horum cohærentiâ certâ*, eaque vel *neceſſaria*, vel *contingente cum ſignato*; ita ut tanquam cauſa & effectus cohæreant, vel per accidens ſubinde ſe mutuo conſequantur, vel quocunque alio modo mutuo inter ſe connexa ſint.

LXXXV. Inter ſigna hæcce, tam quæ in *diagnoſi*, quàm etiam in *prognoſi* locum habent, primatum obtinent ea, quæ *ex urinâ & pulſibus deſumuntur*, cum hæc virtutis vitalis rationem in ſanguine fundatam immediatè deſignent.

LXXXVI. Uti enim *urina potus* monſtrat alimenti

in primis viis alterati, & digeſtionis ibidem peractæ conditiones; ita Urina ſanguinis monſtrat hujus conſtitutionem, ex particularum ejus liquorem componentium, inprimis ſalinarum, fermentatione oriundam, & pro ratione puritatis vel impuritatis cacochymicæ ſubinde variat.

LXXXVII. *Pulſus* autem ipſius turgeſcentiæ in præcordiis vitalis inſinuat ſtatum, atque diſtributionis ſanguinis ex Corde in omnes partes rationem: ita tamen, ut diverſarum circumſtantiarum concurſus non rarò fallax, minuſque certum reddat judicium.

LXXXVIII. Neceſſe eſt, ut Medicus pulſum in utroque carpo ſimul exploret, quia deprehenditur inſignis inter illas differentia nonnunquam: ſic enim ob tumorem circa axillas contentum pulſus in uno carpo optimus, in altero deficiens, obſervatus eſt à peritiſſimis *Schenckio* & *Rhodio*. Porrò Medicus pulſum tangens non contentus ſit unâ vice eum tetigiſſe, ſed laborem repetat, bis vel ter, quia ratione Affectuum omnes pulſus mutantur. Tandem fallit pulſus in Morbis malignis, & non ſecus atque in Scorbuticis & Hypochondriacis.

LXXXIX. In pulſu 4. requiſita ſunt obſervanda: (1) *cor movens*; cujus reſpectu pulſus eſt vel *vehemens*, vel *debilis*. (2) *Sanguis* promotus *turgeſcens*; unde pulſus eſt vel *magnus*, vel *parvus*. (3) Inſtrumentum per quod fit motus, nempe Arteria, unde pulſus eſt vel *mollis* vel *durus*. (4) *Tempus*, quod menſurat motûs durationem, obſervabile vel in *una pulſatione*, unde pulſus eſt modò *celer*, modò *tardus*: vel in *pluribus pulſationibus*, unde pulſus vel *frequens* eſt, vel *rarus*: quæ ipſa temporis ratio ut plurimum à diverſa ſanguinis ſub fermentationis actum conditione dependet.

XC. *Simplices* hæ, invicem collata *compoſitas* dant *pulſuum differentias*, quæ, habito mutuo inter eas reſpectu, vel *æquales* ſunt vel *inæquales*: ſicut diaſtole arte-

arteriæ collatæ cum ejus Syſtole pulſum dat vel *ordinatum*, εὔρυθμον vel *inordinatum*, ἄῤῥυθμον.

XCI. Omnes hæ differentiæ, quò plus recedunt vel à ſtatu naturali, vel à conditione Ægri, vel ratione morbi & cauſæ morbificæ, eo ſunt pejores; quo minùs, eo meliores, in ſpecie *debiles*, *frequentes*, *parvi*, &c. ſimul ſunt omnium peſſimi.

XCII. *Urinæ* judicio utut Vulgus modum tribuat, tamen præter ea quæ ſupra fuere inſinuata, nil aliud quàm partium urinæ ſecretioni & excluſioni dicatam conditionem ſignificat.

XCIII. Conſideranda in ejus inſpectione (1) ipſe liquor *lixivialis* continens; (2) *Contenta varia* in eo natantia. *Liquor* exhibet *conſiſtentiam* vel *craſſam*, vel *tenuem*, imbibitorum ſalium oleoſorum cum liquore probè unitorum majorem vel minorem copiam conſequentem. Deinde etiam exhibet *Tincturam* vel *naturalem citrinam*, vel *præternaturalem*, tam *deficientem albam*, & plus minùs *pallidam*, quàm *excedentem flammeam*, *croceam*, *rubram*, *viridem*, *nigram*, &c. *Deficientes* fermè tincturæ ut plurimum cruditates digeſtionis primæ conſequuntur; *excedentes* aut fortem admodum lixivii per copioſa ſalia ſaturationem, aut p. n. in Sanguine fermentationem, diſſolventem & ſubigentem exactius ſalia ſulphurea, eaque fortius quaſi liquori incoquentem, præſupponunt.

XCIV. *Tincturæ* in Urina affectio eſt, quando hæc interdum *pellucida* ſeu *clara*, interdum *opaca* ſeu *turbida* conſpicitur. *Pelluciditas* dependet ab exacta unione particularum ſalinarum cum poris liquoris aquei, unde radii luminoſi æquali ferè tractu maximâ ex parte permeant. Hoc verò (nempe *opacitas*) dependet ab earum ſeparatione & quaſi præcipitatione, vel per aërem externum frigidiuſculū, poros liquoris conſtringentem, & ita particulas imbibitas extrudentem, vel interna per recre-

mentorum cacochymicorum è Maſsâ ſanguineâ, intercedente fermentatione, præcipitationem, unde radii luminoſi hinc inde impingentes in tranſitu prohibentur, & ita liquorem minus perſpicuum exhibent. In genere tamen omnis Urina *turbida* acidum in Sanguine latens cum quantitate particularum indigeſtarum indigitare videtur.

XCV. *Contenta* in liquore lixiviali ratione ſitûs triplici modo diſtincta in ſanitatis latitudine *cruditates chyloſas*, vitio digeſtionis primæ coacervatas, ſanguinique non aſſimilabiles, à latice urinario abſorptas exhibent: in ſtatu verò præternaturali pro circumſtantiarum ratione mille modis variant.

XCVI. Quoad *Odorem*, ſi exceſſivè ſit fœtidus, nec proveniat ab aſſumptis, innuit ſæpe malignum Morbum, liqueſcentiam nempe Maſſæ ſanguineæ, & putredinem peſtilentialem, quod Italorum eſt πικμήɛλον.

XCVII. Jam verò in *Morbis acutis febrilibus*, quo magis præcipitatis ex ſanguine fœculentiis repletur Urina, hincque diverſas recipit affectiones, adeoque coctionis, ut vocant, cauſæ morbificæ ſigna exhibet, eo melior eſt; *contrario* ſi ſe habeat *modo, eo pejor.*

XCVIII. In *Chronicis* ſimili ratione, quo magis heterogeneis ſanguinis particulis, ceu copioſis contentis, prius onerata Urina, poſtmodum ſucceſſivè in naturalem ſtatum remeat, & ita digeſtionis primæ redintegrationem, maſſæ ſanguineæ depurationem & naturalis fermentationis reſtaurationem oſtendit, eo melior eſſe ſolet: contrarium fit, ſi alio modo ſe habeat.

XCIX. *Nubecula* in Urina in morbis, tam *Chronicis* quàm *acutis*, eſt ſignum redeuntis in Stomachum fermenti, & temperatæ plus minus digeſtionis.

PARS

PARS TERTIA.

THERAPEUTICA.

In quâ Methodus medendi, cum Signis prognoſticis ac Remediis, pharmaceuticis maximè ac diæteticis exponitur.

§ I.

P*Rimaria* Artis medicæ *pars* eſt ea, *quæ media tractat, quibus aut firma conſervari, aut labefacta reſtitui valet ſanitas:* illud *Hygiene*, hoc *Therapeuſis* dicitur.

II. *Hygiene* quidem reſpicit legitimum regimen Rerum ſex nonnaturalium pro ſtatu ſalubri conſervando, & infirmitate præcavandâ, tam in genere pro quibuſcunque hominibus, quàm in ſpecie pro unaquaque determinata ætate, ſexu, vitæ genere, &c. id quod vulgo *Diætæ* nomine venire ſolet.

III. Fundamentum legitimæ *Diætæ* pro ſanitate conſervanda, ſeu legitimum regimen Rerum 6. non naturalium, ſubminiſtrat *Celſus l.* 1. *de Remed. cap.* 1. inquiens, *ſanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, ac neque Medico, neque jatro alipta egere, id eſt nullis ſtrictis diætæ legibus ſe alliget, ſed ſua libertate utatur*: aliàs *medicè vivere, eſſet peſſimè vivere.*

IV. Sed cùm ex *Hippocratis* doctrinâ *conſuetudinis* maxima ſit vis, & in aliam tranſmutandi naturam ef-

ficacia, ejus dictamen in Rerum nonnaturalium uſu inprimis eſt obſervandum.

V. Sanitatis verò conſervandæ medium docet idem *Dictator* noſter l.6. *de Morb. popular.* §. 4. dum inquit: *ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores.* Morbos verò præcavendi tationem idem ſubminiſtrat, dum inquit: *Quiete, & abſtinentiâ multi magni morbi curantur.* Hinc enim rectè *ſobrietas* totius Diætæ *cardo* ab *Helmontio* appellatur.

VI. In ſpecie pro ætatum diverſitate, & inde dependentibus aliis circumſtantiis ad conſervandam Sanitatem, *Diæta* eſt ita ordinanda, ut vigor vitalis per legitimum uſum Rerum nonnaturalium conſervetur, Morbi verò congrui, ſeu qui unicuique ætati magis familiares ſunt, maturè avertantur.

VII. *Infantium* quidem, qui familiariter affliguntur Affectus morboſi utplurimum non *niſi ex vitiato lactis coagulo*, indeq; oriundo *muco* impensè *acido & pontico originem ducunt*: id quod excreta, inde per alvum viridia, ſeu porracea & æruginoſa, ſufficienter declarant; hæc enim utplurimum acidum ſpirant, vel alio peregrino charactere inſignita ſunt.

VIII. Hinc præter Remedia *aniſata*, lac corrigentia, & terrea alcalina acidum abſorbentia, ut *lapilli Cancrorum*, *Corallia*, *Cornu Cervi*, *Sperma ceti*, *Antimonium diaphoreticum*, &c. inprimis laudo *Salia volatilia*, *Tenellis* inſigniter conducentia, præſertim blandè *aromatiſata*, ſeu *oleoſa*. Hæc inter excellunt præ cæteris *Liquor CC. ſuccinatus*, it. *Spiritus ſalis ammoniaci aniſatus*, &c.

IX. *Ætas dividitur* in *creſcentem*, *conſiſtentem & declinantem*: cujus *diviſionis fundamentum* conſiſtit in ſanguine, qui in Infantibus eſt inſtar Muſti, in Juvenibus & Viris inſtar Vini generoſi, in Senibus inſtar Vini aceſcentis. Aliàs circumſcribuntur *ætates* per *ſeptenarios*, in quibus jam mutationes fiunt; ac originem hæc

ſen-

ſententia trahit inde ab *Ægyptiis* atque *Pythagorâ*, qui multum tribuerunt numero *ſeptenario* & *quinario*: hinc dependet etiam *ratio criſium*, quæ per 7. circumſcribuntur dies, ita ut ſeptimo, decimo quarto & vigeſimo primo fiant eædem perfectæ. Similiter hinc nata eſt *ſuppuratio annorum climactericorum*, per numerum ſeptenarium & quinarium, ita ut illi ſint habendi primarii, hi ſecundarii.

X. In ætate *conſiſtente*, dum M. S. in ſuo conſtituta eſt vigore & ſpirituaſcentia inſtar Vini generoſi, obſervandum cautè, ne vel nimias concipiat efferveſcentias ebullitioneſque, periculoſorum Morborum acutorum autores; vel citò nimis in ſuo vigore deficiat ad præmaturam ſenilem debilitatem, inprimis per intenſiores & cerebriores in ſtudiis meditationes.

XI. Ibi ergo caveantur nimis generoſa alimenta, nimii motus, primariò animi, ſecundariò corporis, & tandem nimia Venus. Sed per conſuetum, ſimul tamen moderatum, illorum uſum, æquabilis ſanguinis conſervetur motus & fermentatio: cujus ferocior impetus fixioribus, inprimis *nitratis*, refrænandus, ſpirituumque efferus motus *opiatis* ſiſtendus. Hic verò in Senio *ſpirituoſis volatilibus* & *aromaticis* ſpirituum vigor conſervandus, & moderato cautoque *ambratorum* uſu ſuſtentandus.

XII. *Seniles* affectus ex remittente ſanguinis fervore, & Stomachi deficiente digeſtione dependentes, per generoſius Vinum & moderatum gaudium, cum aromaticorum volatilium temperatorum uſu arcentur.

XIII. Et ita quidem ſanitatem conſervandi & morbos præcavendi rationem docet *Hygiene*; legitimam verò curandi morbos rationem docet *Therapeuſis* quæ neceſſariâ agendorum notitiâ, pro *ſalubri ſuccurſu* ægrorum, inſtruit Medicum. Notitia hæc curandi vulgò

medendi Methodus vocari ſolet, & revera in *judicio Medici practico* conſiſtit, fundato in judicio ejus theoretico.

XIV, Quod judicium rationale, memoriæ contradiſtinctum in œconomia particulari animali *proximè*, & in univerſæ naturæ notitia generali *remotè* fundatum, eſt quod revera ſagacem & prudentem conſtituit Medicum, Artemque ejus conjecturalem, non ſuperficialem aut temerariam, ſed fundamentalem & accuratam conſtituit.

XV. Unde & propter caſuum in praxi varietatem, & circumſtantiarum inexplicabiles etiam nodos, morborumque novorum ſubinde, ex accreſcente hominum luxuriâ, & contagiorum vario connexu, proventum, *judicioſus* magis, quàm *memoriâ præditus* conſulendus eſt Medicus; quatenus *hic non niſi viſa aut audita*, ille *planè nova mentis acie penetrare valet.*

XVI. Eſt quidem *Naturæ*, morborum medicatricis, *miniſter* Medicus, h. e. non agere poteſt aut debet, niſi quatenus nexus & ordo cauſarum, corporis œconomiam conſtituentium & conſervantium, permittit & fundatus eſt inprimis in vitali ſanguinis fermentatione, præſupponente debitam in Stomacho & primis viis fermentativam digeſtionem, niſi in quantum adeptus majoribus medendi arcanis inſtructus, etiam jacentem naturam erigere, & tanquam patronus & rector gubernare valet.

XVII. Quo ipſo in negotio & *citò & tutò & jucundè* naturæ ſuccurrere debet, i. e. citra moram, citra recidivæ aut majoris periculi metum, ac cum minima, quantum fieri poteſt, moleſtia, quod faciet imitando legitimam functionum omnium rationem naturalem, temperatis inprimis remediis inſiſtendo.

XVIII. Præcognoſcat ergo, quantum fieri poteſt, Morbum ſenſuum beneficio, in ſpecie *viſu* obſervando

do ægrum, & *auditu* percipiendo ejus reſponſa ad quæſita, ſecundum *Hippocratem* inſtituenda; *quæ patiatur, & ex cauſa, & quot jam diebus, & an venter ſecedat, & quo victu utatur?*

XIX. Hinc præcognito Morbo invenit & legitimè applicat remedia Medicus, h. e. non ſolùm, quòd ipſi agendum ſit procura, ſed etiam legitimum adminiſtrandi modum, in circumſtantiis externis fundatum: Hoc ſimul ſubinde obſervando, *interdum optimam eſſe medicinam, nullâ uti medicinâ.*

XX. *Media*, quibus *invenit remedia*, ſunt *tria:* nempe (1.) *Ratio*, in *œconomia animali & hiſtoria naturali fundata.* (2) *Experientia*, in pluribus *æqualibus exemplis obſervata*, (3) *Analogiſmus ex ſimilitudine Affectus ignoti cum alio cognito hauriendus.*

XXI. Ex his *Experientia primatum* obtinet, illuſtrata inprimis per rationem: nam omnis ratio in rebus naturalibus ſenſuum neceſſariò præſupponit obſervationem, adeoque experientiam. Hinc omnis ſpecificorum Remediorum efficacia, quæ *Helmontio* dicuntur appropriata, caſu utplurimum obſervata, per experientiam confirmata, & hinc per rationis ſcrutinium illuſtrata fuit.

XXII. Equidem *Experimenta ſpecifica* in omnibus Subjectis eundem effectum ſemper habere nullo modo poſſunt; quin interdum & ipſa ſunt fruſtranea, idque propter idioſyncraſiam uniuſcujuſque Individui ſpecialem, nunc ſeminalem, nunc adventitiam; propter quam neceſſariò habitudo ſeu reſpectus, quem habet remedium, tanquam agens, ad corpus ægrum tanquam patiens, variat. Hinc v. g. *Jalappa* ad ℈j. quamplurimos copiosè, hunc vel illum interdum planè non purgat; exinde tamen hujuſmodi experimenta ſpecifica ſtatim tanquam nulla rejicere, planè inſulſum eſt. Nam *in rebus contingentibus talibus ea, quæ utplurimum*

nium ita fiunt, neceſſarii effectus locum obtinent.

XXIII. Contraria contrariis curari vulgo aſſerunt, & rectè quidem, quicquid etiam contrà diſputet *Helmontius* Tr. *Natura contrar. neſcia*, & in ſpecie §. 16. *Tr. ignota act. regim.* Saltem eſt logomachia, non enim intelliguntur formaliter contraria, qualia ſolùm ſunt in Animalium genere per Affectuum exorbitantias ſibi invicem hoſtiliter repugnantia, ſed intelliguntur effectivè talia, h. e. quæ ſimul in uno ſubjecto conſiſtere nequeant, ſed unum alterum tollit, aut ejus activitatem ſaltem impedit, quale *contrarium* eſt v. g. inter *acidum* & *alcali*, ſe mutuo deſtruentia & corrigentia.

XXIV. Dum ratione rectâ invenitur remedium, *Indicatio* dicitur, in quâ ex *indicante* colligit *indicatum*; propter naturalem ad ſe invicem connexum. *Indicans* eſt ipſa natura, morborum medicatrix, quæ & ſui conſervationem naturalem per ſimilia ſibi in *indicatione vitali* ſeu *conſervatoria* innuit, & præternaturalium ablationem per horum deſtructiva ſeu contraria in *indicatione ablatoria* poſtulat, ſive cauſam, ſive morbum, ſive ſymptoma ſimul ob vitæ periculum cupiat ablatum.

XXV. *Remedia* talia *triplici ex fonte* haurit Medicus nempe *pharmaceutico*, *chirurgico*; & *diætetico*. *Pharmaceuticus fons* tribus quaſi rivis in tria *regna*, *animale*, *vegetabile*, & *minerale*, diſtribuitur.

XXVI. Uſurpantur talia vel *internè*, ſive ſolùm in primis viis ſuas operationes exerant, v. gr. *Vomitoria*, *Martialia*, *fixa terrea*, &c. ſive ulterius diſſoluta ad vias urinarias, aut per integram maſſam ſanguineam diſtribuantur, v. g. *Terebinthina*, *Salia volatilia*, &c. Vel *externè* horum particulæ proximè ſeſe inſinuando, tam *immediatè* partem ſubjectam alterando, quàm *mediatè* ſanguinem etiam ſimul afficiendo, operationes ſuas peragant; qualia ſunt illita *Olea diſtillata*, *Inunctiones mercuriales*, &c.

XXVII. *Contactu corporali* ad partes corporis, & *materiali ſui cum ſuccis* ejus *miſcelâ*, ut plurimum operari videntur medicamenta, in ſpecie ea, quæ potentias morboſas Hippocraticas corrigere, & alterare debent; hæc enim per texturam ſuæ ſubſtantiæ materialem, in ſpecie ſalinam, hoc ipſum præſtant.

XXVIII. *Helmontius* quidem *ab ideis peregrinis in archæo pictis morbos* inprimis *oriri vult*, unde hiſce etiam idealiter operantia opponit remedia, aſſerendo, revera medicamentorum efficacium operationem conſiſtere in quadam *vi irradiativa archæi citra ullum contactum vel miſcelam corporalem, ut exinde deletâ ideâ morboſâ archæus novam ideam rerum agendarum ſibi fingat*, pro ſanitate denuo conſequendâ; pro quo ſcopo inprimis *Sulphura metallorum fixa*, in ſpecie *Sulphur veneris* ſeu *cupri* ex ejus *vitriolo* commendari ſolent : vid. *Tract. In Herb. Verb. & Lapid.*

XXIX. Sed cùm jam dicta *remedia* partim immediatè, *Spiritus animales afficiendo*, partim mediatè & per accidens *ſuccos* in primis viis *alterando*, effectus ſuos edant, nec *Vitrum antimonii* & *Mercurius vivus* ab alteratione immunes ſint, quin acor Vini vel Aceti à *Vitro* vel *Regulo antimonii* ſubtiliſſima ramenta abradat, & horum poris ſe inſinuando horum defectum ſuppleat, omnino hæc pro materiali ſuo concurſu, corrigendo fixiores radices morborum chronicorum, operabuntur, ea propter ad virtutem irradiativam, nondum ſatis cognitam, fictitii neſcio cujus Archæi confugere ſupervacaneum ſit.

XXX. Certum enim eſt, pati omnia *Medicamenta* aliquam, plus minùs tamen, alterationem in Stomacho, ratione fermenti digeſtivi; & in primis viis, ratione confluentis Bilis & Succi pancreatici : unde etiam plus minus infringuntur, adeo, ut exinde diverſa ſubinde ejuſdem remedii in eodem etiam ſubjecto ſit operatio,

ratio, tanto magis in diſtinctis ſubjectis, prout iſtorum ſuccorū in primis viis major minorve eſt alterandi potentia. Hinc enim, v. g. ſupradicta *Jalappa* hunc fortiter purgat, illum ferè nihil; hunc *Colocynthis* purgando maximè torquet; illum parum admodum afficit: unde & purgantia vel narcotica Venis canum apertis infuſa, promptè & efficaciter operantur, quæ ipſis per os data ob ſui alterationem, à fermento acceptam, nullum vel exiguum edebant effectum.

XXXI. Non tamen omnem medicam virtutem ſemper exuunt, ſed de craſi concreti ſub digeſtione aliquid, plus minus tamen, retinentes adhuc operantur, unde non tantùm alimenta quædam ſunt medicamentoſa, ut *Aromatica*, *Naſturtium*, *Sinapi*, &c. ſed etiam *Lac nutricis* ex aſſumpto purgante vim purgantem retinet, *Abſinthii* uſus Febribus intermittentibus conducit, & *Terebinthina* abſtergendo atque confortando vias urinarias, violaceo odore fragrantem urinam reddit.

XXXII. Ex eo autem, quòd miſceantur cum ſuccis in primis viis, & Stomacho, & ita non leviter ſubinde alterentur, certum videtur, quædam medicamenta in dictis locis demum ex dicta miſcela & alteratione, certam vim medicamentoſam novam acquirere, quam formaliter antea non habebant.

XXXIII. Sicut enim in *Operibus chymicis* ex combinatione quorundam corporum, nova ſubinde fiunt producta & concreta, v. g. *Terra ſigillata*, *Creta*, &c. imbibitione *Spir. Nitri* aut *Sulphuris*, texturam, indeque attributa omnino *aluminoſa* potenter *adſtrictoria* acquirunt; ita talia aſſumpta attactu ſuccorum fortiter acidorum in Stomacho vel Inteſtinis vim adſtrictoriam longè potentiorem, quàm in ſe antea habebant, neceſſariò acquirunt. Sic *Salia alcalina*, aut contrà aſſumpta *acida*, ſubinde alterari, & alterata vim aliam acquire-

re,

re, quàm ex ſe non habebant, ex dictis evidentiſſimum eſt.

XXXIV. *Medicamenta* autem rariùs ſub *formâ nativâ* adhibentur, ſed ut plurimum arte prius præparata: (1) Ut facilius vel aſſumi, vel aliàs corpori melius adaptari queant; (2) Ut vis eorum ſpecifica & medicamentoſa, vel nimis occupata, vel aliorum nativâ concretione obruta, foras eliciatur melius. (3) Ut ſi adſit aliquid virulentiæ & heterogeneæ, aut nocivæ potentiæ, hoc vel omnino caſtretur, vel corrigatur.

XXXV. Sed ſub his præparationibus, in ſpecie, quæ à Chymico fiunt, obſervandum, quod ſubinde vires nativæ deſtruantur, aliæque ipſis concilientur; idque vel per ſyncriſin, vel per diacriſin, vel per metaſtaſin particularum minutiſſimarum: ad quas & fixorum volatiliſatio, & volatilium fixatio referenda.

XXXVI. Notum enim eſt, quòd pro varia præparatione, Venus ſit vel *vomitorium* vel *catharticum*, vel *ſudoriferum*, vel *ſanguinis depurativum*; quod *Arſenicum* venenoſum per *Nitrum cicuretur* pro deſperatis *Ulceribus*, inprimis etiam *cancroſis*; quod *Aſarum* ſolâ in terra coctione amittat vim *vomitoriam*, evadatque *diureticum*, & morborum chronicorum tardarumque *Febrium* remedium.

XXXVII. Et ſicut ex coalitu *Nitri*, *Sulphuris* & *Carbonum*, fit *fulminans pulvis pyrius*, non ſecus ac omnia metalla hac ratione fiunt fulminantia; qui vix oritur ex ſola dictorum compoſitione, cum neutrum ſimplicium ingredientium vim talem priùs poſſideat; ita etiam per plurium compoſitionem ſubinde vis nova medica emergit, quæ antea non erat: ſic enim ex *Mercurio ſublimato* fit *venenum acre corroſivum*, quod ſociatum novo Mercurio vivo, denuoque ſublimatum aliquoties, *Mercurium dulcem*, optimum purgans venenorum, Scabioſorum, Epilepticorum, exhibet &c.

Hinc

XXXVIII. *Hinc melius & tutius eſt uti ſimplicibus, quam compoſitis*, in quibus facultates multiformes, tam cognitæ quàm incognitæ, confuſæ citra aut mutuam deſtructionem, aut novæ virtutis productionem, aut Stomachi primarumque viarum turbationem, ſimul conſiſtere nequeunt.

XXXIX. Quòd ergo in ſpecie attinet remotionem cauſarum morboſarum, *plethoram veram* tollimus, vel confertim, tam per vaſorum, ſive ſint venæ ſive arteriæ, apertionem & ſanguinis emiſſionem, quàm per cucurbitularum cum ſcarificationibus applicationem, aut per hirundines applicatas; vel pedetentim per inediam, labores, exercitia, ſudores repetitos & Fontanellas.

XL. *Fontanella* enim nil aliud eſt, quàm ulcuſculum artificiale, quod ſub Forma tranſmutati puris vel ſaniei continuo plorat alimentum partis proximum, ex maſſa ſanguinea eo derivatum, adeoque ſimul & ſanguinem & quoſcunque vitioſos ſuccos, eidem fortè permiſtos, una evacuat, ne coacervati aliis in locis dent turbas; ita ut fonticulus ſit ſaltem remedium palliativum, quod à poſteriori, evacuando productum morboſum, ne nimis noceat, *non à priori removendo cauſam radicalem*, *opem fert.*

XLI. *Plethora apparens* non per effrenes cruoris vitalis depletiones in *Venæ ſectionibus*, ſed potiùs per repetitum præcipitantium, ſimulque blandè diaphoreticorum, uſum eſt corrigenda, ut ita ceſſet ſanguinis ferocius ebullientis impetus.

XLII. Per ſe ergo ſoli ſanguinis evacuationis ſcopo ſatisfacit *Venæ ſectio*, *nullo modo refrigerans*, niſi ad Veterum imitationem ad animi uſque deliquium evacuare velimus: Per accidens tamen interdum etiam aliis ſubinde uſibus conducit, v. g. *Urinæ ſuppreſſioni*, *Partui difficili*, *Caſui ab alto*, &c. quatenus, imminuto ſan-

ſanguinis quanto, liberior ejus per vaſa fit circuitus ſeu ventilatio, adeoque impedimenta, ex ejus aliquali ſtagnatione oriunda, removeantur.

XLIII. Et hac ſola etiam ratione, nempe quòd *imminuto* ſanguinis *quanto promoveatur liberior ejus circulatio, & impediatur ejus in quadam parte ſtagnatio*, juvant ſanguinis detractiones quæ communiter pro Scopo *revulſionis, averſionis* & *derivationis* inſtituuntur: nam Veterum de hiſce hypotheſes, ſtante Sanguinis circulari motu, conſiſtere nequeunt.

XLIV. *Interceptiones* denique & *repulſiones* Sanguinis, aliorumque humorum, planè ſunt impoſſibiles, ob inviolabilem circulationis legem, aut admodum nocivæ, ob impeditum Sanguinis motum. Nam ſi per arterias intercipere velimus Sanguinis motum, pars gangrænata morietur; ſi per venas velimus repellere, &, ut ſolent, adſtringentia aut refrigerantia, aut acida uſurpemus, magis coagulabimus ſanguinem, eumq; im̃obiliorem redditũ in naturalem motum reſtituere debebimus.

XLV. Sed potiùs reſolvendo Sanguinis grumeſcentiam, aliosque humores impactos, per blanda ſudorifera, ſanguinem diſſolventia, & motui aptiorem reddentia, qualia ſunt v. g. *Salia volatilia*, *Spir. Salis armoniaci*, item *Antimonium diaphoreticum*, *Corallia, Ebur. ppt. Lapilli Cancrorum* aliaq; cum aceto aſſumpta, ſicque removendo quæcunque impedimenta externa, curabimus haud difficulter illud omne, quod per *interceptiones* ac *repulſiones* fruſtra, ſæpè etiam cum periculo tentamus.

XLVI. Quod ſi non tam *quantitate* peccet *Sanguis*, quàm *ex vitiata craſi* ſeu *qualitate* vitioſus exiſtat, adeoque tam ipſe, quàm cæteri inde derivati, corporis œconomiam ſuſtentantes, ſucci cacochymi fiant, corrigi debent vel per *alterantia* vel per *evacuantia*.

XLVII. *Alterantia* ſunt, quæ partes ejus vitioſas

corrigunt, & temperant, deficientes reſtituunt, abundantes, aliarum additione, ad debitam proportionem reducunt, & ita Sanguinis æquabilem fermentationem, omnemque ſuccorum debitam ad ſe invicem proportionem reparant.

XLVIII. Unde dum *vitioſum* aliquod *acidum*, v.g. *ſal acidum* peccat in *Scorbuto* vel *Malo hypochondriaco*, illud alteratur nunc *abſorbendo* per *Martialia*, nunc *corrigendo* & *invertendo* per alcali volatile *Cochleariæ*, *Naſturtii*, *Armoraciæ*, ſimiliumque diligenter uſurpatorum; nunc *temperando* denique per uſum Lactis, acrimoniam omnem, in ſpecie ſalſam diluentis atque edulcorantis.

XLIX. *Primatum* ergo inter *alterantia* obtinent *acida* & *alcalina*, nunc *acriora*, nunc *oleoſis temperata*. Sicut autem non acidum aut urinoſum peccat ſimpliciter in morbis, ſed ex principiorum minutorum coàlitu ſpecificus cuique adjunctus eſt ſapor, ita etiam non ſolùm ad contraria ſimpliciter, ſed & ad ſpecifica & appropriata, ſingulariter ſpeciali cauſæ peccantis vitio oppoſita, ſimul reſpiciendum eſt.

L. *Abſorbentia*, *præcipitantia* vulgò *dicta*, ſunt, quæ in genere fermentantes aut vitiosè efferveſcentes humores ſui miſcelâ compeſcunt, & ut plurimum acidum deſtruendo, motum omnem fermentativum ſupprimunt: atque ita ſimul ipſarum vitioſarum & heterogenearum partium excluſionem imò earundem à reliquis ſeparationem, fæcumque ad fundum receſſionem valdè promovent: ut hæ ſero involutæ vel per urinam, tunc coctam dictam, vel per ſudorem, &c. eliminari queant.

LI. Sic namque *febrifuga*, in ſpecie *fixa* tam *terrea* quam *Salia lixivialia*, *præcipitando febriles paroxyſmos* tollere dicuntur.

LII. *Evacuantia* denique ſunt, quæ id, quod p.n. in San-

Sanguine & reliquis Corporis partibus reperibile & inalterabile, adeoque œconomiæ animali vel in quanto vel in quali inimicum, per convenientia loca & cribra evacuari faciunt.

LIII. *Evacuationes* hæ ſeu *purgationes*, uti fiunt per varia loca, aliàs à naturâ per motus ſuos criticos demonſtrata, ita nunc totius maſſæ Sanguineæ univerſalis, adeoque totius quoque Corporis, nunc certæ cujuſdam partis particulariter purificationi proſpiciunt.

LIV. *Univerſalis* purgatio fit per *vomitum, ſeceſſum, ſudorem, urinam* ac *ſalivationem*: *Particularis* inſtituitur per *Clyſmata, Apoplegmatiſmos, Errhina* ac *Sternutatoria*.

LV. *Vomitus* fit, docente hoc in cane vivo diſſecto *Rudbeccio in Obſ. Anatom. obſerv.*20. *In Meſſe aur. Hemſterhuſ.p.* 332. quando primò pylorus ſe contrahit, inde mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius, ac tandem œſophagi ipſius, materiam effundentis ſequitur.

LVI. Ita ut omnis vomitio contingat per ſpaſmum, ſeu motum convulſivum Stomachi, oriundum ex læſione ſeu irritatione pylori, tanquam in Stomacho Rectoris, factâ à Medicamento aſſumpto.

LVII. Cum hoc Stomachi convulſivo motu in vehementiori conatu ſimul convellitur Pyloro continuum Jejunum, adeoque ſuos contentos liquores ſurſum regurgitare facit: convelluntur ſimul thoracem ſtringentes Muſculi, ex connexione nervorum ſtomachalium cum intercoſtalibus.

LVIII. Unde omnia tam Stomacho, quàm inteſtino Duodeno & Jejuno viciniſque locis, etiam pectori pertinacius inhærentia, per vehementem iſtam contractionem, quaſi per vim expelluntur. Proin *Chronicis* in *Morbis*, inprimis ex Stomachi vitio oriundis,

hinc & Pectoris, tandemque malignis Morbis, è contagio contractis, ſed tantùm in principio, ſuccurrit vomitus.

LIX. *Vomitoria* omnium optima ac tutiſſima ſuggerit *Antimonium*, in formâ tam liquidâ quàm ſiccâ præſcribendum. In *liquidâ* quidem vel ſub forma *ſapæ*, paratæ ex *Infuſione Vitri Antimonii pulveriſati in ſ. q. Muſti recentis, vel Succi Cydoniorum; hinc filtratione & ad conſiſtentiam Roob liquidioris inſpiſſatione*, doſi *gr. x. xv.* &c. vel ſub forma *Syrupi* & *Vini emetici*, e. g. ℞. *Croci metall. l. Mercurii vitæ, vel Vitri Antimonii q. v. (gr. jv. v. ad xij.) infund. in Vino Rhenano, ſtent in loco tepido per noctem, mane probè Liquor filtretur.* Doſis ℥i. ad ℥i ß. aut ℥ii. in robuſtiſſimis. In forma *ſicca*. ℞. *Tartari emet. Mynſ. gr. ij. iij. ad iv. ſacch. albiſſ. q. pl. Miſce*, detur pro doſi matutinâ cum regimine diætæ.

LX. Quod ſi per artem varia recrementoſa per alvum rejiciantur, *purgationis* nomine in ſpecie appellatur, nam & natura ſua ſponte *Diarrhæas*, nunc in ſtatu ſano ex mutato victu vel aëre *præſervatorias*, nunc in ſtatu morboſo *criticas* aut *ſymptomaticas* inſtituere ſolet, non abſque felici eventu, imitetur ergo eam Medicus.

LXI. Cæterùm cùm purgationibus, in ſpecie vehementioribus, omnia ferè in corpore turbari ſoleant, adeoque periculoſa ſubinde ſequantur ſymptomata, ob id exactè conſideret Medicus legitimam purgandi rationem, tam in acutis, quàm chronicis.

LXII. In morbis acutis purgandi methodum optimam præſcribit *Hippocr. ſ. 1. aph.* 21. 22. 23. 24. & 25. in quibus *cocta medicari docet, non cruda, niſi materia turgeat.*

LXIII. Quæ medicationis vox non præcisè ad purgationem reſtringenda eſt, ſed etiam in genere omnem notabilem per ſeceſſum, aut urinam aut ſudores, evacuatio-

cuationem innuit, in quibus omnibus cum ſalutari ægri ſucceſſu inſtituendis neceſſario coctio prius expectanda eſt; alias enim aut nihil evacuatur, utut totum corpus perturbetur, aut citra euphoriam ægri, potius cum nocumento, accidit.

LXIV. Scilicet ſicut novella Cereviſia aut Muſtum turbidum, & heterogeneis fæculentis particulis reſpectu Vini permiſtum, per quæcunque coletur inſtrumenta, eodem modo integrum tranſit abſq; fæculentiarum remanentia aut ſequeſtratione; quod tamen fermentando depuratum ab excrementitiarum aut heterogenearum fæcum ſeparatione & quaſi præcipitatione clarum tranſit per colatoria, & fęculentias omnes poſt ſe relinquit ac ſeponit. Ita quamdiu fæces recrementoſæ maſſæ ſanguineæ per fermentationis motum ſeparatæ, aut alio modo præcipitatæ non fuerint, tamdiu nihil vitioſi ſeparatim excerni, aut per quæcunque cribra ſejungi poteſt, cum invicem & homogenea & heterogenea permiſta ſint.

LXV. Non igitur in omni Morbo purgandum eſſe, dicit *Hippocrates*, ſed per rerum nonnaturalium uſum reſpiciendum, ut in ſtatu iſto proportionata conſerventur. Dum verò ab iis ſecretis & per ſe exiſtentibus nos lædi affirmat, h. e. ab iis intemperatis, & unum alterum præponderantibus, quid aliud faciendum monſtrat, quàm ut potentiam iſtam excedentem corrigamus & imminuamus, vel ſi quæ deficit, additione ſimilis, augeamus, eamque denuo harmonicam & proportionatam reddamus h. e. morboſas eas naturas ac potentiam non abuſivè phlebotomandas aut nocivè purgandas, ſed contemperandas & concoquendas; adeoque per ſapores vel potentias ſpecificè oppoſitas corrigendas eſſe. Conf. Diſcurſus *Beccheri* in *Phyſ. Subterran.* l. 1. §. 5. *cap.* 1. *pag.* 366.

LXVI. Eſt ſcilicet humorum evacuandorum *cru-*

ditas, i. e. particularum heterogenearum ſanguinis, talis ſtatus, quo Sanguini intimè permiſtæ, imperfectè tamen unitæ, naturalem ejus fermentationem turbant, & in effervescentias febriles humores concitant; id quod inprimis fit ab acido vitioſo, intimè talia concentrante, & ſimul heterogenea invicem ſociante.

LXVII. *Coctio* contrà eſt acidi hujus per alcali ſaturatio, & particularum heterogenearum ſeparatio, atque à reliquis particulis per fermentativum motum præcipitatio, ut ita recrementa & heterogenea Salia, ceu effœta, inſtar cujuſdam capitis mortui à ſero tanquam alimenti pariter ac excrementi communi vehiculo, imbibita, per certa Viſcerum cribra & quaſi filtra ſecerni, & hinc per naturæ conſuetas vias evacuari poſſint.

LXVIII. Propterea etiam *criticæ* morborum *judicationes*, ſive per *criſin*, ſive per *metaſtaſin* fiant, non niſi in ſtatu morbi, coctâ jam, ſeparatâ & præcipitatâ omni excrementorum turbâ per certa loca, ceu appropriata cribra & filtra, accidunt, nunquam in principio. Unde non niſi ſimili in ſtatu ad ejus prudentem imitationem, quaſcunque inſtituamus eradicativas, quas vocant, evacuationes.

LXIX. Exinde enim & *Urinarum judicium* deſumendum, quæ *in acutorum principio*, non ſecus ac frequenter in *Chronicis*, ſunt *claræ & pellucidæ, tenues*, plus minus *tinctæ*; quæ præcedente *Morbi incremento* ſunt *turbidæ, craſſæ, &* in *ſtatu* omnino *copioſis ſedimentis*, ceu fæcibus, fundum matulæ petentibus, *ſaturatæ*; unde illæ *priores crudæ*, hæ *poſteriores coctæ* dicuntur.

LXX. Hinc ſicut *Pulſus* manifeſtat ſtatum Sanguinis fermentativum ejuſque motum; ita *Urina* monſtrat ſtatum Sanguinis ex dicta fermentatione reſultantem, ſecundùm puritatem inprimis & impuritatem.

LXXI. In *malignis* verò & *acutis Affectibus* non æquè hoc

hoc obſervari poteſt, quin potentibus & appropriatis ſudoriferis mox in principio inſiſtendum, ut eliminetur in tempore fermentum malignum, ne unà cum ſpiritibus jam inquinatis totus Sanguis tandem ſimul corrumpatur, habita ratione majoris vel minoris efferveſcentiæ in Sanguine.

LXXII. In *chronicis* verò *Morbis* ex Ventriculi errato inprimis ſupervenientibus, *purgatio ſucceſſiva* per *epicraſin* operans, mitioribus remediis *blandis aloeticis* inſtituenda, ferè locum habet, interpoſitis ſubinde *alterantibus* & *ſpecificis*, & præmiſſis debitis *Vomitoriis*.

LXXIII. Quòd ſi verò aliquando fortius purgandum, aut ſi etiam ad præſervationem morborum certo tempore, verno vel autumnali, idem agendum ſit, ad præcavenda ſymptomata graviora, Tormina inprimis & Abdominis pathemata, *præmittenda prius* ſunt *digeſtiva*, ſeu excrementa præparantia, horum nempe acrimoniam, in ſpecie acidam, temperantia & viſciditatem incidentia, ut ita facilior & minus moleſta fiat purgatio.

LXXIV. Hunc in finem conveniunt ſalſa temperata, ut ſunt *Tartarus vitriolatus*, *Sal armoniacum*, *Sal digeſtivum hypochondriacum*, *Sal Abſinthii*, &c. quibus ſubinde aut *Lapilli cancrorum*, aut *Corallia præparata*, aut ſimile quid, ad infringendum magis acidum addendum eſt: ſicut ad hoc ipſum dulcificandum in Hypochondriacis & Quartanariis *martialia* & *ſaturnina* ſpecialius conducunt.

LXXV. Locus expurgationis ſunt Inteſtina, in quibus cùm non præexiſtant ea, quæ excernuntur (vix enim capiendis ſufficerent eis, quæ interdum una purgatione validiore prodeunt) eo feruntur ex maſſa ſanguineà per ductum cholidochum & pancreaticum, quibus natura tunc temporis quaſi abutitur; unde & quę excernuntur, frequentiſſimè flavedine tincta conſpiciuntur.

LXXVI. Probabilis tamen admodum *Pechlini* videtur ſententia *Tr. de Purg.* c. 36. non his ſolùm viis eructari excernenda in Inteſtina, *ſed ſimul etiam per parvos tubulos, intimæ inteſtinorum membranæ affixos, glandulaſque miliares poſt intimam inteſtinorum membranam ſitas, in dictos tubulos ſe exonerantes*, recrementa varia ex ſangine ſecreta in Inteſtina deponi.

LXXVII. Non autem ſtrictè ad Inteſtina determinata eſt purgantium operatio: nam dum ſanguinis circulo per corpus rapitur vis medicamentoſa purgantis, hoc ipſo pro adjunctâ ſibi facultate ſimul, vel nonnihil *diaphoreticâ*, vel *diureticâ*, &c. ut & pro certa ſordium expurgandarum à medicamento facta colliquatione & alteratione, ac ipſorum Viſcerum conſtitutione variâ, nunc per urinam nunc per ſudores, nunc per ſalivationem, ſequitur cathartici operatio; unde & acriora purgantia in Viris venerem ſtimulant, in Mulieribus menſes prolitant.

LXXVIII. Equidem optandum eſſet, ut darentur vera *Purgantia*, h. e. quæ ſordes ſolùm excrementitias, aut heterogenea quæcunque præternaturalia, è corpore eliminarent, citra utilium nutritivorumque ſuccorum corruptionem ſimultaneam, & depravationem. Verùm, quæ vulgo *purgantium* nomine veniunt, non ſunt alia, ſed ſub blandiente nomine virulentiam nocivam, plus minus validam, gerunt abſconditam; unde. (1) Sanos ac ægros utplurimum æqualiter vexant, & (2) tot ſordes ſtercorum formâ ad 30. 40. imo 70. ſedes, evacuant, quas, citra præſens vitæ periculum in corpore ſubſiſtere, impoſſibile eſſet. (3) Ægri qui ex legitima purgatione deberent ſecundum Hippocratem levari, inſigniter ſæpius debilitantur; (4) Morbis nihilominus ſub antiqua contumacia perſiſtentibus, cùm nullis purgantibus ſimpliciter curari queant. Tetra quæ (5) inferunt ſymptomata, Tor-

mina

mina abdominis ſpaſmodica, ſubindein manifeſtas convulſiones terminantia; ac (6) pernitioſa Hypercatharſis, non obſcurè malignitatis nocivæ & virulentiæ ea arguunt; unde & (7) additis correctivis tam ſtudiosè corrigenda ſunt.

LXXIX. Sanè diversâ virulentiâ & fermentativâ colliquatione promiſcuè tam recrementoſos quàm alimentitios corporis ſuccos reſolvunt & colliquant, & quas non inveniebant ſordes, corrumpendo nempe ſuccos, efficiunt, niſi eorum virulentiam robuſtior paulo Stomachus, ratione ſucci fermentativi acidi, plus minus correxerit.

LXXX. Simili ſc. ratione atque *Mercurius*, vel inunctus vel aſſumptus, etiam ſaniſſimos, non ſecus ac Lue venereâ infectos, vexat, reſolvendo nutrimentum corporis chyloſum ſeu ſpermaticum, & colliquefaciendo hoc ipſum, in formam muci ſalivalis (cum quo tamen & ſordes quæcunque, v. g. in *Scabie*, in ſpecie *venereo contagio* alteratæ, unà evacuantur) copioſiſſimi tranſmutat; ita & *purgantia* ſimili ratione in ſordes tranſmutant ſtercoreas, quicquid ipſis obtigerit.

LXXXI. Utut enim variis modis corpori applicari ſoleant *purgantia*, externè pariter & internè (nàm odore tenus hauſta ſimili ratione ac venis infuſa purgant) tamen duplici modo inprimis operantur, vel *irritando, & acrimonia ſua pertinaciter vellicando inteſtina.* Unde non tantum horum ſpaſmi & violentæ contractiones Inteſtinorum; indeque propulſiones excrementorum ſequuntur, vel ſimul etiam hiantia in ea orificia pororum, Colidochi & Pancreatici, item glandularum miliarium, ſimul vibrata, & irritata & vellicata, eructant uberius ſua contenta. Nam hac ratione *reſinas* cautè propinandas ſuadent *Practici*, ne adhærendo viſciditate aliquali Inteſtinis *Hypercatharſin* inferant, continuis acribus punctionibus.

LXXXII. Vel ſecunda ratione operantur, ſanguinem & ipſi inhærentes partes aut inde derivatos ſuccos certo modo fundendo & fermentando, ac ſimul colliquefactione in corruptelam reſolvendo; unde ſordes tam variæ, etiam non præexiſtentes, poſt purgans aſſumptum in corpore generantur, & excernuntur.

LXXXIII. Sub hoc tamen motu, quiquid heterogeneum eſt in Sanguine, & à vitalitate proſcriptum, facilius alteratur, & conſequenter ejicitur, quàm quod magis vitale ac utile erit.

LXXXIV. Nam hac ratione ſub parva miaſmatis fermentativi mole, odoribus per nares hauſtâ, purgantia æquè operantur, non ſecus ac quorum reſinoſæ eſſentiæ venis infuſæ, immediatè ſanguini permiſtæ fuerint.

LXXXV. Omnia ſc. *Purgantia acrimoniam habent volatilem* inſignem, utut faucibus non ſemper æquè perceptibilem, *quæ in Vegetabilibus fundata videtur in ſale volatili oleoſo urinoſo acri*, unde ratione adjuncti olei ferè omnia exactè amaricant, indeque viſciditatem inſignem adjunctam habent propriè dicta *laxativa*; in *Mineralibus* verò vis laxativa in *textura ſulphurea vitriolica*, aut *Sulphure acri volatili* quaſi *arſenicali*, radicata eſt.

LXXXVI. Hinc enim omnia acida deſtruunt Vegetabilia purgantia varia omnino, item ſalia fixa, v. g. *Sal tartari* corrigit *Purgantia*, quatenus emendat eorum oleum, & inde natam viſciditatem, colliquefaciendo texturam reſinoſam Purgantis, tollit: ſicuti etiam fermentatio purgantium eadem mitigat, ferociamque nonnihil domat. In Mineralibus verò *ea, quæ figunt Sulphur volatile*, quæ inter eminet Nitrum, tollit eorum v. g. purgantem *Antimonii* malignitatem, eamque ſaluberrimè diaphoreticam reddit.

LXXXVII. Confirmatur Purgantium operandi ratio

ratio per ea, quæ *Hypercatharſin ſiſtunt*, *qualia ſunt non præciſè adſtringentia*, ſed inprimis *diaphoretica fixa & opiata : illa* corrigendo fermentationem vitioſam inductam, & ſudorum forma ejiciendo tam fermentum purgans, quàm alteratas ab eo partes; quod faciunt v. g. *Antimonium diaphoreticum*, Spiritus theriacalis camphoratus, C.C. ſine igne ppt. Terra ſigillata, &c. *Hæc* verò, *opiata* ſcilicet, ſenſum irritationis in Inteſtinis aliiſque locis tollunt, & Spirituum animalium impetum, prætereaque quaſcunque humorum motiones ſiſtunt, unde pacata ſemper quies.

LXXXIIX. Promiſcuè ergo agunt *Purgantia* in corporis noſtri partes liquidas, tam utiles quàm vitioſas; & exinde ruit ſponte ſua diviſio *purgantium in Cholagoga, Phlegmagoga, Hydragoga, & Melanagoga*, cùm unum alterumve purgans loco omnium ſufficiat; utut pro circumſtantiarum variarum ratione nunc hoc nunc iſtud, nunc debilius nunc fortius purgans eligendum ſit, experientia inprimis magiſtrâ.

LXXXIX. Pro morborum quoq; varietate ſolet interdum aliqualis ſelectus Purgantium inſtitui, quatenus ſub virulentiâ laxativâ in quibuſdam vis ſpecifica cauſæ morboſæ alterativa eſt recondita, qua ratione *Helleborus niger* præter virulentiam laxativam, etiam ſpecialem habet vim contra *Affectus melancholicos*, *Rhabarbarum* ad *Affectus renales*, *Mercur. dulcis* contra *Virus Gallicum*, &c.

XC. Prout autem plus minus erunt efficacia ſeu virulenta, etiam magis vel minus ſanguinem, & mediante eo forſan etiam Corporis continentes ac ſolidas partes afficient: Unde *triplex corporis regio* à Veteribus in purgationis negotio aſſerta, poſtquam cum Sanguinis circulo non benè conveniat, ſaltem quaod majorem vel minorem purgantium efficaciam intelligenda venit.

XCI. Scilicet res ita ſe habere videtur; ſi variæ fæculentiæ in Inteſtinis ſtabularent, aut uberior Bilis vel ſucci Pancreatici adſit proventus: hæc commodè lenioribus Purgantibus citra corporis commotionem exturbari & quaſi abſtergi poſſunt.

XCII. Quid ſi craſeos Sanguinis læſio ex heterogenearum particularum miſcelâ, harum evacuationem poſtulet, modò aptæ redditæ ſint, ut eliminari queant, idque mediante coctione ſeu ſeparatione & præcipitatione, tum eo ducendæ vel pellendæ erunt, quo natura, i.e. Sanguis & Spiritus, atque corporis ratio & conſuetudo, ac ſordium ipſarum conditio poſtulant.

XCIII. Quòd ſi purgare velimus, turbanda quidem erit nonnihil maſſa ſanguinea per medicamentum, ſed non nimium perturbanda, ut ſaltem id quod magis nocivum eſt, citra ſucci nutritivi inſigniorem corruptelam detrahatur; ſicque aliquot ſolùm ſedes, non verò quæ per decades numerari queant, procurentur.

XCIV. Aliàs propria Sanguinis & totius Corporis ſyſtematis purgamenta *ſunt Urina & Sudor;* per ſeceſſum quæ fiunt evacuationes, ſaltem Stomacho & Inteſtinis evacuandis, & ex digeſtione prima neceſſariis fæcibus emittendis à natura propriè dicatæ ſunt.

XCV. *Sudor* profectò unicus, isque moderatus, magis purificat & totam maſſam ſanguineam, & univerſum Corporis habitum, quàm decem fortè purgationes. Aſt in *chronicorum* curatione, quæ per Urinam fit evacuatio, utplurimum convenientiſſima eſſe ſolet.

XCVI. Cui ergo moderatum, ſed ſufficiens Purgans ſub *pulveris formâ* placet præſcribere Adulto, ſequens exempli loco eſſe poterit. ℞. *Crem. tartari* ℈j. *pulvis. Jalapp. gr. xxii. ad xxv. Olei deſtill. Aniſi. gtt. ii.* M. pro pulvere, D. pro doſi. Quod ſi pilulæ præſcribendæ ſint: ℞. *Extr. panchym. Croll. C. gr. xv. Gum. ammoniaci in*

Aceto

Aceto Sol. ℈ß. *Scamm. ſulphurat. Extr. troch. alhand. aa. gr. j.* C. ſ. q. Elix. propr. vel Tinct. Tart. f. Pilulæ, d. pro doſi. Quando gratæ Potiunculæ aut Emulſionis forma magis arridet; ℞. *Reſin. Scammon. vel Jalapp.* ℈ß. *Sach. alb* ʒiij. *Miſce exactè, affundendo ſenſim Succi Citri, vel Limonum* ℥j. & *Aqu. Cinnam.* ʒj. detur pro doſi exhaurienda potiuncula mane. Vel ℞. *Reſin. ſive Magiſt. Jalappæ gr. viij. ad decem, tere probè cum Seminibus Melonum, aut Perſicorum, aut cum Nucleis Amygd. dulc. hinc cum Aquâ aliquâ appropriatâ admiſtâ fiat l. art. Emulſio, edulcoranda cum ſ. q. Rotularum manus Chriſt. ſimpl.* & detur pro doſi, mane jejuno Stomacho cum regimine diætæ potanda. Aliàs Reſinæ optimè Vitelli ovi pauxillo ſolvi, ac additâ aquâ appropriatâ in Emulſionem redigi poſſunt.

XCVII. Aſſumenda autem ſunt Purgantia jejuno Stomacho, ne cum cibo, aut paulo ante, vel etiam poſt eum propinata, Chylum corrumpant & inficiant, huncque ita ſcoriarum formâ eliminent. Sequatur lenis motus pro faciliori diſtributione & operatione, ſed non nimius, ne ſudorem ciendo excluſa purgationum miaſmata citra effectum tranſeant.

XCIIX. *Naturaliſſima* poſt eam, quæ per alvum fit *evacuatio*, eſt per *Urinam*, quâ latex totius corporis aquoſus ſuperfluus, qui antea pro vehiculo alimenti inſerviebat, nunc ceu vehiculum excrementi rejicitur, & Lixivii ſalſi volatilis formâ ſordet, Salinas præternaturales ex Maſſa ſanguinea, aliaque huic permiſta recrementa, v.g. *Pus pleuriticorum*, vel etiam ſuppuratorum Pulmonum evacuat; aut ex *Abſceſſibus* vel *Ulceribus* artuum purulentam materiam; ſimulque ex primis viis Salia vitioſa ſub Urina potûs excernit.

XCIX. Utut autem variis ſuccurrat Affectibus *Diureſis*, eaque optima & blandiſſima ſit purificandi Corporis contenta ratio, tamen ſpecialius in chronicis, ſeu, ut

alias

aliàs vocantur, tartareis morbis, conducit, v.g. in *Malo hypochondriaco, Scorbuto*, cognatiſque Affectibus, item *Ictero nigro* aut *flavo*, *Arthritide*, *Hydrope aſcite* & *Anaſarca*.

C. Nam *&* *Acidulæ chronicorum & contumacium Affectuum debellatores*, præter ſubſtantiam mineræ Martis, quâ acidos & vitioſos ſapores in primis viis deſtruunt, ſpecialiter diureticâ virtute, qua potenter pollent, ſunt ſalutares.

CI. Exerunt autem virtutem ſuam *diuretica* in ſpecie vi Salinâ, eaque Salsâ, quâ ad nitri naturam accedunt: *nam & Bufones ac Lumbrici ex Regno animali potiſſima diuretica*, à ſalſedine ad nitroſam naturam inclinant, & diuretica vegetabilia legitimè calcinata Sal diureticum ſalſum relinquunt, & mineralium aciditates diureticæ in primis viis in ſalſum ſaporem correctæ, vim diureticam exerunt.

CII. Equidem non levis eſt *varietas inter diuretica*, quas inprimis recenſet *Helmont. Tr. de Lithiaſ. cap. 5. §. 17.* Primatum tamen obtinent *ex animali Regno Lumbrici per putrefactionem præparati; ex vegetabili verò terebinthinata & juniperina, in ſpecie malvaticum juniperinum; ex minerali* tandem *nitroſa; quo pertinet inprimis ſpiritus urinoſus, Clyſſus dictus, volatilis, ex tartaro & nitro per retortam tubulatam deſtillatus.*

CIII. Cùm autem continuò & copioſè tranſpiret corpus, & ex pectore exhalet inſenſibiliter, nil mirum eſt, ſi tanta ſit ejus neceſſitas, ut ex impedita eadem oriantur Morbi, & ex eadem auctâ iidem curentur; id quod Sudorem vocant.

CIV. *Fit ſudor* quando ſanguis ex quacunque cauſa, v. g. à calore ambientis intenſo reſolutus & quaſi liquefactus, crebrius per cor tranſit, & rapidiori circulo per totum corpus pellitur; unde ſucceſſivè magis magiſque, in præcordiis rareſcit & ab aere attenuatus incaleſcit,

leſcit, magiſque effervеſcit; & ſic *pulſus magnus*, *celer & frequens*, alias *undoſus dictus*, ſupervenit.

CV. *Attenuatur ſimul aquoſus ejus latex*, ſanguinem naturaliter diluens, & ita facilius & copioſius diſſolvit & imbibit Salia, fermentativo motu ex ſanguine ſeparata, una cum aliis præternaturalibus recrementoſis particulis.

CVI. Dum itaque Salinus magis cum Sanguine circulatur per partes ſolidas, ſalſo iſto lixiviali ſapore mundificat, eas abſtergendo ab omnibus ſordibus, ſub nutritione privatâ prẹternaturali interdum coacervatis.

CVII. Interea, quidquid ſub circulari Sanguinis, ejuſque ſeroſi laticis, motu defertur ſimul in vaſa capillaria, unâ cum fibris nerveis & intertextis glandulis, miliaribus à Modernis dictis, cutim conſtituentibus, penetrat in dictas glandulas, tunc propter fibrarum nervearum relaxationem ex calore ambientis patentiores & ſpongioſiores redditas, donec ita ſucceſſivè guttularum, licèt minutiſſimarum, formâ tandem planè extra corpus ejiciatur. De *Glandul. miliaribus Steno & Malpighius* videantur.

CIIX. Nam propter ambientis calorem, indeque reſolutas fibras nerveas, & ita patentiores redditos meatus ac poros, tam vaſorum capillarium, quàm glandularum iſtarum, ſuccedit inprimis *Sudor*, qui alias occluſis poris haud efflueret, ſed potius loco ejus per Urinam fieret ſecretio & evacuatio.

CIX. Adeo ut ex dictis univerſale ſanguinis purificativum & partium ſolidarum, inprimis mollium, abſterſivum, & cutis corporiſque peripheriæ mundificativum ſit, Sudor.

CX. Præterea omnes Sanguinis grumeſcentiæ aliæque coagulationes, omnes humorum ſtagnationes tolluntur, & quicquid exotici fermenti Sanguini permiſtum fuerit, hujus beneficio evacuatur.

CXI. Sed quoad *legitimam ſudoris adminiſtrandi rationem*, imitanda provida natura, non niſi in fine v.g. Paroxyſmorum Febrilium intermittentium, aut in fine ſtatûs in Continuis, ubi quodammodo jam deferbuerit Maſſa ſanguinea, Sudores pellendi ſunt, niſi malignitas aliud ſuadeat.

CXII. *Sudorifera* ergo remedia *interna* erunt, quæ præter ambientem calorem, ſanguinem reſolventem, aut præter validum motum, eundem in rapidiorem circulum cogentem, humores reſolvere, attenuare & liquefacere magis poterunt.

CXIII. Cùm verò conſiſtentia Sanguinis effectivè ab acido ejus occulto dependeat, ob id *ſudorifera* erunt vel *alcalia*, inprimis *volatilia*, hinc & *fixa* poſitivè ſudorem prolicientia, vel *terrea* acidum abſorbentia, & ita privativè ad Sudorem diſponentia.

CXIV. Si ergo præſcribendum ſit ſudoriferum in formâ liquidâ, ſufficienter Sudor movebitur ſequenti formula: ℞. *Aqu. Card. bened.* ℥jß. *Spiritus Sal. ammoniac. ci* ʒß. *Ol. deſtillat. Caryophyl. gt. j. l. ii. Syr. Fœnic. l. cortic. Aurant.* ℥ß. M. d. pro doſi. Vel ſi pulveris forma magis placeat. ℞. *Magiſt. Antimon. C. C. ſ. Igne par. Salis Card. bened. aa. gr. xij: M. F. pulvis*, hauriatur jejuno Stomacho in vehiculo calido.

CXV. Præter dictas evacuandi rationes, etiam per copioſi Sputi ſalivalis rejectionem evacuatur cauſa morbifica ſub variâ Mercurii uſurpatione, qui vel apparenter mortificatus in *Mercurio dulci*, aut *Mercurio præcipitato* quocunque, intus repetitis vicibus aſſumpto, poſt aliquot vomitus aut ſeceſſus ſalivæ copioſæ viſcidæ & fœtidæ effluxum cauſatur.

CXVI. Vel idem *vivus* adhuc *Mercurius* extrinſecus admovetur corpori, nunc in *Unguentis* ex eodem, cum duplo vel triplo pinguedinis porcinæ in mortario lapideo probè permiſto, paratis; vel articulationibus ma-

majoribus Manuum & Pedum, vel ipſi Spinæ dorſi illitis, nunc in ſuffitibus ex *Cinnabari vulg.* cum *Benzoe, Styrace* & ſimilibus, in *Trochiſcorum* formâ carbonibus ignitis injiciendis paratis, præmiſſo ſemper aliquot dierum *Balneo Aquæ dulcis tepido*, pro meliori ſuccorum evacuandorum reſolutione & liquefactione.

CXVIII. Caſus, ut multa aliàs, ita & hic remedium ſubminiſtravit, dum *Ulceribus cacoëthis* & *malignis*, in ſpecie *Venereis*, applicata cum *Emplaſtris* & *Unguentis Mercurialia*, copioſam ſalivationem, & hac mediante Affectûs curationem procurârunt.

CXIX. Unde primitus quidem ſoli *Lui venereæ* dicatus fuit hic Ptyaliſmus. Cùm verò huic juncti & alii Affectus ſimul levarentur, etiam ad plures chronicos & contumaciores Morbos, quorum cauſa morbifica in acido vitioſo, inprimis in materia viſcidiore, videbatur abſcondita, idem fuit uſurpatus, ſpecialiter ad *Scabies ferinas*, ad *Arthritides* graviores, ad *Epilepſias* Adultorum confirmatas, &c.

CXX. Equidem promiſcuè ſub liquaminis ſalivalis formâ evacuat Mercurius, ut *ſupra* §. 85. monitum, ſimul tamen hoc ipſo vitium peccans corrigitur & tollitur. Scil. *amalgama hoc liquidum*, ut probabile eſſe aſſeritur à Becchero in *Phyſ. ſubterranea*, *habet ſecum Sulphur volatile & ſubtile*, *acerrimum tamen in ſuo receſſu*, ſicut ſufficienter demonſtrat *Tackenius in Hipp. Chymico.*

CXXI. Ratione hujus partibus ſolidis nerveis in ſpecie infeſtus eſt Mercurius, reſolvitque horum nutrimentum proximum chyloſum in liquamen aqueum ſubviſcidum, quod frequentiſſimè per cribra Glandularum, inprimis maxillarium, tam ſuperiorum quàm inferiorum, ac Tonſillarum, quarum meatus optimè valent tranſmittere talem ſuccum, tranſcolatur in Os; rariùs verò per Glandulas pancreaticas eructatur in In-

teſtina, quo caſu per *Diarrhœam torminoſam*, interdum nonnihil *cruentam*, loco ſalivationis, evacuat.

CXXII. *Cautus tamen meritò apud nos hujus mercurialis ſalivationis eſt uſus*, non tantùm quòd ſpiſſiores ſint minuſque fluxiles & tenues ſucci, œconomiam noſtri corporis gubernantes, quàm Gallorum aut Italorum exiſtunt. Sed in ſpecie propter *Scorbutum* in oris ſeptentrionalibus nimis familiarem, qui per uſum *Mercurii* magis exaſperatur. Et ſpeciatim ſymptomata Linguæ & Oris exulcerationes atq; vacillationes Dentium, Gingivarum putredines, &c. vel ſolo incauto Mercurii uſu ſupervenientia, ſunt crudeliora.

CXXIII. Et hæ fuere univerſales corporis Evacuationes. Sunt etiam quæ *particulariter ſalivalem lympham evacuant* ex Glandulis hujus excretioni deſtinatis, uti & ex Tonſillis & Membranâ pituitariâ poſteriore, ac conſequenter ex ipſis locis vicinis, tandem & ſucceſſivè ex ipſo Capite, à quo *Apophlegmatizantia* dicta ſeu *Maſticatoria*, quorum hinc decoctum gargariſando feliciter uſurpari poteſt, horum tamen evacuata materia tandem non niſi ex ſanguine derivanda.

CXXIV. Conveniunt autem inprimis in *catarrhalibus* capitis *Affectibus*, à Lymphæ vitio oriundis, dum *acrimoniâ* ſuâ *volatili*, velut *radix Pyrethri*, aut *Zingiber* aut *Zedoaria*, aut *Nicotiana*, aut *Sinapi ſemen*, vellicant, mordent & pungunt membranas Oris, ac orificia vaſculorum excretoriorum, ſimulque ulterius per ea penetrando reſolvunt, quos ibidem inveniunt viſcidos ſuccos; unde ex iis uberrima deſtillat Saliva in Os.

CXXV. Eadem omnino eſt ratio, quando *Nicotiana*, aut *radix Hellebori nigri*, aut *Pulvis radicis & florum Liliorum convallium*, vel *Majoranæ folior.* &c. vellicant Membranam pituitariam anteriorem prope Os vomeris vicinaque loca. Ex his enim etiam ſpiſſior paulo Lympha uberius ſic elicitur, ſive *ſine ſternutatione*

tatione hoc faciant Errhina, ſive cum ſternutatione idem præſtent *Ptarmica.*

CXXVI. Equidem utraque Naſo ſaltem, non verò Oculo emungendo, & *Coryzæ* ſuccurrendo, atq; lympha̅ copioſam aut vitioſam eliminando, principaliter conducunt. Sed cùm *ſternutatio* non *niſi* à *Diaphragmatis ac reliquorum Thoracis muſculorum convulſivâ contractione exſpiratoriâ fiat*, ob irritationem ſenſibiliſſimæ Narium membranæ, ex connexione nervorum diaphragmatici & intercoſtalis cum dictæ membranæ nervo ſenſorio; ob id & ad exercitandos Apoplecticos, Lethargicos, &c. non inutilis eſt ſternutatio.

CXXVII. Quin & cùm impetuosè admodum tunc elidatur Spiritus hincque Abdominis muſculi violenter ſe ſtringant, ob id & ea, quæ firmius aut Naribus, aut Faucibus, atque aſperæ Arteriæ impacta ſunt, ſimul ejici facit, & ad Fœtus ac Secundinarum excluſionem promptiorem non parum confert.

CXXVIII. Quæ denique particulares corporis cavitates vel naturales, *Inteſtina*, *Uterum*, *Veſicam*, &c. vel præternaturales *ſinus* & *fiſtulas*, eluunt & expurgant, arte prius injecta, *Clyſmatum* generali nomine veniunt, quorum frequentiſſimus eſt ad alvum eluendam uſus.

CXXIX. *Inteſtinalium Clyſmatum*, utut ſubſtantia eorum materialis ultra Coli valvulam naturaliter adſcendere nequeat, latè tamen diffuſa eſt utilitas, adeo ut tantùm non omnibus Abdominis & Inteſtinorum pathematis, hinc & vicinis locis, Renibus, Utero, &c. tam in Adultis, quàm etiam frequenter in Infantibus conducat.

CXXX. Altius tamen in corpus penetrant ſubtiliora & volatiliora eorum miaſmata, unde non tantùm ex Vino Aromatibus imbuto ebrioſum Delirium obſervavit *Rhodius Obſ.* 38. c. 1. Sed & *à* ℥j. *Opii cum Clyſmate*

injecti Abortum excitatum eſſe notavit *Salmuth Cap. 3. Obſ.* 97. Per *Clyſma* tamen *è Vino Malvatico* curatus fuit alius. Clyſteres autem, quibus *Aqua benedicta* pro fortiore ſtimulo additur, interdum vomitus movent. In Clyſmatibus tandem vim nutritivam eſſe, nondum perſuaſiſumus.

CXXXI. Euporiſton ergo Clyſma foret, v.g. ℞. *Flor. Chamomill. Samb. aa. m. j. Bacc. Junip.* ℥ß. *Sem. 4. carmin. an* ʒi. *coq. in ſ. q. Aquæ ſimpl. Colat.* ℥ix. *add. Elect. bened. lax.* ℥i. *Vitelli ovi num. j. M. pro clyſmate.* *Utut* pro particularium Affectuum ratione delectus ſubinde habendus ſit, ſicut in *Dolore Inteſtinorum ſcorbutico ex lacte Clyſmata, in Dyſenteriis ex Cancrorum jure parata, &c.* commendari ſolent.

CXXXII. Quod ſi *Symptomata graviora* peculiarem ſui urgeant medelam, quæ etiam per unicuique appropriata remedia optimè perficitur, tamen omnibus iis in genere commodè ſuccurrit *Opium;* quod ſicuti quoſcunque ſpirituum motus, & humorum vitioſas effervescentias, atque præternaturales excretiones ſiſtit, ita & inde oriundis quandoque Symptomatibus periculoſioribus cum ſucceſſu renititur.

CXXXIII. Mirandus hic *Opii* & ſimilium narcoticorum eſt effectus, qui tamen ex eo, quod ſpirituum motum impetumque ſufflaminet plus minus, eorum volatilitatem & ſubtilitatem, indeque facillimam expanſionem ac mobilitatem figendo quaſi aut condenſando, explicari poteſt; unde conſequenter tam continentium quàm contentorum reliquæ motiones omnes naturales & præternaturales ceſſant.

CXXXIV. Hæc figendi potentia Opiatorum conſiſtere videtur in *principio eorum ſulphureo, Sali volatili acri juncto*, adeoque ſecundùm communia aſſerta potius in calore, quàm frigore; cùm & alia narcoticá vi prædita, ut *Spir. vini, Carbones incenſi, Gas* liquorum effer-

effervеſcentium (quod eſt de natura quodammodo ſulphureo volatili) ex dicto principio ſulphureo efficaciam ſuam mutuentur. Unde & *Sulphura mineralia fixa* vi anodynâ, Archæi ſedativâ, inſigniter excellere dicuntur.

CXXXV. Sed cùm benedicta in *Opio* ſit medicina, ut rectè adhibeatur, tria ſunt conſideranda: (1) ut ritè correctum, vel per digeſtionem cum alcalibus, vel per fermentationem, (quæ præfertur à nobis utpote minori tempore & felicius procedens) citra caſtrationem per acida, uſurpetur. (2) Ut conſtantibus adhuc nonnihil viribus legitimo tempore adhibeatur, in *Acutorum* nempe ſolùm *incremento*, quò ſymptomatum atrocitas mitigetur maturè; non in *ſtatu*, ne critici motus impediantur: in *Chronicorum* verò *paroxyſmis*, ſaltem nimis exacerbatis, pro tollenda eorum ferociâ. Et denique (3.) nunquam ſolum, ſed debitis ſociatum ſpecificis, Affectuique ſimul appropriatis remediis, eſt in uſum adhibendum, ne ſolo Opio palliando tantùm morbos, horum vel recidiva, vel contumacia nimia, inducatur.

CXXXVI. Hactenus ea, quæ ex remediorum genere, materiali ſui contactu & miſcelâ operari ſolent, adeoque magis cognita ſunt. Sed parvi hæc facit *Helmont.* qui ſolùm idealiter, & per radii quaſi diffuſionem, citra materialem contactum, ſpiritum inſitum illuminando, ſpecialiter in Stomacho operantia remedia, ſeu inſigniora & magis potentia urget, eaque ex Metallis ſub formâ Sulphurum fixorum, in ſpecie ex *Vitriolo veneris*, præparanda jubet ac poſtulat.

CXXXVII. Sed idealis hæcce ejus hypotheſis, ſolâ imaginatione conſtans humanâ, atq; in ſubjectis non rationalibus planè inconceptibilis, atque ideis Archæi ſeu Spiritus inſiti ſuperſtructa, partim ſubtilitate ſuâ nimiâ, partim ex §.29. adductis & probatis, planè evaneſcit.

CXXXVIII. Huc tamen revocari poſſunt quodammodo curæ Morborum ſympatheticæ, ſeu magneticæ & tranſplantatoriæ: illæ quidem, dum citra remedii cum parte laborante contactum, in diſtans fit cura, quaſi per certum conſenſum cum Parte affectâ; hæ verò quando ægritudines transferuntur vel in animale, vel in vegetabile Subjectum, ut exinde ſanetur corpus humanum.

CXXXIX. Sic ſympatheticè Naſus corrumpebatur Bruxellis in Nobili, ob mortem Bajuli Bononienſis. Pulvis *Vitrioli vener. in ſole calcinati* curat Hæmorrhagias, Vulnera & Ulcera cruenta in diſtans, modò ſanguinem ex parte læſa oriundum contingat; vocatur ob id *Pulvis ſympatheticus*. Et *Perſicaria* per aquam frigidam tracta, Contuſionibus gravioribus vel Ulceribus impoſita, donec nonnihil intepuit, & inde, ut putreſcat citius, in loco commodo ſepulta, dictos defectus curat. Gladio, quo vulnus fuit inflictum, ſive cruento ſive non cruento, applicatum *Unguentum*, quod vocant *magneticum* ſeu *armarium*, curatur Vulnus. Lac in prunas emulctum, ut Vaccæ Ubera inflammat, ita Mulieris ubera ſterileſcere facit; vel dum contactu Lardi aut Pomi per medium diſſecti curantur *Verrucæ*, mediante dictorum putrefactione. Eadem ratio eſt cum *Clavis pedum*.

CXL. Sic quando in Phthiſi, ſimilibuſque Affectibus recipitur *Raphanus* recens, excavatur, inque illum Urina immittitur, adaptato ei operculo ſuo, hinc ſub ſtillicidio in terram collocatur, diſparente Urinâ ceſſat Affectus.

CXLI. Tranſplantatoriè v. g. curatur *Panaritium* intruſione digiti in Felis aurem, *River. C.4. Obſ.19. & 63.* Aut dum placentulæ, ex urinâ Icterici cum farina factæ, à cane eſitatæ, Icterum tollunt. Vel dum *Podagra* tollitur cum Sanguine & Urina Ægri in Salices te-

nellos

nellas, vel Arboris radicem, tranſplantatis: vid. *Timæum à Guld.* l. 5. *Epiſt.* 8.

CXLI. In omnibus his Curis mediatè certa *portio Spiritus vitalis* ex corpore Ægri deciſa cum igne, ſive cum Urina, ſeu cum Sudore, ſeu cum inſenſibili Tranſpiratione, ſeparatur à toto, & in aliud ſubjectum transfertur. Hæc enim omnia aliquid de *Spiritu vitali*, demunt, ineſtque iis participatio quædam totius extra concretum naturale, ut loquitur *Helmontius*.

CXLII. Unde prout hic alteratur diverſimodè, ſequitur ſimilis in corpore toto alteratio, plus minùs tamen, prout vel citiùs, vel tardiùs ad omnimodam ſui diſſolutionem, ac interitum vel evaneſcentiam diſponitur, & ita vel breviùs vel diutiùs cum toto conſenſum ſuſtinet.

CXLIII. *Mumiæ ſpiritualis* nomine venire ſolet his in caſibus dicta Spiritûs vitalis portio, quæ à toto ſeparata fundamentum dictarum curationum conſtituit. Utut enim propriè ſpiritui inſito tribui ſoleat hæc differentia, ratione cujus eſt etiam differentia inter corpora violenta & naturali morte obeuntia; hoc tamen in caſu promiſcuè ſumi ſolent.

CXLIV. *Mumia* hæc, ſi ſub forma effluvii ſubtilioris ex habitu corporis extrahi debeat, id mediante corpore tertio, *Magnete* dicto, fieri ſolet, ſive ex Stercore humano cum *Tenzelio* hunc magnetem parare, in ejus *Medicina diaſtatica*; ſive cum aliis ex Stercore & Sanguine Hominis ſani, aut ex Carne Hominis violenter interempti, deſumere velimus.

CLXV. Pertinent huc *Philtra vera*, ad certam perſonam determinata, quorum vis in tali mumiali conſermentatione conſiſtit, ut ad certum objectum trahatur dilectio, ut rectè loquitur *Helmont. Tr. Magnet. Vuln. Cur.* §. 27. & 28. h. e. in unione certâ & arctâ Spiritus vitalis mumialis unius ſubjecti cum altero, ut ita hu-

jus Spiritus tranſmutetur, & omnino ſubigatur ab iſtâ mumiâ; unde ſequatur propenſio naturalis,& quaſi raptus in illam perſonam. Sed hæc pro excitandâ ſaltem curioſitate in his abſtruſioribus ſufficiant.

CXLVI. In omnibus Curationibus non rarò plus Arte medicâ valet gravius Malum; unde ſæpius neceſſe eſt, ut maturè artificiosâ conjecturâ cognoſcat Medicus, an & quomodo curabilis ſit Affectus? adeoque & eventum morbi, & tempus atque modum illius artificiosâ Prognoſi eruat.

CXLVII. Neminem autem prognoſtico relinquat, quia nunquam omnia adeo manifeſta eſſe poſſunt circa Ægros, ob ſpecialem uniuscujuſque Individui idioſyncraſiam; quin interdum hujus ratione miracula in Medicina fieri videantur,& ii,qui conclamati putantur, præter ſpem convaleſcant, quemadmodum hoc Practici omnes experientiâ non unâ ſatis ſuperque teſtari poſſunt.

CXLVIII. Sed enim Fundamentum legitimæ *Prognoſeos* cujuſcunque eſt circumſpecta conſideratio roboris naturæ & violentiæ morbi, ac utriuſque collatio mutua. Horum quod prævaliturum judicatur, & quomodo? eo vergit atque dirigenda eſt omnis Prognoſis.

CXLIX. *Fontes*, è quibus ſub utriuſque collatione prognoſtica deſumuntur Signa, tres ſunt, nimirum 1. *Antecedentia*. 2. *Propria* tam Subjecti ſive Ægri, quàm ipſius Morbi attributa, ſeu, ut aliàs vocant, *eſſentialiter inhærentia*; & denique *conſequentia*, atque ipſa vel *juvantia* vel *nocentia*: quorſum & in Morbis acutis *coctionis* & *cruditatis* ſigna pertinent.

CL. Nempe proceſſus quaſi judicialis in *Prognoſi* inſtituitur: Reus eſt Æger, Actor eſt Morbus, Teſtes ſunt ſigna, in ſpecie, quæ à conſequentibus deſumuntur; nempe ex parte Ægri functiones, quæ adhuc ſunt ſalvæ,

ſalvæ, ex parte Morbi ſymptomata : Advocatus eſt Natura; Judicis vicem obtinet Medicus, vel condemnans alteram partem, vel judicium in re dubiâ & periculosâ ſuſpendendo, ad ſupremum Judicium, Divinum auxilium, interdum Partes ablegans.

CLI. Quod ipſum ſub *Criſi* inprimis evidens eſt, ſub qua ſubitanea fit mutatio, eaque vel manifeſtè in melius, vel in pejus ; utut rarius apud nos contingat, cùm corpora noſtra ſolidiora, victu craſſiori utentia, frequentiùs Labe ſcorbuticâ infecta, Sanguine minùs turgeſcente prædita, in climate minùs fervido ineptiora ſint, ut criticas ſubeant alterationes; unde ſæpiùs evenit, ut omnis negligatur Criſis, partim quia bonus Medicus ſtudet prævenire, partim quia ipſæ minùs certæ exiſtunt, cùm & extra ſeptenarios dies criſes ſubinde laudabiles eveniant.

Finis Synopſeos Inſtitutionum Med.

Michaelis Ettmulleri

Collegium Chymicum

SIVE

Pyrotechnia Rationalis.

C*HYMIAM* in Compendio tractaturus ea ſolum̃odo tradam, quæ pro fundamentis Chymicis ſufficiunt Medico; de principiis autem Chymiæ in genere pauca præfari neceſſum eſt.

Paracelſus quinque introduxit Corporum naturalium *Principia*; *Sal* nempe, *Sulphur* & *Mercurium*, quæ *activa*; *Phlegma* itidem & *Caput mortuum*, quæ *paſſiva* nominavit. Poſteriora duo appellavit & *Rerollæa* i.e. viribus inſignibus deſtituta. *Caput mortuum* quidem communiſſimè *remanentiam Vitrioli* ſignificat; propriè tamen omne illud indigitat, quod poſt virium & principiorum extractionem remanet. De principiis activis multa gloriatur *Paracelſus*, licèt eorum primarius Author non fuerit: mutuo enim accepit à *Baſilio Valentino*, qui omnia Metalla *Spiritu*, *Anima* & *Corpore*, i.e. *Mercurio*, *Sulphure & Sale* conſtare ſtatuebat; multa etiam habet *Paracelſus*, quæ *Hollando*, *Villanovano* & *Lullio* jure meritoque debebat, quorum tamen nomina cautè ſuppreſſit.

preſſit. Utcunque ſe res habeat, perſuaſum nobis eſt, Veteres per *Mercurium*, vivum illum & vulgarem noſtrum non intellexiſſe; nec per *Sulphur*, crudum illud *nativum Sulphur*. Adeoque nos haud abs re facturos eſſe arbitramur, ſi paulo ad curatius *Principiorum Chymicorum* naturam proſequi ſatagamus, inter quæ Salia primarium ſibi vendicant locum.

Cap. I.

De Salibus. In ſpecie de Acido, Urinoſo, & Salſo: De Ammoniaco etiam & Tartaro vitriolato.

PEr *Salia* intelligo particulas, quæ facillimæ ſunt ſolutionis in Aquâ, & ſæpius Linguam guſtu afficiunt; adeoque Hippocrati *ſaporum* nomine veniebant. Particulæ hæ magnæ ſunt conſiderationis, quia corporum naturalium efficacia illis debetur. Duplex autem eſt Sal: *Univerſale* nempe, & *Particulare*. *Prius* varia *poſterioris* genera procreat in diverſis matricibus. In prima Creaturarum productione univerſum pervagabatur Mundum, audiebatque *Spiritus mundi*. In Vegetabilium productione terræ viſceribus incarceratur, diciturque *Sal Terræ centrale*: Aërem itidem permanat, *aviculæq́; Hermetis* nomine inſignitur. De hoc mundi Spiritu *Tabula Hermetis ſmaragdina* intelligenda venit; Vid. Nollii *Phyſ. Hermet.* p. 701.

Salia *Particularia* ſunt vel *acida*, ut *Spiritus Vitrioli, Nitri*, &c. vel *Alcalia* ſeu *Urinoſa*, ut *Sal Tartari, Spiritus Eboris, Spiritus C.C. Salis ammon. Viperar. Sanguinis humani*, & ſimiles: vel denique *Salſa*, ex alcali & acidi conjunctione emergentia, uti ſunt *Salia Plantarum eſſentialia*, item *Sal commune*, *Sal gemmæ*, &c. Notandum autem, per Salia non ſemper ſicca & coagulata intelligi, quædam

enim ſunt reſoluta in formâ ſpiritus, uti eſt *Oleum Tartari per deliquium*, *Spiritus Salis ammoniac.*

Salia acida in omnibus tribus Regnis reperiuntur. In *Regno minerali* manifeſtè ſe produnt, ſpeciatim autem in *Sulphure*, utpote ex quo reliqua mineralia ſuum mutuantur acorem, *Alumen* nempe, *Sal commune*, &c. *Aurum* itidem, *Mars* & *Venus*, aciditatem poſſident à *Sulphure* adeptam. Baculus enim ferreus *auro* fuſo immiſſus in rubiginem vertitur; non aliter, ac ſi cum Sulphure accenſo concrematus fuiſſet. Similiter *Mars* in aëre humido reſolutus, ope acidi proprium corrodit corpus. Et *Venus* humectata, vi interni acidi hoc pacto reſoluti, in Viride æris convertitur.

Habent & *Vegetabilia* ſuum acidum. Omnes planè Fructus ante maturitatem & ſufficientem fermentationem acido replentur: ut nihil moneam de iis quæ tota ſunt acida, *Ribes* nempe, *Berberes*, &c. Plerique Vegetabilium ſucci, beneficio fermentationis concitâtioris, acetoſum exhibent liquorem; quin & *Saccharum*, Sal illud omnium dulciſſimum, *Spiritum* dat intensè *acidum*. *Decocta Plantarum* calori expoſita aceſcunt. *Cereviſia*, omniaque Vegetabilium infuſa Acetum reddunt. Ipſa etiam Vegetabilium Semina acido fruuntur. *Panis* enim ex his confectus, moderato igne *Spiritum* fundit *acido volatilem*, *Veneris* & *Martis Tincturas* extrahentem, *Corallia* & *Hæmatitem* ſolventem, & in nonnulla corpora mineralia potentius ferè agentem ipſa *Aquâ forti*. Omnia denique *Ligna*, imò ipſa *Fuligo*, acidiuſculum ſuggerunt Spiritum. In *Animali Regno* ſalia acida particulis oleoſis occultantur; adeoque *Pinguedo* Animalium, *acido occulto* referta, cum ſalibus urinoſis in *Saponem* ſeu *Sal ſalſum* vertitur. *Formicæ* acidiſſimum dant Spiritum; imò & *flores Cichorei*, cumulo Formicarum immerſi, colorem ſuum cærulæum cum rubro mutant. Acidum ſecundùm naturam in Sto-

Stomacho hoſpitatur. Rejecta ex illo quæque præternaturalia, pelvim æneam corrodendo, aciditatem produnt. Acidi *Ulcerum* ſucci Oſſa quandoque corrodentes, ſatis ſuperque noti ſunt. Hoc tamen venit tenendum, quod ubi dantur in rerum naturâ *acida*, ibi ſimul & *urinoſa* exiſtant, licèt variè pro dominii ratione.

Salia urinoſa ita appellantur, quod *Urinæ ſaporem* referant. Sunt autem duplicia, *volatilia* nempe, quæ facillimè avolant, ut *Spir. Sal. ammon.* & *fixa*, quæ ignis examen conſtanter ſuſtinent, ut *Sal Abſinth. Fumar.* aliaque ex *Cineribus* elicita. Priora in *Regno animali* potiſſimùm ſedem habent, digeſtio enim fermentativa & continua aëris inſpiratio, in omnibus Animalium partibus ſalia volatilizat. Gaudent & *Vegetabilia* urinoſo volatili; Antiſcorbutica quidem acri & nudo; Aromatica verò (Mentha nempe, Salvia, &c.) oleo temperato. Vulneraria, quantumvis inſipida, volatile occultum poſſident, ut ex *Mercurii revivificatione* patet. Quid multa? *Fuligo*, *Abſinthium* furno Glauberiano incluſum, *Panis* ritè deſtillatus, *Tartarus ſublimatus* & pleraque Vegetabilia putrefacta (non fermentata) volatile dant urinoſum. *Minerale Regnum* vix ullo gaudet. *Salia fixa* inter Vegetabilia maximè reperiuntur, non ſunt tamen nativa, ſed igni accepta referenda. Dum enim concrematur *Planta*, Sal ejuſdem volatile partim fugam tentat, & in Fuliginem abit: partim à Sulphure retentum cum eodem ſe unit & figit in Alkali. Sic *Nitrum* ſolum crematum in auras abit: addito autem *Sulphure* in Sal fixum convertitur. Unde Plantæ oleoſæ & virides copioſiora dant Salia fixa; ſiccatæ nempe, aut igni forti admotę Sale volatili orbantur. Sit itaq; ignis lentus, ſint & Plantæ recentes, aëri itidem non uſq; adeo expoſitæ, ſi copiam velis Salis fixi. *Ligna* enim *putrida*, aut in aperto aëre cremata, pauca dant ſalia fixa; avolante

nimi-

nimirum Sale volatili cum Sulphure, ex quibus fit Sal fixum. Dicuntur hæc Salia *Lixivioſa* alias etiam *Alkalia*, ab herba Kali (ſpecie Sedi) ſapore nitroſo & Sale hujuſmodi fixo gaudente. Hodie autem latius extenditur hujus vocis (Alkali) ſignificatio; omne nempe denotat urinoſum, ſive volatile ſive fixum; & ſub hoc ſenſu apud nos intelligenda venit.

Sal ſalſum dicitur & *neutrum*, quia neque eſt acidum neque urinoſum, ſed de utroque participans, ortum nempe habens à mutuo amborum congreſſu & effervescentia. Sic *Tart. Vitriolatus* ex mutua *Spir. Vitrioli* cum *Sale Tart.* effervescentiâ ortum ducit. Salſum hoc cum acidis aut urinoſis placidè maritatur. Si alcali, quod acido jungitur, volatile ſit, *Salſum* audit *volatile*, quale eſt Sal ammoniac. Sin fixum ſit Alcali, *Salſum* etiam *fixum* appellatur, quale eſt *Tartarus vitriolatus*.

Sal ammoniacum Veterum ex urina, Camelorum cum Lybiæ arenis confermentatâ, juxta Ammonis templum naſcebatur, & exinde nomen ſortitur. Noſtrum autem Artificiale eſt. Conſtat ex Sale communi in magnâ Urinæ humanæ copiâ diſſoluto, additâ centeſimâ circiter Fuliginis portione. Hæc forti igne cocta, & frigori expoſita, Sal reddunt candeſcens. Dum nempe evaporat Phlegma, Sal volatile Urinæ & Fuliginis cum acido Salis comm. in Salſum volatile concreſcit. Porrò *Sal ammoniacum*, in *Apepſiâ* aromatibus junctum, ſingulare eſt ſtomachicum. In *Febribus* (præmiſſis præmittendis) cum *Ocul. Cancr.* commixtum, & horâ circiter unâ ante paroxyſmum exhibitum, nobiliſſimum eſt *Antifebrile* ratione Salis volat. In *Iſchuriâ* etiam, *Calculo*, & *Renum* Affectibus potens eſt diureticum. Ubi peccat acidum, multum confert; Vinum enim Rhenanum ſapore ſuo privat. Pro uſu medico præparatur depurando; i. e. ſolvitur in *Aq. ſimpl.* filtratur, & poſt phlegmatis exhalationem in ſtrias concreſcit. Sublimatur in flo-

in flores vel ſolum vel in Aqua ſolutum. Quidam (malo conſilio) *limaturam Martis* ſuperaddunt. Tunc enim acidum *Salis ammoniaci Martem* rodit & *Vitriolum* cum eo conſtituit; Sal verò volatile in auras avolat, dum flores martiales fortiori Igne aſcendunt. Utimur & *Ammoniaco* in Alchymiâ, fixa enim corpora volatiliſat & ſecum in flores ſublimat, *Lapidem* v. g. *Hæmatit.* in rubeos flores & antifebriles; *Aurum, Corallia*, etiam in flores rubeos, unde Tinctura; Caput mortuum itidem *Vitrioli Veneris* in flores coloris Aurantiorum, hypnoticæ virtutis. Ut autem *Spir. & Flores Sal. ammoniaci* & ab acido Salis comm. liberentur, & puro conſtent volatili urinoſo; addantur Salia alkalia, hæc enim acidum arripiunt, & ſimul in fundo remanent. Acida nempe fixa libentius fixis ſe maritant. Sunt tamen & alia præter Alcalia, quæ acidum ammoniaci arripiunt; v.g. *Limat. Mart. Minium, Lapis calaminaris*, & *Marcaſita*: idque, quia Corpora hæc metallica nondum ſaturata acidum abſorbent & Sal volatile dimittunt. Spir. Sal. ammoniaci cum Calce vivâ deſtillatus penetrantiſſimus eſt, & nunquam coagulatur: ille autem cum Sale Tartari & aliis Alcalibus fixis, magis eſt urinoſus, in flores ſiccos ſe coagulat, & ad modum *Spiritus Urinæ* cum *Spiritu Vini* in offam albam condenſatur. Ordinario albi eſt coloris, addito tamen *Sulphure* aureum acquirit. Notandum autem Alcalia volatilia, ſubjectis commixta Sulphureis, rubrum acquirere colorem: unde forſan Sanguinis rubedo. *Spiritus Sal. ammoniaci Spiritui Vin.* artificiosè commixtus, ita ut non coaguletur, egregium eſt menſtruum pro *Myrrhâ* extrahendâ, aut *Elixire Propriet.* conficiendo; ſolvit etiam *Terram fol. Tartari* in *Eſſentiam auream*, optimam in *Malo hypochondriaco*; *Limaturæ Mart.* affuſus Eſſentiam dat, in Morbis chronicis egregiam. Si miſceatur Spir. Sal. ammoniaci cum Spiritus Vin. camphorati duplâ parte & applicetur, Dolores

lores podagricos lenit, acidum Articulis inſidens deſtruendo. In Affectibus chronicis, *Scorbuto*, *Malo hypochondriaco*, *Suffocatione uterina*, *Cardialgia flatulenta*, egregium eſt remedium. Naribus admotus, *Caſtoreo* & *Pennis* incenſis præſtat. In *Menſium obſtructionibus* adhibetur Feminis cum ſucceſſu per certum Glauberi inſtrumentum. Omnia Febrium ſymptomata, ſive ab æſtu ſive à frigore provenientia, maturè tollit & compeſcit. Sanguinem coagulatum, in *Pleuritide*, *Inflammationibus*, &c. reſolvit: Cani enim in venam immiſſus ſanguinem reddit tenuem. Egregium eſt *Nephriticum* & *Sudoriferum*, idque, quia penetrat fortiter corporis intima: acida ſuperflua deſtruit, & in ſalſa commutat, per ſudorem vel urinam evacuando. Doſis à gutt. XXX. ad L. Caput mortuum Spiritus Sal. ammoniaci cum Ciner. clavell. diſtillati, in Aquâ calidâ ſolutum, filtratum, & coagulatum dat Sal ſalſum, quod egregium eſt digeſtivum in *Malo hypochondriaco*, ad ℈j. Si diſtilletur *Spiritus* cum *Calce viva*, ex Capite mortuo paratur Sal, quod optimum eſt lithontripticum ad ℈j. Idem Caput mortuum in Aquâ ſolutum, & affuſum, *Limat. Mart.* eandem rodit in Crocum Martis, meliorem eo, qui fit cum Salibus.

Tartarum Vitriolatum Sal eſſe ſalſum fixum, & ex Sale Tartari ac Spiritu Vitrioli conſtare, dixi ſuperius. Debet autem Spiritus Vitrioli probè rectificari & ſeparari à particulis metallicis, alias nauſeoſus evadit Tartarus. Optimum eſt diureticum; purgantium vim ſine Torminibus ventris adeo promovet, ut quarta ſufficiat doſeos pars.

CAP.

CAP. II.

De Salibus Mineralibus. In ſpecie de Sale Communi, Sale Gemmæ, Nitro, Vitriolo, Alumine & Acidulis.

SALIA *Mineralia* ſolubilia ſunt in Menſtruis Aquoſis, ſed Sulphurea reſpuunt; pro varia tamen conformatione propriâ, expetunt aquoſa menſtrua. Licèt, teſte Gaſſendo, una eademque *Aqua Sal commune, Nitrum, Vitriolum*, & *Alumen*, ſucceſſivè receperit. Salia hæc diſtillata Spiritus reddunt acidos, varios tamen pro cujuſque Salis variâ texturâ. Licèt ſicca ſint, reddunt nihilominus Spiritum humidum, partim per humoris in Corpore adjecto, & aëris ambientis immiſſionem; partim per ſalinarum particularum inverſionem, agitationem nempe ſub ignis torturâ, adeo ut motu impetuoſo à ſe mutuò diſſipentur & in formâ nebulæ cum impetu prorumpant. Separationis hujus gratiâ additur plerumque corpus aliquod terreſtre, Bolus aut Argilla. Et beneficio ejuſdem poteſt Sal comm. redigi (per repetitas ſolutiones) in puram putam Aquam.

Sal Commune triplex eſt, *Marinum*, *Fontanum*, & *Montanum*: *Marinum* ejuſque Spiritus reliquis præſtat; imò pater eſt & *fontani* & *montani*. Nam cùm Aqua marina centrum terræ petit, ibique in vaporem reſolvitur, tum hic exinde ad circumferentiam adducitur ſub formâ Aquæ fontanæ ſalſæ: ſed hoc in itinere debilior indubiè redditur. Ubi verò hæc Aqua marina in aliqua terræ cavitate ſubſiſtit, oritur *Sal foſſile*, fontano paulo præſtantius. *Fontanum* ex fontibus ſalinis excoquitur & & inſpiſſatur: & ut citius granuletur addunt Salinarii Fel vel Sanguinem bubulum, cujus ſal volatile cum acido Salis concurrens granula promovet. Granula au-

tem *Salis marini*, per aquæ exhalationem parata, longè ſunt majora, duriora, & Cryſtallos dant multo elegantiores.

Sal commune ſalſum ex *acido* præpollente & *urinoſo* conſtat, quod probat reſolutio Salis ſpagyrica. Spiritus enim Salis Sali Tartari vel Cinerib. clavell. affuſus, ſolutus & debitè inſpiſſatus, evadit perfectiſſimum Sal commune. Elixiviatur etiam *Sal* communi ſimillimum è Capite mortuo Salis ammoniaci cum ana Calcis vivæ diſtillati. Quod ſpectat Salis communis præparata, ante diſtillationem calcinari debet. Immittitur ſcilicet in Catinum, & ubi à flamma exardeſcit, particulæ aquoſæ in Sale concentratæ, ab ignis torturâ agitatæ cum impetu & crepitu proſiliunt. Niſi hæc præcederet decrepitatio, metuendum eſſet, ne in diſtillatione vaſa rumperentur. Sal ita decrepitatum diſtillatur in *Spiritum acidum*, addito ſemper duplo, triplo aut quadruplo *Boli* vel *Argillæ*, imò & *Terræ dulcis Vitrioli*, ad ſeparationem partium ſalinarum promovendam & fuſionem impediendam. Alia etiam corpora, ſalina quantumvis, admixta Spiritum Salis non inquinant, ſed propter gravitatem in fundo remanent. Sic *Sal communis* cum *Spir. Vitriol.* deſtillatus genuinum & perfectum *Salis ſpiritum* dat. Modus ille diſtillandi, qui fit cum folle per retortam tubulatam, periculoſus eſt, 1. ne vas valde calefactum affusâ aquâ frigidâ rumpatur; 2. ne Sal dum fluit, fundum retortæ penetret. *Glauberi* methodus convenientior eſt. Imbibit ille carbones ignitos aquâ, in quâ ſolutum eſt Sal commune. Siccatos dein carbones in furno peculiari deſtillat. Metuendum autem, ne fuligines carbonum Spiritum inquinent, aut Sal fixum calcinatione iſtâ paratum illum debilitet. Optimus ergo eſt modus, qui fit per retortam igne aperto, calore graduali & continuo. Fieri etiam poteſt per Arenam. Pro uſu medico Spiritus hic multum confert;

omnia

omnia alcalia oleoſa, Bilem & effervescentias febriles compeſcit. Cum alcali fixo concentratus potens eſt Diureticum, ac Putredinem Gingivarum, & progreſſum Gangrænæ cohibet. Propter nimium ejus acorem edulcoratur vulgo, cohobando bis terve cum ana Spiritus Vini, & ſic egregium evadit ſtomachicum. Quidam dulcificare volunt per diuturnam digeſtionem; hac autem methodo acidæ particulæ non ſatis invertuntur. Alii Sal Tartari primæ diſtillationi addunt, dulcificationis ergo, ſed & hi falluntur, Sal Tartari enim acidos abſorbet Spiritus; unde loco Spiritus Salis dulcis habetur ſolummodo limpidum acidum phlegma. Quod uſum ſpectat Alchymiſticum, Spiritus hic Aurum ſolvit, imò probè rectificatus & concentratus illud in Flores elevabit. Concentratur autem hac methodo. *℞. Lap. calamin. imbibatur Spiritu Salis; deſtilletur; & prodit Phlegma inſipidum (calaminari acidum abſorbente.) deinde Caput mortuum miſtum cum Arenâ Igne fortiori urgeatur, ſic prodit Spiritus acidiſſimus concentratus*, qui omnia Corpora metallica ſolvit, exceptâ *Venere* & *Luna*. *Poterius* affundit Capiti mortuo (poſt Spiritus deſtillationem reſiduo) Spiritum Vini ex Uvarum racemis, tempore Vindemiæ collectis, deſtillatum; mixturam fimo equino committit; & poſt digeſtionem aliquot dierum ponit in loco frigido, ubi elegantes oriuntur Cryſtalli dulces, valdè ſtomachici.

Sal Foſſile alio nomine vocatur *Sal Gemmæ*, quia ſub gemmarum forma eruitur è fodinis. Aëri expoſitum inſigne acquirit gravitatis incrementum. Efficacius eſt Sale comm. & egregium diureticum. Clyſteribus additum ad ℈j. ſcybala emollit. *Spiritus Salis compoſitus* fit ex aa. *Nitri* & *Salis Gemmæ* aut *Salis communis*; & Aurum ſolvit intactâ Lunâ. *Spiritus* autem *Nitri* ſimplex probè rectificatus omnia metalla ſolvit, Auro excepto.

Nitrum originem capit in terrâ pingui, ab urina & ſtercoribus Animalium humectatâ: quorum Sal volatile ſulphure impraegnatum ab acido terræ ſubigitur, & mutatur, donec ſimul omnia concreſcant in unum tertium ſalſum, quod *Nitrum* audit; atque è terrâ tali excoquitur & elixiviatur. Terra hæc nitroſa diſtillationi ſubjecta Spiritum fundit acido ſalſum, Spiritui Tartari ſimilem; qui ſuper Alkali fixum cohobatus, urinoſus evadit, & in Capite mortuo remanet ſal quoddam fixum, beneficio Aquæ extrahendum. Spiritus hic volatilis urinoſus non ſemper ab excrementis Animalium dependet: Terræ enim argillaceæ, hujuſmodi excrementis nunquam impraegnatæ, ſimilem reddunt ſpiritum, beneficio ſcilicet Aëris. In Muris etiam antiquis, Sal Calcis vivæ, quocum incruſtantur, cum Spiritu acido terræ unit ſe in Sal Nitri. Nitrum conſtat ex acido Sulphuris & Sale Alkali; nam Sal Tartari cum Spiritu Nitri conjunctum, Nitrum evadit. Omne Nitrum ex terrâ, excrementis Animalium impraegnatâ elixiviatum, participat de Sale communi, quod in corporibus Animalium invincibile eſt, & uti aſſumptum fuit, ita rurſus excernitur. Antequam Nitrum in uſum vocetur, Sal hoc, ſi adſit, removendum eſt. Ejus præſentia in deflagratione dignoſcitur. Nitrum enim, ſi purum ſit, deflagrat ſine remanentiâ: ſin ſecus, remanebit aliquid ſalis albi & cauſtici, quod removendum. In uſu medico *Nitrum* egregium eſt medicamentum; *Sitim* reprimit, *Febribus* tam *continuis* quàm *malignis* ſubvenit; *Hæmorrhagias* & externè & internè ſiſtit, & crebrius uſurpatum *Satyriaſin* compeſcit. Depuratur vulgo cum *Sulphure*; peſſimo tamen conſilio: idque, quia Sulphure injecto Spiritus Nitri acidus ſulphureus totus exhalat, remanente ſolum Sale fixo quod cum acido ſulphuris conjunctum, tertium Sal evadit. Optima ejus depuratio fit per Alcalia fixa. Fit ſcilicet Lixi-

vium

vium fortiſſimum ex Sale Tartari vel Ciner. clavellatis, Coquitur in hoc Nitrum; ſic Alcali fixum arripit omne corroſivum & excrementitium, quod eſt in Nitro. Unde poſt levem humiditatis abſumptionem excreſcit Nitrum in Cryſtallos depuratiſſimos.

Inter *Nitri* præparata eminet *Spiritus*, qui eo copioſior obſervatur, quo plus additur Boli vel Argillæ. Conducit in *Febribus malignis*, *Tympanitide*, *Nephritide* & *Calculo.* Verùm quia crudus nimis eſt & corroſivus, propterea *dulcificatur*, deſtillando per Retortam cum duplo *Spiritus Vini* vel alterius, poſt aliquot dierum digeſtionem. Senſim autem permiſceri debet, ne nimia effervefcentia vaſa rumpat. Per hanc encheireſin eliciunt quidam Sal volatile ex Spiritu Vini. Scilicet Spiritum Vini cum ana Spiritus Nitri pedetentim mixtum *leniſſimo Igni* committunt, donec abſtrahatur Liquor, & remanebit Sal volatile Spiritus Vini fixatum à Spiritu acido Nitri: quod Sal additione Alcali fixi facilè poteſt deſtillari in Spiritum Urinoſum. Spiritus utique Nitri hoc pacto dulcificatus *Colicis doloribus*, *Flatibus*, *Pleuritidi*, & *Renum inflammationi* mirè ſubvenit. Doſis ℈ß ad ʒj. Nitrum baſis eſt *Aquæ fortis*; imò ipſa *Aqua fortis* ſolùm eſt Nitri Spiritus, & eadem ſolummodo præſtat; utut enim additum ſit Vitriolum, tamen de Vitriolo nihil prodit. Unde & Aqua fortis affuſa Sali Tartari, ad inſtar Spiritus Nitri verum prodit Nitrum. *Aqua Regia* fit ex Nitri partibus duabus, & Salis com. vel ammoniaci parte unâ, cum ſilicibus contus. deſtillatis. Hæc ſolutioni *Solis*; ſicut Aqua fortis *Lunæ*, dicata eſt. Dixi in Aqua forti nil de Vitriolo adeſſe: hoc certum eſt, Nitrum partes Veneris metallicas ſecum rapere. Culter enim Aquæ forti bullienti immiſſus rubedinem contrahit, & pannorum Tinctores (quibus Spiritus Nitri nil prodeſt) Aquam fortem in uſu habent. Si puriorem vis Spiritum ſine metallicis his par-

ticulis, loco *Vitrioli* addatur *Alumen.* Caput mortuum Aquæ fortis calcinatum, & Aqua communi elixiviatum, dat Sal album, quod *Nitrum vitriolatum*, vel *Arcanum duplicatum Mynſichti* audit: conſtans ſcilicet ex Alcali Nitri cum Sulphure fixo Vitrioli; ratione cujus anodynum eſt: egregii etiam uſus in *Melancholiâ*, *Menſium ſuppreſſione*, *Stomachi affectibus*, *Febribus intermittentibus*, & omnibus Morbis chronicis. Doſis ℈j.

Vitriolum generatur per corroſionem *Martis* vel *Veneris* à Liquore Sulphuris acido: ſi *Veneris minera* corroſa fuerit, *cæruleum*; ſi *Mars*, *Viridem* nanciſcitur colorem. Paratur & Vitriolum *artificiale* naturali ſimillimum; recipitur ſcilicet Spiritus Sulphuris (qui ſalina eſt ſubſtantia, bituminoſa enim Sulphuris pars in Igne deflagrat) diluitur cum Aqua, additurque Ferrum vel Cuprum. Spiritus corrodit materiam injectam, facta corroſione filtratur, evaporatur, & in loco frigido concreſcunt Cryſtalli Vitrioli Martis vel Veneris. Alii (elegantiori modo) laminam Martis vel Veneris pulveri Sulphuris permiſcent, ut fiat ſtratum ſuper ſtratum, deinde Igni mixturam committunt; factâ Calcinatione committitur mixtura Aquæ ſimplici; quæ filtrata & evaporata, Cryſtallos deponit in fundo. Artificiale hoc eundem habet uſum, & eoſdem dat effectus, quos nativum. Reperitur autem *nativum* vel ſub formâ *Vitrioli*, vel ſub forma lapidis *Pyrites* dicti; ex quo calcinato & aëri expoſito vel ſponte effloreſcit Vitriolum, vel cum Aqua elixiviatur. Participat ſcilicet hic *Lapis* de *Marte* vel *Venere* & *Sulphure*: adeoque Sulphur, vehementiâ Ignis inflam̃atum, acidum dat Spiritum, qui Metalla corrodit, & humori aëris conjunctus ea in Vitriolum convertit. Vitriolum plerumq; mixtum eſt. Ut purum evadat, ſolemus ſolutum in aquâ Igni committere, & ebullienti baculum ferreum immergere; ſic enim acidum aggreditur Martem, & Venerem in fundo relinquit.

Vitrioli

Vitrioli deſtillationi præmittitur Calcinatio, ne colliqueſcat & vas rumpat; nullum tamen requiritur corpus terreum, ut in deſtillatione *Salis*, *Nitri*, &c. quia particulæ ejus metallicæ ſufficiunt, & præterea calcinatum liqueſcere nequit. Deſtillando prodit. 1. Phlegma inſipidum. 2. Phlegma acidulum copioſius. 3. Aucto Igne nebulas dat, quæ coagulatæ Spiritum conſtituunt. 4. Sub ultima Ignis vi Oleum particulis metallicis magis imprægnatum prodit; unde craſſities & coloris obſcuritas. Spiritus enim phlegmate dilutus debilior eſt: ſed ſi avocetur phlegma leniſſimo igne, eandem acquirit cum Oleo conſiſtentiam. Et Oleum contrà cum Igne deſtillatum ſub formâ Spiritus prodit. Quo minus habet Vitriolum de ſubſtantia metallica, eo major copia Spiritus acquiritur; adeoque ſi Spiritus copioſior deſideretur à Terra ochreâ priùs liberetur. Si Spiritus omnis abſtrahatur, Caput mortuum nigrum apparet, ſin aliquid remaneat, fuſcum eſt. Fuſcum hoc (non nigrum) Caput mortuum, aëri à pluvia & radiis Solis libero expoſitum, menſibus ſcilicet autumnalibus & vernalibus, novo eodemque penetrantiore imprægnatur Spiritu. Conſtat hic Spiritus regeneratus partim ex acido, quod intus in Capite mortuo latuit, partim ex acido nitroſo ab Aëre attracto. Intermediam itaque nanciſcitur naturam inter Spiritum Vitrioli & Spiritum Nitri.

Phlegma Vitrioli elegans eſt Remedium; turget enim *Sulphure Vitrioli Martis. Internè* exhibitum Maſſam ſanguineam refrigerat, & rorulentâ ſuâ ſulphureitate egregiè refocillat. *Externè* in Doloribus & Ardoribus Capitis fronti admotum confert. Corroboratum aliquoties à Vitriolo, & per digeſtionem exaltatum, in *Phthiſi*, *Tabe*, *Vomica Pulmonum*, & omni Viſcerum *Inflammatione* vel *Abſceſſu*, optimum prædicatur remedium. Spiritus & Oleum Vitrioli gradu tantum diffe-

runt. Spiritus Elixyri Proprietatis additus egregium eſt ſtomachicum, vi ſuâ adſtrictoriâ Viſcera roborans: ſed Pulmonibus nocet propter metallicam aciditatem. Dentes nigredine afficit, & Teſtes debilitat. Pro uſu Diuretico præſtat coagulatus, acido ſcilicet ab alcali quodam in Salſum tertium converſo. Quod autem *Spir. Vitrioli* particulas metallicas ſecum rapiat, exinde patet, quòd, ſi ad tempus ſteterit, flaveſcat, & Terram Ochræ inſtar ad fundum dimittat; *Spiritus* etiam *Urinæ* vel *Sang. hum.* huic Spiritui inſtillatus, particulas metallicas Antimoniatas præcipitat ſub colore viridi. Prout Vitriolum de Marte vel Venere participat, differunt & Spiritus exinde eliciti. Quidam diſtillant Vitriolum Martis & Veneris artificiale,adeoqueSpiritus acquirunt duplicis naturæ, qui in Affectibus Mulierum commendantur.Credo tamenSpiritumVitrioli vulgarem,ſicut & ipſum plerumque Vitriolum de duplici hac natura participare. *Zwelfero* judice ſeparatio & rectificatio Spiritus ab Oleo & Phlegmate, quæ communiter inſtituitur, fieri non debet: quia cum Phlegmate, dum ſeparatur, aſcendit ſimul Spiritus volatilis ſulphureus, Vitrioli nobilior pars. Laborant multi in Spiritus Vitrioli dulcificatione, ſed res eſt difficilis. Digeſtio & Cohobatio cum Spiritu Vini palliativè ſolùm dulcificat. Deſtillatio à proprio capite mortuo Phlegma elicit, non Spiritum, cum hic fortiter in Capite mortuo concentretur.Deſtillatio Spiritus Vitrioli ſuper Martem & Urinam Hum. deceptoria eſt operatio,nam Mars abſorbet Spiritum acidum erumpentem, & Urina eum mutat in ſalſedinem. Hoc tamen certum eſt, quòd Spiritus à Vitriolo Martis artificiali paratus dulcedinem habeat aſtrictoriam: nauſeoſus enim ſapor à Venere dependet.

Spiritus Vitrioli vulgaris fixus eſt, datur tamen volatilis *Paracelſo* notus, qui facili Igne in altum ſtriatim eleva-

elevatur, & naribus admotus non ſine gravi moleſtia penetrat. Qui hunc præparare cupit, ſequentes obſervet regulas. 1. Omittatur Calcinatio Vitrioli, ne nobilior pars avolet. 2. Ignis ſit facilis, ne vulgaris ille Spiritus prodeat, & volatilem figat. 3. Dum calent vaſa removeatur Receptaculum, alias Spiritus volatilis reintrat Caput mort. & ibidem figitur. 4. Expulſus Spiritus cum phlegmate proprio digeratur, & à Cap. mort. cohobetur. Acquirunt quidam Spiritum Vitrioli cephalicum, nobiliſſimum in Capitis affectibus, miſcendo ſcilicet Spiritum à Cap. mort. aëri expoſito & regenerato deſtillatum cum p. ii. Spiritus Vini cum Speciebus epilepticis digeſti; deinde poſt aliquot dierum digeſtionem deſtillando. Alii Urinâ mediante volatilem eliciunt Spiritum. Deſtillant nempe Cap. mort. Vitrioli digeſtum cum octuplo Urinæ. Sic prodit. 1. Phlegma anodynum (ratione Sulphuris) quod doloribus podagricis egregiè ſubvenit. 2. Phlegma ſubtilius Sale conſtans volatili urinoſo in tertium converſo, qui in omnibus Oculorum Affectibus mirè deprædicatur. Succedit tandem Vitrioli Spiritus ab Urina mutatus in Sal tertium volatile, qui in Epilepſia Infantum mirum præſtat uſum.

Caput mortuum poſt Spiritus & Olei deſtillationem remanens *Colcothar* dicitur. Si fuſcum ſit, & non rigorosè omni orbatum Spiritu, affusâ aquâ communi elixiviatur *Sal Vitrioli*, quod purum eſt Vitriolum, nam lixivium exinde confectum & igni expoſitum, fit verum Vitriolum. Sal hoc vomitum & nauſeam inducit à ℈i. ad ʒß. Sed Ventriculi tonum deſtruit & ſi ejus plicis ſe inſinuet, nauſeam & inanes vomendi conatus per aliquot ſeptimanas infert. Emetica ejus vis à Venere dependet, Sal enim Vitrioli Martis vomitum non ciet. Sublato hoc Sale reſiduum Caput mort. dicitur *Terra Vitrioli balſamica*, & nihil eſt aliud, quàm Mars vel Ve-

nus ad ultimum calcinata. Dicitur *balſamica* quod acida Ulcerum & Vulnerum egregiè abſorbeat; omni enim acido evacuato per deſtillationem multum ſitit. Ubi adſtrictione opus eſt, adhibetur tam internè quàm externè. Ex hac terrâ paratur *Tinctura Sulphuris Vitrioli*; affundendo ſcilicet *Spiritum Salis*, ſolvendò dein, filtrando & abſtrahendo ad Mellis conſiſtentiam, deinde cum Spiritu Vini rectificatiſſimo extrahitur Tinctura egregiè rubens, filtranda, à quâ abſtrahatur Spiritus Vini ad oleoſitatem. Potius dicatur *Tinct. Martis aſtringens*, nam in *Diarrhœa*, *Dyſenteria*, *Hæmorrhagia*, & *Sputo Sanguinis*, optimi eſt ſucceſſus. Doſis à Gutt. xx. ad xxx.

Commendatur à Paracelſo & Helmontio *Sulphur Vitrioli anodynum*, quod ex *Vitriolo Veneris* paratur; habet quidem Vitriolum Sulphur quoddam, ſed non tam efficax quàm Sulphur Vitrioli Veneris. Helmontius deſtillat hoc Sulphur in *Oleum viride*, quod per liquorem Alkaheſt fixatum, conſtituit *Aurum* ejus *Horizontale*. Pauci ſunt qui nôrunt Sulphuris hujus præparationem. Parant quidam ex ana Ammoniaci & Colcotharis Vitrioli ſeu terræ probè edulcoratæ, ſublimando ſcilicet, donec *Flores* acquirantur aurei coloris: ex his cum Spiritu Vini elici poteſt Tinctura. *Tackius* Sal Tartari cum Capite mort. ebullit, putans fore, ut alcali fixum propter convenientiam Sulphuris in radice attrahat ad ſe Sulphur Veneris, quod poſtmodum volatiliſat. Sed paucis datum eſt Salia fixa volatilizare. Virtus ſympathetica Vitrioli (ſi quæ ſit) ab ejuſdem Sulphure dependet.

Alumen Vitriolo cognatum eſt. Conſtat enim corpore terreo petroſo à Spiritu Sulphuris acido ſoluto, & in pellucidam ſubſtantiam unito. Fundit itaque Alumen Spiritum acidum, illi Vitrioli non abſimilem, ſed pauciſſimum & non adeo acidum. Textura enim particularum

larum Spiritus acidi à corpore petroſo ita immutata eſt, ut priſtinam aciditatem non amplius obtineant. Sic Terra ſigillata in Spirit. Sulphuris per Camp. ſoluta Spiritum reddit non adeo acrem, ac Mars in eodem Spiritu ſolutus. Sunt & qui ſe expertos eſſe dicant, quod Spiritus Sulphuris per Camp. Cretæ affuſus poſt ſolutionem in Alumen concreſcat. Pyrites calcinatus quandoque Vitriolum, quandoque Alumen generat; acidus ſcilicet ejus Spiritus corroſione metalli dat Vitriolum; corroſione adjecti Corporis terreſtris dat Alumen. Caput mortuum Aluminis aëri expoſitum, Spiritu novo exinde imprægnatur. *Alumen rupeum* Veteribus fuit incognitum. Illorum verò Alumina liquida nobis ſunt incognita. *Alumen plumoſum* vulgo confunditur cum *Amiantho*; malo tamen conſilio; nam prius adſtrictorii eſt ſaporis, & in Igne rigido ſubſtantiæ jacturam facit. Poſterius autem inſipidum eſt, & ab Igne invincibile; imò parantur inde maſurpia texendo in fila, in quibus Sol liquefit ſalvo marſupio. *Alumen rupeum Febrium paroxyſmos* compeſcit, *Vomitum* & *Diarrhœam* reprimit, quotidie ad ℥ß uſurpatum in *Menſium fluxu* nimio comprobatum eſt: habet autem pinguedinem quandam excrementitiam, quæ ſeparanda eſt ſolvendo Alumen in Aqua, & affundendo Urinam humanam, ut pinguedo fundum petat. In *Febribus* Alumini *crudo* præferendum eſt *Magiſterium*; quod paratur affundendo *Acetum deſtillatum calcinato Alumini, & ſolutionem filtratam evaporando in Cryſtallos, quarum Doſis* ℈i. Laudatur & *Saccharum Aluminis*, i. e. ipſum Alumen crebris proprii phlegmatis abſtractionibus ab omni acrimoniâ liberatum. In *Dyſenteria* & *Hecticâ* expertum eſt. Externè curat Alumen *Ulcera ſinuoſa*, *Uvulam relaxatam*, *Gingivas Scorbuticorum*, *Iſchiadicum dolorem*, & *Ariduras membrorum* ex vulneribus ortas; calcinatum nempe in Aquâ ſolutum præcipitat pulverem, qui

Spiritu

Spiritu Vini edulcoratus cum Unguentis miſcendus. Utimur etiam Alumine in Suppoſitoriis.

Vitriolo & *Alumini* ſubnectimus *Acidularum* hiſtoriam. Sunt autem nihil, quàm *Minera Martis à Spiritu ſulphuris embryonati reſoluta.* Aqua, quæ meatus Terræ tranſit, Spiritu ſalino imprægnata, quando fluit per venas Marteas, redditur acida ſeu parum amaricans: ſi Mineram Veneris corrodat, nauſeoſum acquirit ſaporem. Ratione venæ Martis ſalia Corporis noſtri vitioſa abſorbet, cum illis unitur, & ſub forma excrementorum nigrorum per alvum dejicit: penetrant etiam Acidulæ Meſenterii Venas, & in omnibus Morbis chronicis ſacra ſunt Anchora: gradatim autem progrediendum eſt à parcâ ad majorem doſin. Stomachum interea requirunt validum, & Phthiſicis nôcent. Non debent tranſmitti ex loco naturali in alienum; minera enim Martis, quæ acidum abſorpſit, ad fundum præcipitatur, ſi diu in vaſe contineatur. *Artificialium* Acidularum fundamentum eſt *Mars.* Quidam extinguunt *Ferrum ignitum* in *Vino Rhenano* pro Virginum *Cachexia.* Alii *Limaturam Martis* miſcent cum *Aceto deſtillato Hydromelitis*, & addito tantillo *Vitrioli* diluunt cum ſ. q. *Aquæ.* Elegantiores verò parantur ex *Phlegmate Vitrioli acidulo* Limaturæ Martis affuſo; vel *Cryſtallis Vitrioli Martis* in proprio Phlegmate cum Vino dilutis.

CAP. III.

De Operationibus Chymicis. Solutione ſcilicet & Extractione, & ad hanc facientibus Menſtruis: Effervescentia, Fermentatione, Præcipitatione, Calcinatione, Coagulatione & Cryſtalliſatione.

DOctrinæ *Salium Operationes Chymicas* poſtponimus, quia maximè diverſi in operationibus eventus, ſalibus accepti referendi ſunt. Inter illas

illas autem *Solutiones* primum ſibi vendicant Locum, differuntque ab *Extractionibus* ut magis & minus. In *Solutione* ſcilicet totum Concretum in ſuâ minimâ reſolvitur, in *Extractione* non totum ſed nobilior ejus pars, nunc ſulphurea nunc ſalina pro menſtrui ratione. *Menſtrua* autem ſunt claves quibus mediantibus recluduntur Corpora; adeoque utrique operationi inſerviunt; Suntque vel *univerſalia*, quæ omnia Corpora indiſcriminatim; vel *particularia*, quæ non niſi ſibi proportionata ſolvere poſſunt. Promovetur Menſtruorum operatio ab igne, illorum particulas agitante & in corpus ſolvendum impellente; unde apparet *Digeſtionum* in facilitandis Solutionibus utilitas. Menſtrua *particularia* varia ſunt, pro proportione varia inter particulas Menſtrui & poros ſubjecti ſolvendi. Sic *Saccharum* & *Salina* facilè in *Aquâ*, difficulter in *Spiritu Vini* aut Tartareis menſtruis ſolvuntur; contrà *Jalappa*, quæ reſinoſa eſt, non Aquæ, in quâ ſolvi nequit, ſed *Spiritu Vini* in quo à magis ſolvitur, virtutem purgantem communicat. In Regno etiam minerali Mercurius cum Sole, non autem cum Marte, facilè jungitur. Menſtrua itaque particularia ſunt in triplici differentia, *Aquea* nempe, *Sulphurea* & *Salina*.

Aquea Menſtrua ſunt inſipidi Liquores, ſubſtantiæ omnis ſalinæ atque ſulphureæ expertes. Corpora Salium, *Tartarum* v. g. *Vitriolum*, &c. promptè ingrediuntur, *Sulphurea* autem & *Reſinoſa* reſpuunt. Inter hæc eminet *Aqua ſimplex*, quæ Terreas particulas non complectitur niſi ratione Salis cum illis conjuncti. Sic in *Tartari* ſolutione per præcipitationem particulæ Terreæ fundum petunt. Inſervit autem Aqua ſolvendis & extrahendis *Vegetabilibus non reſinoſis*, *purgantibus mucilaginoſis*, & *Animalium partibus*, inprimis accedente coctura. Ad aquoſa pertinet *Ros majalis*, qui turget Sale Nitroſo, ſolvit Aurum, *Phlegma* dat *ſalinum* egregium

gium pro extrahendis Eſſentiis Vegetabilium, & ſulphureo illo Vini Spiritui longè præferendum. Non M. B. nec radii ſolaris calore, ſed in loco umbroſo per ſe ipſe Ros putrefit: putrefactus autem & evaporatus Terrã relinquit cineream Sale repletam. Sequitur *Aqua Martia* quæ acuata eſt copioſo Sale volatili, exhalante è Vegetabilibus germinantibus; & deſtillata elegans dat Menſtruum pro extrahendis virtutibus Vegetabilium. De *Nive*, an Sal nitroſum contineat, adeoque pro Menſtruo inſervire queat, multum dubito.

Menſtrua ſulphurea extrahunt *Tincturas Oleoſas*. Talia ſunt *Spiritus Vini*, *Spiritus vegetabilium ardentes*, *Oleoſa deſtillata* (quæ Salia ſunt volatilia à pingui acido concentrata) *Terebinthina* item, quæ Gummata, & *Vitellum ovi*, quod ipſam *Terebinthinam* & *reſinoſa* ſolvit. Subjecta horum Menſtruorum *Reſinæ* ſunt & *Oleoſa*; etiam Aromata quorum Sal volatile oleoſum ſeſe cum Menſtruo ſulphureo promptiſſimè unit, & interdum Metallorum ſulphura, modò prius per aliud Menſtruum fortius fuerint optimè corroſa.

Menſtrua ſalina ſunt *vel acida*, *vel urinoſa*, *vel ſalſa* ex his mixta. *Acida* è Regno *vegetabili* ſunt v.g. *Succus Citri*, *Cydoniorum*, &c. item *Aceta* ex his per fermentationem parata, & *Spiritus acidi* Lignorum. Temperatiora ſunt Acidis mineralibus, adeoque adhibentur ut plurimum ad Corpora poroſiora v.g. *Oc. Canc. Corall. Martem*, &c. tumque in illis ratione Alcali occulti efferveſcentiam excitant. Inter Vegetabilia autem primatum obtinet *Acetum deſtillatum*, quod & ipſa metalla (calcinatione parùm reſeratâ) ſolvat. Sic *Vitrum Antimonii* in *Tincturam*, *Minium* in *Sal ſaccharinum*, *Martem in Crocum*, & *Venerem* in *Æruginem* convertit. Ex Regno *minerali* deſumuntur *Menſtrua acida* maximè corroſiva, qualia ſunt *Aqua fortis*, *regia*, *Spiritus Salis*, *Sulphuris*, quæ compactiſſima corpora ſolvunt; non

tamen

tamen omnia promiſcuè. Sic *Aqua fortis* ſolvit *Lunam*, non autem *Aurum*, niſi addito ſale. Regnum *Animale* Spiritum dat Formicarum, qui in hoc convenit cum *Spiritu Viridis æris*, quòd in ſolvendo aciditatem, ſicut alia Menſtrua, non amittat. Dantur & Menſtrua *inſipida*; qualia ſunt Mercurius qui *Aurum*, & *Oleum* quod *Martem* & *Lunā*, modo diutius in eo contineatur, ſolvit.

Sequuntur menſtrua *Salina urinoſa*, quædam *fixa*, quædam *volatilia*, priora *Lixivia* ſunt Salium fixorum verbi gratia *Salis Tartari* & *Ciner. clav.* quæ omnia ſulphurea ſolvunt; ſalia enim *fixa* fiunt in calcinatione corporum, ex Sale volatili & ſulphure conſtantium. Poſteriora ſunt *Spiritus urinoſi*, qui ſulphureas tam Vegetabilium quàm Animalium partes eliciunt: v. g. *Spiritus Urinæ*, *Spiritus ammoniaci*. Quærunt multi *Menſtruum univerſale*, quod omnia diſſolvat corpora ſine ſuâ debilitatione; quodque à Mercurio abſtractum eum adeo figat, ut malleum ſuſtineat: Aſt rara avis. *Starkius* dicit eſſe corpus ſalinum unum apparenter, ſed radicaliter ex duabus naturis, volatili nempe & fixo. *Becherus* dicit eſſe ſalinum Mercuriali terrâ conſtans; quam terram in ſale communi reperiri ait. Tale menſtruum *Alcaheſt* appellatur. Cujus ſuccedaneum eſt *Sal tartari fixum volatiliſatum*, ſed volatiliſationis dantur modi varii. Hæc de Menſtruis pro diſſolutione aut extractione, quorum proportio varia eſt pro ratione ſubjecti.

Pergimus ad *Effervescentiam*, quæ ex mutuo acidi cum urinoſo concurſu, oritur; efficitque, ut acidum & urinoſum non amplius ſe exerant, ſed in neutrum quid jungantur. Ille autem inſignis motus & agitatio, quæ *Efferveſcentia* dicitur, inter ſalia pura locum obtinet. Si enim ſalia ſint impura, i. e. aliis particulis materialibus permiſta & ab illis temperata, impeditur exinde proximior concurſus, & ſuccedit, non *efferve-*

ſcentia

ſcentia, ſed *fermentatio.* Sic in muſto ſalia particulis materialibus intertexta fermentationem ſubeunt. *Sal* tamen *Tartari* cum Spiritu Vitrioli volatili *efferveſcentiam* init, ut & quodvis Sal volatile cum acido. In Vini generatione res patet: dum enim Vinum degenerat in Acetum, acidum & alcali, aliis intertexta particulis, non *liberam efferveſcentiam*, ſed *fermentationem* ſubeunt. Purum tamen Sal tartari, quod *Alcali* eſt, & *Acetum*, quod purum eſt Vini *acidum*; hæc inquam combinata *efferveſcentiam* excitant. Pari ratione *Spiritus Vitrioli* cum *Oleo Terebinthinæ*, *Oleum Tartari per del.* cum *Alumine*, acido ſcilicet fortiter concentrato; & *Aqua* cum *Calc. viv.* hæc, inquam, mutuo efferveſcunt. Corpora etiam terreſtria, quæ Alcali aut occultum aut nullum habent, acidum abſorbendo blandè cum illâ efferveſcunt. Talia ſunt *Mars*, *Saturnus*, *Corallia*, *Creta*, *Marmor* affuſo *Spiritu Vitrioli*, & *Limatura Martis* affusâ *Aquâ forti*, inprimis ſi addatur *Oleum Tartari per del.* Partes animalium duræ, *Alcali* gaudent *volatili*, quod cum *acido* efferveſcit. Notandum interea, *efferveſcentiam* interdum *calidam*, interdum *frigidam* contingere. *Calida* fit cum *Salibus fixis* à Subjectis *ſulphureis* elicitis; *frigida* verò locum obtinet quando *Sal volatile purum* cum *acidis puris* concurrit; v. gr. *Spiritus Salis ammon.* vel *Spiritus Urinæ* cum *Spiritu Salis*. *Cauſa* autem Efferveſcentiæ in genere ex mechanicâ conformatione petenda eſt; *Salium* ſcilicet *acidorum* partes conicæ ſunt & acuminatæ; *alcalium* verò fiſſæ, unde inter hæc tamdiu pugna continuatur, donec *acidum* ſubeat *alkali* fiſſuras, & uniant ſe duo iſta in *Sal ſalſum tertium*, ſive neutrum ex his, quod tamen de utroque participat.

Ex dictis patet *Fermentationem* motum eſſe, quo *acidum* & *urinoſum* concurrendo ſimul alias particulas, Miſtum componentes, in motum cient; nam à Sale depen-

dependet Miſti vinculum, adeoque ſalia mota reliquas reſolvunt particulas. Fermentationem ſequitur inſignis Miſti *Alteratio*, quia Salia ſub iſto motu de novo ſe unire geſtiunt, particulaſque unibiles in ſui conſortium rapiunt, alias verò non benè unibiles ſeparant; quæ, ſi leves fuerint, ſupernatant; ſi graves, ad fundum ſecedunt, unde nova Miſti textura. Sic *Muſtum* fit *Vinum* ope fermentationis; hoc denique per ulteriorem fermentationem, urinoſa deprimentem, in *Acetum* convertitur. Sic *Fructus auſteri* ſub fermentatione moderatâ ſuavem dulcedinem acquirunt, illâ autem protractâ aceſcunt. *Succi* etiam *Vegetabilium* moderatè fermentati *ſulphureum Spiritum*, eumque inflammabilem fundunt: protractâ autem fermentatione in *Acetum* acerrimum degenerant. *Fermentationi* Symbolam confert *Aer*, cujus vis elaſtica Salia magis magiſque commovet. Unde *Muſtum* dolio incluſum vix fermentat propter aëris defectum. Ex dictis illud ſe ſuggerit principium practicum, *ubi in corpore noſtro peccat Acidum, proſunt Alcalia, & contrà*, teſte experientiâ in omnibus penè Morbis. Magna enim eſt convenientia inter fermentationem artificialem, & eam, quæ fit in corpore humano. Nam pari ratione *acidum Stomachi* concurrit cum *Sale volatili Alimentorum*, quibuſcum ſe maritat, & tandem ambo in *ſalſum* degenerant *volatile*. Si Chylus nimium ſit acidus, adeſt Bilis, quæ illum in Sal volatile tranſmutat, hac autem deficiente innumera ſequuntur mala.

Fermentatione ſuperatâ ad *Præcipitationem* pergimus, quæ eſt ſeparatio Corporis in Menſtruo ſoluti, ac poſtea ad fundum ſecedentis. Fit *Præcipitatio* vel propter porulorum Menſtrui repletionem & anguſtiam, vel propter gravitatem particularum ſolutarum. *Prioris modi* exemplum eſt *Extractio Jalappæ*, vel *Tinctura Benzoes*, cum *Spiritu Vini* facta, quæ affusâ *Aquâ communi* poros *Spi-*

ritus Vini replente præcipitantur. *Poſterioris* exemplum eſt *ſolutio Auri* in *Aq. regiâ*, quæ addito *Mercurio*, cum *Auro* ſeſe jungente, ejuſque pondus augente, particulas *Auri* dimittit. Præterea Præcipitatio eſt vel *ſpontanea*, ut in ſolutione *Corallorum* in *ſucco Citri*, vel *violenta*, quando nempe additur tertium quid, ut in *Magiſteriis officinalibus*, & illo *Nephritico* dicto, quod à *Spiritu Vitrioli* præcipitatur. Eſt porrò vel *totalis*, quando partes ſolutæ totaliter ad fundum ſecedunt, vel *partialis*, quando aliquantiſper ex poris tantum excluduntur, ut in *Urinâ* inſperſo *Sale*, vel *Solutione Jalappæ*, quæ palleſcit & albeſcit additâ parvâ *Aquæ* quantitate. Ut clarior fiat *Præcipitationis* doctrina, notandum eſt, quòd acida & auſtera *Acetum* v. gr. vel *Alumen* craſſum *Lactis* corpus coagulent, adeoque poros *Seri* anguſtent, ut ſeparetur *Caſeus*: Alcaliâ verò *Caſeum* attenuantia, adeoque poros dilatantia ſeparationem impediant. *Tincturæ* etiam *Vegetabilium* ſubito frigori, poros Menſtrui aſtringenti, expoſitæ turbidæ evadunt, i. e. particulæ ſolutæ aliquantiſper extruduntur; in calore autem detentæ perſpicuæ remanent & coloratæ. Solutiones factæ ab *acidis* per *alcalia* præcipitantur, & contrà. Sic *Aurum* in *Aq. Regiâ*, ſolutum per *Oleum Tartari* in *Aurum fulminans* præcipitatur; contrà *Sulphur* ſolutum cum *Lixivio Salis Tartari*, præcipitatur ab *acidis*. *Decoctum* etiam *Abſinthii* (aut alterius vegetabilis) in *Lixivio Salis Tartari*, addito *Alumine*, Magiſterium, Vegetabilis colorem præ ſe ferens, præcipitat. Solutio itidem *Granorum Chermes* addito *Alumine Laccam Florentinam* præcipitat. Ratio eſt, quia acida alcalium, & contrà, exoptant unionem, unde partes ſolutæ dilabuntur. Notandum autem Magiſteria ab Alumine præcipitata compoſita eſſe, quia terra ejus petroſa ſimul præcipitatur. Cæterum non ſolùm Alcalia præcipitant Acida, ſed à *fortioribus* etiam acidis *debiliora* præcipitantur, quia poros

🜄 phle-

phlegmatis replent & particulas Terreas corroſas adoriuntur, cumque iis ſeſe jungentes pondus augent. E. gr. *Corallia in Aceto* ſoluta per *Oleum ſulphuris*, & *Oc. Canc.* in *Spiritu Nitri* ſoluti per *Spiritum Vitrioli* præcipitantur. Hæc de *Artificiali Præcipitatione*, quâ fiunt *Magiſteria Vegetabilium*, *Animalium*, &c. ſed parum valentia; quia ab *acido* corroſa & ab *alcali* concentrata, à nullo amplius Menſtruo ſolvuntur, nullo igne calcinantur, in ſtomacho non digeruntur, ſed poſt triduum per Vomitum excernuntur, *Acida* in corpore non imbibunt, cùm ſint ab *acido* hactenus ſaturata; &, ut verbo dicam, ſemper retinent aliquid *Menſtrui corroſivi*, teſte vel ipſo ponderis incremento, non obſtante omni edulcoratione. Horum itaque loco parat *Zwelferus Magiſteria ſolubilia ſine præcipitatione*, per ſolius *Spiritus Viridis Æris* affuſionem, ejuſque abſtractionem & edulcorationem; quæ ſanè vulgaribus præſtant.

Accedimus nunc ad *naturales Præcipitationes*, quæ *Fermentationes* ſequuntur, v. gr. in *Muſto*, *Cereviſia*, &c. ſalia concurrentia particulas terreas, ut feces, extrudunt beneficio fermentationis. Quod ſi impediatur *Fermentatio* vel propter prædominans acidum aut Corporis heterogenei admiſtionem, mox oboritur *Præcipitatio.* Undè *Cereviſia acida* facta per *Cretam* præcipitatur; *Vinum* itidem *aceſcens* à putaminibus *Ovorum.* Hæc enim alcalia recipiunt acidum in ſui amplexum, & ſecedunt unà fundum verſus. Similem planè reperimus in Corpore humano Præcipitationem. In *Febribus ardentibus* enim ipſa Maſſa ſanguinea ſcorias heterogeneas eliminat. Subinde & auxilio ſunt *præcipitantia*, Alcalia ſcilicet, in *Febribus intermittentibus*, ubi acidum præternaturale fermentationem ciet; Acida verò in *Ardentibus*, ubi ebullitio ab acido volatili procedit. Sunt & *impropriè* dicta *Præcipitantia*, quæ non præcipitant ſed abſorbent & figunt, qualia ſunt *Mars*

in *Hypochondriacis* & *Scorbuticis*, *Creta* in *Sodâ*, & *Dens Apri* in *Pleuritide*.

Accedimus nunc ad *Calcinationem*, quæ eſt corporis compacti in minutiſſimas ſui partes corroſio & ſolutio, quâ *Metalla* quidem in *Calces*, & *Vegetabilia* in *Cineres* rediguntur. Fit autem *Calcinatio* vel *igne actuali*, qui in principio non ſit nimius, ne materia calcinanda colliqueſcat, vel partes volatiles avolent; huc ſpectat Calcinatio per radios ſolares mediante Speculo uſtorio concentratos facta: Vel fit *Igne potentiali*, *Liquoribus* nempe *acidis*, idque duplici modo. 1. per *Suffumigium* vel *Vaporem*, *Mercurii* videlicet aut *Sulphuris* pro *Venere* aut *Marte* calcinandis, nec non *Aquæ bullientis* pro *Animalium oſſibus*. 2. Immergendo nunc in *via humida* res calcinandas in Menſtruum ſolvens, aut illinendo v. g. *Oleum Vitrioli* bacillo ferreo; nunc *in viâ ſiccâ* per *Amalgamationem Mercurii* calentis in crucibulo cum Metalli laminis, expreſſo poſtea *Mercurio* per corium, injectâ priùs Aquâ frigidâ; nunc denique per *ſtratificationem* ſalinorum pulverum cum lamellis Metallorum, quo in caſu Salia reſoluta emittunt *Spiritus acidos corroſivos*. Huc ſpectant *Detonatio*, *Granulatio* & *Extinctio*. *Detonatio* fit, quando *Minerale* cum *Nitro Tartaro*, &c. crucibulo per vices committitur, ut *Sulphur* ſuperfluum partim avolet, partim figatur. *Granulatio* fit, quando *Metallum* e.g. *Mars* ignitus *Sulphuri* admovetur, ut à flammâ liqueſcat, & in Aquam frigidam ſuppoſitam ſub *Granulorum* formâ decidat. *Extinctio* fit, quando e.g. *Corallia*, *Silices* & *Lapides* calcinandi aliquoties igniuntur, & in liquore quodam extinguntur, donec friabiles reddantur.

Altera Operationis Chymicæ pars eſt *Coagulatio*, quando nempe res liquidæ ad ſolidam ſubſtantiam per humidi privationem rediguntur; eſtque duplex. 1. Res in calido ſolutæ in frigido coagulantur, *Nitrum*, v.gr.

&

& *Salia eſſentialia.* 2. Quædam in frigido ſolutæ, concreſcunt in calido, *Salia* v. g. *cineracea.* Priora nempe in calido Spiritus de ſe promunt, poſteriora contrarium præſtant.

Pertinent quoque huc *Congelatio* & *Cryſtallizatio*: prior in *Gelatinis* patet: poſterior fit, quando ope evaporationis liquoris ſolventis ad pelliculam uſque, *Salia* ante diſperſa & diſcontinuata congregantur, & poris Menſtrui per frigus conſtrictis in certam figuram concreſcunt. *Salſa* ſint, oportet, nec *alcalia* enim nec *acida* ſola Cryſtallos dant.

CAP. IV.

De Sulphure & Antimonio.

PER *Sulphur*, ſulphureaque Concreta nihil aliud intelligitur, quàm *Pinguedo* facilè inflam̃abilis; quæ cùm in *Sulphure crudo* inprimis inveniatur, ab hoc tanquam à potiori facta eſt denominatio. Cùm verò *Olea* tam *naturalia* quàm *artificialia* ſint inprimis pinguia & facilè inflammabilia, factum eſt, ut *Oleum* & *Sulphur* hoc in paſſu coincidant, & promiſcuè ſumantur. *Pinguedo* hæc *Sulphurea* non ſolitaria, ſed cum aliis particulis variis concreta, reperitur; unde non tam primum erit Principium, quam principiatum. Conſtat *Sulphur* ex acido à pinguedine temperato. Sic in *Sulphure communi* & *Antimonio* acidum reperitur. *Succinum*, *Bitumina*, *Reſinæ pingues*, *Pix* nempe, *Terebinthina*, &c. in diſtillatione *Spiritum* dant *acidum*. *Fuligo* itidem, quæ *Sulphur* eſt *ſublimatum*, fortiori Igne *Spiritum acidum* reddit. *Ligna* quo pinguiora, eo copioſiorem *Spiritum acidum* ſuppeditant. *Carbonum Sulphur* per alcalia fixa acidum deſtruentia extrahitur. *Myrrha*, utut amara, deſtillata tamen acidum exhibet ſaporem.

Oleum commune, acidi virtute *Martem*, *Lunam*, & *Venerem* corrodit in *Rubiginem*, & in oculum incidens, vehementiſſimos excitat dolores. *Olea deſtillata*, utut in radice *Salia* ſint *volatilia*, tamen non deſtituuntur pinguedine ſulphureâ ab acido concentratâ. *Cinnamomum*, ſi blando Igne deſtilletur, *phlegma acidum* reddit. *Animalium pinguedines* ſuum quoque habent acidum; & ſi alcali fixo jungantur, producetur *Sapo*: alcalia enim acidum imbibunt, in pinguedine latitans. Credo etiam, in *Spiritu Vini* acidum ſubeſſe: *Spiritus* enim *ardentes* nil aliud ſunt, quàm *Olea* fermentando in *Spiritum* volatiliſata. Sic ſubjecta à fermentatione libera, dant copioſa ſatis *Olea*; fermentata verò *Spiritum ardentem* exhibent, paucum verò vel nullum *Oleum*. Licet multa ſint corpora metallica, quæ *Sulphur* non producunt niſi aliis mediantibus, habent tamen perfectum *Sulphur* intra ſe labitans. *Tincturas* autem *Metallorum* non tam *Sulphuris* extractiones, quàm partium quarundam metallicarum ſolutiones eſſe, affirmarem.

In ſpecie *Sulphur commune* ex duabus partibus, *inflammabili* ſeu *oleosâ*, & *acidâ* componitur. Confirmatur hoc ex *analyſi*, quâ acidus vapor in *Spiritum* concentratur, ardente pinguedine; & *Syntheſi*, quâ *Oleum Terebinthinæ* cum dimidia parte *Spiritus Vitrioli* cautè deſtillatum, perfectum dat *Sulphur* in Retortæ collo. *Sulphur* aliud eſt *nativum*, hinc inde, etiam in ditione Helvetiæ Bernenſi elicitum, quod utut rarum, optimum tamen eſt; aliud *artificiale* quod ex *Pyrite* excoquitur, vel ex *Aquis ſulphureis* inſpiſſando elicitur. Pro uſu medico eligendum puriſſimum: depuratur autem vel ebulliendo cum *Lixivio Calcis vivæ*; vel coquendo cum *Urinâ humanâ*, & levi dein *Aceti* inſperſione; vel fundendo cum *Cerâ*, ita ut flammam non concipiant, & in Aquam, dum adhuc fervent, infundendo. A *Sulphure* pendet *Thermarum* virtus; Aqua nempe ſaporis ſalini

per

per Mineram ſulphuream tranſiens, cum *Sulphure* efferveſcit, unde calor & medicæ virtutes. Parantur etiam *artificiales* ex *Sulphure* & tripla quantitate *Calcis vivæ*, in Aqua coctis, donec *Sulphur* rubeſcat: id enim ſolutionis eſt ſignum. Inter *Sulphuris* præparata primò ſe offert Sublimatio in Flores. Omnium optima eſt, quæ fit per ſe. Addunt quidam ſal decrepitatum; vel *Alumen uſtum*, vel *Colcothar Vitrioli*, ne ſcilicet in Igne fluat *Sulphur*; inanis tamen eſt metus, niſi enim *Sulphur* liqueſcat flores non ſublimantur. Exactiſſimè autem calcinandum eſt *Colcothar Vitrioli*, alias *Flores* tinguuntur acido corroſivo *Vitrioli*. Addunt quidam *Aloen*, *Myrrham*, *Benzoen*, & quandoque *Saccharum*, ſed peſſimo conſilio, comburuntur hæc enim in fundo & empyreuma acquirunt. *Benzoe* quidem egregium eſt balſamicum, ſed addatur potius per ſe ſublimatum. Alii miſcent *Corallia* cum *Sulphure* trito, fieri putantes, ut *Acidum Sulphuris Corallia* aggrediatur, & eorum partes volatiles in ſublime ſecum rapiat; quod tamen non fit. Pars *Florum* balſamica & pinguis, ab acido ſeparata, egregium eſt pectorale; omnibus etiam Ulceribus, tam internis quàm externis, omnique Affectui à Lymphæ acore oriundo, optimè ſubvenit. *Peſtis* quoque veneno inſigniter adverſatur, *Colicam* ab acido ortam tollit, in *Scabie*, cum alcali quodam acuata unicum eſt remedium. Ut autem ab acidâ parte ſeparetur oleoſa, fiunt variæ *Sulphuris* infuſiones cum Oleis variis, ut inde Balſama evadant. *Polemannus* digerit *flores Sulphuris* in phiala leni Igne per menſes aliquot; & perfectè digeſtos ſuaveolentiam aromaticam acquirere affirmat. Sublimationem *Sulphuris* ſequitur ſolutio. Solvitur autem vel per Alcalia fixa, quoniam hæc ex *Sulphure* in concrematione oriuntur; vel per Oleoſa deſtillata, quia ſunt naturæ ſulphureæ. Per alcalia fixa ſolvitur *Sulphur*, coquendo in *Lixivio Calcis vivæ* vel *Cinerum*

clavellatorum: & ſolutio prior ope *Urinæ*, poſterior ope *Aceti*, præcipitatur in *Lac* vel *Magiſterium*, quod nullius eſt pretii: *Sulphur* enim, partim cum acido, partim cum alcali unitum, fit ens novum fixum nullius uſus. Egregium fit *Lac* ſeu *Magiſterium Sulphuris*, quando *Balſamum Sulphuris* ad *Extracti* liquidioris conſiſtentiam inſpiſſatum, cum *Spiritu Vini rectificato* extrahitur, & cum *Aquâ* ſimplici præcipitatur. Per oleoſa *Sulphur* ſolvitur in *Balſamum*; melius tamen procedit, ſi prius liqueſcat cum *Sale Tartari*. Ordinariè fit *Balſamum* cum *Oleo Terebinthinæ*; alii cum *Oleo Aniſi* pro pectorali, vel *Succini* pro cephalico uſu, parant. Addendo *Sulphuri Myrrham* & *Benzoen* cum *Oleis deſtillatis*, egregii fiunt *Balſami* compoſiti. *Camphora* etiam addita penetrantiores, & Affectibus *malignis* magis appropriatos reddit. Quidam loco *Sulphuris* communis ſolvunt *Sulphur auratum Antimonii*, & majorem, quod credo, ſperant effectum. *Balſamum Sulphuris* deſtillatum coagulum relinquit in fundo, quod pulveriſatum *Reſina* dicitur, in *Scabie* egregia, ex quâ cum *Spiritu Vini* probè *rectificato Tinctura* extrahitur non inelegans, utut tantùm ſolutio totius corporis videatur. Paratur etiam *Tinctura* cum *Spiritu Vini* ex *Sulphure* cum *ana Salis Tartari*, vel *p.iv. Nitri* liquefacto, & in rubedinem calcinato. *Tinctura* autem ex *Balſamo* parata, medietate abſtractâ, in cellâ *Cryſtallos* dat; quæ aliquoties cum *Spir. Vin. rectificat.* ſolvendæ, & ad tertiampartem abſtractæ, de novo Cryſtallizandæ ſunt, donec fœtorem deponant.

Altera pars dicitur *Spiritus acidus*, qui vix ſeparari poteſt ſine parte pingui, niſi per flammam. Inflammato itaque *Sulphuri* campanam vitream, juſto interjecto ſpatio, applicamus; quæ vapores aſcendentes excipit, qui ſenſim concreſcunt in guttas, decidentes in ſubjectum vas vitreum. Parum tamen acquiritur, niſi dies ſit nebuloſus, aut in cellâ deſtillatio fiat, & Campana

cum

cum Aqua aliquantum humectetur. Si *Spiritus* inde evadat phlegmaticus, rectificari poteſt. *Spiritus* hic *Sulphuris* eſt acidum univerſale, adeoque cognatus *Sali terræ centrali*; à *Spiritu Vitrioli* vix differt, niſi quod particulas metallicas admixtas non habeat. *Fumus Sulphuris* Vinum & omnes ſuccos crudos à corruptione præſervat. Imò Fila ſulphurea accenſa, & lagenæ potu ſemiplenæ indita, protinus claudendæ & fortiter agitandæ, potum reddunt ſulphuratum, in *Tuſſi* aliiſque Pectoris Affectibus, præſertim verò in *Peſte* egregium.

Poſt *Sulphur commune* in toto Regno minerali non datur ſubjectum magis ſulphureum, quam *Antimonium*; quod minerale eſt, naturæ metallicæ finitimum, & conſtituitur ex copioſo admodum *Sulphure minerali*, *Mercurio metallico* copioſo, & ſubſtantiâ Salinâ terreſtri alkalinâ. *Sulphur Antimonio* ineſſe, idque nobilius Sulphure communi, & ad Sulphur ſolare accedens, probant multæ ejuſdem præparationes & operationes. Imò ex *Antimonio* elici poteſt *Sulphur*, *communi* non diſſimile, niſi quod adeo non flaveſcat, & nonnihil virideſcat. Sic *Antimonium* pulveriſ. cum *Spiritu* vel *Oleo Vitrioli* digeſtum, & poſtmodum forti Igne deſtillatum, in fine Sulphur ſublimat in collo Retortæ, Antimonium etiam ſolutum in Aqua Regi. Affuſa Aqua communi, præcipitat *Sulphur virideſcens*; ut taceam, non ſecus quàm cum Sulphure communi per Olea deſtillata aut expreſſa, extrahi Sulphur Antimonii, & cum eo fieri *Balſamum Sulphuris*, quod melius eſt *vulgari*. *Sulphur Antimonii minerale* in fuſionis Igne omnia Metalla abſumit, ſeque cum iis ſaturat, cum in corpore proprio non ſaturetur, ideoque *Lupus* dicitur. *Aurum* tamen intactum relinquit propter amicam forſan Sulphuris Antimonii & Solaris conjunctionem. Mercurius, quem obtinet, *ſaturninus* eſt, & in Regulum ſe conglobat, qui cum *Sale Saturni* in perfectum *Satur-*

num mutari poteſt. Pro uſu medico optimum eſt *Antimonium*, quod ex aurifodinis eruitur, quale *Hungaricum*; quodque ſtrias habet albicantes *Mercurii* & interſperſa puncta rubra, *Sulphuris* copiam indicantia. Crudum nec vomitum ciet nec purgat. Sanguinem tamen purificat in Brutis, & Decoctis antivenereis in Nodulo ligatum additur.

Inter *Antimonii* Præparationes primum locum obtinet *Calcinatio*, quando ſcilicet Antimonium groſsè pulveriſatũ in ſcutellâ argillaceâ amplâ calcinatur ſuper carbones ignitos, ita ut ſucceſſivè *Sulphur* exhalet & pulvis remaneat gryſeus. In hâc operatione autem fumus cautè vitandus, quia corroſivus eſt & noxius. Antimonium interim in Crucibulo continuè agitetur ne coaleſcat & fundatur; ubi verò jam calcinatum eſt, ſuperaddatur novum ſucceſſivè, præſentia enim crudi fuſionem calcinati impedit. Calcinatio perfecta eſt, quando fumum non amplius emittit. Quod remanet, eſt *Sulphur internum Antimonii.* Fit etiam Calcinatio per radios Solares, quâ gravius evadit *Antimonium*, & blandum vomitorium ac diaphoreticum. Si *Antimonium* priùs *calcinatum* in Igne fundatur, donec intruſo baculo ferreo non amplius fumet, & quod adhæreſcit perſpicuum ſit, ac poſtmodum in Patellam effundatur, in loco frigido in *Vitrum*, concreſcit. Ut clarum fiat Vitrum, ſit dies ſerenus, & injiciatur aliquid *Sulphuris citrini* fruſtulatim vel *Boracis*; ſit *Calx* etiam recens, alioquin ab aëre mutatur. *Vitrum* hoc non tuto in ſubſtantiâ, ſed in Infuſo in uſum vocandum; modò per acida, *Acetum* nempe *deſtillatum*, vel *Spiritu Vitrioli, Nitri*, aut *Salis* cicuretur. Optimè corrigitur, quando pulveriſatum *Aceto Vini* extrahitur in menſtruum rubeum, quo decantato remanet Antimonium, cui affundatur S. V. digerantur aliquandiu, & deflagretur *Spiritus* ſuper materiam, quæ in *Regulum* beneficio

Ignis

Ignis cogenda. Sic fit *Vitrum*, quod optima dat *Infuſa Vomitoria* cum *Vino*, ubi ſolventis, non ſolvendi, doſis attendenda. Non facilè eſt *emeticam* hanc *Antimonii* vim in *catharticam* mutare, virtus enim purgandi conſiſtit in *Sulphure Antimonii non nimis volatili*, quod dum figimus, *diaphoreticũ* evadit. His ſubjungitur calcinatio *Antimonii* cum aliis, inprimis cum aa. *Nitri & Tartari.* Sic detonatur *Sulphur*, & Alkalia Sulphur, cum quo in radice conveniunt, arripiunt & in rubram materiam, *Hepar* dictam, mutant, quæ in Aqua commun. ſoluta dilabi ſinit Pulverem obſcurè flaveſcentem, *Croci Metallorum* nomina venientem qui eſt mitior *Vitro Antimonii*, atque infuſa dat emetica ſicut *Vitrum*; prius tamen corrigitur digerendo cum *Spiritu Vini*, qui verò dein deflagratur, ut avolent partes volatiles, remanentibus fixioribus. Paratur exinde *Sapo*, infundendo ſcilicet in *ſucco Cydoniorum*, vel *Muſto*, poſt filtrationem ad *Mellis* conſiſtentiam inſpiſſando.

Regulus Antimonii eſt *Mercurius* concentratus, ſeu metallica *Mercurii* pars, quæ ſeparatis ſcoriis in calice fuſorio fundum petit. Præparationis modus hic eſt, partes æquales *Antimonii*, *Nitri & Tartari* in Crucibulo detonantur, donec fluat maſſa, quæ in calicem fuſorium calefactum & ſevo inunctum effundatur, ſic in fundo ſe ſiſtet Regulus; qui ſi impurus videatur, pulveriſetur, atque cum dimidiâ *Nitri & Tartari* parte denuo fundatur. Procedit *detonatio* à *Sulphure Antimonii*, *Nitro* & *Sale Alcali* (ut in *Pulvere pyrio.*) Sunt itaque *Scoriæ* Alcalia Sulphure Antimonii ſaturata; & *Regulus* purus eſt Mercurius metallicus, à Sulphure ſeparatus. Quia autem Salia hæc Alcalia avidè Sulphur rodunt, quandoque ipſum quoque Regulum ſuo ſpoliant ſulphure. Unde, ne hoc fiat, ſunt qui addunt pulverem Carbonum, ut Salia ſimul ſulphure Carbonum ſaturentur: quo pacto acquiritur Regulus fæculentior quidem, pondero-

deroſior tamen & copioſior. Sunt etiam qui parant *Regulum* ex *Antimonio* cum ſolo *Carbonum* pulvere: ſed impurus hic eſt, quia Alcali Carbonum proprio Sulphure quodammodo ſaturatum, non adeo promptè nec copiosè abſorbet *Sulphur Antimonii.* Acquiritur autem nitidus & copioſus Regulus, fundendo Antimonium cum Colophonio; ſic enim pinguedo Colophonii imbibit cognatum ſibi Sulphur Antimonii. Unde fit, ut tota pars metallica in Regulum ſecedat: in aliis autem præparationibus, Salia alcalia Antimonii Sulphur rodunt, & volatilior ejus pars partem Mercurii ſimul abſumit. Alias etiam ſolum *Antimonium probè calcinatum*, & à *Sulphure* ſeparatum, ſine additione aliorum, vi Ignis abit in *Regulum.* Et hi ſunt *ſimplices Reguli Antimonii.*

Sequuntur *Reguli compoſiti*, quando ſcilicet metallum unum vel alterum additur. Tales ſunt Martiales, Joviales, Solares, &c. Mars non facilè funditur; ideoque injicitur prius in Crucibulum *Limat. ferr. ad ℥viij.* & candefieri permittitur ad ſummum gradum. Tandem adduntur *Antimonii* ℥xvi. Igne aucto funduntur & abeunt in maſſam unam, quia *Sulphur Martis* cum *Sulphure Antimonii* cognatum eſt. Maſſæ fluenti injiciuntur per vices Nitri pulveriſati calefacti (quod notandum) ℥iv, vel *Nitri* & *Tartari* aa. ℥ii. Erumpente flamma funditur maſſa, quæ forti Igne ultra horæ quadrantem in fluore detineatur & citò poſtmodum in conum fuſorium fundatur. Unde acquiritur *Regulus Martialis*, qui ſi impurus, denuo cum *Nitro* fundendus eſt. Pro *Regulo Antimonii Joviali.* ℞. *Antimonii crud. Stanni aa. p. æq. fundantur, & addatur Nitrum.* Pro *ſolari* fundatur *Aurum* cum *p. iv. vel vi. Antimonii*, ſic *Regulus* ſubſidebit. Si aliquid *Auri* in *Scoriis* relinquatur, addatur his pars dimidia *Antimonii crudi*, & iterum fundatur; addendo, cùm fluxerint, parum *Lim. Martis.*

Scoriæ primò ſolutæ in Aquâ calidâ, hinc affuſo Aceto præcipitatæ, dant *Sulphur Auratum Antimonii*, obſcuri coloris, quod doſi granorum duorum valdè purgat per vomitum & ſeceſſum Adultos. Sequentes Præcipitationes exhibent *Sulphur* magis *fixum*: & ſi ab ultimæ præcipitationis *Sulphure Spiritus Vini* deflagretur, optimum eſt *diaphoreticum*, diciturque *Pulvis epilepticus antimonialis*. *Spiritus Vitrioli* huic ſolutioni affuſus corrigit vim *Antimonii catharticam* (ſicut omnia acida) & *Sulphur* reddit magis *diaphoreticum*. *Solutio* vel *Lixivium Scoriarum* prodeſt in *Menſium obſtructione* formâ ſuffitus, *Ulcera* abſtergit, *Gangrænam* tollit, & *Scabiem* aufert. Cavendum autem, ne addantur acida, alias Cuti maculas imprimunt.

Antimonium diaphoreticum differt à *Croco metallorum* in eo, quòd ad illud præparandum ſumatur tripla *Nitri* portio & una *Antimonii*, ſic enim figitur *Antimonium* ut amittat vim catharticam. Curandum interea, ut *Sulphur Antimonii* perfectè imbibatur ab *acido Nitri*, alioquin textura ſulphuralis emerget, & cum ſteterit aliquandiu, emeticum reddetur. Hoc ne fiat, ſunt qui *diaphoreticum* iſtud ex *Regulo* parant, cujus *Sulphur* hactenus ſub forma *Scoriarum* ſequeſtratum fuit; & hoc modo paratum ſalivationem quandoque ciet. Maſſa itaque fuſa (proceſſum ſuppono vulgarem) ſolvitur in Aquâ, in qua *Antimonium* in formâ pulveris fundum petit, *Nitrum* verò *Aquæ* permiſcetur, quæ in *Cryſtallos* abit, partim *ſalſas*, partim *nitriformes*, *Nitrum Antimoniatum* dictos. Sic ergo paratum *Antimonium diaphoreticum* probè eluendum eſt *Aquâ calidâ*, deinde digeratur cum *Spiritu Vini*, qui poſtmodum deflagretur. Si *Lixivio* in quo Maſſa *Antimonii diaphoretici* ſoluta eſt, *Acetum* inſpergatur, præcipitabitur Pulvis, *Magiſterium* dictus, cujus dimidia doſis plus valet, quam integra *Antimonii Diaphoretici*. Parant quidam

Anti-

Antimonium diaphoreticum in Retortâ tubulatâ, ut *Spiritum Clyſſiformem* ex *Nitro* de *Sulphure Antimonii* participante in receptaculo appoſito capiant. Doſis *Antimonii diaph.* à ℈ß ad ʒß. Doſis *Nitri antimoniati* verò eſt ℈j.

Ex *Regulo Antimonii* cum aliis metallis fiunt variæ compoſitiones. Sic *Antihecticum Poterii* ritè paratur ex *Jovis* p. v. & *Reguli* p.iv. ſimul fuſis, & cum *triplo Nitri* detonatis, donec album fiat ; malè autem cæruleſcit propter Sulphur *Jovis* nondum fixatum, quod levi encheireſi in igne ſeparandum. Præcipitatur etiam *Pulvis Antihecticus* ex *Marte & Regulo antimon.* cum triplo Nitri fuſis, calcinatis, & in aqua ſolutis, ſub nomine *Diaphoretici martialis*, in *Ictero* & *Cachexia* laudatus. Cujus Caput mortuum in aqua ſolutum, conſtans ex *Antimonio* & *Sulphure* à *Spiritu ſalis* corroſis, dat *Acidulas artificiales* virides.

Sequitur *Sublimatio Antimonii*, ad quam producendam ſumitur Cucurbita tubulata, atque ſub eâ ſublimatur *Antimonium* in *flores*, addito triplo Arenæ, ne liquefiat. Sed heic ignis regimen debet eſſe legitimum, ſi enim debilior fuerit, Flores non ſublimabuntur ; ſi Ignis fuerit intenſior & abſit arena, funditur maſſa & nihil dat *Florum*. Sunt hi *Flores* pars *Antimonii ſulphurea* cum *Mercuriali* unita, *alcalicâ* parte in fundo relictâ ; adeoque cum Alcali fixo in priſtinum *Antimonii* corpus reduci poſſunt. *Flores* qui in ſummo adhærent, ſunt *albi*, valdè maligni, & propterea corrigendi per *acida* : In medio ſiti ſunt *flavi*; & in infima parte *rubri*, qui ſalubriores, quia fixiores. Si cum *Sale ammoniaco* ex *Minera Antim.* fiat ſublimatio, ſimul cum *albis* & *flavis* etiam *rubri* acquiruntur *Flores*, optimi in *Cachexia* aliiſque Affectibus ; quorum doſis gr. viii. ad xii. & ex quibus fit *Tinctura* illa, *Lilium Antimonii* dicta. Sunt & *Flores* ex *Antimonii Regulo* ſæpius ſublimati & fixati,

qui à colore *Cheiri* audiunt. Parant quidam *Flores* ex *Sulphuris aurati Antimonii* p. i. & *Salis ammoniaci* p.iii. Aquâ calidâ edulcoratis & cum *Spiritu Vini* cohobatis; qui *Moſchum* redolent.

Ordine nunc proponam deſtillata Antimonialia. *Minera Antimonii*, nondum *Ignem* experta, deſtillatur ex *Retorta* in *Spiritum acidum*, *Acetum* dictum, (facilè in Calcinationepereuntem) paucum, quique nil aliud eſt quàm *Spiritus Sulphuris acidus mineralis*. In hac deſtillatione requiruntur *Carbones foſſiles*; & *Spiritus deſtillatus*, cum nova *Minerâ* digerendus & denuo deſtillandus eſt. Paratur etiam hic *Spiritus* extinguendo *Mineram* candefactam in Aqua comm. vel affundendo ℔. xiv. *Aq. pluv. deſtill.* ſuper *Mineræ Antimonii lævigatæ* ℔. vi. & digerendo donec efferveſcant & ſpumam edant: ſic *Aqua* fit *acidula*, quæ deſtillatur in *Spiritum acidum*, ſæpius cohobandum, qui optimum eſt menſtruum pro *Tincturâ Antimonii*, in ſpecie ex *Vitro Hyacinthino*, extrahendâ. Hæc de *Antimonii* deſtillatione per ſe. Deſtillatur vulgò etiam *Antimonium* cum *Saccharo*, quod *Spiritum* dat *acidum*, qui rodit & ſecum vehit *Antimonium*, unde *Spiritus Antimonii ſaccharatus*. Eodem modo deſtillatur cum *Melle*, lento tamen Igne (quod notandum, ne alias cum impetu proruant) unde *Oleum Antimonii mellitum*, quod externè *Ulceribus* confert. Optimè deſtillatur cum *Pane*, qui dat *Spiritum acidum volatilem*, corpus *Antimonii* reſolventem. Notandum quod *Spiritus panis Tincturam Antimonii*, quibuſdam in ſecretis habitam, promptè extrahat. Deſtillatur quoque cum *Sale communi*: item cum *Mercurio ſublimato*, unde *Butyrum Antimonii* prodit, & aucto poſtmodum Igne in collum Retortæ ſublimatur *Cinnabaris Antimonii*. Circa hanc præparationem notandum, quod anatica *Antimonii* & *Mercurii ſublimati* portio plus *Butyri* quàm *Cinnabaris* proferat, dupla autem *Mercurii ſublimati* portio

ad

ad unam *Antimonii* plus det *Cinnabaris*; quod *Antimonium Sulphureum* plus det *Cinnabaris* quam *ſtriatum*; quod ſi maſſa ex *Antimonio* & *Mercurio* compoſita in cellam per aliquot dies reponatur, *liquidius Butyrum* exhibebit; quod Ignis fortiſſimus in principio majorem eliciat *Cinnabaris* quantitatem; quod ſi in Igne ſuppreſſionis deſtilletur, recipienda eſt Retorta ampli Colli, alias rumpetur; & collum non ſit nimis breve, alias pauca ſeu nulla acquiritur *Cinnabaris*; quod denique *Mercurius* ſit *purus*, ita ut affuſâ guttâ *Olei Tartari* flaveſcat; ſi enim nigreſcat, *Arſenico* adulteratus eſt. Fundamentum præparationis hoc eſt. Conſtat *Mercurius ſublimatus* è corpore *Mercurii* & *Spiritu Salis* concentrato in *Mercurio*. Hic itaque *Spiritus Salis* qui *Mercurio* ineſt, Ignis beneficio reſolutus, rodit partem *Mercurialem* ſeu *metallicam* Antimonii, corroſam ſecum rapit, & cum eá abit in liquorem craſſiuſculum, odoris ſummè ſulphurei propter *Sulphur Antimonii* reſolutum. *Mercurius* autem *vivus* à *Spiritu Salis* derelictus, partim in forma viva cum *Butyro*, partim cum *Sulphure Antimonii* in forma tertii compoſiti, *Cinnabaris* nempe, prodit. *Butyrum Antimonii* non eſt *Mercurialis* ſed *Antimonialis* naturæ; elicitur enim *Butyrum* ex *Antimonio* cum *Spiritu Salis* deſtillato, licet propter defectum *Mercurii* nulla adſit *Cinnabaris*. Etenim *Antimonii p.* I. cum *Salis decrepit p.* II. & *Vitrioli ad alb. calcin. p.* III. hæc inquam deſtillata dant *Butyrum Antimonii* ſine *Cinnabari* & *Mercurius Vitæ*, qui eſt productum *Butyri Antimonii*, in crucibulo fuſus abit in antiquum corpus Antimoniale. Eſt itaque *Butyrum Antimonii*, *Regulus Antimonii* à *Spiritu Salino* in liquorem craſſiuſculum corroſus, *Spiritus* autem *Salis* relicto *Mercurio* cum *Antimonio* ſe jungit, quia Mineralia cum Metallis libentius ſe jungunt, & *Antimonium* corpus eſt ſemimetallicum. Paratur benignius *Butyrum Antimonii*, & dein me-

mediante præcipitatione *Mercurius Vitæ*, ex *Regulo*, ſeu *Antimonio diaphoretico*: nulla autem tum elicitur *Cinnabaris*, quia in his præparationibus omne *Sulphur* deflagravit, quod alias cum *Mercurio* in *Cinnabarim* coiret. *Caput mortuum* in hoc caſu remanens eſt verus *Antimonii Regulus*, id verò per repetitam *Mercurii ſublimati* additionem totum in *Butyrum* deſtillari poteſt. *Butyrum Antimonii* corroſivum eſt, & eapropter *internè* vix adhibetur; exhibitum autem vomitus non ciet, forſan quia acida in *Butyro* coërcent vim volatilem, quæ in *Mercurio Vitæ* obſervatur. *Externè* fonticulos commodè excitat. In *Gangrænâ* partem mortuam ſeparat. *Bubonibus* & *Carbunculis* applicatum eſcharam facit. In delicatis verò ſubjectis applicatur *Magnes arſenicalis ex ana Antimonii, Sulphuris, & Arſenici* igne arenæ in Crucibulo fuſis. Quando deſtillatur *Butyrum Antimonii*, vel etiam quando præcipitatur *Mercurius Vitæ*, ſimul ſolet progredi *Mercurius vivus*, qui ſi leviter evaporet in Igne, poſt ſe relinquit aliquot grana *Auri* quæ ex *Antimonio* extraxit.

Quod ſi autem *Butyrum Antimonii* rectificatum infundatur *Aquæ comm.* frigidæ, tum demum ſecedit *Pulvis albus*, per filtrum ſeparandus & edulcorandus, qui *Mercurius Vitæ* dicitur: imbibit nempe Aqua partes ſalinas acidas, quibus ſeparatis *Regulus* ad fundum ſecedit, ſub formâ *pulveris*; & Aqua hæc deſtillata dat *Spiritum Salis acidum*; qui vulgo, ſed malè, *Spiritus Vitrioli Philoſophicus* audit. *Mercurius Vitæ* Vomitorium eſt nobiliſſimum, & omnibus Antimonialibus facilè palmam præripit. Datur *in ſubſtantia ad gr. ii.* tutius autem *in Infuſo ad* ℥i aut ʒii *Vini*. Millies etiam infundi poteſt ſine mutatione, forſan quia particulæ Vini poris *Antimonii* ſe inſinuantes, jacturam ſi quæ ſit compenſant. Si *Butyrum* ex *Regulo Antimonii* (cujus *Sulphur volatile* avolavit) paretur, mitior erit *Mercurius Vitæ*:

imò, ſi in hoc caſu præcipitetur per *Lixivium Tartari*, & leniter edulcoretur, (modò *Butyrum* probè rectificatum fuerit) per inferiora tantum purgabit. Salia enim alcalia Sulphur ejus figunt. Sic ſi *Nitri* ℥iij. blando Igne fuſis addantur ℨij. *Mercurii Vitæ*, evadet *Catharticus*. Porro ſi gr. ii. *Mercurii Vitæ* cum *Sale communi*, vel cum *gr. xv. Mercur. dulcis* probè terantur, purgabit tantùm per inferiora, quia fixatus eſt ab acido *Salis*, vel *Spiritu acido* in *Mercurio dulci* latitante.

Paratur *Bezoardicum Minerale* ex *Butyro Antimonii*, cui affunditur *Spiritus Nitri rectificatus* guttatim donec nulla amplius effervescentia percipiatur; ſic *pulvis flavus* ad fundum ſecedit, à quo ter per Arenam abſtrahendus *Spiritus Nitri* novus ad ſiccitatem uſque, qui *Spiritus Nitri* hinc *Bezoardicus* dicitur: ſicque remanet *Pulvis fixus*, ſuper quem leniter calcinatum *Spiritus Vini* continuè agitando, deflagrandus. Brevius paratur per ternam *Croci metallorum* cum *Nitro* calcinationem in furno anemio Igne forti; vel ſexies *Spiritum Nitri* forti Igne à *Croco Metallorum* abſtrahendo. Hæc de *Bezoardico ſimplici*, cujus doſis *gr. vi. ad viij.* quodque egregium eſt ſudoriferum & alexipharmacum. Sunt & *Compoſita Bezoardica mineralia*. In ſpecie fit *Solare* hoc modo. ℞. *Butyr. Antimonii* ℥iv. *affund. guttatim. Spiritus Nitri rectif.* ℥iv. *additur Aurum à Venere probè depuratum & in Spiritu Nitri Bez. ſolutum* (alias vomitum ciebit) *deſtillentur per Retortam ex arena ad ſiccitatem. Reſiduo Spiritus Nitri recentis dimidia pars præter propter affundatur & abſtrahatur, quæ cohobatio cum novo Spiritu Nitri repetatur, Ignem ultimo intenſius urgendo.* Eâdem ratione fit *Lunare*, ſolutâ ſcilicet *Lunâ* in *Aquâ Regiâ*. Fit & *Martiale* ex *Butyro Antimonii Martiali* more ſolito. Paratur autem brevius extrahendo à *Croco Martis* cum *Butyro Antimonii Tincturam*, quæ cum *Spiritu Nitri* præcipitatur, abſtrahatur, &c.

Fit

Fit etiam *Joviale* ex *Butyro Antimonii Joviali*; brevius autem ex *Jovis* ℥iv. *Mercurii Sublimati* ℔. ß. in *Butyrum* deſtillatis, quod cum *Spiritu Nitri* præcipitandum.

Diximus, *Cinnabarim Antimonii* ex *Mercurio* & *Sulphure* in collo Retortæ concretis conſtare; quæ pro uſu medico aliquoties ſublimanda eſt, ut perfectè rubeſcat & ſuperfluum deponat Mercurium. Eſt *Cinnabaris Antimonii* Remedium polychreſtum. In *Morbis convulſivis* & malignis Affectibus par non habet. Doſis ℈j. *Boyle* ſuſpendit *Cinnabarim Antimonii* in amphora *Vini Rhenani*, quo mirabiles vires medicamentoſas in Caſibus chirurgicis contumacioribus expertus eſt.

Deſtillatis ſuccedunt *Extracta antimonialia*; quorum vis in *Sulphure* conſiſtit. Extrahitur autem *Sulphur* communiter per *Alcalia*; licet ſint, qui *Tincturas* per *acida*, *Aq. Regiam* ſcilicet & *Oleum Vitrioli*, inſtituunt; quo in caſu acida ſubſtantiam *Mercurialem* corrodunt, & *Sulphur* non tam ſolvunt ſeu extrahunt, quàm ſecum ſupernatans arripiunt; quodque denuo per repetitas deſtillationes ſeorſim partim recipienti partim retortæ collo adhærebit. Paratur autem *Sulphur Antimonii* per *Alcalia* in *viâ humidâ*, coquendo *Antimonium crudum*, vel ipſius Mineram, quæ plus habet *Sulphuris* externi, in *Lixivio Salis Tartari* per aliquot dies, novum ſemper affundendo loco illius quod exhalavit. Sic *Alcalia* Extractum reddunt *ſulphureum*, quod filtrandum & evaporandum, ut ſponte ſubſideat *Sulphur*, aut mediante *Aceto deſtillato* præcipitetur. Paratur etiam per *Alcalia in viâ ſicca*; quando nempe calcinatur *Antimonium* cum *Tartaro* aut *Nitro*, *Scorias* dat, quæ in aqua calidâ ſolutæ per *Acetum deſtillatum* in *Sulphur*, partim quia cum eo in radice conveniunt, partim quia in *Sulphure* latet *acidum*, quo cum ſe jungunt; & inſtillatum denique *Acetum* cum *Alcalibus* combinatur, ut

Sulphur ſecedat. Sed *Sulphura* hæc per *Alcalia* extracta non ſola ſunt, verùm miſta cum particulis *Reguli Antimonii* ſolutis per *Salia lixivii* & *Sal acidum Menſtrui præcipitantis*. Hoc probatur. 1. Quia ex *Sulphure* hoc mediante fuſione cum *Borace*, acquiritur *Regulus Antimonii*. 2. Quia Vomitum ciet, partibus Reguli-nis aſcribendum. 3. Quia non eſt inflammabile, propter Salia adjuncta volatilitatem figentia. Dum paratur *Regulus Antimonii*, ſolvantur *Scoriæ* in Aqua calida, filtrentur, & cum *Cremore Tartari* præcipitetur *Sulphur Antimonii*: ſic acquiritur *Sulphur* uſus egregii. Paratur etiam *Sulphur* purius ex *Cinnabari Antimonii*, ebulliendo in *Lixivio acri* & præcipitando cum *Aceto deſtillato*; vel deſtillando *Cinnab. Antimonii p. ii.* cum *Limat. Martis p.* 1. ſic enim prodit *Mercurius* & remanet *Sulphur* cum *Marte* conjunctum: quod ſubigendum cum Sale ammoniaco & in Flore deſtillandum; qui in *Aquâ* ſoluti & cum *Aceto* præcipitati *Sulphur* ad fundum dimittunt, quod ſane optimum eſt medicamentum. Sunt qui *Sulphur Antimonii volatile* acquirunt, volatiliſando *Scorias Antimonii* cum *Alcalibus volatilibus*. Alii *Sulphur* præcipitatum cum Spiritu Vini rectificatiſſimo digerunt & deſtillant, primoque *Spiritum*, poſtmodum autem *Oleum rubicundum* ſaporis dulcis & maximarum virium obtinent.

Sulphura ſequuntur *Tincturæ Antimoniales*, quibus *Sulphur* ejus fixius, quod ſolaris eſt naturæ, extrahitur, adeo ut *Lunam* in *Aurum* mutent. Extrahuntur hæ *Tincturæ* per acida v. gr. *Acetum deſtillatum*, *Spiritum Virid. Æris*, *Panis*, &c. quæ *Sulphur* figunt, & vim emeticam tollunt. Deinde cum *Spiritu Vini* digeruntur & artificiosè deſtillantur. Videntur autem *Tincturæ* hæ per menſtrua corroſiva inſtitutæ, non veræ *extractiones*, ſed *ſuperficiales* ſolùm totius corporis in partes minutiſſimas corroſiones. Sunt qui cum *Oleo Terebinthinæ*

thinæ Tincturas extrahunt; ſed in *Sulphur Antimonii fixum Oleoſa* non agunt. Pro *Tincturis* extrahendis commodiſſimè inſervit *Vitrum Antimonii*, cujus *Sulphur volatile* avolavit, relicto *Solari*. *Tinctura* quæ ex *Scoriis Antimonii* paratur, eſt potius *Salium* quàm *Antimonii extractio*. Non quidem contemnenda eſt, quæ fit ex *Antimonio* cum *ana Tartari calcinato*, donec flaveſcat maſſa, quæ in *Aquâ calidâ* ſoluta, pulverem dimittit cum *Spiritu Vini* extrahendum, unde *Tinctura* in debitam conſiſtentiam inſpiſſanda. Omnium autem optima eſt *Antimonii Tinctura*, quæ cum *Spiritu Vini* & *Aceto* deſtillato præparatur. Sed dubito interea, an dentur *Metallorum, Gemmarum, Corallorum*, &c. *Tincturæ genuinæ*, quia in priſtinum corpus per contraria reducuntur.

CAP. V.

De Mercurio & Cinnabari.

M*Ercurius* ultimum illud Paracelſiſtarum Principium, triplex eſt, 1. *Vulgi*, qui ſatis notus. 2. *Corporum*, ex Semimetallis & Metallis, præſertim *Lunâ*, extractus; quique potius novum eſt productum, artis beneficio generatum, quàm pars conſtituens concretum. 3. *Philoſophorum*; materia ſcilicet *Lapidis Philoſophorum*, huc uſque ignoti. Mercurius *Vulgi* videtur eſſe amalgama ſeu compoſitum corpus metallicum à fumo ſubterraneo reſolutum. Hoc probant maculæ quas relinquit in cochleari dum effumare ſinitur. Dicitur *ſervus fugitivus*, quia ignem expertus ſemper avolat, &, licet centies figatur, aut ad tempus fixus maneat, facilè nihilominus iterum per Alcalia reſuſcitari poteſt. Non poteſt itaque fixari, ut inſtar metalli fundi queat & tractari; coagulatur autem

facilè cum particulis metallicis in corpus duriuſculum, quodammodo malleabile, immittendo nempe in foramen in medio *Saturni* fuſi & parum frigefacti; vel in ovum effuſo albumine, cui, obturato foramine, affunditur *Saturnus* liquefactus. Eruitur nunc in formâ liquidâ; nunc ex Terra minerali, *Cinnabaris* dictâ, deſtillando cum Alcalibus evocatur. *Cinnabaris* enim ex *Sulphure communi* & *Mercurio vivo* componitur, unde addita Alcalia *Sulphuris* acidum abſorbent, & ſic *Mercurius* vivit. Magna *Mercurio* cum metallis intercedit amicitia, maxima cum Sole, minima cum Marte. Mercurius enim molliſſimus Aurum compactiſſimum ſubito penetrat & albeſacit, & in amalgama convertit. *Aurum* etiam *Salivationi*, *Paralyſi*, *Tremori*, aliiſque noxis à *Mercurio* illatis optimè ſubvenit, *Mercurium* cognatum extrahendo. Vis Salivationem ciendi fundata eſt in maligno *Sulphure arſenicali*, quod reſolvit tam utiles quàm inutiles humores, eoſque ſubtiliſatos per glandulas maxillares exterminat. Ratione hujus *Sulphuris* abit in Igne per ſe in Pulverem rubicundum. Virus hoc in *Mercurio vulgi* ſolum reſidet; *Mercurius* enim extractus ex corporibus Metallorum non inducit Salivationem. *Mercurius* cum *Saccharo* in *pulverem* redigitur, qui *Vermibus* maximè adverſatur.

Inter *Mercurii* præparata occurrit primo *depuratio* à ſordibus adhærentibus, quem in finem exprimitur vulgo per corium: hoc tamen non ſemper ſufficit, quia metalla intimius conjuncta ſimul tranſeunt. Alias infunditur in *Spiritu Vini* & agitatur, repetendo operationem donec depuretur. Melior modus eſt, ſi *Mercurius ſublimatus* aut *Cinnabaris* cum ana *Tartari* vel *Calcis vivæ* deſtilletur, ſic enim puriſſimus *Mercurius* manifeſtat ſe in receptaculo, affuſa Aquâ frigidâ. Nobis ſufficit repetita aliquoties ejus per alembicum tranſmiſſio, ac deſtillatio, quâ ſordes & partes metallicæ

retro

retro manent in cucurbitâ, modò ignis non fuerit nimis fortis redditus. Nota puritatis eſt, quod carbonibus impoſitus totus effumet ſine ſtrepitu.

Depurationem ſequitur *Præcipitatio* vel potius *Calcinatio*, quæ fit ordinariè cum *Spiritibus acidis*, qui affuſi Mercurium ſolvunt; & ſolutione demum abſtractâ remanebit Pulvis, qui impropriè dicitur *Mercurius præcipitatus*. Si fiat cum *Spiritu Sulph.* fit albus; ſi cum *Spiritu* vel *Oleo Vitrioli* fit *flavus*, & dicitur *Turpethum minerale*; ſi cum *Spiritu Nitri* vel *Aq. fort.* fit *ruber*. Color non à Spiritibus ſed à proprio Mercurii Sulphure dependet; ſic *Spiritus Nitri* admodum extravertit ejus Sulphur, unde fit *ruber*. Datur & *Præcipitatum Mercurii* per ſe, quando nempe *Mercurius vivus* immittitur Cucurbitæ plani fundi & ſtrictiſſimi orificii, quæ imponatur Arenæ, & lento Igne longo temporis intervallo fit *Præcipitatum rubrum*. Hoc tamen fit beneficio externi Sulphuris heterogenei ſeparabilis, quo ipſo Mercurius tingitur *colore rubro*. Unde Mercurius Corporum externo hoc Sulphure carens, calcinari hoc modo nequit. Paratur autem eâdem planè methodo ex *Auri Mercurio*, *Præcipitatum ſolare*, quod poſtmodum cum *Spir. Vin.* digerendum & deflagrandum eſt, ſic enim redditur egregium Diaphoreticum. Reliqua *Præcipitata* vomitus movent & ſeceſſus, niſi figantur; quod optimè fit, quando *Mercurius* cum *Aq. forti* præcipitatur, & ab eo dictum illud menſtruum aliquoties cohobatur, poſtmodum ſepties cum Sp. Vin. digeratur, atque toties deflagretur, & tandem cum *Aq. Salis Tartari* probè edulcoretur, ſic acquiritur *Mercurius diaphoreticus*. Cum Mercurius præcipitatur vel per ſe vel cum acidis Spiritibus, periculoſus fit pro interno uſu. Parant quidam *Præcipitatum* cum aliis Metallis, v. g. *Sole*. Solvitur nempe *Aurum* in *Aquâ regiâ* & *Mercurius* in *Aquâ forti*; junguntur, deſtillantur & cohobantur ſo-

lutiones; ſic exſurgit *Pulvis*, qui edulcoratus cum *Sp. Vini* dicitur *Aurum Vitæ*, quod quandoque *vomitorium* eſt in *Lue Venereâ*, quandoque *catharticum* in *Hydrope*. *Keſierus* cum *Mercurio* depurato & *Auro* amalgama facit, de hoc *Aquam fortem* abſtrahit, & Pulverem relictum ſub tegulâ calcinat. Si addatur *Regulus Antimonii* vocatur *Panacæa*. Imò ſine corroſivis paratur ex *Auri* per *Antimonium* depurati ℥ß & *Mercurii pur.* ℥iv. Amalgama per lotionem cum *Sale* & *Aceto* ab omni nigredine depurandum, per linteum exprimendum, & modo ſupra allegato per aliquot dies leniter digerendum. Huc referunt quidam Riverii *Antiquartanarium*, ſed malè, quia non eſt præcipitatum, ſed blandum remedium, (ut credo) ex *Mercurio dulci*, *Sole fulminante*, *Sulphure Antimonii*, & *Scammonio* præparato. Præcipitatur quoque cum *Venere*, unde *Præcipitatum Viride*, certum in *Gonorrhæa virulentâ* Remedium. Pertinet huc *Arcanum Corallinum Paracelſi*: ſolvitur ſcilicet *Mercurius* in *Liquore alcaheſtino*, quo abſtracto fit Pulvis, à quo abſtrahatur *Aqua Albuminis Ovor.* Pertinet huc quoque *Chaos magnum Poterii*, quando Mercurius in *Aquâ Forti* ſolutus cum *Aqua ſalſa* præcipitatur. Optimum eſt *Turbith Minerale*, quod fit ex Mercurio ſublim. in Aquâ ſoluto, filtrato, & cum *Oleo Tartari* præcipitato; Pulvis in fundo ſubſidens edulcorandus eſt, & cum Sp. Vin. deflagrandus. Hæc de Præcipitatis.

Sequuntur *Sublimata*. ℞. *Mercurii in Aqua Fortis p. ii. ſoluti, Vitrioli exſicc. Salis decrep. an. p. æq. ſublimentur in Cucurbita humili; cujus orificium in principio non adeo arctè claudendum, ut exhalet phlegma Salium adjunctorum. Sed quando nebulæ albicantes elevantur firmiſſimè claudatur, Igne gradatim aucto, ſic aſcendet Mercurius ſublim. in forma Salis cryſtallini.* Si Sublimatur *Mercurius* cum duplo *Nitri* & *Vitriol. calcinati*, elevatur *Mercurius ruber non corroſivus*, ejuſdem ponderis atque

atque fuit ante miſtionem cum Salibus; illa enim ſecum non evehit, ſed *Sulphur Nitri* agit in *Sulphur Mercurii*, unde *ruber* fit; ſi cum *Sale* ſublimetur, illud ſecum evehit, & ab hoc habet vim corrodendi. Minori labore & temporis jacturâ *Mercurius ſublimari* poteſt, quando in *Aquâ forti* ſolvitur, & hac abſtractâ Ignis ultimo augetur, ſic aſcendit ſine *Salibus*. Si *Mercurii ſublimati* partibus tribus addantur novi *Mercurii p.ii.* & ſublimentur igne circa finem non adeo intensè aucto, fit *Mercurius dulcis*, qui purgat ad ℈i. ſatis benignè, *vivus* enim *Mercurius* Salia corroſiva disjungit. Hæc præparatio, uti omnia purgantia *Mercurialia*, *Phlegmaticis* & *Hydropicis* convenit, *Bilioſis* nocet; ſed Antimonialia contrà. Pro externo uſu fit *Aqua Phagedænica* ex *Mercurio dulci*, in *Igne Calc. vivæ* ſoluto, addito Spir. Vin. quæ *Gangrænis* optimè ſubvenit. Revivificatur *Mercurius ſublimatus* bulliendo in *Aq. communi*, in vaſe ferreo, quia Mars abſorbet Salia corroſiva. Idem quoque fit per additionem Alcalium, quæ acida illa Salia rodunt. Impoſtores ſunt, qui ex *Mercurio* per ſe, *Aquam*, *Spiritum*, *Oleum* & *Sal* elicere volunt.

Pro *Cinnabari* ℞. *Mercurii vivi* ℔. *ii. Sulphur com.* ℥*iii. ſublimentur*, ſic acquiritur *Cinnabaris artificialis rubri coloris*. Parant alii *Cinnabarim cæruleam* hoc modo. ℞. *Sulphur. p. ii. Mercurii vivi p. iii. Sal. ammmon. p.* 1. *ſublimentur*. In his præparationibus *acidum Sulphuris Mercurium* corrodit, & in altum evehit ſub formâ corporis *Cinnabarini*, nam *Cinnabaris* cum *Alcalibus* (acidum denuo abſorbentibus) deſtillata *Vivum* reddit *Mercurium*. Fit etiam *Cinnabaris Solaris* ex amalgamate *Mercurio* cum *Sole ſublim.* cum *Sulphure*. *Cinnabaris nativa* eſt corpus rubicundum, concretum ex *Sulphure* cum *Mercurio* & *Terrâ lapidosâ*; & varia eſt pro varietate *Mineræ ſulphureæ*. *Hungarica* eſt optima, quia ejus *Sulphur* participat de natura Auri. Nulla autem nativa,

propter *Sulphur arſenicale*, intus aſſumatur; niſi prius corrigatur partim repetita ſublimatione, qua *Sulphur arſenicale* avolat, & fæces nocivæ ſegregantur; partim coquendo in Aqua aliquoties, & partem puriorem ſupernatantem cum Sp. Vin. deflagrando.

Cap. VI.

De Metallis in Genere; & in ſpecie de Marte, Venere, Saturno, Jove, Sole & Luna.

M*ETALLUM* eſt compoſitum ex Principiis diſtinctis, in unum homogeneum, & eſſentialiter indiviſibile concretis. Sunt autem hæc Principia ſecundum Chymicos *Sulphur*, *Mercurius & Sal*, non quaſi vulgaria illa corpora actu ineſſent metallis, nam ſi quæ ex illis eliciantur, nova ſunt Artis & Chymici Laboris producta; ſed per *Sulphur* intelliguntur particulæ inflammabiles ſeu acido pingues; per *Mercurium* particulæ mobiles in Igne & fuſiles; per *Sal* particulæ de naturâ *Alcalium*, *Sulphur* figentes, & cum *Mercurio* in corpus malleabile ligantes. Primum dicitur metallorum *Anima*, ſecundum *Spiritus*, & tertium *Corpus*. Generantur itaque *Metalla* ex fumo ſubterraneo pingui volatili, in corpore lapideſcente (ſed tractabili) coercito. Patet hinc, Metalla omnia de Sulphure acido plus minus participare, unde oritur acetoſitas illa Vitriolica, quam guſtui communicant. Si hoc *Sulphur* fixum ſit & maturum, Metalla ſunt eo *nobiliora;* talia ſunt *Aurum* & *Argentum*, quæ ſine facili jactura Ignem ſuſtinent. Si *Sulphur* non adeo fixetur, Metalla evadunt *ignobiliora;* eaque vel *mollia*, quæ multo conſtant *Mercurio*, & facilè funduntur; ut *Stannum* & *Plumbum;* vel *dura*, quæ copioſiſſimo *Sulphure* gaudent, adeoque facilè igniuntur, ſed difficul-

ter

ter funduntur, ut *Ferrum* & *Cuprum*. Multa autem, quæ *denſa* ſunt, non ſunt *dura*, ſic *Aurum* denſiſſimum eſt, *Vitro* mollius. Saturnus omnia metalla abſorbet exceptis Sole & Luna; copioſo enim gaudet Alcali volatili, quod *Metalla* minùs compacta, ſeu magis terreſtria avidè abſorbet. Conveniunt *Metalla* omnia in radice, & non niſi gradu & perfectione differunt, quod inde patet, quia plerumque mixta reperiuntur & ignobile de nobiliori participat, Luna v. g. de Sole, Saturnus de Luna, &c. Non repugnat itaque, imperfectiora ad majorem fixationis & maturationis gradum perduci poſſe, nam Luna fixa fit Aurum album, & ſi ſuperaddatur tinctura Auri, Aurum erit perfectum. Uſum Metallorum quod concernit, certum eſt, cruda ſolummodo paſſivè operari, quatenus *Salia acida* in corpora *Metallorum* corrodendo agunt, & acrimoniam ſuam perdunt. Tincturæ, quæ proſtant, ſunt tantùm ſuperficiales corporis metallici in minutiſſimas particulas corroſiones; à quibus reſuſcitatur *Metallum* ope Alcalium, præſertim Salis Tartari, quæ cum acido concurrunt, & *Metallum* ab ejus vinculis liberant. Si genuinæ habeantur Tincturæ, de eſſentiali Sulphure ſeparatim participantes, miros edunt effectus & omnino reduci nequeunt.

Mars conſtat pauco *Mercurio*, unde difficulter funditur; *Sulphure potenti*, ſed pauco & *fixo*, unde proximè ad *Aurum* accedit, promptéque incenditur; & copioſâ Terrâ ſeu principio Salino, unde firmam texturam, & vim adſtringendi, acidos etiam quoſcunque humores in Corpore noſtro abſorbendi nanciſcitur. *Chalybs* à *Ferro* non differt niſi duritie; *Mars* ſcilicet in lamellas redactus cum carbonibus aut cornubus ſtratificatus, fortiſſimo Igni committitur; unde acidum Martis cum Alcali carbonum fixo, vel Cornuum volatili concurrens, partem terreſtem magis conſtringit, & *Chalybem* facit. Sic Aqua Lumbric. vel Raphan. Ferrum

rum ignitum, ope Salium volatilium cum ejus acido concurrentium, indurat, quod pinguibus illitum denuo molleſcit. Martis vis *adſtrictoria* ex ſapore conſtat; *aperitiva* autem accidentalis eſt, quatenus vitioſos acidoſque humores (ceu obſtructionum cauſam) abſorbet, & ſub formâ Fæcum nigricantium eliminat. Cruda *Martis* limatura iis, qui Ventriculum habent debilem, non conceditur, quia in ejus fundo ſubſiſtit, illumque magis peſſundat. Notandum autem, poſt aſſumpta *Martialia* corpus movendum, & acida omnia (quæ *Martem* ſaturant) vitanda eſſe. Inter *Martis præparata* occurrit primò *Crocus adſtringens*, qui à colore ſubflavo nomen ſortitur; eſtque nil aliud, quàm *Mars* in Igne forti calcinatus; qui ponderis augmentum notabile recipit ab acido Carbonum, quod ſuos intra poros admittit. Sunt, qui pulverem rubicundum baculis ferreis, in furnis Chymicis adhibitis, adhærentem, pede leporino abſtergunt, *Crocumq́;* non incommodum hinc acquirunt. Convenit hic Crocus in omnibus Affectibus, qui opus habent adſtrictione, vel acidorum abſorbitione; idque tum *internè* tum *externè*. Similis eſt huic *Croco Terra Vitrioli dulcis*, quæ nil aliud eſt, quàm *Crocus* ſive *Martis* ſive *Veneris*, & forſan nobiliores præſtat effectus. Alii ſunt *Martis Croci aperitivi* dicti, qui commodius forſan *alterativi* dicerentur, quia aperiunt tantum per accidens. Magni æſtimatur ſequens. ℞. *Limat. Martis, affunde parum Aquæ, & expone radiis Solis in diebus Canicularibus; ſic mirè incaleſcit & vertitur in Crocum cum ingenti efferveſcentia; nam Acidum copioſum in Marte exiſtens ab Aqua diſſolvitur, & accedente Solis calore proprium corrodit corpus.* Sic quoque Mars aëri expoſitus ab acido æthereo in *Crocum* ſeu *rubiginem* corroditur; unde præcavetur hæc rubigo ope alcalium, in ſpecie *Olei Tartari per del.* Malo autem conſilio inunguntur *Gladii* & alia inſtrumen-

ta

ta ferrea *Oleo communi*, notum quippe eſt, quòd *Oleum* ſcateat copioſo acido, potius corrodente quàm præſervante. Paratur etiam *Crocus Martis* cum *Vino*, non inelegans. Fit quoque *Tartarus martialis* ex *Tartaro* in *Aqua ferrariorum* ſoluto, additâ poſtmodum *Limaturâ Martis*; unde acidum *Tartari* corrodit *Martem*; deinde per filtrationem & evaporationem acquiruntur *Cryſtalli* egregiæ in *Morbis* Chronicis. Habet etiam *Williſius* (*Tr. de fermentatione*) præparationem ſecretiſſimam, quam tamen certum eſt fieri cum *ana Cremor. Tartari* & Spir. Vin. Damnantur merito omnes præparationes Martis cum nimiis acidis, v. g. *Aquâ Forti*, *Spiritu Nitri*, *Salis*, *Vitrioli*, *Sulphuris*, *Aceto*, &c. vel cum *Magdaleonibus Sulphuris* ad modum Calcinationis fuſoriæ; ſic enim ſaturatur Mars ab acido extra corpus, & nullas in corpore exerit virtutes, imò ventriculum onerat, cum ſit *Calx fixiſſima* nullo liquore ſolubilis. Sunt qui parant *Crocum* cum *Salibus alcalicis Aquæ* commixtis, vel *Lixivio Herbarum aperientium*; ſed parum valet, quia *Salia* in *Lixivio* contenta cum *Marte* concurrunt in corpus calciforme pro hoc ſcopo inutile.

Neque tamen ſola dantur è *Marte* præparata *ſicca* Remedia, etenim & *liquida* exinde parantur. Tincturæ nempe, quæ ſemper adſtringunt, licèt interdum per accidens aperiant. Damnantur meritò *Menſtrua* nimis *acida*; debent enim parari cum *Alcalibus* vel *blandis acidulis*, cum *Vino* v. gr. vel *Succo Cichorii*, vel *Spiritu Panis acido volatili*; horum enim acidum *Martem* blandè rodit & imbibit. Pertinet huc egregia illa *Tinctura Vitrioli Martis* aut per calcinationem cum *Sulphure* donec deflagrarit, aut per ſolutionem *Martis* in *Spiritu Sulphuris*, vel *Vitrioli*, cum *Aquæ p. iii.* diluto, quæ poſtmodum filtratur & cryſtalliſatur. Parat etiam *Riverius Vitriolum martis* ex *Spiritus Vitriol. rect. p. I.* & *Spir. Vin. p. ii.* in vaſe ferreo digeſtis & cryſtalliſatis. Fit dein & *Eſſentia*

tia Martis tartariſata, ſolvendo & inſpiſſando ad mellaginem *Vitriolum martis* cum ana *Cryſt. Tartari*, & deinde affundendo Spir. Vin. quæ optimum eſt remedium. Sub præparatione *Tincturæ Vitrioli Martis* & *Terræ foliat. tartari*, ſæpe evenit ut *Mars è Vitriolo* cadat, unde *Tinctura* magis eſt *tartarea* quàm *Martialis*. Hujus loco *Tincturam* parant quidam ex ana *Vitrioli Martis*, & *Terræ foliat. Tartari* exſiccatis. Huc pertinet *Tinctura Martis ſolaris*, quando nempe *Minera Martis ſolaris*, in Aëre effloreſcit in *Vitriolum*, quod cum ſ. q. *Roris majal.* deſtillat. ſolvitur & filtratur; ex hac cum ana *Liquor. Terræ fol. Tartari* fit *Tinctura Martis* extemporanea. Pertinent quoque huc noduli *Limat. Martis* in *Vino* infuſi, qui valde conveniunt. Ut verbo dicam, multæ ſunt *Martis Tincturæ*, cum blandis menſtruis, *ſucco Acetoſæ*, v.g. *Muſto*, &c. paratæ: Omnium tamen optima eſt quæ cum *Succo pomorum Borſdorfianorum* inſtituitur, ſolutioni inſpiſſatæ affundendo *Spir. Vin.* Paratur quoque *Tinctura flava* cum Spirit. Vin. ex *floribus Martis*, qui fiunt ex *ana* Martis & *Sal. ammoniaci* ſublimatis, denuo maſſæ in fundo relictæ commixtis, aëri humido expoſitis, & tandem cum dimidiâ parte *Salis ammoniaci* de novo ſublimatis. In hoc caſu *acidum ammoniaci* ſeu *Sal commune Martem* rodit & ſecum evehit. Parant curioſi Chymici *Martem fulminantem* ſolvendo Martem in *Aqua regia* & præcipitando cum *Oleo Tartari per del.* Notandum autem exactè Saturationis punctum, & cavendum ab efferveſcentia nimiâ, aut præcipitatione nimis ſubitanea, alioquin vix fulminabit propter ſubitaneam Gas volatilis & fulminantis evaporationem. Deducunt Autores hanc fulminandi vim ex *Sulphure Solari* quo *Chalybs* gaudet, à *Sale ammoniaco* extraverſo & *Nitro* accenſo; & allegant *Sulphur*, in pulvere pyrio cum Nitro fragorem dans. Quicquid ſit hac in re, videbimus ſub titulo de *Sole fulminante*.

Cuprum

Cuprum gaudet *Sulphure* fixiore & *Mercurio* copioſiore quàm *Mars*, unde citius funditur, promptiuſque inflammatur, & ratione Mercurii facilè cum *Sole* & *Luna* miſcetur, ita ut eorum fuſibilitatem non impediat; cujus contrarium fit in *Marte* & reliquis metallis. Ratione *Sulphuris* in *Venere*, *Caput mortuum Vitrioli Veneris Dyſenteriam* curat, *Dyſentericorum* excrementis ſuppoſitum. *Sulphur* & Mercurius in Venere æqualiter mixta, illam volatilem reddunt, adeo ut ſuper forti igne terram & totam ferè Venerem ſecum in auras rapiant. *Luna Veneri* affinis eſt, adeo ut rarò unum ſine altero effodiatur, & utrumque poſſideat vim tam *catharticam* quàm *emeticam*. *Lapis Calaminaris* cum *Veneris* triplo forti igne agitatus Orichalcum conſtituit. Alcalia volatilia *Venerem* ſolvunt, non verò *Martem*; quia prius plus habet *Sulphuris*, & Alcalia promptius Sulphurea aggrediuntur. Unde quidam *Veneris Sulphur* cum Alcalibus fixis Volatiliſatis extrahunt. Acida fortiora *Venerem* in *Vitriolum* ſolvunt; ſin volatiliora & blandiora illa fuerint, tum eandem ſolvent in *Viride æris*. Sic in SSS. Veneris cum Vinaceis, affusâ *Aceti p.* I. & *Urin. p. iii.* vel *iv.* in loco calido, blanda volatilis aciditas vinaceorum (quam eructant propter blandam effervescentiam aceti & urinæ) Venerem in *Viride æris* corrodit; quod deſtillatum cum arena dat *Spiritum* ex vinaceis, *Urinâ*, & *Aceto deſtillato* ortum, egregii uſus tam in Medicinâ quàm *Alchymiâ*, præſertim in *Affectibus ſoporoſis*. Deſtillatur etiam ex *Virid. æris p. ii.* & *Gum. Armoniac. p.* I. *Spiritus acidulus* optimus; qui ſi fiat ex *Viridis æris p. iv. Gum. Armon. p. ii.* & *Sulphur. p.* I. eſt melior & *Aſthmaticis* multum conducit. Alias *Viride æris* nullum uſum habet medicũ, niſi externè in *Ulceribus* detergendis. Quin & de Venere ipſa vix aliquid tuto uſurpari poteſt internè, niſi ejus *Sulphur anodynum* prius fuerit extractum.

Saturnus ratione principiorum contrarius eſt *Marti*, mul-

multum enim poſſidet *Mercurii*, unde facilè fluit & ponderoſus eſt; parum *Sulphuris*; & minimum *Salis*; unde *Terram Salinam* reliquorum Metallorum avidè abſorbet, exceptis *Sole* & *Lunâ*, quæ pro ſaturatione inepta ſunt. *Saturnus* reverberatoriâ calcinatione abit in *Minium* cum augmento ponderis à *Sulphure Carbonum*, quod ſe illi conjungit, ſed denuo demi poteſt additione Alcalium. *Saturnus* cum acido conjunctus augetur pondere; Calcinatus verò in *Aceto deſtillato* (melius fit ſi cum *Spiritu Nitri* acuatur) ſolvitur,& abſtractâ humiditate (non tamen prorſus omni, aliàs fulminabit) dat *Cryſtallos* ſeu *Saccharum Saturni* ſaporis dulcis; quod in *Malo hypochondriaco*, *Quartana contumaci*, *Phlogoſibus* à Salium effervescentiâ ortis, & *Dyſenteriâ*, *ad gr. xv.* multi eſt uſus. Ex hoc *Saccharo Saturni* cum *Vitriolo Martis* paratur *Tinctura antiphthiſica* mediante *Spir. Vin.* quæ validè adſtringit & *Ulcera* interna ſanat. Ex eodem per Retort. ſublimato cum *Vitriolo Martis* fit *Hæmatites artificialis*. *Saturnus* vapore *Aceti* calcinatus *Ceruſſa* dicitur; quæ (ſicut omnia *Saturnina*) acidum *Vulnerum Ulcerumque* egregiè abſorbet: Unde in *Cancro occulto*, *Ambuſtionibus*, *Eryſipelate*, *Scabie*, *Ulceribus ſcorbuticis*, omnibuſque Affectibus cutaneis, magnam præſtat opem. *Saccharum Saturni* diſtillatum dat *Spiritum*, qui nil aliud eſt,quàm Sp. Vin. regeneratus, *Aceti* nempe partibus acidis fixioribus *Saturno* adhærentibus: adeoque nil de *Saturno* participat. Aucto quidem Igne, cum *Aceto* concentrato, partes *Saturni* ſimul rapiuntur in forma *Olei*, primo *rubri*, poſtea *nigri*. Certum eſt itaque, quod uti ex omnibus metallis, ita maximè, ex *Saturno* nil liquidi eliciatur, niſi quod aliis additis debetur. Minera *Saturni* volatilis Hungarica, cum *Mercurio ſublimato* deſtillata, dat *Butyrum Saturni*,conſtans ex *Spiritu acido Sal. comm.* in *Mercurio Sublimato* contento, & particulis *Saturni* unâ evectis;

ctis; & in collo Retortæ *Cinnabarim* ex Mercurio & Saturno conſtantem. Ex *Butyro* mediante Aquâ præcipitatur *Pulvis albus* blandè laxans, ejuſdem uſus cum *Saccharo Saturni. Butyrum* hoc cum *Spiritu Nitri* ſublimatum, illoque ter abſtracto, ter edulcoratum & calcinatum, fit *Bezoardicum ſaturninum* in *Peſte*, *Febribus malignis*, *Scorbuto*, *Arthritide vaga* & *Malo hypochondriaco* egregii uſus. *Butyrum* denique ſuper *Saccharum Saturni* deſtillatum dat *Oleum rubicundum dulce*, egregiarum virium in *Morbis chronicis*, & *Ulceribus corroſivis*. *Saturnus* per ſe nullos præbet *Flores*, quia ratione *Mercurii* copioſi facilè in Igne liqueſcit. Vulgo faciunt S.S.S. ex *Saturno* & *Sulphure*, cujus acidum rodit *Saturni* ſive *Plumbi* corpus: Poſtea addunt *aa. Salis decrep. & p. ii. Boli comm.* Mixturam committunt Retortæ duobus tubis conſtanti; uni apponitur Receptaculum, alteri verò Follis, ſic deſtillatur *Spiritus*, & fortiori igne *Flores*, qui nihil aliud ſunt, quàm pars *Saturni* à *Spiritu Nitri* corroſa, qui benè edulcorati in Medicina multi uſus ſunt. Si *Saccharum Saturni* debitè cum *Oleo Terebinth.* vel *Junip.* uniri poſſet, eſſet *Balſamum* non inefficax in Morbis chronicis; ſed credo *Oleum* non tàm à *Plumbo*, quàm beneficio digeſtionis ſuper corpus Saturninum colorari. *Oleum deſtill. Saturni* nil aliud eſt, quàm acidum concentratum *Saccharo Saturni* affuſum. *Tincturæ Saturni* falſæ ſunt, parum enim participant de *Sulphure*, à quo omnis aliàs Tinctura oritur.

Stannum conſtat *Mercurio* non perfectè fixato (unde mollius eſt) ſed magis maturato & minus copioſo quàm *Saturnus*, unde minus ponderoſum & malleabile eſt; inſuperque Sulphure copioſo vol. minuſque cum Terrâ ſalinâ ſubacto eſt donatum, hincque poroſiſſimum, & cum aliis metallis miſtum difficulter ab illis ſeparatur. *Stannum* cum *Venere* miſtum in Igne flammam

concipit, quia utraque ſunt ſulphurea. A *Sulphure* eſt quòd *Stannum* cæruleum ſit, quòd vomitus moveat, niſi detractum ſit Sulphur, quòd in *Aquâ forti* accendatur, & cum *Nitro* accedente quodam Alcali inſtar pulveris pyrii inflammetur. *Stannum crudum* non uſurpandum eſt. Calcinatur non ſine difficultate. Agitatum cum *ana. Salis decrepit.* in pyxide cretâ probè fricatâ abit in Granula, quæ ab acido quocunque facilè corroduntur. Ex his Granis fit *Saccharum Stanni*, ad eundem modum, quo *Saccharum Saturni* ex *Minio*; eſtque in *Hyſtericis Affectionibus* internè laudatum. Ridiculè autem Umbilico admovetur. Fiunt ex *Mineræ Stanni* ℔i. cum *Spiritus Vitrioli* ℔ii. & duplo *Aq. font.* per evaporationem debitam *Cryſtalli* egregii ad Aquas Hydropicas per ſeceſſum educendas. Doſ. gr. iii. Ex *Stanno* cum *Mercurio ſublimato* fit *Bezoardicum Joviale*, in *Febribus malignis* & *Puerperarum Purpurâ* egregium. Huic ſimile eſt Sudoriferum maximum. *Joh. Fabri*, ex *Stanno* & *Mercurio ſublimato* beneficio deſtillationis paratum. Ex *Regulo Antimonii Joviali* cum triplo *Nitri* per detonationem, indeque ſequentem edulcorationem, paratur etiam *Antihecticum Poterii*, quod laudandum. *Tincturæ Joviales* nil habent.

Aurum conſtat *Sulphure* defæcatiſſimo copioſo, *Mercurio puriſſimo* arctè connexo & *Terræ Salinæ* fixæ mediocri quantitate. Unde adeo indeſtructibile eſt, ut, centies licèt calcinetur, tamen reduci facilè poſſit. Adeoque ejus præparata ſunt nil aliud, quàm atomi aurei ob compactiſſimam unionem nihil operantes & facilè in Solem reducibiles. *Tincturæ Solis* vel *Auri* ſunt tantùm ſuperficiales corroſiones. Si radicaliter diſſolvatur, requiritur *Menſtruum non corroſivum*, ſed *inſipidum*, ex *rore*, *nive*, aut aliâ re; ſed cuivis non contingit adire Corinthum. In præparatione Remediorum ex *Auro* curandum, ut adhibeatur defæcatiſſimum & à *Venere*

ſive

ſive *Cupro* benè purgatum, ne vomitus creet. Liberatur autem à Venere per Saturnum, qui cum Sole fuſus adjunctis metallis ſe ſaturat, & *Aurum* intactum licèt pallidius dimittit. 2. per calcinationem *Auri* ad modum S. S. S. cum *Sale ammon. Mercurio* & *farinâ Laterum*, hæc enim Metalla ignobilia rodunt, Sole intacto. 3. per *Antimonii p. iv.* fuſas cum *Solis p.* I. deinde adjectis *Nitri p.* I. *Lim. Mart. p. iii.* & fuſis, donec *Regulus* ſecedat: Igne fortiſſimo denuò fundatur, ſic *Antimonium* avolabit, remanente *Auro* puriſſimo coloris exaltati. *Sol* per *Corroſiva* non ſolvitur niſi addito *Sal. comm.* Cum *Lunâ* fuſus intimiſſimè ei jungitur: ſeparatur verò in *Aqua Forti* vel *Aqua Regia*, quarum prior *Argentum*, poſterior duntaxat *Aurum* ſolvit. Sed obſervari meretur, quòd niſi *Lunæ p. iii.* & *Auri p. i.* ſumantur, *Aqua fortis* maſſam non probè corrodat. *Sol* ſolutus reducitur per *Mercurium*, qui illum ſecum in amalgamate ad fundum rapit; igni verò admotus avolat, & Solem in fundo relinquit; vel per Præcipitationem cum *Spiritu Urinæ* aut *Oleo Tartari* eo truditur. Cæterùm *Spiritus Salis concentratus*, & *Spiritus Nitri bezoardicus* etiam Solem ſolvunt. Quin & Salia ſicca & coagulata idem præſtant. Sic *Sal vol. C.C.* ad modum S. S. S. ope ſui *Sulphuris vol. Aurum* in Crucibulo rodit in *Pulverem purpureum* in *Febribus malignis* & *Mulierum Purpura* commendatum. *Aurum fulminans* paratur ſolvendo illud in *Aqua Regia* & præcipitando cum *Oleo Tartari p. d.* Notandum autem, quòd *Aqua regia* paretur cum *Sale ammon.* & in præcipitatione ſaturationis punctum attendatur. Conſiſtit fundamentum virtutis fulminantis in *Sulphure ſolari*, ejuſque cum *Sal. alcalibus* concurſu, eademque eſt ratio quæ cum *Pulvere pyrio*. Sed Aurum fulminat deorſum, quia ponderoſius eſt, & non eſt inflammabile, ſed ſaltem incindeſcit, proinde fumum ſurſum, fulmen verò deorſum emittit; *pulvis* autem

pyrius habet Sulphur nimis vol. & inflammabile. Hoc *Aurum fulmin.* non edulcoratum laxat; probè vero edulcoratum ſudorem pellit, & egregium eſt carminativum. Vis fulminandi adimitur per acida, *Sulphur* v. g. *Spiritum Sal. vol. Sulphuris*, &c. Unde *Poterii Aurum diaphoreticum* fit ex *Auro fulminante Sulphure* cicurato, & cum *Spir. Vini* digeſto. Quin & ex *Auro fulm.* affuſo *Spir. Vin. rect.* & accenſo, aſcendit tum *fulmen*, & *Sulphur.* ſimul *aureum* elevatur in *Flores*, qui optimum ſunt ſudoriferum. Colliguntur etiam *flores* ex *Auro fulm.* per ſe in Retortâ tubulatâ. *Sol* per ſe non ſublimatur; ſed cum *Butyro Antimonii* elevatur ſupra alembicum. Cum *Sale armoniaco* item & *Spiritu Nitri bezoardico* in *Flores* ſublimatur, qui denuo A*uro* miſcendi, ut efficaciores acquirantur. Pro ſolvendo & extrahendo Sole, *Spirit. Vin. Sale vol. urinoſo* acuatus optimum eſt menſtruum, unde forſan A*urum potabile* confici poſſet. Cæterum ſi quis adeò fortunatus ſit, ut veram poſſideat *Tincturam ſolarem*, operabitur certè ſic ut *analepticum* & *anodynum* egregium.

Argentum conſtat Terrâ ſalinâ copioſâ, cum *Mercurio* minùs copioſo & pauco S*ulphure*. Unde minus fixum & indeſtructibile, minuſque ponderoſum eſt. Crudum nil facit in Corpore. In præparatione ſeparari debet à *Venere*, cui ſæpe combinatur, ne vomitus creet. Separatur partim ſolvendo in A*qua forti*, partim fundendo cum S*aturno*. *Luna* cum S*piritu Nitri rectif.* optimè ſolvitur, & ſic ſoluta præcipitatur affuſo S*piritu Salis*, diciturque Cornea, quòd inſtar cornu deflagret; contrà ſoluta in S*piritu Sal.* præcipitatur cum S*piritu Nitri* in præparatione *Bezoard. mineral.* Ex *Lunæ* in S*piritu Nitri* ſolutæ reſiduo, poſt menſtrui abſtractionem, moderato Igne (ut caveatur efferveſcentia) fuſo fiunt *Cryſtalli*, ſeu *Lapis Infernalis*, elegans pro excitandis *Fonticulis*, & *Ulceribus putridis* in carne gan-

grænoſâ

grænoſâ coërcendis. Hujus vis ſita eſt in *Spiritu Nitri* in *Lunâ* concentrato. Ex *Lunâ* in *Spiritu Nitri* ſolutâ, poſt menſtrui biando arenæ igne abſtractionem, agitando interea inſtrumento quodam, ut æqualiter evaporet, fiunt *Cryſtalli purgantes*, qui ad gr.iv. *Hydropicos* & *Catarrhoſos* egregiè purgant; ſed quia tonum Ventriculi laxant, *Martialibus* jungantur. Si parentur Cryſtalli beneficio *Nitri artificialis* ex *Calce viva* & *Sale com.* viridis ſunt coloris, cùm tamen omnia alia medicamenta lunaria ſint cærulea. Si *Luna* cum duplo *flor. Sulphur* (ſi minus ſumatur, *Luna* non calcinabitur, ſin plus, comburetur) ſepties ſublimetur, ſublimatum materiæ reſtitanti ſemper addendo, ſed ultima vice abjiciendo; fit ut acidum Sulphuris *Lunam* rodat in *corpus Vitriolaceum*, cui *Aqua hyperic.* affuſa & ad *cochl.i.* bis de die propinata *Maniam* & *Capitis Affectus* curat. *Tincturæ Lunæ* fiunt *cæruleæ* à Venere, vel ab Ammoniaco quocum fieri ſolent. Sed ſunt omnes tantum ſuperficiales ſolutiones, beneficio Alkalium reducibiles.

CAP. VII.

De Gemmis.

G*Emmarum* virtus pendet à principio Sulphureo metallico. *Gemmæ non odoratæ* conſtant *Aquâ* ſimpliciſſimâ à Sale coagulatâ. Coloratæ colorem habent à principio metallico; ſcil. dum *Aqua ſalina* tranſit per *loca metallica*, ex ente primo metallorum liquido ramenta colorata ſecum coagulat. Unde *Gemmæ rutilantes* à *Sulphure Solis*, *cæruleæ* à *Lunâ*, *virides* à *Venere*, & *fuſcæ* à *Marte*, colorem habent. *Gemmæ* crudæ intra corpus nil operantur, excepto *Cryſtallo*, quæ ob mollitiem ſuam omne acidum ab-

ſorbet & educit. Ridicula eſt *Gemmarum lævigatio* ſuper marmore, propter duritiem enim abradunt ſimul aliquid de marmore. *Tincturæ* etiam nullius ſunt pretii propter arctam illarum compagem. Externè quidem, *Jaſpis* in *Hæmorrhagiâ Narium* aut *Uteri* appenſus juvat; circulus cum *Sapphiro* ductus circa *Carbunculum*, eum excidere facit; imò & circa *Oculos* in *Variolis* & aliis *Affectibus* conducit. *Lapis nephriticus* appenſus in *Calculo* multum prodeſt. Cæterùm vis amuletica & radiativa pendet à Sulphure metallico.

CAP. VIII.

De Vino, Spiritu Vini, Aceto, & Tartaro.

QUÆ de *Vino* ejuſque productis dicemus, ad reliqua *Vegetabilia*, inprimis *Liquores vinoſos* ex *fructibus expreſſos* applicari poterunt. *Vinum* ex fermentatione ſeu concurſu acidi & alcali in *muſto* depuratur & exaltatur. *Uvæ paſſæ* videntur eſſe muſtum concentratum, unde ex *Succo pyrorum moſchatellinorum* fit *Vinum anticachecticum*, ſicut ex *Succo pomor. Borſdorf.* aut *Curtipendulorum anti-hypochondriacum* egregium. *Muſta* autem, quæ concentrata ſunt per abſtractionem phlegmatis in uſum navigantium, ſunt nimis arctè unita, unde nec in Igne diſſolvi, nec in Vinum fermentari queunt. *Muſtum* intus aſſumptum ob particulas heterogeneas confuſas nondum cum *Spir. Vin.* exaltatas, *Diarrhœas* excitat, ſed non inebriat. *Spiritus Vini* eſt *Oleum* cum *Sale vol.* fermentando in *Spiritum* mutatum. Ratione partis oleoſæ *acidum* in ſe continet, unde cum *Spir. Sal. ammoniaci* in offam abit. Parum aut nihil dat *Olei*, unde liquet, quòd *Spir. Vin.* & omnes *Spiritus ardentes* ſint tantum *Olea* fermentando *diſſoluta*, quodque per ſe in concreto non exi-

exiſtebant, ſed mediante fermentatione demum ex corpore vinoſo fiant. *Spir. Vin.* probè rectificatus eſt, quando gutta in Terram effuſa in auras evaneſcit, item quando cum *pulvere pyrio* accenſus nullum veſtigium relinquit. Si abſtrahatur à *Sale Tartari probè calcinato*, Sal phlegma (ſi quod ſit) retinet, & *Spiritum* adhuc puriorem dimittit; attamen & *Spiritus* quaſdam *Tartari* particulas ſecum rapit, unde *menſtruum* fit optimum ſimplici *Spiritui Vini* longè præferendum. Imò *Spiritus* ex fæcibus Vini *deſtillatus*, ob partes Salinas, quas ſecum evehit, non minùs quàm ille in medio Vini, in frigore congelati, reperibilis vulgari etiam longè præferuntur. *Vinum* ratione partis ſpirituoſæ Spiritus recreat, & humores acidos in corpore temperat, ſicut extra corpus *Spiritus minerales* dulcificat. Externè *Putredini*, *Gangrænæ*, *Podagræ*, & *Eryſipelati* reſiſtit. Ratione partis acidæ *Vinum Stomachicum* eſt; & in *Febribus ardentibus* tutiſſimè propinatur. Nimio tamen uſu, ejus acidum cum ſanguine ad partes nervoſas delatum, *Arthritidem*, *Contracturas* partium, alioſq; dolores infert.

Cæterum acidum hoc baſis eſt totius concreti, unde exaltatum figit partem Oleoſam, & fit *Acetum*. *Spiritus* enim in *Aceto* non exhalat ſed figitur. Quo generoſius eſt *Vinum*, eo fortius *Acetum*; unde additis *Sem. Eruc. Sinap.* &c. fit adhuc fortius. *Acetum deſtillatum* dat primo *Phlegma*, & non niſi poſtea Spiritum, quia fixatus fuit. Lento autem opus eſt Igne, ne *Spiritus* empyreuma contrahat. Addito *Sale ammon.* vel *Nitro* & *Sale gemmæ* in deſtillatione, inſigniter exaltatur. *Acor Aceti* planè volatilis eſt, undè meritò præfertur Spiritibus mineralibus. Acetum *alexipharmacum* eſt in *Peſte Theriacæ* anteponendum. Poſt *Opii* aut *purgantium* nimiam doſin, in integrum reſtituit, quin & ſanguinem coagulatum egregiè reſolvit. *Hyſtericis* autem & *Hypochondriacis* nocet.

Acidum Vini fæcem rodens, cum particulis ſolutis ſalinis coagulat & partes terreſtres conſtringit, unde fit *Tartarus*. *Fæces* enim beneficio fermentationis ſeparatæ non ſunt in totum *terreſtres*, ſed habent copioſum acidum & alcali; unde ex illis elicitur *Sal. vol.* in forma *nivis*, *Spiritus* item *volatiliſſimus*. *Tartarum* itaque ex acido fæces rodente genitum, in ambitu dolii concreſcit, quia ibi *Vinum* magis eſt acidum, ut patet ex glacie tempore hyberno; & ipſum lignum quernum dolii, ſubjectum firmum eſt, ad quod ſalia concreſcere amant. Conſtat *Tartarus* ex *acido* & *alcali*, ita ut præpolleat *acidum volatile*, unde Mucum in primis viis incidit, Renes abſtergit & Alvum laxat. Sed purificari debet à partibus *terreſtribus*, quæ à Stomacho digeri nequeunt; per ſolutionem nempe & coagulationem, unde *Cremor* & *Cryſtalli*. Sufficit autem unica ſolutio, ne debiliores evadant; & peſſimo fit conſilio, quod quidam laxativas haſce Cryſtallos additione Aluminis ſtypticas reddant. *Cryſtalli* hæ, propter acorem, in *Affectibus chronicis* non conveniunt: quapropter fermentantur cum proprio *Sale fixo*, unde fiunt ſalſæ in *Hypochondriacis*, *Hydrope* & *Scorbuto* multi uſus. In Æſtu autem, & *Siti* corrigendis, & crapulâ diſpellendâ, multi quoque uſus ſunt *Cremor* ſeu *Cryſtalli Tartari* rubicundæ.

Tartarus deſtillatus dat *Spiritum phlegmaticum*, deinde *Oleum fœtidum*, in quo *acidum Tartari* reſidet, remanente *Capite mortuo* nigro Sale Alcali conſtante. Sed ſi *Tartarus crudus* prius fermentetur cum *Sale proprio*, habetur *Spiritus volatiliſſimus* ab *acido liberrimus*, ſummarum in Medicina Virium, quòd omne acidum nervos infeſtans abſumat & dulcificet, & tam internè quàm externè, in *Affectibus chronicis*, *Malo hypochondriaco*, *Parheſi ex Colica*, *Hydrope*, & *Pleuritide*, partim per Urinam, partim per Sudorem commodiſſimè operatur.

tur. Inprimis acido à Vino orto adverſatur, non enim quodlibet *volatile*, ſed hoc *alcali* illi *acido* ſpecificè contrariatur. *Sal Tartari* cum *Calce vivâ deſtill.* dat *Spiritum* egregium ſed paucum. Cum *Alum. crud.* vel *uſto* deſtill. dat *Spiritum vol. urinoſum*, qui cum *Camphora* baſis eſt *Tincturæ bezoardicæ*.

Poſt *Spiritum* in deſtillatione *Tartari* prodit *Oleum fœtidum*, quod eſt alcali acido pingui concentratum. Hoc ſuper *CC. uſt.* aliquoties *rectificatum* fit clarum, & ad *gutt. iii.* in *Morbis malignis*, *Colica* & *Hyſterica paſſione* potentiſſimè ſudorem movet. Externè in *Podagra*, *Calculo* & *Bubonibus* convenit. Ex *Capite mortuo* fit *Sal Tartari* fixum, ſummum *Diureticum* & *Diaphoreticum*, in *Febribus* admodum conducibile, *Coſmeticorum princeps*, menſtruorum vim pro ſolvendis mineralibus & aliis egregiè intendens, & metalla reſuſcitans. Ex hoc *Sale* cum *acido vol. Aceti* fit *Terra foliata Tartari*, quæ cum *Spiritu Sal. ammoniaci* optimum eſt remedium in *Malo hypochondriaco*, *Affectibus Urinæ*, morbiſque *Virginum*. Eſtque nil aliud quam *Tartarus regeneratus*, unde eliciuntur *Spiritus*, *Oleum* & *Sal fixum*; idemque *Spiritus* eſt in *Vino* & *Aceto*.

Sublimioris eſt Chymici *Sal Tartari fixum volatiliſare*. Quidam cum *Aceto*, alii cum *Spir. Vin.* alii cum *Oleo Tartari fœtido* periculum faciunt, ſed fruſtra. Alii cum *aëre* tentant, qui modus multum habet in receſſu. Malè autem in cella liquatum cum aëre volatiliſari concipitur. Ex *Sale Tartari* cum *Sp. Vin.* phlegmatico paratur *Tinctura* quæ aliquas laudes meretur.

CAP. IX.

De Plantis, Floribus, Lignis & Seminibus.

VEgetabilia ante incinerationem nullum habent *Sal fixum*; fit enim dum exurente *Sulphure*, acidum & alcali fixantur in cinere. Si arefacta

ſint in aëre, aut putrida, tum avolat *Sal. vol. acidum* & *alkali*, & minus *Sal. fixi* obtinetur (in *ligno putrido* nihil) quàm in recentibus. Si Igne nimium uſſeris, alcali meracius exſurgit, ſi liquefactivo urgeas Igne, exuberat alcali, acido abacto.

Plantarum *Claſſes* ad *Schröderum dilucidatum* recenſentur. Ex *primâ*, *aquoſis* ſcilicet & *inſipidis*, dantur *Succi inſpiſſati* utiles; ſed *Aquæ deſtillatæ* nil valent, niſi per repetitas digeſtiones & cohobationes ſapore & odore ſimplex ſuum referant. Ex *ſecundâ*, *aquoſis* nempe & *acidis*, conducunt *Succi*, qui etiam inſpiſſati dant *Sal eſſentiale*, qui verus eſt *Tartarus*. Harum Aquæ ſunt inertes. *Tertia Claſſis*, *amaræ* nempe & *inodoræ*, commodè *Decocta*, & *Nodulos alterativos*, *diureticos*, &c. ingrediuntur. Ex harum ſuccis paratur *Sal eſſentiale* per coagulationem & inſpiſſationem, quod per Lixivium depuratum concreſcit in *Sal inflammabile*. Quarta *Claſſis* ſeu plantæ *acres* dant *Aquas* de *Sale volatili acri* participantes, quæ alicujus erunt efficaciæ. Per fermentationem particulæ illarum *Salinæ* junctæ, *Oleoſis* volatiliſantur in *Spiritum*; quia tamen *Salia* magis *volatilia* forſan in fermentatione (quæ odorem prægrandem ſpirat) avolarent, ſunt, qui dictas Herbas primùm deſtillando, deſtillatum dein à novis herbis abſtrahendo, & relictas ſpecies fermentando egregium acquirunt Spiritum. *Claſſis* Quinta *odoratæ* nempe & *aromaticæ*, deſtillatæ dant Aquas cum Oleo ſupernatante & *Sale fix.* in *Cap. mort.* Paratur ex his *Spiritus* per fermentationem, ſed præſtat *Oleum* elicere, ſic enim virtus plantæ minus eſt alterata.

Flores ſunt vel *Inodori*, quorum *Aqua* eſt iners, *ſuccus* verò *inſpiſſatus* non ſemper rejiciendus; vel *Odorati* ſuperficie tenus, ex quibus parum vel nihil *Olei per deſtill.* acquiritur; vel *Odorati* & *Aromatici*, ejuſdem cum plantis aromaticis virtutis.

Ligna

Ligna per deſtill. dant *Spir.* ex *acido* & *Sale vol. ardente* compoſitum; adjectis enim *Coralliis* aliiſque Corporibus, acidum detinetur, & prodit *Spiritus* inſtar *Spir. Vini* *Spiritui* ſuccedit *Oleum*. *Fuligo* itaque eſt Spiritus ex *acido vol.* & *Sal. vol. urinoſo* compoſitus; datque eadem producta quæ *Ligna*.

Semina quæ *ſapore* & *odore* excedunt, ut *Carminativa*, conſtant *Sal. vol. Oleoſo*; quod interdum per Veſicam deſtillando elicitur. Illa quæ ſapore maximè excedunt, ut *antiſcorbutica*, gaudent *Sal. vol. acri* cum *pauco acido*; fermentando *Spiritum* exhibent, alias nulla dant præparata. Semina temperata gaudent *mucilagine* nunc *Aquoſâ*, ut in *Sem. 4. Frig.* nunc *Oleoſa*, ut in *Sem. Lini.* Ex his exprimitur *Oleum*, & beneficio fermentationis elicitur *Spiritus ardens inflammabilis*, inſigniter inebriativus.

Panis præparatio legitima conſiſtit in *fermentatione*. Adjecto enim fermento acido vol. partes *Salinæ* & *Sulphureæ* extricantur & volatiliſantur; & dum in Clibano maſſa torretur, pars volatiliſatorum Salium avolat in Spiritum ſuaviſſimi odoris, qui colligi poteſt, & quibuſvis *Perlarum Aquis* in Virtute confortativâ præferendus. Pars verò altera Salium nondum perfectè volatiliſata, impedito fermentationis per exſiccationem motu, à reliquis particulis implicata detinetur, facilè tamen Vulcano in *Spiritum ſubacidum vol.* per Retortam ſeparanda.

Cap. X.

De Animalibus perfectis & imperfectis.

ANIMALIA *perfecta* in genere conſtant *Sale vol.* ſed *Oleoſo*; quod in ſuo vigore eſt *ſalſum* ex *acido* & *alkali vol.* conſtans, ita tamen ut prædomine-

minetur *Urinoſum.* Apparet hoc in excrementis. Animalia eorumque partes in *Igne* dant. 1. *Phlegma*, quod *Spirituoſum* eſſe indicant ſtriæ. 2. *Sal vol.* copioſum, quod figurâ ſuâ non rarò refert concretum. Salia hæc in *Sylveſtribus*, *Maribus*, & non *caſtratis* acriora ſunt, quàm in *domeſticis*, *Fœminis*, & *caſtratis*. 3. *Oleum* vel *Sal vol.* ab acido pingui concentratum, quod cum proprio *Sale vol.* junctum abit in *Saponem*, ceu ſignum conjunctionis mutuæ acidi & alkali. 4. *Caput mortuum nigrum*, ſine *Sale fixo*, quia in corpore animali omnia per fermentationem & continuam aëris inſpirationem fuerant volatiliſata. Si quid reperiatur, eſt tantùm *Sal* eſculentum, quod non potuit ſuperari à fermento Ventriculi; deſtillatum enim dat *Spiritum* Spiritui Salis ſimillimum.

Inſecta conſtat *Sale vol.* non *Oleoſo*, ſed *Nitroſo*, maximè *diuretico* & penetranti, *Partes* animalium *molles*, *Secundina* puta, *Cerebrum*; imò & *Lumbrici terreſtres*, ſub *Ignis* examine in *Liquorem ſpirituoſum* tranſeunt.

Phlegmata ex animali Regno plerumque cum proprio *Sale vol.* unita uſurpantur, & dicuntur *Spiritus Eſſentificati*. *Salia Volatilia* cùm ſint de naturâ *Alkalium*, omne *acidum præternaturale* corrigunt, & per ſudorem etiam movent, Tumores duros reſolvunt & artus illinendo roborant; ſi rectificentur ſuper *Caput mortuum*, odor inſuavis emendabitur. *Caput mortuum* corpus eſt vacuum & ſitibundum, adeoque omne *acidum* & *humidum* avidè abſorbet.

FINIS Pyrotechniæ Rationalis.

Schrö-

Schröderus Dilucidatus:

SEU

Commentarius in Jo. SCHRÖDERI Pharmacopœam Medico-Chymicam.

SECTIO I.

De PHYTOLOGIA,

Seu Regno Vegetabili.

CLASSIS I.

De Alterantibus primariis, quæ ſunt Plantæ earumque membra.

ABſolvitur univerſa *Materia Medica* tribus communiter regnis, *Minerali* nempe, *Vegetabili* & *Animali*. Nos à *Vegetabili*, quod omnium facillimum, initium faciemus. *Vegetabilium* facultates plerumque à qualitatibus primis, caliditate, frigiditate, &c. ut & aliis occultis determinantur; ſed minus rectè; hæ enim prorſus imaginariæ ſunt. Rectius autem virtutes eorum determinantur à miſturâ materiali ſeu textura minutiſſimarum particularum,

larum, inter quas primatum obtinent *ſubtiliores* & *volatiliores*, *ſalinæ* & *oleoſæ*; his enim per deſtillationem exhauſtis, quod reliquum eſt, ἐνεργείᾳ caret. Prout autem variat hæc textura materialis, ita & variant Vegetabilium *vires*; hinc ſæpius longè alia virtus eſt in foliis, quàm in radice unius ejuſdemque Plantæ. Conveniunt autem in genere *Radices* & *Lingna* cum ſuis *Corticibus*, & virtutem ſuam debent Sali acido volatili, utpote quæ exhibent in vaſe clauſo *Spiritum acidum volatilem*, & *Oleum* penetrans. Quòd ſi verò igne aperto comburantur, *Spiritus* & *Oleum*, ſub forma flammæ evolantia, condenſantur in *Fuliginem*, Sale volatili oleoſo repletam. Dant etiam mediante Sp. Vin. *eſſentias reſinoſas*, quarum Caput mortuum deſtillando ſuggerit adhuc *Spiritum acidum*, ſed nullum *Oleum*; adeo ut talia *Olea deſtillata* nil aliud ſint, quàm *Reſinæ* vi ignis in Oleoſum corpus colliquatæ. Omnia hujuſmodi producta copioſiora longè habentur ex *Corticibus*, utpote magis reſinoſis, quàm ipſis *Lignis*. Reliquæ partes Plantæ, ratione texturæ materialis commodè ad quintuplicem claſſem rediguntur. *Prima* eſt illarum, quæ ferè ſunt *inſipidæ*, atque ſucco phlegmatico abundant, quales ſunt *Lactuca*, *Portulaca*, *Atriplex*, *Blitum*, &c, Harum Eſſentiæ, ratione alcali temperati, Saturnum Aceto ſolutum præcipitant. *Secunda* Claſſis eſt earum, quæ habent *ſaporem acidulum abſque odore*, & Sal eſſentiale tartareum in ſucco concentratum, talis eſt *Acetoſa*. *Tertia* eſt earum, quæ habent *ſaporem amarum ſine odore*, adeoque in ſuo concreto conſtant Sale nitroſo tartareo, unde vis diuretica; tales ſunt *Cichorium*, *Taraxacum*, *Fumaria*, *Lupulus*, &c. *Quarta* eſt earum, quæ *ſaporem* habent *acrem*, & Sale volatili acri abundant, ut *Naſturtium*, *Cochlearia*, *Cardamine*, *Piperitis*, &c. à quibus per fermentationem Spiritus egregii habentur. *Quinta* tandem illarum eſt,

quæ

quæ habent *odorem fortem* & penetrantem, quarum vis in Sale volatili oleoſo latet, ut in *Aromaticis.*

Herbas ſequuntur *Flores*, ſub triplici claſſe contenti, quarum *Prima* eſt eorum, qui ſunt *inodori*, in quibus latet Alcali ſeu Sal volatile blandum. *Secunda* eſt eorum, qui *odorem* habent *ſuavem* ſed *ſuperficialem*, quorum vis in parte Mercuriali volatili conſiſtit, & parum vel nihil Oleoſi ex illis elicitur. *Tertia* eſt eorum, qui habent *odorem fortem* & *aromaticum*, quorum vis fundata eſt in Sale volatili & Oleo. *Floribus* ſuccedunt *Fructus*, ſuntque vel *ſucculenti dulces*, vel *acido dulces*, vel *acidi.* Ultimo occurrunt *Semina* & ſubdividuntur 1. In ea, quæ *mucilagine aqueâ* turgent, veluti ſunt *Semin. Cydon, Pſyllii.* 2. In ea, quæ continent *Oleum aquoſum*, ut *Sem. Cucumer. Melon. Papav.* 3. In ea, quæ ſunt *acria*, *Sem. Sinapi*, *Erucæ*, *Cochleariæ*, *Naſturtii.* Et 4. in ea, quæ habent *odorem ſuavem* & *ſaporem gratum*, quorum vis in Oleo volatili conſiſtit, uti ſunt *Sem. Aniſi, Fœnic. Carvi.*

Accedimus nunc ad ipſas *Plantas* ſecundùm Autoris noſtri Methodum.

Abies Reſinâ balſamicâ turget (adeoque perpetuâ fronde viret) & in receſſu habet *Sal acidum volatile*; unde ex Conis recentibus, cum aquâ deſtillatis, prodit etiam *Oleum ſubtile* inſtar Olei Terebinthinæ. Ratione hujus *Olei balſamici* alterat acrimoniam Salis ſcorbutici, & per ſudorem auſpicatò illud eliminat; adeo ut in *Scorbuto*, præſertim cùm membra externa *Arthritide*, vel *Paralyſi*, vel *Contracturâ* afficit, *Decoctum Summitatum Abietis* multum decantetur. Præcipuè tamen in uſu ſunt *Coni juniores* & *Cortex.* *Coni* in fine Martii & initio Aprilis collecti, vel ſolitarii vel cum aliis *Abietis* Lignis decocti, *Scorbutum* tollunt, *Lympham* corrigunt, Genus nervoſum reſtituunt, & potenter ſudorem movent, bibendo mane & ante paſtum ℥iii. vel iv. Inſpiſ-

tatur

ſatur etiam *Decoctum ſtrobilorum Abietis* ad conſiſtentiam Mellis, cui affuſus Spiritus proprius eſſentiam extrahit. Elicitur autem *Spiritus* coquendo Strobilos in aquâ, donec omnis ſapor ſit elicitus, deinde Cerevisiam recentem pro fermentatione addendo, & tandem deſtillando. Sic habetur *Spiritus*, qui affuſus novis Strobilis inde *Eſſentiam* extrahit. *Externè* uſurpantur *Coni* & *Folia* in balneis antiſcorbuticis, & pediluviis emmenagogis. Eſt etiam in uſu *Aqua Cymarum*, à Cymis contuſis (vel illarum ſucco) cum *Vino* & *Aqua Cymarum*, à Cymis contuſis, (vel illarum ſucco) cum *Vino* & *Aquâ fermentatis*, hinc per M. B. deſtillatis, repetendo operationem ſuper recentibus Strobilis, donec acquiratur Aqua, in *Scorbuto*, *Podagrâ* & *Arthritide* multi uſus. Egregius etiam eſt *Cortex* in hujuſmodi decoctis; & *Viſcus Abietis*, qui in pulvere à ℈ß. ad ℨi. exhibetur. Rarum eſt, ſed verum, quod *Nuclei Pini* maſticati inebrient. *Pulvis* ex corroſione à Vermibus in Abiete natus Intertriginem levat, parti inſperſus. In minoribus *Strobilis* reperitur farina flava adſperſa, quæ levi igne inflammatur, eſtque verum *Sulphur vegetabile*.

Abrotanum mas penetrantem ſpirat odorem, *Camphoræ* ferè ſimilem, gaudetque *Sale volatili* non vulgari; ratione cujus in *Ictero*, & *Febribus chronicis*, multum præſtat; *Morbis malignis* ſuccurrit, *Mulierum Affectibus chronicis* medetur. *Decoctum* vel *Eſſentia Summitatum*, egregium eſt carminativum. Paratur autem *Eſſentia* cum *Spiritu* per fermentationem elicito. *Coma* pulveriſata, cum Nitro mixta, validum eſt diureticum. *Oleum deſtillatum* externè illitum inſigne carminativum eſt. *Decoctum foliorum* pro lotione Capitis contra *Capillorum defluvium* commendatur.

Abſinthium ponticum vulgari efficacius eſt & magis carminativum. Conſiſtit vis *Abſinthii* in *Sale volatili* *acri*

acri admodum oleoſo, ratione cujus Bilem mirificè corrigit, illamque non evacuat ſed auget; in *Cachexia* & *Hydrope* multum valet, Stomachum corroborat, Mucum & cruditates in primis viis Sale ſuo volatili potenter incidit & abſtergit, in *Affectibus ſcorbuticis*, *Febribus intermittentibus*, *Colicis torminibus*, & *Mulierum Paſſione hysterica*, ab eſu dulcium ortâ, mira præſtat. In genere vix Morbus eſt chronicus, cui non conveniat. Gaudet amaritie adſtringente, magis tamen pingui & blandâ; Sal enim acre volatili oleoſitate blandeſcit adeo, ut vim habeat anodynam, & in *Vigiliis Senum*, à cruditate ortis, multum conferat. *Lumbricos* enecat & eliminat, ſive internè uſurpatum, ſive externè, factâ inunctione cum ejus Oleo. Ratione *Salis ſalſi* & quodammodo *nitroſi*, ſuccum nutritium corporis aſperum reddit & abſumit, unde emaciatis & in *Re venereâ* impotentibus prohibetur ejus uſus. *Oculis* etiam officit. Inter *Abſinthii* præparata primò occurrit *Spiritus*, qui optimè per fermentationem paratur. Quin & per putrefactionem moderatam, & deſtillationem, igne aperto per retortam terream amplam, acquiritur copioſus *Liquor*, qui per alembicum Igne arenæ rectificatus evadit in Spiritum urinoſum aurei coloris, *Sal vol. urinoſum* in receſſu habens, in quo craſis & energeia hujus Plantę conſiſtit. *Febricitantibus* maximè commendatur *Vinum Abſinthites*, ex fermentatione cum Muſto paratum. *Eſſentia Abſinthii* parata cum *Spiritu proprio*, Plantæ ſiccæ affuſo, & ſuper *Succo Abſinthii inſpiſſato* iterum rectificato, egregia eſt in *Affectibus Stomachi*. *Oleum Abſinthii* ab aqua ſeparatum, & aliquoties in cucurbita vitrea rectificatum, in fundo relinquit ſubſtantiam ſpiſſam, quæ leniter per Cineres deſtillata dat *Sal volatile* in ipſius Abſinthii formâ, quod aucto igne in *Liquorem* reſolvitur. Paratur ex Abſinthio *Sal fixum* duplex, nunc *alcaliſatum*, nunc *ſalſum*, prout

ſcilicet in calcinatione diverſus ignis gradus adhibetur. *Salſum* autem, deſtillando, acidum ſuggerit Spiritum. Sunt qui dicunt, *Sal fixum Abſinthii* cum p. ii. *Olei proprii* per menſem digeſtum, ſublimare *Sal volatile*, quod in *Febribus intermittentibus* mira præſtet.

Acacia vera, eſt ſuccus inſpiſſatus ex planta Ægyptiaca, qui *ſanguinis Profluvia* inhibet & *Podagram* avertit; verùm cùm apud nos ſit cara & rara, ejus loco ſumitur *Acacia Germanica*, cujus flores & fructus ſunt in uſu. Flores vel blandè ebulliti, vel infuſi recentes in Sero lactis pro *Scorbuticis*, vel Vino pro *Ictericis*, *Hydropicis*, *&c.* vel denique in Lacte ipſo, blandè laxant & ſeri acredinem emendant. *Syrupus* & *Conſerva* ex floribus etiam laxant: *Flores* autem *exſiccati*, ut & *Syrupus* vetus, vim purgandi amittunt. *Roob Acaciæ* adſtringit validè, ſed externè plerumque uſurpatur. *Fructus Acaciæ*, præſertim *immaturi*, eleganter aſtringunt: *Maturi* autem recenti Vino vel Cereviſiæ infuſi potū dant egregium in *Dyſenteriis* & *Hæmorrhagiis Uteri*. *Fructus exſiccati*, ac *pulveriſati*, Vino infuſi, ſunt egregium diureticum. *Succus Prunorum ſylveſtrium immaturorum* in M.B. dephlegmatus, *Acetum* ſuggerit admodum *forte*.

Acetoſa nomen obtinet à *blanda* ſua & *volatili* (*non fixâ*) aciditate: ſed participat interea de *Alcali*, unde ſuccus recens (qui Vino rubro eſt ſimillimus) *ſolutionem Saturni* in *Aceto* præcipitat. Hæc Planta eſt Stomacho amica, acido ſuo compeſcit Bilis acrimoniam, nimiamque fluiditatem, indeque facilem ebullitionem febrilem. Unde ejus *Decocta* loco *Juleporum* in *Febribus* propinantur. Plantis Scorbuticis acrioribus juncta illarum acrimoniam temperat, & efferveſcentiam Salis volatilis oleoſi in Phlogoſibus corporis noſtri vagis coercet. Quod dixi de Planta, valet de Semine. Inter præparata eſt *Conſerva Acetoſæ* in prædictis caſibus egregia. Paratur etiam cum *Succo Acetoſæ Extractum Mar-*

tis

tis egregium, *Vegetabilium* enim *ſucci* aptiores ſunt pro parandis ex *Marte* remediis, quàm Spiritus minerales nimis acidi.

Acetoſella folia terna cordis figuram habent, unde inter *Plantas cardiacas* refertur. Sed omnis ſignatura eſt fallax: hac enim ab *Acetosâ* non differt, niſi quod magis ſit anti-ſcorbutica.

Acorus verus, Calamus aromaticus Officinarum dictus, eſt planta arundinacea, cujus folia Sale volatili aromatico egregiè turgent; habetur pro optimo anti-ſcorbutico. Radix eſt inſigniter aromatica; ſuavi Oleo & Sale volatili acri gaudet, ac proinde in *Appetitu dejecto* & *Chylificatione vitiatâ*, in *Affectibus* quoque *uterinis*, *Dolore colico*, *Paſſione hyſtericâ*, in *Morbis* denique *chronicis*, convenire dicitur. Quo autem eſt acrior eo melior; quia exſiccata acrimoniam perdit & Salis ſui volatilis jacturam facit. *Radix condita* tanquam Stomachica commendatur. *Oleum deſtillatum* carminativum & anodynum putatur. *Electuarium de Acoro* Stomacho convenit.

Acori adulterini radix tantùm eſt in uſu, vi adſtrictoriâ & ſtypticâ commendata, unde ſuccus ex eâ expreſſus in *Diarrhæis*, *Dyſenteriis* & *Hæmorrhagiis* laudatur. *Langius* ex hoc nectar ſuum adſtringens præparavit, ipſi in *Vomitu cruento* familiare. A quibuſdam tanquam certum *Amuletum* contra *Dyſenteriam*, *Catarrhos*, alioſque Morbos ſtatuitur.

Adianthum ingreditur vulgo *Decocta aperientia* in *Affectibus Pectoris*, *Renum* & aliis *Morbis chronicis*. *Adianthum aureum* rari uſus eſt, niſi quod in *Morbis ab incantatione* ortis laudetur, & externè, uti omnes Herbæ capillares, in *Calvitie* proſit. Notari meretur quod *Capillus Veneris* quamvis ad aſpectum ſit planta arida, tamen illius ℔. i. expreſſa ferè tantundem ſucci fundat.

Agallochum lignum eſt reſinoſum aridum, cujus ſuc-

cus recens venenoſus eſt, aridum tamen ſuavem efflat odorem,& *Reſinam* dat *balſamicam* maximè,cordialem, quæ in *Stomachi Affectibus* à cruditate ortis multum prodeſt; *Memoriam* Senum juvat & internè uſurpata, & externè admota naribus. Fumus ac odor *Ligni* incenſi naribus attractus *Paſſionem hyſtericam* avertit. Fit cum *Spiritu vini Extractum* & *Eſſentia Agallochi* pro *Epilepſia.*

Agnus caſtus ſemen ſubminiſtrat,quod in *Pulvere* vel *Emulſionibus*, ſpecificâ ſuâ virtute,in ſubſtantiâ oleosâ fundatâ, geniture acrimoniam,indeque ortam *Libidinem*, *Gonorrhæam*, & *Fluorem album* extinguit. Paratur inde *Eſſentia Caſtitatis D. Michaelis.*

Agrimonia nobiliſſimum eſt Hepaticum & Vulnerarium, ſpeciatim in *Vulneribus* & *Ulceribus Renum*, & inde dependente *Mictu cruento*; imò ad quaſcunque *Viſcerum exulcerationes*, inprimis *Hepatis*, extenditur. Uſurpatur in Vino decocta,vel ſola, vel cum *Comis Hyperici*; vel denique ſub forma *Eſſentiæ.* Externè *Succus recens Ulceribus* commodè adhibetur. Ingreditur hæc planta *Balnea* pro *Mictu cruento*; quin & contuſa in Vino cocta *Cataplaſma* exhibet pro *Inflammatione Scroti* & *Teſtium* egregium.

Alcea vulgaris eſt emolliens *Altheæ* cognatum; *Syriaca & Veſicaria*, raritatis gratia in hortis coluntur.

Alchimilla inter Vulneraria eminet. Omnia autem vulneraria conſtant Sale alcali volatili, temperato ab acido, blandè diuretico; hinc illorum Succi ſolutiones ab acido factas præcipitant, & ratione ſaporis ſubadſtringentis Lac facilè coagulant. Cùm *Vulneraria* non ſint uſque adeo volatilia, melius in *Decoctis*, quam *Eſſentiis* exhibentur. Convenit autem *Alchimilla* in *Ulceribus*, tam externè, *Decoctum* ejus injiciendo, vel *Succum* cum *Unguentis* miſcendo: quam internè in *Potionibus vulnerariis*, quæ *Dyſenterias*, *Rupturas*, &c. tollunt

lunt, & acidum in Stomacho imbibunt, illudque per urinam eliminant: temperato enim hoc acido Stomachi, impeditur fluxus acidus in *Vulnera*. Itali vaporem *Decocti* Mammis & Genitalibus, pro *Virginum Sophiſticatione* ſubmittunt; ſed magis adſtringeret, ſi immediatè applicaretur.

Baccæ Alkekengi ſunt ex *Solanorum* genere & quodammodo anodynæ; gaudentque Sale eſſentiali verè nitroſo, indeque Vi inſigniuntur diureticâ & nephriticâ; unde in omnibus *Affectibus nephriticis*, & in *Ictero* maximè conveniunt; & ſpeciatim conducunt in Sanguine coagulato, quem per urinam vel ſudorem eliminant. Exhibetur Succus expreſſus vel ſolus vel cum vino, vel paratur inde *Eſſentia* cum *Spiritu proprio* per fermentationem elicito, quæ addito *Opio* fit anodyna, & ipſis *Trochiſcis de Alkekengi* efficacior in *Ulceribus Renum*, *Ardore & Suppreſſione Urinæ*, *&c.* Conducit etiam *Infuſum Baccarum*, tam ſucculentarum quàm ſiccarum, in *Vino*; uti & *Decoctum* cum *Radice Liquiritiæ* factum.

Alliaria congener eſt *Allio*, & iiſdem viribus gaudet. *Allium* verò gaudet Sale volatili acri inſigniter penetrante & minus ſulphureo, cujus intuitu inter exſiccantia & calida refertur. Hinc *capita* aliquot *Allii* veſperi cum Vino aſſumta, cruditates Stomachi corrigunt & appetitum conciliant. *Allium* Flatibus ab acido ortis, uti & *Colicis affectibus Hyſtericiſque*, ratione acrimoniæ ſuæ ſalinæ, optimè medetur, adeoque vel externè Umbilico illitum, vel internè cum *Vino* ſeu *Oleo Olivarum calido* ſumtum, *Vermibus* quibuſcunq; inprimis *Pericardii*, reſiſtit. *Urinam* egregiè ciet, idque tam internè in *Aqua vitæ Juniperinâ* captum, quàm externè inſtar *Cataplaſmatis Pubi* admotum; unde *Hydropicis* commendatur, eſtque egregium præſervativum & curativum *Calculi*; Coagulum enim *Calculi* dependet ab acido in

Stomacho orto, quod *Allium* diſcutit. *Capita* ejus cum *Aceto* hauſta, per ſudorem à *Peſte* & *Febribus malignis*, cum *Vino*, à *benignis* liberant. Contra *Morſus Viperarum* internè & externè commendatur. Deſtillatur etiam ex *Allio Aqua contra Venena*, quæ cum novis Capitibus blando ſolis calore per 3. vel 4. hebdomadas digeritur. Applicatur denique *Allium* cum ſtercore humano locis dolorificis ab incantatione tumefactis.

Alſine contuſa & applicata Mammis, lactis proventum coërcet. Decoctum ejus pro lotione manuum Scabiem pellit. Ipſa Planta in Aceto macerata cicatrici ſanati *Vulneris* impoſita, eandem aperit & cruentam facit, teſte Smuckio.

Althæa Malvam virtute bis ſuperat, unde *Bis malva* vocatur. Inter emollientes & maturantes Plantas primatum obtinet. Conſiſtit ejus vis in Mucilagine aqueâ temperatiſſimâ, ratione cujus acrimoniam humorum mitigat, in *Dyſuria*, *Stranguria*, *Ardore Urinæ*, *Aſperitate faucium*, *Raucedine*, *Tuſſi ſiccâ*, &c. Extrahitur *Mucilago* in Aquâ levi maceratione vel ebullitione. Ad laxandas *Calculi* vias minimè convenit, operatur enim (*ſicut omnia Emollientia*) acidum temperando, & in ſalſum tertium convertendo, unde *Calculus*. Porrò *Clyſmata* & *Cataplaſmata anodyna* ſemper ingreditur. Externè ejus *Unguentum* cum *Camphorâ* dolorem lenit, & in *Suppreſſione Urinæ* cum *Oleo Scorpionum* illitum præſentiſſimum eſt remedium.

Alyſſon Galeni Eſſentiam dat in *Hydrophobiâ* decantatam. Eſt planta Hiſpanica.

Amara dulcis, ut arbitror, cum uſu *Solani* externo in *Cancris* ſanandis convenit.

Ammi ſemen eſt Carminativum, cujus ℥i. alternis diebus cum *Vino* propinata fæminarum fœcunditatem promovet. Quo die hauſit Fæmina, cum Viro non concumbat. Huic ſemini ſubſtituitur *Cuminum*, cui ſimillimum

Amy-

Amygdalæ dulces conſtant *Oleo temperatiſſimo*, quaſi *aquoſo*, quod nutritivum eſt, *Emaciatis* conducens, & *acrimoniam Urinæ* omniumque humorum optimè mitigans. In *Pleuriticis Oleum Lini* quandoque ipſi ſubſtituitur. *Remanentia Olei expreſſi* redigitur in *Panem* inſigniter Nutrientem. *Emulſiones anodynæ* & *nutrientes* ex *Amygdalis* parantur.

Amygdalæ amaræ vim habent nitroſam diureticam. *Oleum* reddunt carminativum, & laxativum, quandoque *Tuſſim* levat & *Sputum* promovet.

Anacardium ratione acrimoniæ volatilis, *Febres* excitantis, in deſuetudinem abiit.

Anagallis phæniceo flore in formâ *Decocti*, vel *Eſſentiæ* (additis *Hyperici floribus*) in *Maniâ* & *Deliriis* Spiritus egregiè ſiſtit. Externè dolorem *Ulcerum* lenit, eademque abſtergit.

Anagallis aquatica habet alcali blandum urinoſum quod acidum ſcorbuticum temperat. Quædam enim *Antiſcorbutica* ſunt acria volatilia, ut Phlogoſes aliquas excitent; quædam autem magis temperata ſunt, quæ illis commixta acrimoniam mitigant; talis eſt *Anagallis*. Uſurpatur internè *Decoctum* vel *Succus expreſſus*, cum *Sero Caprino*, & externè contra Scorbuticorum *Tumores*, *Ulcera*, *Maculas*, & *Hæmorrhagias genitalium* poſt partum.

Anethum in receſſu habet *Sal vol. oleoſum temperatum*; unde ejus *folia* & *flores* acidum flatulentum, tam comeſta, quàm *Clyſteribus* incocta, deſtruunt. Quin & *Urinam* & *Menſes* promovent, fiunt etiam exinde *Cataplaſmata* & *Pediluvia anodyna*. *Semen* Lac auget. *Oleum* temporibus illitum *Cephalalgiam* & *Vigilias* abigit, modò recens ſit, vetus autem Somnum non inducit.

Angelica ſylveſtris eſt optima, ſed *aquatica* nil valet. Habet in receſſu, tanquam Craſeos fundamentum,

Sal vol. oleoſum temperatum, quod ex ſapore & odore acri dignoſcitur, & aromaticum inſignitur; ratione cujus *Carminativa* eſt, *Alexipharmaca*, *Sudorifera* & ſimul *Diuretica*; *Affectus hyſtericos*; & *Dolores poſt partum* reprimit; *Partum* promovet, *Flatibus* & *Dolorib. colicis* reſiſtit; *Menſtrua ſuppreſſa* reſtituit, & *nimia* ſiſtit. *Radices* aceto infuſæ cum *Camphorâ* egregium ſunt *Peſtis* præſervativum. In *Oleo deſtillato* tota ejus craſis latet; quod additur *Clyſteribus anticolicis*, & *Scrobiculo cordis* pro *Inflatione Stomachi* inungitur. Ex *Extracto Angelicæ* fiunt *Pill. ſudoriferæ*.

Aniſum Aromaticum eſt. *Semen* ejus mala ex deficiente Stomachi digeſtione oriunda corrigit. Unde commendatur in *Inſomniis turbulentis* & *Incubo*, quæ Ventriculò & Inteſtinorum vitiis ſæpe ortum debent. *Oleum deſtillatum* Pectoris *Affectibus* ſpecialiſſimè convenit, præſertim ſi cum *Floribus Antimonii fixis* digeratur. *Semen* præterea *Lac* auget & corrigit, acidum coagulans in Matrum Mammis & Infantum Stomachis corrigendo; unde Infantibus ʒi. *Seminis* cum pulte commodè propinatur. *Oculis cancrorum* admiſtum Infantum *Tormina* & *Flatus* egregiè compeſcit. Omnibus ejus præparatis præferenda ſunt *Oleum deſtill.* & *Spiritus*. Externè *Oleum* in *Contuſionibus* partium nervoſarum, & Infantum *Caſibus*, modò maturè illinatur, multum conducit. Eſtque Odoriferum penetrantiſſimum. Fit etiam ex hoc *Oleo*, cum Corpore pro Balſamo, *Balſamus* umbilico illinendus contra Tormina ventris.

Anſerina creditur de *Sale alcali nitroſo* participare, unde *Urinam* pellere dicitur. *Succus* ejus atque *Decoctum* egregium ſunt Nephriticum, & crebrius hauſta *Icterum* pellunt. In *Paroxyſmo febrili* Herba *Anſerinæ* cum *Sale* & *Aceto* ſubacta Plantis pedum applicatur;

ſed

ſed internè non adeo tutò adhibetur, quia Paroxyſmus exinde prolongatur.

Anthora antidotum eſt *Thoræ*; quæ venenoſa eſt; unde & reliquis *Venenis* depellendis convenit, ſub formâ *Pulveris*, aut *Decocti*.

Antirrhinum ad *Incantationem* commendatur, ſive pro Amuleto appenſum, ſive Decocti formâ ſæpiùs propinatum.

Apium eſt Diureticum, unde ejus *Radix* in *Morbis chronicis* commendatiſſima eſt. *Decoctum Apii paluſtris* cum *Coriand.* in *Aceto* & *Aquâ Menthæ* Mammis commodè applicatur in *Lactis Redundantia*; *Semen* quoque, *Menſes* & *Urinam* ciet.

Aquilegiæ ſemen inter expulſiva primatum obtinet; unde mediante diaphoreſi in *Variolis* & *Morbillis* conducit. Cum *Semine Naſturtii* & *Aquâ* communi vel *Endiviæ* parantur exinde *Emulſiones*, quæ in principio effervescentiam febrilem compeſcunt; aliàs *Icterum*, *Maculas ſcorbuticas*, & *Achores* Infantum egregiè pellunt. *Syrupus* etiam & *Tinctura* ex *floribus Aquilegiæ* infuſis valet contra *Febres petechiales*. Paratur etiam ex Floribus *Unguentum*, quo utimur cum *Spiritu Nitri dulci* in *Scorbuto Oris*.

Ariſtolochiæ ſapor acris aroma occultum innuit; *Menſes*, *Partum*, *Secundinas* & *Lochia* promovet; nec non in *Epilepſiâ per conſenſum* Uteri convenit. Eſt etiam Vulneraria, tum internè *Ulcera pulmonum* & *Mucum pectoris* detergendo, tum externè in *Linimentis*.

Armoraciæ vis conſiſtit in Sale vol. admodum acri; ratione cujus *Radix* ejus Vino infuſa *Mucum Pectoris*, *Stomachi* & *Inteſtinorum* abſtergit, *Appetitum* feliciter conciliat, & *Urinam* potenter movet. Infuſa autem in Lacte contra *Scorbutum* & *Paralyſin ſcorbuticam* valet. *Succus expreſſus* ad ℥ii. *Calculum* optimè pellit. *Infuſum Rad.* in *Spiritu Formic.* *Ariduras* partium externè

corrigit. Hodie ejus loco *Raphanus marinus* uſurpatur, qui eaſdem poſſidet vires. Radix *Armoraciæ* in Vino infuſa, & cum Foliis *Naſturtii* contuſa ac ſubacta, hincque Colatura hauſta, per Vomitum & Seceſſus purgabit.

Artemiſia participat de Sale vol. & Sulphure fixo; rubra tamen albæ præferenda, quia conſtat Sulphure paulo fixiori. *Decoctum* Herbæ & Radicis *Dolores poſt partum* lenit, *Menſes* & *Lochia* pellit, & in omnibus Affectibus uterinis convenit. Ad radicem *Artemiſiæ* reperiuntur *Carbones*, qui in *Epilepſia* reverà juvant; ſuntque nihil aliud, quàm Radices annoſæ demortuæ.

Arum habet Sal. volat. acerrimum & penetrantiſſimum; unde in *Aſthmate* pituitam viſcidam in Bronchiis incidit. Stomachum roborat, acidum ejus plicis adhærens incidendo; *Febres quartanas* & *Scorbutum* pellit. Si infundantur Radices vel Folia in Aceto, figitur ejus acrimonia, & tertium evadit Sal diureticum, in *Caſu ab alto* commendatum. Radix etiam ſicca recenti multo debilior eſt. *Fæcula* nil valet.

Aſparagus diureticum ſulphureo-nitroſum eſt. Urinam fœtidam reddit, unde putreſcendo reſoluta ejus Salia in Calculum abeunt; adeoque Calculum non pellit ſed generat. *Radix* inter Aperientes refertur, quæ Sale ſuo vol. bilem acuunt, pituitam & auſterum Succum Stomachi corrigunt, adeoque in *Morbis chronicis* commendantur.

Atriplices Sale blando nitroſo turgent, unde refrigerant, & fæces induratas emolliunt. Externè Clyſmata & Cataplaſmata emollientia & anodyna ingrediuntur.

Avena uſurpatur in Juſculis pro nutritione, & temperandis ſuccis acribus, in *Aſperitate faucium*, &c. *Sacculus avenaceus* contra *Tormina* Abdominis uſurpatur; ſed levamen dolorum, quod exinde percipitur, ferè dependet ex ſolo calore.

Auran-

Aurantia Mala acida ejuſdem cum *Citro* uſus & virtutis ſunt; *dulcia* in *Scorbuto* & *Melancholia* uſurpantur. *Cortices* habent Sal vol. acre facilè inflammabile, cujus intuitu *Colicos flatus*, *Paſſionem Hyſtericam* & *Stranguriam* emendant, mitigant, aut tollunt, vel in forma *Pulveris*, vel *Olei*, quod egregium eſt ſudoriferum & ſimul carminans; quodque *Dyſuriam* (acidum primarum viarum corrigendo) tollit; & Umbilico illitum *Stranguriæ* medetur. *Flores* gaudent Sale mercuriali ſulphureo blando, hinc per ſe deſtillari nequeunt in *Oleum*, ſed cum *Baccis Been* id fieri debet; cum Vino deſtillati reddunt A*quam* in *Paſſione hyſterica* egregiam. Fit & *Eſſentia* aurea ex Floribus, Moſchum odore referens, & egregiè confortativa.

Auricula Muris non ſolùm adſtringit, ſed etiam Vulneraria eſt, tam internè, quàm externè. Item prodeſt in *Calculo*, & Infantibus exhibetur pro *Hernia*, atque *Hecticâ.*

B.

BARDANÆ *radix* in *Pulvere* vel *Decocto* congrumatum ſanguinem reſolvit; & egregium eſt diureticum, præſertim in *Arthritide:* In *Lue venerea* convenit; ſudorem expectando. *Semen* eſt diureticum & commendatur *Phthiſicis*. *Oleum* ex Rad. ſicca *Calculum* promovet. Externè *Folia* ſucculenta contuſa, & ſingulis 12. horis mutata, *hydropicos Tumores* & *arthriticos Dolores* certò levant.

Bardanæ minoris Radix decocta *Capillos* promovet, & colore flavo tingit.

Baſilicum Aroma eſt efficax, & Cephalicum mirum, odore tenus in Senibus. *Semen* Sternutatorium eſt optimum.

Bellidis tenella *Folia* magni uſus ſunt in Vulnerariis. *Flores* ſunt diuretici in *Hydrope:* in *Pleuritide* à frigore poſt calorem hauſto, ſanguinem congrumatum diſſolvunt.

vunt. *Succus* foliorum tenellorum recens *Aſthmaticis* ſubvenit. *Tinctura* cum *Phlegmate Vitrioli* parata ad gutt. 50. in *Febribus ardentibus* egregia eſt. *Conſerva Bellidis albæ*, in *Fluore albo* maximè prodeſt.

Berberis gaudet acido blando nonnihil adſtrictorio; unde in *Febribus* tam *benignis* quàm *malignis*, *Diarrhæis*, & inprimis *Dyſenteriis* cum *Febribus* junctis, egregiè convenit.

Beta gaudet Sale nitroſo, unde Alvum laxat, Inteſtina blandè adſtringit. *Succus recens* Errhinum eſt.

Betonica Vulneraria eſt. *Succus* ejus *recens*, ad conſiſtentiam Mellis coctus, egregiè convenit in *Vulneribus* & *Contuſionibus*, ſpecialiſſimè *Capitis*. Recens *Betonica* narcotica eſt, unde doloroſis *Vulneribus* multum prodeſt; imò quandoque Hortulanos evellentes inebriat. Diureticum inſuper eſt, ut omnia Vulneraria. Inprimis autem in omnibus *Capitis Affectibus* commendatur. Ejus *Decoctum* poſt *Partum difficilem*, quod læſum eſt in Utero reſtituit, & *Lochia* promovet.

Betulæ Cortex tenellus inter duas patinas ſuper carbouibus coercitus *Liquorem oleoſum* exſudat, in *gravi Auditu* & *Tinnitu aurium*, cum bombace guttatim iis immiſſum. Per inciſionem Arboris verno tempore acquiritur *Succus* ſeu Aqua, quæ in *Scorbuto*, *Nephritide*, *Calculo*, *Podagra*, *Ictero*, & omnibus *Affectibus chronicis tartareis*, ſingulare eſt Remedium tam *præſervativum* quàm *curativum*. In *Arthritide ſcorbuticâ* paratur ex eodem *Balneum*, injecto inſimul Formicarum acervo. In *Scabie* & *Melancholia* Maſſam ſanguineam purificat, *Phthiſi* etiam ſubvenit; hinc certè multum habet in receſſu. Servetur autem in vaſis & lagenis probè clauſis ac ſulphuratis in cellâ; aut fermentetur leniter cum Aqua appropriata aromatica, & tunc diutius ſervari poteſt.

Biſtortæ Radix adſtringit, ſpeciatim in *Hæmorrhagiis*

uteri-

uterinis. *Decoctum Rad.* meritò Aquæ præfertur; eſtque Alexipharmacum, ſudorem movens & congrumata diſſolvens.

Borrago & Bugloſſa ejuſdem ſunt naturæ, unde conjunctim tractanda. Temperatiſſimæ autem ſunt Plantæ, & inter Cordialia referuntur. *Aqua Bugloſſi* ophthalmica eſt. Arbitror inde per deliquium parari poſſe liquorem aliis non inferiorem. Acidum hypochondriacum nonnihil temperant iſtæ Herbæ ſed non curant. Pro quo ſcopo uſurpatur *Syrupus* cum *Croco*. *Conſerva* ex *Floribus* & *Aqua Cinnam. borraginata* iiſdem Malis ſuccurrunt.

Botrys (utut ab Authore neglecta) Vino incocta & ſæpius pota optimum eſt remedium in *Orthopnæa*. Habetur & *Aqua Botr. deſtillata*, quæ in *Inflammatione hypochondriorum* Infantum uſurpatur.

Branca Urſina emollit; unde *Clyſmata* & *Cataplaſmata emollientia* ingreditur.

Braſſica gaudet Sale vol. temperato, & nitroſâ ſubſtantiâ, quæ urinam movet, & alvum laxat. Laudatur *Syrupus* in Raucedine poſt nimiam loquelam. Unde & *Decoctum* cum *Paſſulis* Concionatoribus eſt in uſu. Externè *Folia Veſicas* à Veſicatoriis elevatas, & *Fontanellas* apertas ſervant; mundificant etiam & conſolidant *Ulcera*. Nec non in *Pleuritide Abſceſſus* tam reſolvunt quàm ſuppurant.

Burſa Paſtoris abundat ſucco glutinoſo adſtringente, qui in *Sputo* & *Mictu cruento* uſurpatur. Externè contuſa *Vulneris* recentis ſanguinem ſiſtit. Imminente *Paroxyſmo Febris intermittentis* cum Aceto carpis manuum adhibetur.

Buxi Lignum ſulphure gaudet narcotico; unde *Oleum deſtillatum* quoſcunque *Dolores*, in ſpecie *Odontalgiam* & *Epilepſiam* levat. *Decoctum* in *Lue Venerea*, *Scabie*, &c. potenter ſudorem & urinam movet, & Corpus exſic-

exſiccat, quo ipſo & meritò præfertur *Ligno Guaiaci.* Propter vim narcoticam laudantur *Dentiſcalpia* ex hoc ligno.

C.

C*ALAMUS aromaticus* apud nos non habetur genuinus, unde ipſi Acorum verum ſubſtituimus, de quo ſuo dictum eſt loco.

Calamintha, Vid. Mentha.

Calcatrippa adſtringit, urinam & partum promovet: Deſtillatur ex eadem & Cyano *Aqua ophthalmica*, lympham acrem temperans. *Conſerva florum* cum *Spiritu Salis* acidulata contra *Retentionem Urinæ* valet.

Calendula ratione odoris aromatici Cordialis eſt; *Menſes ſuppreſſos*, *Partum* & *Secundinas* pellit. Imò in omnibus *Crocum* imitatur.

Cannabis ſemen gaudet principio narcotico ſulphureo, ſed immaturo & crudo. In *Ictero* tam in formâ *Emulſionis*, quàm in Lacte decoctum, remedium eſt optimum, *Gonorrhæas* etiam reprimit, & *Semen* imminuit; uti *Oleum expreſſum* Renum regioni illitum. Cum poſca decoctum *Uvulam* laxam reſtituit.

Capparis frutex eſt nitroſus & diureticus; Flores ſale vel aceto conditi & Cortex conveniunt cum aliis aperientibus in omnibus *Morbis chronicis*, ſuccos enim primarum viarum corrigunt, & per Urinam expellunt. *Cremor Capparum ſalitorum* ad ℥vi Alvum laxat.

Caprifolii Decoctum optimum eſt diureticum, in *Arthritide* conducens, & in *Lue venerea* ejus Surculi *Sarſaparillę* ſubſtituuntur. *Succus* ex foliis eſt Vulnerarius; prodit autem egregium *Balſamum vulnerarium* ex Baccis rubris maturis in Fimo equino digeſtis.

Cardamomum Aroma eſt elegantiſſimum, Ventriculo, præ aliis, conveniens; ad Inteſtinorum *Flatus* & *Cruditates* ab acido oriundas, nec non *Vertiginem* à Ventriculo ortam ſpeciatim laudatur. *Memoriam* confortat

ſortat. Deſtillatum paucum ſed elegans dat *Oleum.*

Cardiaca præcipuè convenit *Suffocationi hypochondriacæ* Infantum.

Cardui benedicti folia cocta in *Febribus malignis, intermittentibus* poſt *Vomitum*, Sudorem movendo conducunt; *ſanguinem* etiam *grumoſum* per Urinam expellunt. Semen in *Convulſionibus* & *Pleuritide* uſurpatur, expectando ſudorem.

Carduus Mariæ in uſu anti-pleuritico priori non cedit. Semen ejus in Pulvere contra *Morſum canis rabidi* laudatur.

Carlinæ Radix inter Alexipharmaca refertur.

Cari Semen ſpeciale carminans eſt, & anticolicum. *Oleum deſtillatum* illius in iiſdem Affectibus & *Cardialgiâ* conducit, Urinam item promovet, eamque ſuavis odoris reddit; aliàs & *Tragæas* poſt paſtum ſumendas ingreditur.

Caryophylli hortenſes rubri cæteris præferuntur. Vis horum conſiſtit in parte vol. mercuriali, unde amici ſunt *Capiti*, in *Apoplexiis*, *Epilepſiis*, *&c.* ſpeciatim in Senibus. *Conſerva flor. Tun.* ad *Apoplexiam* præcavendam, uti & *Aqua deſtillata* contra *Loquelam amiſſam* adhibetur.

Caryophylli aromatici Aroma ſunt oleoſum, immiſſo acu candente *Oleum* fundens, modò boni ſint. Stomacho autem conducunt, & cruditates acidas expellunt. *Oleum Caryoph. deſt.* cum *Oleo Camph.* contra *Dolorem dentium* valet; adverſus *Febrium rigores* autem ſumitur ante Paroxyſmum internè, vel ſterno illinitur. Mulierum Affectibus uterinis conducit.

Caryophllyatæ Radix colligitur antequam in Flores abierit. *Cephalica* eſt, & *ſudorifera*; ſpecialiter in *Affectibus catarrhalibus* lympham corrigit, Stomachum (in formâ *Vini medicati*) confortat, & *Icterum* profligat.

Caſta-

Caſtaneæ crudæ, flatuoſæ & ſtomacho nocivæ ſunt; coctæ verò benignè adſtringunt: in *Aſperitate faucium* & *Fluore albo* interdum uſurpantur.

Centaurium minus amariſſimum eſt & febrifugum. *Decoct. Summit.* ejus, præmiſſo Vomitu, in *Tertianis intermittentibus* inſtar omnium eſt. *Bilis* etiam vitia corrigit, *Menſes* ciet, & *Cachexiæ* adverſatur. Clyſteribus pro ſtimulo additur. *Abſceſſus* item & *Ulcera* mundificat. In Aperientibus ejus *Extractum* ſeu *Succus inſpiſſatus*, *&* *Sal fixum* primatum ducunt.

Ceparum vis conſiſtit in Sale vol. acri mercuriali, ſeu admodum ſubtili, quod coquendo leviter evaneſcit; habent & *Sulphur*, quod fœtorem dat. Sunt inſigniter *Diureticæ*, & in *Febribus malignis* quandoque ſudorem movent. *Succus* ex *Cepâ cavâ Theriacâ* repletâ & aſſatâ in *Febribus malignis* propinatur. In aceto maceratæ *Menſes* acerrimè cient. *Cataplaſma* ex *Cepis* & *Allio* cum *Adipe anſerino* ſubactis, Inguini vel Renibus applicatum, *Urinæ ſuppreſſionem* revocat. *Tonſillarum inflammationes* externè curant. *Abſceſſibus malignis* Theriaca cum ſucco Ceparum applicata convenit. Applicantur & *Morſui canis rabidi*; item crudæ cum Sale contuſæ in *Ambuſtionibus* adhibentur; *Tumores* difficulter ſuppurabiles, tam *malignos*, quàm *benignos*, acidum debellando, & humores crudos incidendo maturant, ac tandem aperiunt.

Ceraſa acida blando acore *Appetitum* conciliant, in Aceto macerata & maſticata *Sitim* & *Æſtum febrilem* compeſcunt. Condita, perforata, & *Vino* infuſionis *Croc. metall.* crebrius irrorata, & exſiccata, & dehinc in ore maſticata Vomitum cient. *Nuclei* maſticati diuretici ſunt, & Renes purificant. *Oleum ex nucleis expreſſum* rarum eſt, ſed contra *nephriticos Dolores* commendatiſſimum. *Ceraſa dulcia* dant Spiritum volat. aromaticum & ſuavis odoris, qui in *Loquelâ amiſſâ* vel *Epilepſia* lin-

linguæ admotus, vel internè propinatus multum commendatur, atque hinc inter *Cephalica* tanquam *ſpecificum* refertur. Notandum autem Specifica huic vel illi parti non inſervire propter ſympathiam ullam occultam; ſed quia mediante circulatione in univerſum corpus diffuſa, mechanica ſuà conformatione certis quibuſdam partibus ſe inſinuant, ut effectum ſuum exſequantur.

Chærefolium eſt temperatum quaſi aroma, in *Vertigine* à Stomacho ortá præſentaneum remedium. In caſu ab alto grumoſum ſanguinem reſolvit; eſt etiam vulnerarium & diureticum, unde in *Ulceribus Renum* deprædicatur. Paratur inde *Eſſentia* contra *Vertiginem*, quæ conducit etiam Mulieribus, quibus Lac in mammis coagulatum eſt. Coquitur in *Cereviſia* vel *Juſculis*; vel cum pane Butyro oblito comeditur. Habet & uſum externè in Cataplaſmate diuretico.

Chamædrys & Chamæpytis Affectibus articulorum ſunt dicata; ſed parum juvant. In *Scorbuto* dein & omnibus ferè Morbis *chronicis* frequenter adhibentur. Dicuntur etiam *Mictum cruentum, & Febres intermittentes* curare.

Chamomillæ Romanæ vis conſiſtit in Sale vol. oleoſo, unde anodynum eſt & carminativum, in *Colicâ* ſimile non habens; præſertim ejus *Oleum* ex flor. deſtill. cærulei coloris, quod tam internè quàm externè umbilico illitum mirificè prodeſt. In *Doloribus poſt partum* internè *Oleum & Eſſentia* hujus Herbæ propinantur, & externè Sacculus in Vino coctus Abdomini applicatur. Ita *Menſes* & Urinam ciet. Externè *Tumoribus flatulentis* felici cum ſucceſſu adhibetur.

Chelidonium majus amariſſimi eſt ſaporis. Succus plantæ recentis cum Vino *Icterum* perfectè curat. In *Febribus malignis* pro egregio ſudorifero cum *Sale ammoniaco* propinatur. Oculos etiam clarificat, & nubeculas

removet; inprimis *Aqua* ejus *deſtill.* Oculi humores reſtituit. Recens contuſum & pedibus applicatum, eorundem Tumores, à *Morbis* chronicis ortos, tollit. Uſurpatur etiam Radix.

Chelidonium minus acre antiſcorbuticum eſt. Succo ejus tumentes *Hæmorrhoides* illinuntur, imò & intus ille aſſumitur.

Grana Chermes confortant, *Abortum* præcavent, Fœtum roborant, *Memoriam* inſtaurant, & triſtitiam ſeu metunt abigunt. In *Melancholia hypochondriaca* Confectio Alchermes cum Coralliis miſta ſummum ſolatium adfert. *Tinctura* ejus cum *Camphora* in *Melancholia* & Morbis cum delirio conjunctis famoſa eſt. *Hartmannus* Extractum Conf. Alchermes cum ſucco Pomorum Borſdorfianorum commendat in *Affectibus hypochondriacis.*

Flores Cheyri & eorum Aqua, uſurpantur internè ad *Partum*, *Lochia* & *Secundinas* expellenda; externè verò illinitur *Oleum* abdomini pro ſedandis *Doloribus poſt partum.* In Affectibus Capitis non adeo conveniunt, cùm minus ſint Aromatici.

China vera nigra texturâ conſtat admodum acri, & volatili aromaticâ, ſatiſque penetrante. *Radix* autem *nodoſa*, ad nos allata, eſt tantùm Sylveſtris, non Hortenſis, ideoque magis temperata, vi tamen ſudoriferâ in Decocto antivenereo maximè pollens. Convenit ejus Decoctum in *Scorbuto* membra exteriora affligente, *Arthritide vagâ ſcorbuticâ*, & *Paralyſi ſcorbuticâ.* Radix Chinæ in Sero lactis cocta Senibus catarrhoſis & podagricis eſt admodum proficua. Paratur & inde *Eſſentia.*

China Chinæ ſeu *Cortex Peruvianus*, ſi genuinus ſit, eſt craſſus, ſpiſſus & albicans, ſaporis amariſſimi, ſimilis radici *Gentianæ.* Uſus ejus eſt in *Febribus intermittentibus*, *quartanâ* præprimis & *tertianâ* tam ſimplici

plici quàm duplicatâ, præmiſſo tamen Vomitorio. Infunditur ſcilicet *Cortex* à ℥i. ad ℥iii. *in Vino*, & *Infuſum* hauritur bihorio ante paroxyſmum. Operatur per Sudorem, interdum per Vomitum, raró per Sedes. Si genuinus ſit, poſt ſecundam aut tertiam aſſumtionē *Quartanæ* ceſſant: verùm uſui ejus Purgans adhuc ſuperaddendum eſt. Quod ſi minus genuinus ſit, periculoſa & ſæpè lethalis ejus uſurpatio eſt; unde *Lignum colubrinum* aut *Gentiana noſtra* cōmodè illi ſubſtituitur, licèt tardius hæc ſuum effectum ſalutarem prodant. Interea certum eſt, hunc Corticem operari, acidum vitio digeſtionis primæ contractum, à quo *Febres Intermittentes* oriuntur, corrigendo.

Ciceris ſemen diureticum, cujus *Decoctum* cum *Rad. Petroſel.* in Juſculo carnis *Puerperis* poſt partum euporiſton eſt; nitroſitate enim ſuâ uterum abſtergit, *Secundinas* movet, & ſubſiſtentibus Virginum *Menſibus* ſuccurrit. *Lac* minimè cogit.

Chryſanthemum Peruvianum non tuberoſum ſeu *Flos ſolis*, dat ſcapum ſeminum non maturorum, qui inciſus ac decoctus copioſum præbet *Gummi*, quod quidam tanquam Vulnerarium ſingulariſſimum in formam *Emplaſtri* redactum extollunt.

Cichorium in ſubjectis bilioſis multum præſtat. Conſiſtit ejus vis in Sale alcali temperato, quo abſtergit per urinam, & mitigat in abdomine *Phlogoſes* & *Tormina*, orta ab effervescentiâ Salis vol. in Bile cum acido vitioſo digeſtionis primæ; unde Infantibus recens natis & in *chronicis Affectibus*, cruditates corrigendo convenit. Ex Floribus fit elegans *Aqua ophthalmica per deliquium*, quæ in *Albugine* & aliis oculorum Affectibus detergens egregia eſt. Paratur inde *Succus* forti decoctione elicitus, qui Sale eſſentiali ferè nitroſo imprægnatur, & in Extractum inſpiſſatus *Oleoſita-*

tem aliáque *Bilis vitia*, calidæ Hepatis intemperiei adſcripta, egregiè corrigit.

Cicuta exulat à medico uſu interno ob venenoſam, quâ pollet, qualitatem. Sunt tamen qui *Scirrhos Lienis & Hepatis* ℥i. Radicis curare volunt. Externè fit inde *Emplaſtrum*, quod cum Gum.amm. in Aceto ſoluto mixtū *Strumis* adhibetur. Quin & ipſam *Plantam* cum *aqua Cherefol.* vel *Succum* cum *aceto*, ad *Lac* inhibendum, ut & ad *Mammas* ex lacte coagulato induratas, imò & *Tumorem penis* ex nimia Venere, applicamus.

Cicutaria paluſtris eſt Modernorum decantatum antiphthiſicum præſervativè & curativè, Semen nempe crudum ſæpiùs aſſumptum.

Cinamomum nulli analeptico cedit. Tota ejus exiſtit vis in Oleo; quod ſi cum *Semine cannabino*, ut ſæpè fit, deſtilletur & adulteretur, fit ſqualidum, inodorum & nigrum. In *Syncope*, *Nauſeâ* aliiſque Stomachi affectibus præſtantiſſimum eſt. Convenit etiam ejus *Aqua* non ſecus ac *Oleum* ad omnes *Uteri Affectus*, *Partum* nempe *difficilem*, *Fœtum* roborandum, *Menſes*, *Secundinas*, & *Lochia* expellenda. *Oleum ex Cinamomo* copioſiſſimum habetur, ſi compages ejus cum *Phlegmate Vitrioli* nonnihil reſeretur. Verùm in deſtillatione vulgari per exceſſivum ignem *Oleum* comburitur; concinnius ergo fit inſpergendo fruſtula Cinnamoni modico Vini, & poſtea ex V. B. per retort. deſtillando. Habet utique *Cinamomum Oleum* duplex, ſubtile unum, phlegmati ſupernatans, aliud craſſum rubicundum (quod vulgare eſt) in aqua ſubſidens. Reddit etiam acidum manifeſtum, cum cortex ſit reſinoſus. *Syrupus*, qui proſtat, nil valet. Melior eſt *Tinctura* ſeu *Eſſentia* cum Saccharo in Syrupum redacta. Cinamomo ſimilis eſt *Cortex winteranus*, in *Scorbuto*, *Malo hypochondriaco* & *Affectibus Stomachi* uſitatus.

Citrus ſuccum reddit in *Febribus malignis* ardentibus, & in

& in *Scorbuto*, ex aëris inquinamento contracto, egregii uſus: gaudet enim acido volatili, quod acidum Scorbuti rancidum corrigit. In quem Finem habetur & *Conſerva pulpæ Citri.* *Cortices* verò ſunt admodum *Oleoſi volat.* & *Eſſentiam* dant in *Flatibus* egregiam. Habetur & *Acetum Citri* pro *Morbis epidemicis.* Fiunt etiam ex *Seminibus Emulſiones* in *Febribus petechialibus & malignis* egregii uſus. Fit denique ex toto *Citro Eſſentia*, excipiendo Succum oleoſum corticis Saccharo, deinde pulpam albam à ſucco liberatam cum aquá fermentando, & poſtmodum deſtillando *Aquam ſpirituoſam*, quæ Stomacho convenientiſſima eſt, & inprimis iis conducit, qui ægros *Morbis malignis* afflictos neceſſariò viſitare tenentur.

Citruli ſemen diureticum eſt & ingreditur *Emulſiones* in *Febribus malignis*, *Dolore nephritico*, & *Ardore Urinæ* uſuales.

Cocculæ orientales, in pulvere cum Butyro illitæ, *Phthiriaſin & Pediculos* fugant.

Cochlearia gaudet Sale volatili acri, ratione cujus in *Scorbuto & Morbis chronicis* tartareis uſitatiſſima eſt. In illis tamen, in quibus eſt acidum acre, *Phlogoſes* & alia Symptomata excitat; niſi cum Lacte vel Sero lactis, aut Vino, temperetur acrimonia ejus ſalſa volatilis. Ejus *Succus* Gingivis ſcorbuticis prodeſt. Paratur ex eadem *Sal volat. urinoſum*, vel per ſe deſtillando, vel fermentando & putrefaciendo. Fit etiam ex *Cochleariâ*, quæ florere incipit *Oleum deſtillatum*, quod in *Scorbuto* plurimum valet.

Contrayerva uſurpatur pro ſudore ad ℨi. in *Morbis malignis & venenoſis.*

Conſolida media vulneraria eſt, tam internè quàm externè. Decoctum ejus in *Phthiſi* & aliis *Exulcerationibus* ſatis eſt frequens; laxat blandè alvum, contra naturam aliarum Conſolidarum.

Corallina convenientiſſimum eſt remedium contra Lumbricos, ad ʒi. in pulvere aliquoties datum.

Coriandrum aromaticum eſt & ſtomachicum egregium; *Cruditates* enim acidas & inde natas *Inflationes* præcavet. *Acetum*, cum quo vulgo præparatur, ei omnem vim ſurripit. Fit exinde cum *Saccharo* & *Scammonio Confectio laxativa* egregia.

Coryli ſurculi juniores per deſcenſum deſtillati *Aquam* reddunt *ſpirituoſam* acidam, cum ſubſequente *Oleo*, quæ omnia legitimè rectificanda ſunt. *Oleum* hoc ad gut. 8. vel 9. in *Epilepſiis*, *Vermibus* enecandis, *Pediculis* fugandis, & *Odontalgiâ* ſopiendâ, multum præſtat; & in *Partu difficili* Umbilico illitum congruit: eſt enim anodynum. *Corylus* poſt centum annos *Viſcum* plorat, cui in *Epilepſiâ* curandâ ſimile eſt vix remedium.

Coſtus acris eſt, oleoſus, adeoque aromaticus. A Medicis maſticatus ab Ægrorum contagio maligno præſervat. *Oleum coſtinum* in *Paralyſi* remedium eſt optimum.

Croci flores gaudent Oleo vol. & admodum ſpirituoſo; fortiter penetrante : cujus intuitu vim obtinent inebriantem ſeu narcoticam, quæ tamen non confundenda eſt cum cæteris ſtupefactivis. Cordiale item inſigne, ſtimulatque *Urinam*, *Menſes* & *Fœtum*, Juſculum ſcilicet ex Cereviſia, Croco inſigniter tinctâ. In *Aſthmaticis* atque *Dyſpnæis* ℈i. in Vino generoſo commodè propinatur. In *Affectibus* etiam Capitis Spiritus animales reficit. Verùm, ſi doſis ejus nimia ſit, malignitate ſuâ narcoticâ *Ebrietatem*, *Delirium ridiculum*, quandoque *Mictum cruentum*, & ipſam mortem infert. Externè in *Agrypniis* ſacculus Croco repletus Capiti ſuppoſitus extemplo juvat; cautè tamen & non niſi fortioribus adhibendus eſt. Ventriculo impoſitus *Vomitum* ſiſtit; verùm ſi juſto diutius detineatur, prorſus interimit. Cæterùm ipſe quoque Crocus nodulo incluſus &

cum

cum Camphora de collo è regione Ventriculi ſuſpenſus, remedium eſt Melancholicis apprimè conveniens. Sic & cum Spiritu Vini membra frigore læſa reſtituit. Pro *Eſſentiâ Croci* optimum menſtruum eſt *Aqua Vitis*, quæ tamen non extrahi, ne vis volatilis cum menſtruo avolet, ſed ſub forma Eſſentiæ, quæ in Dyſenteria internè eſt elegans, aſſervari debet. Præterea convenit *Crocus* pro concoquendis & maturandis *Tumoribus & Doloribus* qualibuſcunque membrorum ſiſtendis.

Cubebæ gaudent Sale volat. acri minus temperato. *Memoriæ* roborandæ dicatæ ſunt, adeoque Somnum conciliant & Venerem inſimul ſtimulant; proinde cavendum,eſt ne nimius eorum uſus pro Memoriæ acumine *Stupiditatem* inducat. Grana utique cruda manè deglutita in Affectibus Capitis,à Stomacho ortis,conducunt.

Cucumeris & *Cucurbitæ* ſemina tantùm ſunt in uſu pro Emulſionibus anti-febrilibus: ſunt tamen, qui carnem in taleolas diſſectam capiti raſo in *Phrenitide* applicent.

Cumini ſemen gaudet Oleo ſalino temperato aromatico; convenitque in omnibus cum *Aniſo*, excepto quod *Lac* intercipiat. *Colicam* interea multum levat, *Menſes* ſtimulat, & in ſpecie pro *doloroſis Menſibus* corrigendis nil præſtantius. *Oleum* ejus Umbilico illitum *Tormina Infantum*,eorumque Suffocationem tollit,fortem etiam Urinæ odorem conciliat internè ſumptum, *Stranguriamq́;* ſanat.

Curcuma convenit in omnibus Affectibus cachecticis,& ubi Bilis peccat, in *Ictero* nimirum.

Cuſcuta ſuper *Thymum* creſcens *Epithymum* dicitur; ſuper *Hyſſopum*, *Epihyſſopum*. Habentur hæ plantæ pro nitroſis, adeoque pro laxantibus diureticis, quæ & Maſſ. ſanguineam purificant.

Cyani flores Menſes, Urinam & Lochia ſuaviter pro-

movent. In Affectibus Oculorum, ex *Variolis* ortis, liquor inde per deliquium paratus utramque facit paginam.

Cyclaminis radix ſuccum acrem ſuggerit, qui Abdomini illitus in *Hydrope* laxat. Paratur & inde Unguentum, quod idem præſtat. Succus hic duriſſimos emollit *Tumores*, & in hunc finem Emplaſtra ſplenetica ingreditur: linteo etiam exceptus & ano blandè applicatus *Hæmorrhoides* levat.

Cynogloſſa narcotica eſt & adſtrictoria; modernis autem exoleta; in nonnullis tamen Regionibus ex ejus Radice ſucculentá *Unguentum anodynum*, extus cum fructu uſurpari ſolitum; & *Maſſa pilularum* paratur, quæ ad gr. ii. vel iij. intus datur, ad dolores qualeſcunque ſiſtendos, *Catarrhos Pectoris* acres & ſalſos corrigendos, ac *ferinam Tuſſim* compeſcendam.

Cynosbati flores magis odori, ſunt quàm hortenſes. *Fructus* ſunt diuretici, ſive cocti ſive conditi, adeoque à *Calculo* præcavere feruntur. Quin & in *Sodâ*, remotis lapillis, ſtamina cum Saccharo conducunt. In *Spongiis* ejus reperiuntur Vermiculi in aceto contundendi, quo illinuntur tempora pro conciliando Somno; & internè etiam commendantur in *Epilepſiâ* tollendâ, atque & Urinâ movent.

Cyperi radix reliquis aromatibus eſt paulo acrior; & paludoſa loca amat, uti omnia plerumque vegetabilia Sale vol. prædita. Ejuſdem eſt uſus cum Aromatibus.

Cydoniorum vis in Sale acido auſtero conſiſtit, unde blandè adſtringunt, *Stomachum* & *Appetitum* roborant; *Vomitum*, *Nauſeam*, *Dyſenteriam & Diarrhæam* curant. In eorum enim ſucco inſpiſſato Sal ejuſmodi cryſtallinum ad oculum apparet. Externè in *Vulneribus venenatis* conducunt. *Seminum* vis conſiſtit in *Mucilagine*, quæ cum phlegmate Vitrioli parata in *Aſtu & Faucium affectibus* conducit; atque addita Camphora & Saccharo

Saturni

Saturni in *Ambuſtionibus* & *Ardore Hæmorrhoidum* egregiè juvat.

D.

D*Atura* Indorum narcotica eſt, adeo ut ſint, qui ipſi Turcarum *Opio* eandem præferant.

Daucus Creticus in uſu eſt uterino, Decoctum autem ſeminis in Cereviſia egregium eſt diureticum, & à *Calculo* liberat.

E.

E*Ndivia Cichorio* temperatior eſt; quod vide ſuo loco.

Equiſetum in *Vulneribus* conſtringendis commendatur, item Aqua ejus deſtillata pro vehiculo medicamentorum in *Nephritide* habetur.

Eruca & Sinapi habent Sal vol. admodum acre, unde *Appetitum* conciliant & in *Scorbuto* conveniunt, ſive cruda, ſive recentia, contuſa cum Vino. Certè in *Apoplexiâ* melius remedium non datur, præſertim Spiritu exinde cum Calce vivà deſtillato. Paratur quoque exinde *Electuarium* in his Affectibus & *Venere* ſtimulanda commendatiſſimum. Cuti cum fermento impoſita Veſicas excitant; maſticata autem phlegma ex ore eliciunt.

Eryſimum conſtat Sale vol. pungente, ratione cujus in *Faucium Raucedine* ſeu *Tuſſi chronicâ*, à Stomachi muco ortâ, non inelegans eſt. Externè planta & ſemen contuſa *Scirrhis*, ad *Cancrum* degeneraturis, cum *Melle* applicantur quotidie ſemel cum fructu.

Eupatorium hepaticum eſt. Fibræ radicum in vino decoctæ Alvum, Urinam & Vomitum quandoque movent, teſte *Geſnero*.

Euphragia inter Ophthalmica tam interna quàm externa primatum ducit. Muſto infuſa Vinum dat in *Hebetudine oculorum* conveniens.

F.

F*Abarum* ſtipites mediante calcinatione Sal reddunt valde diureticum. Externè farina in *Contuſione* &

Inflammatione partium glanduloſarum, præprimis teſtium, cum Aceto & Lithargyrio multum prodeſt. In *Tumore* etiam *Mammarum* Farina hæc non incongrua exiſtit. *Aqua florum* coſmetica eſt.

Ficus temperatâ gaudent dulcedine, unde in *Raucedine*, *Tuſſi* & *Urinæ acrimoniâ* conveniunt. In *Variolis* frequentis ſunt uſus. Coctæ alvum laxant. Externè Ficus aſſatæ & calidæ *Tumores* emolliunt & maturant, & *Gingivis ſuppuratis* ſuccurrunt; quin & ad *Tuſſem* faciunt removendam, ſi in Spiritu vini infundantur, hicq; poſtmodum accendatur & hauriatur.

Filix in chronicis maximè commendatur; in *Melancholicis* cum *Sabinâ* coquitur & propinatur.

Fœniculum Variolas expellit & Oculos protegit; egregium eſt nephriticum, in omnibus *Renum Affectibus* polychreſtum; ejus *Decoctum* mirè Lac auget. Oculis verò commendatiſſimum eſt, inprimis à lucubrationibus nocturnis læſis, in quem finem *Liquor* ex *Saccharo* caulibus excavatis immiſſo *Collyrium* præſtantiſſimum eſt. In omnibus ferè cum *Aniſo* convenit.

Flam̃ula Jovis ratione Salis vol. acris antiſcorbuticum eſt. Per frequentem cum Spiritu vini cohobationem Spiritus egregius inde elicitur. Extrinſecus Veſicas excitat.

Fœnum græcum externè uſurpatur pro ſcopo anodyno & reſolutivo.

Fragaria in Cachecticis & Ictericis frequenter adhibetur. Fructus gaudent alcali vol. blandiſſimò; unde *Renes* abſtergunt & Maſſam ſanguineam egregiè purificant. Cavendum ne nimius eorum uſus Choleram alioſque Inteſtinorum Affectus excitet.

Fraxini folia vel ſuccus *Vulneribus* applicata, *Hæmorrhagias* ſiſtunt. *Cortex* ſeu *Lignum* habet omnes Guaiaci vires in uſu antivenereo; applicatum autem naribus vel recentibus *Vulneribus*, *Sanguinis fluxum* extemplo ſiſtit; & Dentium cavitatibus intruſum vel

Gin-

Gingivis affricatum *Odontalgiam* fugat. Notandum autem, quòd certum & determinatum tempus requiratur ad ejus collectionem. Semina lithontriptica ſunt & Venerem ſtimulant. Alias Lignum alterá extremitate igni commiſſum liquorem exudat in Affectibus Aurium commendatiſſimum.

Fumaria conſtat Sale vol. non adeo nitroſo. Succus expreſſus in *Scorbuto*, *Malo hypochondriaco* & *Scabie* acorem vitioſum corrigit, & Urinam ciet. Succus autem diu non durat, nec coctionem fert herba. Parantur exinde *Conſerva* ejuſdem uſus; ut & *Pilulæ* cum *Mercurio dulci*, in *Scabie* & *Lue venereâ* uſurpatæ.

Fumaria bulboſa cum *Ariſtolochiâ rotundâ* convenit quoad contenta & vires.

G.

G*Alanga* Aromatica eſt & Stomachica egregia; in *Affectibus flatulentis*, *Suffocatione hyſtericâ*, aliiſque à cruditate acidâ ortis, commendatiſſima.

Geniſtæ flores ex omni cum floribus *Capparis* conveniunt; eſtque ejus Sal in Vino diſſolutum admodum diureticum.

Gentiana amariſſima eſt, & alexipharmaca nobiliſſima. In *Morſu Canis rabidi* optimè confert, vel internè cum *Theriacâ*. In *Febribus quartanis* pulvis vel ſuccus inſpiſſatus multum prodeſt. Acidum auſterum Stomachi mitigat, unde in *colicâ* & *hyſtericâ Paſſione* cum Vino calido propinatur. Externè Pulvis inſperſus *Fontanellas* fluere facit. Radix quoque *Fiſtulis* anguſtis ſæpè immittitur, ut *Callum Ulceris fiſtuloſi* exedat.

Geranium Rupertianum applicatur cum Sale & Aceto plantis pedum in Tumore eorundem hydropico. Succus ejus grumoſum ſanguinem tam internè quam externè diſſolvit.

Glycirrhiza grati eſt ſaporis, cum amaritie quâdam in fine. Temperat acrimoniam ſalſam ſeri & ſanguinis;

nis; unde in *Raucedine*, *Tuſſi ſiccâ*, *Dyſuriâ* & *Doloribus renalibus* convenit; eſtque de genere nephriticorum, quæ non fundunt ſanguinem, ſed modicè temperant. *Hypochondriacis*, *Hyſtericis* illisque, qui ab aliis dulcibus offenduntur, tuto exhibetur, ex eo quod præ cæteris dulcibus ſit minus efferveſcibilis. Si Decocta ingrediatur, in fine infundatur, alias dulcedinem amittit. Succus præſcribendus in aquâ appropriatâ diſſolutus, ſic enim abjicit impuritates, quibus vulgo adulteratur.

Gramen adſtringit & Lumbricos enecat.

Granata dulcia temperata ſunt & Maſſ. ſanguineam conſervant. *Acidorum* ſuccus in *Febribus ardentibus* (non per ſe ſed in Julepis) in *Gonorrhæa* à turgeſcente ſemine, *Appetitu vitioſo*, & *Hæmorrhagiis* ab æſtu oriundis, conducit. *Flores* gargariſmata adſtringentia ingrediuntur; *Cortex* autem validius aſtringit. *Infuſum* florum in *Variolis* Oculis inſtillatur ad *Ulcera* præcavenda. Poteſt etiam *Malicorium*, vi acidum abſorbendi, quandoque Menſtrua movere.

Guaiacum in Aquâ validius decoctum, in *Lue venereâ*, *Arthritide*, *Scabie*, *Febribus* aliiſque *Morbis chronicis* Maſſam ſanguineam purificat. Paratur inde *Eſſentia* cum *Spiritu Sambuci*, in *Scabie*, *Catarrhis* & *Odontalgiâ* commendatiſſima. Reddit etiam *Spiritum acidum vol.* qui ad ℈i. vel 2. Sudorem movet. *Oleum deſtillatum* extrinſecus in *Lue venereâ* illinitur. Craſis conſiſtit in Sale vol. & ſapor quaſi nitroſus eſt. Vis odorifera reſidet in Decocto. Conſtat ex principiis ſalino-ſulphureo-oleoſis, quæ in receſſu habent acre alcalinum & acidum vol. Hoc teſtantur Spiritus ejus acidus & Sal volatile in formâ ſiccâ. Ut ergo paucis multa comprehendam, vis ejus conſiſtit in parte reſinosâ, quæ conſtat Sale alcalino & acido vol. *Cortices* ejus eoſdem, imò majores præſtant effectus. *Oleum Ligni* cum C.C. *uſto* rectificatum penetrantiſſimum & maximè ſudoriferum eſt, ut &

ut & carminativum in *Affectibus hyſtericis & colicis.* In uſu pariter eſt gummi in *Gonorrhœâ*, *Lue venereâ & Scabie malignâ*, vel in ſubſtantiâ, vel Pilulis, vel Eſſentiâ cum Spiritu vini extrahendâ.

H.

HEdera *terreſtris* vulneraria eſt, in *Ulceribus Pulmonum & Renum* nulli cedens. Cocta in Vino vel Cereviſiâ adhibetur in *Phthiſi ſcorbutica*, *Aſthmate*, & *Pleuritide*; Sanguinem grumoſum reſolvit, & per Urinam expellit.

Hederæ arboreæ Baccæ recentes Vomitus & Seceſſus movent; ſiccatæ autem ad ℥i in Aceto deſtillato vel Vino ſudorem in *Peſte* proficuum excitant. Externè Folia veſiculas excitant ac fluere faciunt.

Helenii radix aromaticâ vi gaudet. In Stomacho confortando, in *Aſthmate & Tuſſi pectorali*, Vinum ejus per fermentationem vel infuſionem paratum egregium eſt; ubi & *Extractum* ejus exhibetur. Decocta heleniata *Colicam & Paralyſin ſcorbuticam* mediante ſudore curant, & addito Fœniculo *Mercurium* è corpore propellunt. Paratur etiam ex Helenio *Unguentum* in *Scabie* proficuum.

Herniaria in *Herniis* prodeſt, vel decocta, vel in forma Eſſentiæ cum Rore majali paratæ, quæ egregia eſt.

Hiſpidula in viribus cum *Piloſellâ*, cujus ſpecies eſt, convenit.

Hordei decocta quibuſdam ſuſpecta ſunt ob cruditates flatuoſas; hinc in paranda cereviſia prius germinare debet, ut cruditates illæ tollantur. *Decoctum* hoc cum *C. C.* in expellendis *Variolis*, cum *Rad. Chinæ* in *Febribus ardentibus*, cum *Rad. Scorzon.* in *Petechialibus*, egregium eſt. Item *Emulſio* ex ſemine ad crepaturam cocto parata; in *Febribus benignis* valdè conducit.

Hor-

Horminum ſpirat odorem Citratum penetrantiſſimum & acutum. In tribus his Affectibus (1.) *Fluxu Mulierum albo*, (2.) *Suffocatione hyſtericâ* & (3.) *Colica*, præſtantius remedium vix habetur. Propinatur vel Decoctum ejus, vel Spiritus vini à ſummitatibus floreſcentibus aliquoties abſtractus, ſic enim partes aromaticas ſecum rapit. Externè in *Hyſtericis* Caſtoreo non cedit.

Hyoſcyamus niger exulat propter virulentiam. *Albus* gaudet vi narcoticâ, opio non cedente, quæ ſita eſt in principio ſulphureo, quod ejus viſciditas, circa flores reperibilis, oſtendit. *Foliorum decoctum in Lacte*, cum fructu Stomacho dolenti calidè applicatur. *Semen* Conſervâ roſarum exceptum *Sputum ſanguinis* & omnem *Hæmorrhagiam* compeſcit; cavendum autem, ne nimius uſus ſtupefaciat. *Oleum* ex ſeminibus expreſſum, Temporibus illitum, *Somnum* inducit; item *Doloribus dentium ſcorbuticis* conducit; imò in quacunque *Odontalgia* Radix gingivis affricta vel dentibus inſerta certiſſimum eſt remedium. *Odontalgia* à Vermibus per ſuffitum herbæ vel ſeminis curatur. *Emplaſtrum* ex ſucco foliorum, & *Oleum* ſeminis contra quoſcunque Dolores & Tumores duros uſurpantur. *Semen* baſis eſt ſecreti *Heurnii* contra *Hæmoptyſin*.

Hyperici flores & ſemina contrita ſpirant odorem gratum & ſuccum fundunt rubeum. Summitates florentes par vulnerarium non habent. Semen diureticum eſt ſingulare, à *Calculo* præſervans & in *Ulceribus Renum* cum mictu cruento maximè proficuum; abhinc & in reſolvendo Sanguine grumoſo convenit. Aqua vel *Eſſentia* valet contra *Lumbricos*, *Tremorem artuum*, *Deliria*, & *Maniam*. Externè *Oleum* ex ſem. expreſſum, vel oleum comm. in quo ſummitates maceratæ ſunt, in *Vulneribus*, *Convulſionibus* & *Ulceribus* partium nervoſarum ſimile non habent.

Hyſſo-

Hyſſopus expectorans eſt, pulmonibus dicatus. Syrupus ejus & decoctum in vino, in *Aſthmate & Tuſſi chronica* expectorat & viſcida reſolvit. Quin & Aqua ejus ſpirituoſa, cruditates abſorbendo, Stomachi malis ſuccurrit. Externè ſummitates vino calido immerſæ in *Oculorum ſugillatione & Sanguine congrumato* ex contuſione multum conferunt.

I.

IMperatoria cum *Angelicâ* convenit, *quam vide* ſuo loco.

Iris noſtras, ex radice ſuâ, tempore verno antequam germinare incipiat collectâ, ſuccum reddit acrem purgantem & hydroticum, qui *Syrupo Viol.* corrigitur, ne fauces excoriet. Quidam deſtillant *Succum*, & Aquæ hinc deſtillatæ ℥iii. dant pro purgante. Idem eſt Errhinum efficaciſſimum. Quin & Oleum per infuſionem in *Coryzâ* ſeu Gravedine inſigniter commendatur. In *Scrophulis* hoc Oleum & Succus remedium ſunt ſpecificum. Fæcula nullius valoris eſt, & Radix cocturam non fert.

Iris florentina lympham acrem corrigit. Uſurpatur in Pulvere, Oxymelite vel Decoctis, in *Aſthmate, Raucedine, Tuſſi ſicca, &c.* & pulveres pectorales ingreditur tanquam primarium ingrediens.

Iſatis ſine aëre putrefacta Spiritum urinoſum, cum aëre verò Sal vol. ſimul ſuggerit; quod formaliter in planta non exiſtebat, ſed ex actione Salis alcali vol. in particulas terreas fixiores & oleoſas gignitur.

Juglandis Radices, menſe februario perfoſſæ, ſuccum dant in *Odontalgia* efficaciſſimum; qui & *Podagram* curat, tam externè, quàm internè; vi diureticâ. *Cortex ſuperior* aſtringens eſt, ex cujus ſucco (in faucium Affectibus adſtringente optimo) cum Sal comm. evaporato fit *Vitriolum vegetabilium*, deinde *Spiritus acidus*, Corallia aliáque ſolvens. *Cortex interior* à ʒß. ad ʒi.

vali-

validiſſimum eſt Vomitorium. *Juli* ſeu *flores* ad ℥i. in *Dyſenteria* & *Paſſione hyſterica* laudantur. Juglandes maturæ contra Peſtem valent; contritæ *Morſui Canis rabidi* impoſitæ conducunt.

Jujubæ temperatæ ſunt & in *Affectibus pectoris* uſitatæ. Syrupus earum in *Tuſſi ſicca*, atque principio *Pleuridis* & *Variolarum*, *Stranguriâ* item & *Dyſuriâ*, commendatur.

Juniperus frutex eſt perpetuò virens, adeoque inſigniter balſamicus; qui *Ligno Saſſafras* ſubſtitui poteſt. Ejus Baccæ quotannis bis maturæ ſunt, & craſin totius concreti obtinent. Scatent Oleo aromatico nonnihil reſinoſo, & ſunt inſigniter ſudoriferæ, æque ac diureticæ. Unde in *Affectibus nephriticis Aqua*, *Roob* & *Malvaticum* (quod eſſentia eſt ex Roob & Spiritu conſtans) admodum conducunt. In *Affectibus catarrhalibus* & *chronicis*, primam Stomachi digeſtionem mirè adjuvant. Ratione vis ſudoriferæ alexipharmaca ſunt, Menſes movent & *Hydropem* curant. Quibuſdam in locis paratur Cereviſia ex Baccis per fermentationem. Paratur etiam per fermentationem *Spiritus*, *Sal volat.* & *Oleum*, in *Affectibus nervoſis* & prædictis internè & externè commendata. Ex remanentiâ paratur elixiviando *Sal fixum*, optimum diureticum in *Hydrope* & *Affectibus hypochondriacis*. *Gummi Juniperi* uſurpatur pro ſuffitu in *Affectibus capitis catarrhalibus*. Ex *Spongiis* recentibus contuſis & Soli expoſitis fit *Liquor*, qui colatus & acervo Formicarum impoſitus in Oculorum *Affectibus* admodum eſt proficuus.

L.

L*Actuca* cum *Cichorio* convenit.

Lapathum acutum in Affectibus cutaneis, ſive internè in Decocto, ſive externè, omnibus ſimplicibus præfertur. *Radix* in aceto trita & impoſita *Serpiginem inveteratam* curat. Eadem in Aqua cocta, addito

Sterc.

Sterc.Gall.& inſtar Cataplaſmatis impoſita *Scabiē* aufert.

Lauri Baccæ ſunt aroma carminativum perfectiſſimum; coctæ item in Vino *Doloribus poſt partum*, impoſitæ, feliciter medentur. *Oleum Lauri* internè contra *Colicam*, externè Ventriculo in *Inflammatione*, Pubi in *Sterilitate*, *Menſium ſuppreſſione*, *&c.* Paralyticis denique partibus, illitum prodeſt. Cum floribus Sulphuris miſcetur Oleum Lauri (tam per infuſionem quàm coctionem) & Corpori ſcabioſo illitum rarò fallit. *Oleum* hoc contra *Pediculos* quoque adhibetur. Ipſæ *Baccæ* ad ℥i. cum Aceto deſtillato vel Vino in *Febri malignâ* ſudorem commodè movent.

Leviſtici Radix in Vino macerata applicatur naribus in *Paſſione hyſtericâ*. Et Radix & Sem. carminativa ſunt & aromatica, in *ſuffocatione hyſtericâ* & *Partu difficili* magnopere commendata; quæ & Clyſmata anticolica ingrediuntur.

Liguſtri ſuccus & decoctum in *Ulceribus Faucium* & *Gingivarum* externè conducunt.

Lilii albi Flores & *Rad.* habent Mucilaginem aqueam temperatam, unde emolliunt & ſuppurant. *Oleum Lil. alb.* in tardâ *Suppuratione* humorum, *Difficultate Urinæ*, & *nephriticis Doloribus* Lumbis illinitur; ubi illitum *Partum* facilitat. Quin & Oleum florum infuſum *Vulnera* conſolidat.

Lilium convallium minus oleoſum eſt, conſtans Sale vol. magis mercuriali quam ſulphureo, unde Spiritus animales valde reficit, & in Affectibus capitis primatum ducit. Paratur *Spiritus* per cohobationem florum cum Spiritu vini, dum rore adhuc madidi ſunt; vel etiam per *fermentationem*; qui ad *Affectus nephriticos* & nervinos maximè conducit; cum quo parari poteſt *Eſſentia* pro ſcopo analeptico egregia. *Flores* & *Rad.* in pulvere errhinum ſunt haud vulgare, & ſatis temperatū.

Limoniorum ſuccus cum *Citro* convenit; in ſpecie

tamen ad *Calculum*, *Gonorrhæam*, & nimium *Æſtum venereum* commendatur. Sunt qui ex muriâ Limonum abſtractâ & deſtillatâ Sal. vol. acquirere volunt.

Linaria in lacte cocta vel cum pinguedine porcinâ ſubacta, *Hæmorrhoidibus*, inprimis *cæcis*, applicatur.

Lini ſemen Oleum dat, in *Pleuritide, Tuſſi*, & *Affectibus pectoris*, ad ℥ii. vel iii. egregium. Interim cum nauſeoſum ſit, *Oleum Amygd. dulc.* ei præferri debet. Alias in *Colicâ* & *Obſtructionibus alvi*, à Dolore nephritico ortis, in formâ Clyſteris confert.

Lupuli flores recentes ſunt pingues reſinoſi, ſuavique admodum odore prædití; adeoque Oleo gaudent, quod Cereviſiam ab aceſcentiâ præſervat. In genere acidum corrigunt, adeoque in *Morbis chronicis, Ictero, Hypochondriacis*, *&c.* adhibentur. Summitates recentes ſæpius comeſtæ alvum lenius cient, & Maſſ. S. fermentatione blandâ depurgant; unde *Scabiem* certò præcavent.

M.

M*Ajoranæ* vis conſiſtit in Sale vol. admodum oleoſo. *Oleum* ejus externè capiti illitum *Catarrhos* diſſipat, & naribus Infantum applicatum, mucum reſolvit, adultiſque olfactum amiſſum reſtaurat. *Herba* in Pulvere errhinum eſt.

Malvæ arboreæ florum in Lacte decoctum egregium eſt gargariſma in Affectibus faucium. Quin & Pulvis florum cum melle & alumine *Fauces ſcorbuticas*, inprimis Mulierum, levat.

Malva vulgaris continet ſubſtantiam aqueam temperatam, nonnihil mucoſam; unde maturat, emollit & acrimoniam ſalſam temperat. *Conſerva florum* Affectibus urinariis dicata eſt. Malva denique in *Doloribus capitis* externè in lotionibus adhibetur. Alii *Linimentum* parant ex Malvâ cum Butyro non ſalito & Camphorâ.

Mandra-

Mandragoræ Cortex in *Tumore ſcirrhoſo* diſcutiendo Cicutam ſuperat.

Marrubium album odorem habet citratum, & pituitam primarum viarum egregiè reſolvit. Unde *Syrupus* ejus in *Tuſſi Senum*, quæ in Stomacho utplurimum radicatur, & Decoctum ejus in *Hydrope Uteri* valdè laudantur.

Marum cum Majoranâ, cujus nobilior ferè ſpecies eſt, convenit.

Matricaria odoris & ſaporis penetrantis eſt, unde Mulieribus eſt dicata in pellendis *Menſibus, Lochiis, & Doloribus poſt partum*. Clyſmata etiam carminativa ingreditur. Contuſa item & fronti applicata *Cephalalgiam* levat, modò odorem ejus ferat *Æger*.

Melilotus magis eſt vol. & reſolutivus quàm *Malva* & *Althæa*; quin & vi anodynâ gaudet, in *Doloribus podagricis* applicatus.

Meliſſa aromatica eſt, ſed ſimul volatilis & mercurialis, parumque admodum oleoſa. Unde in *Virium proſtrationibus*, *Apoplexiâ*, *Sterilitate* & *Palpitatione Cordis* maximè conducit. Paratur inde *Eſſentia*, quæ Memoriam roborat, & ætatem ſenilem quaſi cum juventute commutat.

Mentha criſpa & Calamintha montana Stomachum, ejuſque *Affectus* inprimis reſpiciunt; *Cruditates* præcipuè acidas, tollunt; Lactis coagulationem præcavent. *Oleum deſtill.* Stomacho illitum *Vomitum*, *Cardialgiam & Nauſeam* arcet. Nervinum quoque egregium eſt. *Acetum Menthæ* tam internè quàm externè, quin & ipſa Herba contuſa cum fermento applicata, *Vomitum* ſedat.

Mercurialis gaudet Succo ſalino mercuriali nitroſo, ratione cujus internè abſtergit & laxat.

Meſpila immatura condita valdè adſtringunt, Stomachum roborant, & fluxiones quaſcunque ſiſtunt.

Capiti applicata *Capillorum defluvium* inhibent. Semina pariter adſtringunt,atq; uſurpantur in Gargariſmatibus, & Injectionibus pro *Ulceribus*. *Nuclei* in pulvere acidum in primis viis deſtruunt, atque adeo à *Calculo* præſervant.

Meum cum *Angelicâ* vel *Fæniculo* in viribus conſpirat.

Milium gaudet mucilagine temperatâ copiosâ, admodum nutritivâ. Decoctum ejus ad crepaturam Sudoriferum eſt in *Tertianis* egregium; quod & *Variolas* promovet, ſanguiniſque fervorem mitigat. Externè Sacculi ex Milio & Sale toſto capiti vel ventri, pro *Cephalalgiâ* vel *Torminibus*, applicantur.

Milium Solis Calculum pellit, *Gonorrhæam* levat, & Parturientibus ſubvenit, ad ʒi. vel ii. cum quocunque vehiculo.

Millefolii ſuccus recens, vel & ipſa planta recens contuſa, *Vulnera* recentia citra ſuppurationem conſolidat. *Rad. recens* naribus intruſa *Hæmorrhagiam* movet. Internè Decoctum herbæ *Abortum* præcavet; *Hæmorrhagias* internas, *Fluorem album* & *Gonorrhæam* compeſcit; *Menſes* autem movet.

Momordicæ Fructus macerantur in Oleo olivarum, quod exinde ſummum Vulnerarium evadit, præſertim in *Fiſſuris mammarum* & *Hæmorrhoidum doloribus*. *Semen* per ſe Oleum non fundit, quia nimis durum eſt.

Mora immatura ſuccum dant per expreſſionem ad quoſcunque *Alvi Fluxus* commendatum; qui inſpiſſatus *Roob* dicitur in *Faucium Affectibus* aliiſque aſtringens egregium.

Nux Moſchata oleoſa eſt & temperata, quam ambiunt filamenta flava *Macis* dicta, magis volatilia, acria & penetrantia. Hujus *Oleum* admodum conducit in *Vomitu*, *Cruditatibus*, *Diarrhæâ* & *Stranguriâ*; quin & vi carminativâ non cedit Oleo Aurantiorum. Decoctum

ctum Macis vel Nucis moſchatæ egregiè convenit in *Flatibus uteri* ab aëre frigido poſt partum hauſto oriundis, ubi & fumus Nucis genitalibus comodè excipitur. Propter nimiam Oleoſitatem Nuces hæ Stomachum gravant. In *Dyſenteriâ* affricantur pani ac cereviſiæ, vel coquuntur cum Aceto roſ. & Vitello ovi, quod comedendum. Vel paratur *Magiſterium*; deſtillantur ſc. cum Aquâ, quæ ab Oleo fixo ſupernatante ſeparatur, deinde cum Spiritu vini omnis color extrahitur, donec cadat Pulvis albus, qui ad ℈ij. vel ʒi. in vehiculo calido propinatur. Externè *Oleum* Stomacho illitum *Cardialgiam* fugat, Umbilico verò Fœtum roborat.

Muſcus quercinus aſtringit ſive in decocto datus, ſive in pulvere. In *Muſco terreſtri* verò reperitur *Farina vol.* ſulphurea ad candelam facilè inflammabilis, idque cum ſonitu, doſi ℈ß ad *Epilepſias* & *Hecticas* Infantum commendata. Alvum etiam ſuaviſſimè laxat, ſed colligi debet menſe martio,

Myrtilli Baccæ ſemina habent parva, ſed admodum dura, quæ Inteſtina exulcerant & Dyſenterias graſſari faciunt.

Myrti Baccæ arefactæ cum odore grato & aromatico potenter adſtringunt. *Oleum* ejus in Tuſſi cum Hæmoptyſi conjunctâ conducit.

N.

NAPI ſemen Emulſiones expulſivas ingreditur, in *Febribus malignis*, Variolis & *Ictero* adhibitas.

Naſturtii vis conſiſtit in Sale vol. admodum acri; Renes abſtergit, & in *chronicis*, *hypochondriacis* & *ſcorbuticis* Morbis præſtans eſt; *Quartanas*, inprimis *Scorbuticas*, curat, interdum Vomitum movendo. Succus *Lumbricos*, quibus ſæpè affliguntur Scorbutici, pellit. *Semen* ejus *Oleum* poſſidet, non tamen adeo copioſum, ut Aromata; & Emulſiones *Variolarum* expulſivas ingreditur; imò *Succus* vitia *Lactis* in Infantum

corporibus, unde *Variolæ* ſæpè oriuntur, emendat. Externè Puerorum *Tineæ* & *cruſtoſæ Scabiei* Semen cum Pinguedine porcinâ ſubactum applicatur. Adhibetur etiam *Herniis* cum *Gum.Carann.* & *Alb. ovi*, quod acrimoniâ ſuâ cauſticâ uberiorem alimentorum affluxum excitet, hocq; ipſo Peritonæum eo facilius conſolidat. Succus in *Lethargo* naribus admovetur, unde paratur & Spiritus antiſcorbuticus egregius.

Nephriticum lignum Aquam, cui infunditur, cæruleam facit in loco umbroſo, in obſcuro viridem, & in pellucido claram. Diureticum eſt, adeoque in *Affectibus nephriticis*, *hydropicis* & *ſpleneticis* polychreſtum.

Nicotianæ vis conſiſtit in Sale vol. acerrimo, cui in receſſu jungitur Oleum admodum crudum; unde mucum incidit, vomitum movet & alvum laxat, ad ℥i. Vino infuſum. In *Aſthmate*, *Empyemate*, & *Pleuritide* ſuppuratâ, egregiè commendantur *Decoctum* ejus & *Syrupus*. *Clyſmata tabacina colicos Dolores* ſiſtunt, & alvum laxant. *Eſſentia* paratur cum Spiritu vini, addito Nitro fixo, virulentiam corrigente: quæ inſpiſſatur etiam ad Extractum, cujus tantillum linguæ impoſitum copioſum phlegma elicit; ubi cavendum, ne in Stomachum dilabatur. Quod *Oleum* ejus *narcoticum* ſit, patet ex maſticatione Tabaci, proficuâ in *Odontalgiâ*; nec non ex fumo, qui ſomnolentiam & ſtuporem infert; & ex decocto, in *Pediculis* necandis & curandâ Tineâ, capiti applicato, quod ſtupidos & quaſi ebrios reddit, &, niſi cautè uſurpetur, Infantes *Cardialgiâ* affligit. In Plantâ *ſucculentâ* Sal. vol. aliis humoribus temperatur, in *aridâ* verò per putrefactionem evehitur & acrius fit. Succus recens *Vulneribus* commodè inſtillatur, *Tumores duros* mirè emollit, Reni applicatus *Quartanas* curat. Decoctum, Infuſum, vel Oleum, in *Vulneribus* & Affectibus cutaneis laudem merentur. Fumus phlegmaticis & catarrhoſis conducit, præprimis ſi addatur

dantur *Succinum, Maſtix, Sandar. Flor. Spic. nard. Styrax*, irrorata prius Oleo aniſi ſeu ſuccin. Laudatur autem iſte Fumus, qui attrahitur ex infundibulis vitreis, vaſculo excretorio, in quod Oleum deſtillat, præditis, ut ſolum Sal vol. cum Fumo hauriatur; interim abuſus ejus Stomachi fermentum obtundit, Pulmones aridos facit & maculis nigris conſpurcat. Proſtat ejus *Oleum deſtill.* cujus paucæ guttulæ quodvis animal enecant. Ablatâ tamen iſtâ vi narcoticâ Tabacum Hyſtericis convenientiſſimum eſt remedium.

Nigellæ Semen, vel Oleum ejus infuſum, cum Oleo Major. Naribus olfactum reſtituit.

Nummularia antiſcorbutica eſt, utut temperata.

Nymphææ flores ſucculenti ſunt, & in receſſu habent Sal vol. temperatum, ratione cujus fervorem & acrimoniam mitigant in Febribus, Mania & Gonorrhæa. Oleum temporibus illitum *Vigilias* & *Æſtus* arcet.

O.

OLEÆ fructus immaturi muriâ conditi auſteri ſunt ſtomachici, Muria verò dat Sal egregium diureticum: maturi fructus ob Oleoſitatem Stomachum gravant. Ex maturis fit etiam Oleum *olivarum* vulgare, quod intus vel in Clyſmate aſſumptum alvum ſolvit; à nimio tamen uſu Oleoſitate ſuâ Stomachum dejicit, & lubricum reddit, ut facilè Vomitus ſequantur; præterea inſignem fovet acrimoniam, acidumque occultum, quo pylorum ſtimulando & contrahendo, Vomitus movet. Habet interim Sal volatiliſſimum, ex quo cum Sale Tartari ſingulare menſtruum paratur. Ex immaturis Oleum expreſſum, *Omphacium* dictum, auſterum eſt & adſtringens, quod fibras roborat. Alias ex Lateribus, Oleo olivarum ſufficienter impprægnatis, diſtillatur Oleum vol. inſigniter penetrativum, quod in Tumoribus ſcirrhoſis reſolvendis optimum habetur remedium.

Ononidis Rad. diuretica eſt, in *Doloribus nephriticis* primatum ducens. Paratur *Eſſentia* ex Herb. rad. & flor. in Vino malvatico digeſtis & deſtillatis, liquorem deſtillatum denuo ſuper recentem herbam rad. & flor. digerendo, exprimendo, abſtrahendo & dein filtrando; cui additum Sal fixum ſalſum ex capite mortuo calcinatum *Eſſentiam* dat *lithontripticam* egregiam. Radix in Aquà & Aceto cocta gargariſma dat, in *Odontalgiâ* & *ſcorbuticis* Faucium *Affectibus* utile. Laudatur etiam in *Sarcocele.*

Origanum aromaticum eſt. Paucum ſuggerit Oleum: *Creticum* tamen, quod magis pingue, plus dat Olei in retort. quod contra *Dolores capitis* & *dentium* ipſi Caryophyllorum Oleo præfertur.

P.

P*ALMÆ* fructus, ſeu dactyli, acrimoniam temperant in *Affectibus pectoris* & *Ardore urinæ. Lapilli* contenti cum pulpâ in fumo ſiccati, ad ʒß. vel ʒi. diureticum ſunt optimum.

Papaveris albi capita ſunt mater *Opii.* Scatet tota planta (ut & omnia narcotica) ſucco non nihil pingui & oleoſo ſeu ſulphureo, in quo fundatur vis narcotica. Flores & capita dolores ſiſtunt, ſomnum conciliant, motus ſedant, & fluxus inhibent; Lympham itidem acrem & *Catarrhos* temperant. Oleum ex ſem. expreſſunt temporibus illitum in *Agrypniis* & *Cephalagiis* optimum eſt remedium.

Papaveris erratici vis *ſulphurea* & *anodyna* mitior eſt. Ejus *Flores* in *Pleuritide*, *Anginâ*, *Eryſipelate* & *Inflammatione* quacunque Renum *&c.* ſanguinem grumoſum egregiè diſſolvunt. Hinc *Succus*, *Aqua deſtill.* & *Tinctura* cum *Spiritu Sulph.* ſæpè uſurpantur.

Parietaria gaudet nitro à muris, in quibus creſcit, abſcorpto, & ex Calce viva oriundo; unde laxat & urinam movet, præſertim in *Hydrope*, ubi diuretica lympham

pham peccantem perfectiſſimè tollunt. Hinc *Syrupus* ex *ſucco* cum *Saccharo* inſpiſſato paratur; ut & *Cataplaſma* ex plantâ cum Oleo Scorpionum coctâ & ſubactâ, vel ex Decocto plantæ in Vino cum Cæpis ſubacto, quod applicatur in *Suppreſſione urinæ.*

Paris externè, in decocto vel cataplaſmate, in *Tumoribus malignis*, & *Inflammatione*, præſertim *Scroti*, laudatur. Denique in *Cancro oculto* folia contuſa in mortario plumbeo, & impoſita conferunt.

Paſtinaca cum *Apio* conſpirat.

Perfoliata Herniis internè & externè ſuccurrit.

Perſica ſucculenta ſunt, adeo ut propter faciliorem fermentationem *Diarrhœas*, ac nimiòperè comeſta *Dyſenterias* ipſas excitent. Ex Floribus rore madentibus paratur *Syrupus* blandè laxans. *Conſerva* Florum *Lumbricis* inprimis opponitur. *Nuclei* in Emulſionibus diuretici ſunt, ut & anodyui, Oleum enim eorum expreſſum temporibus illitum, & internè ipſæ *Emulſiones*, *Cephalalgiam* pellunt. Cæterùm Oleum ex nucleis expreſſum cum Florib. digeſtum & colatum, ad *Aurium affectus* commendatiſſimum eſt. *Cortices* lapidoſi, Nucleum ambientes, nil aliud ſunt, quàm ligna duriuſcula; *Spiritus* enim & *Oleum* fundunt, illis Lignorum ſimillima.

Perſicaria habet Sal vol. acerrimum; ratione cujus coagula quæcunq; p.n. potenter reſolvit, & per urinam evacuat. Hinc Aqua è plantâ recenti cohobatâ *Calculum*, *Tormina*, *Scorbutum*, *Hypochondriacum malum*, & omnes *Morbos chronicos* pellit. Planta per Aquam frigidam tracta, *Vulneri* impoſita, deinde ſub fimum ſepulta, *Vulnus* magneticè curare dicitur. *Contuſiones* etiam quaſcunque & *Odontalgiam* eodem modo curatas eſſe obſervatum eſt.

Petaſitidis Radix acris & reſinoſa inſigne alexipharmacum eſt.

P 5

Petroſelini folia recentia ad *Chærefolium* accedunt; & ſimiliter vi diureticâ pollent. Quin & cunctis *Morbis chronicis* ſuccurrunt, & lactis grumos impediunt. Folia ſiccata infuſa, vel externè applicata lac diminuunt. Sanè *Petroſelinum* ſiccum Maſſam ſanguinem purificat, & externo uſu *Ulcera* mundificat.

Pimpinella diureticum eſt, Maſſam ſanguineam purificans.

Pinus ſylveſtris Abieti cognata eſt; niſi quod Abies ſit ſtrobilifera, Pinaſter verò conifera; quin & *Abies* folia ex adverſo, Pinus verò utrinque & ex omni parte ſita habet.

Pinus domeſtica Nuces ſuggerit, & in iis contentos nucleos, quorum virtus in ſubſtantiâ oleosâ temperatâ, admodum mucilaginosâ & nutritivâ conſiſtit; unde *Emulſiones* ex illis, ut & *Oleum expreſſum* inſigniter emaciatos nutriunt, & in Re venereâ Semen egregiè augent.

Piper album & *nigrum* non differunt ſpecie, cum omnia grana, dum immatura, viridia ſint, matura verò nigra evadant, ſicut in *Baccis Juniperi* obſervamus. Vis ejus in Sale vol. acerrimo parum oleoſo conſiſtit; hinc cruditates acidas, in ſpecie illas poſt crapulam, in ſtomacho deſtruit. Grana integra deglutita æque efficacia ſunt, atque pulveriſata; ipſa enim Aqua comm. volatilem vim aromaticam facilè extrahit. Præterea omnia Aromata, in pulvere diu ſervata, ſubſtantiam vol. amittunt, & ita minus efficacia fiunt. Cæterùm in *Colicâ* & rigoribus *Quartanarum* ſupprimendis grana integra cum Spiritu vini commodè propinantur. Externè *Piper* uſurpatur in Apophlegmatiſmis & Sternutatoriis, ubi acri remedio opus eſt.

Piperitis acrem habet guſtum, Piperi non cedentem. Maſticata vel Vino infuſa cruditates viſcidas & acidas abſumit, & ita Appetitum conciliat. Folia in Scorbuto pariter conveniunt.

Piſtaciæ nuclei cum *Pineis* conveniunt.

Plantago terreſtris ſaporis eſt nonnihil amaricantis; inſipidi & adſtrictorii, unde *Fluxus* quoſcunque ſiſtit. *Succus recens* in *Vulneribus* cutaneis cum *Inflammatione* junctis, tam internè quam externè convenit. Paratur Syrupus ex foliis cum Rad. Symph. maj. in *Vomitu* vel *Mictu ſanguinis & Hæmorrhagiis* quibuſcunque, egregius. Ulterius planta hæc in juſculis conſuetis coquitur pro ſanatione *Diarrhææ* & Dyſenteriæ.

Plantago aquatica acerrima eſt in variis Regionibus, in Helvetiâ mitis, & contuſa Veſicas externè excitat, præprimis in Hydropicorum pedibus tumentibus, qui hinc aquas emittunt cum inſigni levamine. Pulſibus applicata vi cauſticâ *Febres intermittentes* curat. Internè *Scorbutum* tollit & Urinam ciet.

Pæoniæ radix *Eſſentiam & Aquam* dat contra *Morbos convulſivos;* colligenda tamen, quando Sol verſatur in caudâ Leonis die Solari menſis Julii. Semen ingreditur Emulſiones contra *Epilepſiam & Puerorum horrores* nocturnos.

Polygoni decoctum *Hæmorrhagias* ſiſtit, & Mammis applicatum Lac inhibet.

Polygonati Rad. in receſſu acrimoniam habet, & de Sâle vol. participat, unde in uſu coſmetico primatum ducit. Cum Vino & Aquâ cocta *Maculas* cutis *& Contuſiones* abigit. Quin & poſt ineptam Venæſectionem nihil melius eſt Cataplaſmate ex Rad. cum vino ſubactâ, quoniam acre mitigat.

Poma, in ſpecie *Borſdorfiana*, acidum temperant, alvum laxant, & efferveſcentias hypochondriacas ſolvunt. Unde *Extractum Martis* cum illorum *Succo* in Vino ſolutum addito *Crem. tartari*, *Hypochondriacis* gratum & efficax eſt remedium. *Syrupus de pomis* pueris in alvo obſtructâ una cum *Oc. Cancr.* conducit. Externè Aqua deſtillata contra *Gangrænam & Ulcera maligna*

ligna magni eſt momenti. In *Inflammatione oculorum* nil melius eſt *Cataplaſmate pomorum* putridorum, cum *Camphora*, quæ reſolvunt & ſiſtunt Dolores æquè ac Tumores.

Populi gemmæ nigræ anodynæ ſunt. Externè *Oleum & Unguentum* in *Cephalalgiis & Membris paralyticis* adhibentur.

Porrum cum *Allio* convenit in omnibus.

Portulacæ ſuccus occultum habet alcali blandum, unde effervescentiam acidi vel bilis in *Hæmorrhagiis*, *Sputo cruento & Ardore urinæ* temperat. In *Hæmodiâ* planta dentibus affricata & *Succus* illitus optimum eſt remedium.

Primula veris gaudet vi blandâ anodynâ, unde Flores inter articulares numerantur.

Prunella inſervit pro gargariſmate in *Affectibus oris*, addito Phlegmate Vitrioli vel Nitri.

Pulegium aromaticum eſt, *Secundinas*, &c. expellens: externè adhibetur in cataplaſmate ad *Podagram* & in *Affectibus diureticis*.

Pulmonaria verè vulneraria eſt, unde ad *Sanguinis ſputum*, *Ulcera Pulmonum*, aliarumque partium, conducit.

Pyrethrum acerrimum eſt. In *lethargicis Affectibus* cataplaſmata & clyſmata fortiter ſtimulantia ingreditur; imò inter ſudorifera numeratur. In *Odontalgiâ* Radix maſticata Lympham incidit & elicit. Aliàs & pulvis ex Pyrethro, Gallis, & Alumine concinatus, *Paralyſin & Stuporem* membrorum ſanat.

Q.

QUercus ſtyptica & nitroſa eſt. In *Dyſenteriâ* laudatur, ubi & *Uva* ejus tempore verno collecta ſingulare eſt ſpecificum. *Folia* & eorum deſtillata *Aqua* in *Uteri Hæmorrhagia* laudantur. *Glandes & Gallæ* adſtringendo excellunt, & ſimul vi alcalinâ deſtruunt acidum,

quod

quod impedimento erat conſolidandis *Vulneribus*. *Viſcus* in ea reperitur, qui poſt corylinum optimus eſt, in curandâ Epilepſiâ ad ℥i. uſurpatus. *Lignum* dat Spiritum acidum nonnihil aſtringentem.

R.

R*Aphani Orbicularis* ſuccus impręgnatus eſt Sale vol. acri admodum copioſo; unde Vomitus interdum ciet. Si edatur, cum Sale aſſumendus, quia acidum Salis acrimoniam Salis vol. deſtruit & quaſi figit. Certè in Stomachi muco incidendo & inde frequenter oriunda *Tuſſi*, item in ciendâ *Urinâ & Calculo* pellendo, Succus mirabilis eſt. In *Cephalalgiâ* cum *deliriis* junctâ ipſe *Raphanus* plantis pedum commodè applicatur.

Rapi Rad. gaudet ſucco nitroſo temperato, unde Urinam acrem temperat; & Tuſſim à lymphâ acri oriundam mitigat. Externè contra *Perniones* decoctum Raporum, vel aridorum, vel frigore ante conglaciatorum, commendatur.

Rhodia Radix Oleum reddit odorum. Planta contuſa ſub formâ Cataplaſmatis fronti circumponitur, in *Cephalalgiis chronicis*.

Rhaponticum eſt acre amaricans, adeoque grumoſum ſanguinem reſolvit in Caſu ab alto, Hæmoptyſi, *&c.*

Rhus coriaria in ſemine adſtringit internè & externè, in ſpecie in *Procidentiâ* utile.

Ribes rubræ cum *Berberibus* conveniunt.

Roſæ Domeſticæ vis conſiſtit in ſubſtantiâ volatili ſpirituosâ, admodum mercuriali, nonnihil tamen Oleosâ, odor ejus facilè perit. Vi analepticâ imprimis claret, in quem finem *Spiritus* & *Aqua* proſtant. Si rore matutino humidæ colligantur, vim habent laxativam, unde *Syrupus* Roſarum *laxativus* proſtat; & apud nonnullos *Conſerva laxativa*. Cæterum vi ſpirituosâ diſſipatâ adſtringunt. Unde *Conſerva* & *Syrupus* in *Phthiſicis* uſitata.

Ros Solis, inprimis *Succus* illi inſidens, habet Sal. ſulphureum in ſe concentratum, qui *Oculorum Inflammationibus* externis ſuccurrit. *Aqua cum vino deſtillata* inſigne eſt reſtaurativum.

Roſmarini vis conſiſtit in Sale vol. oleoſo; unde Utero & Capiti dicatur. Contra *Morbos convulſivos* & *paralyticos* multum valet ejus Decoctum & Eſſentia, *Aqua Regin. Hungar.* dicta. Deinde contra Sterilitatem & ad roborandum Uterum decantata eſt hæc Herba. Guttas aliquot *Olei Roſmar. Tertianas* curaſſe refert *Pauli.*

Rubia Tinctorum in *Caſu* grumoſum ſanguinem reſolvit, & urinam ciet.

Rubi vulgaris folia in Vino decocta, pro lotione *Vulnerum* meritò inſerviunt. Fructus immaturi, *Mora* dicti, vulnerarii ſunt internè & externè.

Rubi idæi fructus ſucco gaudet copioſo acidulo, blando, aromatico, adeoque vi analeptica.

Ruta gaudet odore nitroſo, & oleoſitate anti-venereâ; unde Carminativa eſt & anodyna. Externè Oculis inflammatis ſuccurrit; vel contuſa Capiti applicatur contra *Cephalalgiam febrilem.*

Ruta muraria Sal. vol. habet, unde in *Morbis chronicis*, & in ſpecie in *Scorbuto*, optima eſt.

S.

S*Abinæ* vis conſiſtit in Oleoſitate vol. acri. Internè in Vino cocta *Menſes* pellit. *Succus* cum *melle* miſtus purificat & *Vulnera* manantia optimè curat. Externè umbilico imponitur *Pulvis Sabin.* cum Melle in Nuc. Jugland. medietate, contra Lumbricos, in ſpecie umbilicales.

Salicis folia Infantum Ariduras & *Tabem* curant. Succus ex tenellis Salicib. inciſis in placentulas cum pane formatus, Libidinem egregiè arcet.

Sambuci flores ſudoriferi ſunt; in Lacte cocti *Eryſipelati* ſuccurrunt internè, item & externè ſi Siritu Vini irro-

irroretur eorum Pulvis. Quin & vi anodynâ & diſcuſſivâ externè commendatiſſimi ſunt. *Baccæ* dant Spiritum inflammabilem per fermentationem. Expreſſæ dant *Roob*, alexipharmacum egregium in *Febribus malignis & petechialibus*. Ex hoc Roob elicitur *Eſſentia*, cujus doſ.coch. 1.in *Paſſione hyſtericâ*.*Tragea* ex iiſdem granis in *Dyſenteriis* paratur egregia. Ex *Semine* exprimitur *Oleum* & ad ℥i datur. *Cortex interior* ad ℥ß. Vino infuſa Aquas purgat. Spongiæ in Aquâ appropriatâ infuſæ *Aphthis & Oculorum Affectibus* ſuccurrunt. *Medulla* arboris Urinam egregiè ciet.

Sanguiſorba Stomachia eſt, in *Dyſenteriâ*, *Menſium fluxu nimio*, *&c.* uſurpari ſolet cum fructu.

Santalum citrinum aromaticum eſt, adeoque reliquis præfertur. *Rubrum* in *Phthiſi & Atrophia* benè convenit.

Santonici Sem. in Aqua Zedoar. propinatum *Vermes* enecat.

Saponaria interdum additur *Decoctis antivenereis*. In *Scabie* Folia Flor. decoct. pro lotione & coſmetico adhibentur.

Sarſaparilla in *catarrhalibus*, *venereisq́; Morbis*, & pro ſcopo ſudorifero qualicunque admodum conducit.

Saſſafras vi ſudoriferâ pollet, & hinc in *Petechialibus* optimè uſurpatur. Paratur inde *Tinctura* cum *Aqua* ſpirituoſa *Serpilli*, quæ lympham egregiè corrigit & Stomachum roborat.

Satyrii Radix condita Venerem ſtimulat. Pulvis autem analepticus eſt, & *Memoriam* confortat. *Satyrium maculoſum* coſmeticum eſt.

Scabioſa in *Pleuritide*, ut & omni *Abſceſſu* interno ſuppuratis par non habet, inprimis Aqua & *Syrupus*. Etiam alexipharmaca eſt, in *Tuſſi epidemica & Variolis*, ubi Pulmones afficiuntur, egregia. Denique vulneraria eſt, & paratur inde *Balſamus*, qui *Vulnera recentia* optimè conſolidat.

Scolo-

Scolopendrium verum plantula eſt rara, ſimilis *Capparibus*, modò minus oleoſa, nitroſa tamen, unde in *chronicis & quartanis Febribus* decocta ingreditur. Vulgare ſtypticum eſt.

Scordium ferè cum *Allio* conſpirat; unde in *Febribus malignis* adhibetur; *Vermibus* mirè reſiſtit, & *Ulcera putrida* curat, corruptionem eorum corrigendo.

Scorzonera alcalina eſt & temperata; leviter ſudorem movet, adeoque in *Variolis* nil præſtantius.

Scrophulariæ Radix in Pulvere ad ʒi. contra *Strumas* propinatur. Vino infuſa *Hæmorrhoides dolentes* juvat. Externè ex Rad. ſucculentâ cum Butyro contusâ, in fimo ſepultâ, deinde liquefactâ & colatâ cum Pingued. hum. Unguentum dat contra *Hæmorrhoides* optimum. Obſervavi etiam, quod Rad. lumbis appenſa *Hæmorrhoides* juvet.

Scylla marina acerrima eſt, adeo ut puſtulas excitet. Vis ejus in Sale volat. conſiſtit, unde mucilaginem & omnem materiam viſcidam præprimis bilioſam, incidit, *Appetitum* excitat, & à *Peſte* præſervat ejus *Acetum* ex infuſione paratum; quod & in *Affectibus ſoporoſis* tam internè quàm externè naribus admodum convenit.

Sebeſten cum *Jujubis* conveniunt. Lympham acrem temperant, & in uſu ſunt diuretico.

Secalis Furfures in *Cataplaſmate* vel *Sacculis* cum Aceto ebullitis, Ano admoti Inteſtina abſtergunt. *Panificii* alias artificium conſiſtit in fermentatione Secalis. Dum enim per Aquam affuſam excitantur Salia fermenti & farinæ, fit motus fermentationis, qua omnis mucilago reſolvitur, & Sal cum Aquâ in Spiritum vol. abit, Stomacho gratiſſimum; ratione cujus *Panis* ritè fermentatus nunquam nauſeam movet. Toſtio in clibano facit ut Salia illa nondum penitus ſpiritualiſata remaneant in concreto cum ſapore acidulo volatili.

Panis

Panis denuo fermentatus dat *Spiritum vol.* per ſe autem *Spiritum acidum.* Fit & *Eſſentia panis* ex cruſtis vino generoſo infuſis & deſtillatis, unde primò *Spiritus*, & ultimò aſcendit *Oleum rubrum* elegantiſſimi ſaporis, pro *Appetitu dejecto*, aliiſq; *Stomachi affectibus* egregium.

Sedi majoris ſuccus alcali temperatiſſimo turget, unde æſtum temperat, & in *Prunellâ* vel ſolus, vel cum *Sale ammoniaco*, vel cum Aqua propria pro Gargariſmate commodè uſurpatur. Item cum Nitro plantis pedum vel volis manuum frequenter applicatus æſtum egregiè mitigat. Contra *Ebrietatem* & *Hæmorrhagiam narium* cum Nitro & Aceto vini ſcroto alligatur; qui & in *nimio Menſium fluxu* Mammis adhibetur.

Serpillum admodum aromaticum eſt; unde ex Herbâ rore madente, cum Vino generoſo digeſtâ per 14. dies, deſtillatâ & ſuper recenti herbâ cohobatâ, prodit Aqua ſpirituoſa diuretica, in *Affectibus catarrhalibus* & *menſtruoſis* egregia.

Siliquæ ſubſtantia dulcis contuſa, & ebullita cum Aqua Nymphææ contra Tuſſim laudatur. Et lignea ejus Capſula in pulvere ſumta *Sodæ* medetur.

Sinapi cum *Erucâ* convenit.

Solanum narcoticum eſt, internè non uſitatum. Externè folia contuſa *Eryſipelati*, *Cancro occulto* medentur, & Capiti, contra *febrilem Ardorem*, applicata conducunt.

Sorbi torminalis Baccæ immaturæ in Pulv. ad ℥i. *maturæ* in Succo inſpiſſato, ad ſedandas *Diarrhæas* exhibentur.

Spicæ omnes *aromaticæ* ſunt & *cephalicæ*, inſigniter *oleoſæ*. Unde penna Oleo ſpic. illita & Faucium tunicæ applicata Aphoniam curat. In *tendinum Morbis* nil melius Oleo vel internè ad gut. vi. vel externè cum Sp. V. crebrius illinendo. Summitates & Flores ſunt admodum in uſu cephalico. Externè Oleum capiti inunctum Pe-

diculos fugat, noxam à Mercurio illatam corrigit; in *hyſtericis Paſſionibus* Umbilico illitum juvat.

Spinachia abundat ſucco copioſo, nonnihil nitroſo, hinc *Alvum* laxat & emollit.

Staphiſagria ſcopo inſervit laxativo. In Lixivio cocta & in Linimentum redacta *Pediculos* & ſimilia fugat.

Stæchas citrina capillos colore flavo tingit. *Arabica* habet odorem vol. qui magis de Sale quàm de Oleo paticipat: & omnes Compoſitiones cephalicas, inprimis pro *Senibus* & *Uteri Affectibus*, ingreditur. Virtute aromaticâ *Hyſſopum* excellit, unde & pectoralibus ſæpiſſimè admiſcetur.

Succiſa vi alexipharmacâ & blandè diaphoreticâ *Scabioſæ* præfertur; ſanguinem grumoſum diſſolvit quoque. Externè Gargariſmata mundificantia ingreditur.

Symphyti vis conſiſtit in ſubſtantia mucilaginosâ, glutinosâ & temperatâ, emolliens Decoctum ejus contra *Hæmoptyſin* & *Sanguinis concretionem* laudatur; Interea tamen non nimis diu coquatur, aliâs Decoctum fit valde viſcoſum. Externè *Mucilago* applicata *Vulnera* conſolidat & *Hernias* optimè curat. In *Contuſionibus partium*, maximè nervearum, vel ineptâ Venæſectione accedente tumore, Radix vel in pulv. vel cum vino calido in formâ Cataplaſmatis applicata, *grumoſum Sanguinem* egregiè diſſolvit. *Emplaſtra* etiam vulneraria ingreditur.

T.

T*Amariſci Cortex* in Infuſis vel Decoctis catarrhalibus & hypochondriacis, ligno Saſſafras non cedit.

Tanaceti Semen & *Flores* contra *Lumbricos* loco *Santonici* ſubſtituta admodum conducunt; unde *Aqua* ejus & *Oleum* ibidem uſurpantur, ut & contra *Affectus uterinos*.

Taraxacum amaricante ſucco turget; qui in *Pleuritide* aliiſ-

de, aliiſque morbis grumos ſanguinis optimè diſſolvit, & externè Viſum clarificat & Tunicam corneam abſtergit Oculis inſtillatus; quin & ad *Ulcera putrida* poſt *Nicotianam* omnibus præfertur. Planta contuſa Oculorum vel Capitis morbis afflictis congruè applicatur.

Thee infuſio potum præbet prorſus aromaticum, qui decoctū *Majoranæ* repræſentare videtur, ſi deficiat odor. Hic potus digeſtionem primam roborat. *Somnolentiæ* & *Vertigini* reſiſtit, *Memoriam* confortat, & Maſſam ſanguineam per urinam purificat, unde Chinenſes illi certam tribuunt *Calculi* & *Podagræ* curationem. Ego profecto illo opus non eſſe arbitror, ſed *Roremmarinum* illi ſubſtitui poſſe credo, qui paribus Virtutibus ſtomachicis & cephalicis pollet.

Thymus cum *Serpillo* convenit.

Tiliæ flores vi antepilepticâ pollent. In Ligno *Viſcus* reperitur *Viſco* quercino vi dicta non inferior. Succus ex Radice expreſſus idem præſtat. Folia in lacte cocta *Teneſmum* curant. *Carbo Tiliæ* ex ligno combuſto ad reſolvendum *Sanguinem grumoſum* adhibetur.

Tormentilla alexipharmaca eſt & vulneraria. Saporis eſt adſtrictiorii, unde in *Alvi Fluxibus*, præſertim cum *Variolis* & Febribus malignis conjunctis certiſſimum eſt remedium. Hinc & Extractum ad ʒß. vel ʒi. in vino datū *Diarrhæas* & *Dyſenterias epidemicas* curat.

Trichomanes cum *Ruta muraria* convenit.

Trifolium aquaticum à *Simone Pauli* commendatur à Vi anti-ſcorbuticâ, penetrantiore ipſa *Cochlearia* & *Naſturtio*.

Tritici farina ſicca cum fructu *Eryſipelati* adſpergitur.

Tuſſilago inſigne eſt expectorans. *Fumus* tubulis hauſtus contra *Phthiſin* valet; & *Nicotianæ* fumo præfertur. Externè folia ſucculenta contuſa *Ulceribus calidis Mammillarum* imponuntur. Decoctum laudatur contra *Aſthma*.

V.

V*Alerianæ* Radix ſudorifera eſt. In roborando Viſu ſingularem vim obtinet, & vix par habet. Vi alias aromaticâ convenit ferè cum *Angelica* & *Leviſtico.*

Verbaſci flores externè in Sacculis cum Lacte cocti anodyni ſunt in *Teneſmo* & *Dolore Hæmorrhoidum.* Certè poſt *Linariam* in *Hæmorrhoidibus* primatum obtinent. Contuſi flores Soli in vitro clauſo expoſiti *Oleum* reddunt per deliquium pro ſingulari anodyno externo in quibuſcunque *Doloribus arthriticis.*

Verbena contuſa in formam Cataplaſmatis, & fronti circumligata, vel ejus ſuccus inſpiſſatus cum *Oleo ſem. Hyoſcyami* temporibus illitus *Cephalalgias ſcorbuticas* aliaſque, extra *Febres*, mitigat.

Vermicularis acrimoniam habet, unde anti-ſcorbutica eſt. Succus Plantæ cum Aceto contuſæ internè à *Tertianâ* liberat, & interdum Vomitus ciet, vel ſaltem ſine vomitu Sudorem. Unà cum *Camphorâ* in *Tertianis* loco Amuleti uſurpatur.

Veronica vulneraria eſt internè & externè, unde contra *Ulcera interna*, imò & *Colicam* exhibetur. Diuretica etiam & pectoralis eſt, ubi expectoratione opus.

Vinca pervinca vulneraria eſt, *Veronicæ* non cedens, ſed magis adſtringens, unde in *Sputo* & *Mictu cruento* præ aliis uſurpatur. Externè in Vino cocta *Uvulæ Tumorem* diſcutit. In forma Cataplaſmatis Mammis appoſita *Lactis proventum inferre*, dorſo verò Ubera omni *Lacte privare* dicitur.

Vincetoxici Radix urinam & ſudorem valdè movet. Unde in *Hydrope*, *Strumis* & *Lue Venerea* laudatur.

Violæ purpureæ folia emolliunt; flores verò madidi dant *Syrupum ſolutivum.* Aliâs Lympham optimè temperant & expectorationem promovent. *Semen* in deſperata urinæ Suppreſſione potentiſſimè Urinam pellit, & ſimul blandè laxat.

Virga

Virga aurea vulneraria & diuretica eſt quàm efficaciſſima.

Vitis & omnia ejus producta ex alcali & acido cum Oleo combinata ſunt. In *Vino* & *Aceto* acidum prædominatur, in *Fæcibus* alcali, in *Tartaro* uno ferè vigore gaudent alcali & acidum. Ceterùm acidum hoc ex Sale Aeris univerſali, omnia ſemina vegetante, & cum pluvia Sal Terræ centrale conſtituente, originem habet; unde in *Vino*, *Aceto* & *Tartaro* vis reſidet Metalla penetrandi & eliciendi. *Lacrymæ* ex amputatis Palmitibus exſudantes, primum ſunt *Ens Vitis*, & multum in receſſu habent; gaudent enim diureticâ & ſingulari vi Maſſam ſanguinis in debitâ craſi conſervandi: in *Febribus purpuratis* Puerperarum, item *Ardentibus* & *Phlogoſibus*, multum valent. Externè ratione blandiſſimi acidi volat, oculos abſtergunt & aqueum humorem reſtituunt. Tandem *Tartarus*, ejuſque *Sal fixum* beneficio liquoris volatiliſari poteſt. *Folia* blando ſucco acido turgent, unde pediluviis incoquuntur, & plantis pedum applicantur pro conciliando ſomno, imò & Capiti contra Æſtus. Aliquali ſimul vi adſtrictoriâ gaudent, unde non tantùm contra *Diarrhæas* & *Dyſenterias* valent, ſed & *Appetitum* reſtituunt. Sequuntur *Uvæ maturæ* & *immaturæ*; hæ auſteræ ſunt & *Syrupum* dant *adſtrictorium:* illæ verò turgent principiis ſalinis per fermentationem ſubactis, unde fit mutua acidi & urinoſi temperatura, adeo ut accedente Sulphure ſapor dulcis evadat; & comeſtæ per renovatam fermentationem *Diarrhæas* facilè inferant. Adeoque in uſu medico magis conveniunt *Uvæ exſiccatæ* ſeu *Paſſulæ*, tam *majores*, quàm *minores*, quæ Sal & Sulphur connexum & temperatum continent, & proinde nil aliud ſunt, quàm *Muſtum concentratum*. Cùm admodum temperatæ ſint, nutriunt, pinguefaciunt, & *Atrophiam* ex acrimoniâ ſalsâ, nec non Phthiſin egregiè curant, ſive in Decocto, ſive Electua-

rio. *Paſſulæ* (cùm muſtum concentratum ſint) contuſæ, in Aqua calida infuſæ, addito Saccharo vel fæcibus Vini aut Cereviſiæ, brevi turgeſcunt, & fit *Vinum* inſtar *Hiſpanici*. Cum *Succo Pomor. Borſdorf.* ſubactæ evadunt *Vinum hypochondriacum*. *Paſſulæ* etiam laxant, & ratione temperaturæ in *Aſperitate faucium* conducunt. Vinacea cum acinis collecta turgent fermentativis principiis copioſis, unde ſponte incaleſcunt (aut ſaltem injecta Calce vivâ) & odorem ſpirant gravem, atq; pro *Iſchiadico dolore*, *paralyticis Affectibus* & *Tumore Teſtium chronico* egregium Balneum ſiccum conſtituunt. Ipſe tandem *Succus* ex Uvis expreſſus abit in *Vinum* cum motu fermentativo, ab acidi & alcali pugnâ oriundo, & flatuum eructatione, quando ſe unire incipiunt. Promovetur fermentatio à Calce vivâ, quæ acidum & alcali, occulta priùs, fovet, impeditur verò à Marte, quem acidum Vini aggreditur.

Ulmaria ſudorifera eſt, aliquantum adſtrictoria.

Urticæ urentis ſuccus nonnihil nitroſus eſt, unde internè in *Hæmorrhagiis* Succus uſurpatur ad ℥i. vel ii. qui & externè in *Atrophiis* convenit. *Semen* lithontripticum eſt; Decoctum in *Gangrænâ* valet. Colligitur Urticæ ſemen maturum ante Solis ortum, & dein exſiccatur.

Z.

Zedoariæ radix aromatica & alexipharmaca eſt; hinc in ore geſtata *Medicos* ab Ægrorum *contagio maligno* præſervat. Quin & ad vapores mineralium reprimendos conducit. Præterea Mucum ſtomachi egregiè incidit. In *Colicis* & *Hyſtericis* Aqua, Vinum & Oleum carminativa ſunt egregia. Pulvis ejus *Dolores poſt partum* & *Lochia* pellit. In Aqua cocta *Tuſſi diuturnæ* ab Aëre frigido contractæ medetur. Pertinet huc Eſſentia extracta per Spiritum Vini tartariſatum, in Stomachi & prædictis Affectibus proficua.

Zin-

Zinziber magis acre eſt. Convenit, inprimis *conditum*, in *Vertigine*, *oculorum Suffuſione* & *Stomachi Affectibus*. Decoctum ſudoriferum eſt. Nonnulli addunt illud decoctis Lignorum contra *Aſthmata* chronica & alios affectus.

CLASSIS. II.

De Alterantibus ſecundariis, quæ ſunt Succi, Olea, Lachrymæ, Reſinæ, Gummata, &c.

Pleraque hæc fundunt primo Liquorem acidum, deinde oleoſum, ex Corticibus enim Arborum utplurimum colliguntur, in quibus Spiritus eſt acidus. Reſinæ omnes ſunt oleoſæ, Gummata magis aquea, naturæ ſalinæ mucilaginoſæ.

A.

ACETUM eſt Vinum per fermentationem ita alteratum, ut acidæ particulæ exaltentur & reliquas figant; quod Spiritum Vini in ſe reconditum habeat, id patet in deſtillatione *Sacchari Saturni*. Imò ipſum *Acetum deſtillatum* tertio ignis gradu aſcendit & continet Spiritum blandè acidum volatiliſſimum, qui longè pretioſior eſt Spiritu Vini & cum Sale ammoniaco acuatus optimum eſt menſtruum in *Alchymia*. In *Peſte* Aceto nil melius. In omni Aceto ſunt Vermiculi celerrimi motus, hinc Melancholicis & partibus nerveis nocet, in ſpecie ſiſtit Menſtrua. Externè fumus ejus *Oedemata* diſcutit. In *Hæmorrhagiâ*

Narium vel *Uteri* applicatum blandè ſanguinem coagulat. Alias & Narcoſin corrigit.

Ammoniacum (Gummi) in Igne dat *Phlegma ſpirituoſum acidum*, deinde *Oleum*. Internè mucum quemcunque etiam viſcidiſſimum in *Hypochondriacis*, *Tuſſi chronicâ* & *Aſthmate* deſperato reſolvit, ad ℥i. aſſumptum purgat aliquoties. Spiritus ex Gum. ammoniaco rectificatus dicitur Aſthmaticus. Externè *Tumores* duros quoſcunque diſſolvit.

Animæ Gummi deſtillatum dat *Oleum*. Externè in Emplaſtris ad *Contuſiones* & *Luxationes articulorum* utile eſt. Inprimis ſuffitus in *Catarrhis*, & *Affectibus Capitis* conducit.

Arabicum Gummi lympham temperat. Externè ſolutum *Serpigini* illinitur.

Aſſa fœtida magis gummoſa eſt, quàm reſinoſa. In *Suffocatione hyſtericâ* internè & externè convenit. Menſes & Venerem promovet. A Veteribus in Pectoris affectibus uſurpata fuit. Eſſentiam dat anticolicam, & cum Caſtoreo anodynam.

B.

B*Alſamo vero*, apud nos raro, *Tolutanum* ſubſtituitur.

Balſamum Tolutanum in *Ulceribus renum*, *veſicæ*, & *Gonorrhæa*, cum vehiculo calido præſentaneum eſt remedium. In uſu vulnerario externè *Peruvianum* antecellit.

Balſamum Peruvianum ſapore acri, adeoque Sale volat. gaudet. Concretum eſt anodynum balſamicum, cum nullo Oleo mixtum. Si eo utamur, diſſolvatur cum vitello ovi in Spiritu Juniperi, vel Pulvis miſceatur cum Saccharo, vel ſumatur in ovo leniter cocto. Internè *Phthiſicis*, *Tuſſi inveteratæ*, *Catarrhis* & *Calculo* medetur. Externè *Vulnera*, præſertim partium nervoſarum, ſine ſuppuratione curat, mundificat, conſolidat. Membris paralyticis, Stomacho & Doloribus Rheu-

Rheumaticis commodè illinitur. In genere cum *Oleo Succini* convenit, & non tam vehemens eſt.

Bdellii Pilulæ aitrictoriæ in Fluxu hæmorrhoidali uſurpantur.

Benzoe Reſina gummoſa eſt, Pulmonibus internè commendata. Externè coſmetica eſt, præprimis Tinctura cum Sp. Vin. quæ faciem & manus nitidas, & à maculis liberas reddit. Oleum deſtillatum haberi nequit. Macerata in Aqua Roſ. & Viol. more ſolito Cryſtallos dat.

C.

C*Amphora* volatiliſſima eſt, attamen ſulphurea. In *Peſte* & *malignis Febribus* par alexipharmacum non habetur, præprimis ſi *Delirium* adſit; nam utut volatiliſſima ſit, narcoticam tamen vim obtinet, adeoque in *Mania* & *Delirio melancholico*, præmiſſo Vomitu, rarò fallit; vim etiam habet diureticam; adeoque in potu ordinario extincta in *Gonorrhæa*, *Furore uterino*, imò & *Hyſtericis paſſionibus*, cum diſtinctione prodeſt. *Spirit. Vin. camphoratus* egregium eſt anodynum ad dolores ſopiendos, & ad *Gangrænam* utile. Externè *Camphora* linguæ admota puſtulas excitat; in nodulo præcordiis appenſa, febrifuga dicitur. Pro *Oleo Camphoræ* habendo optimè aſſumitur Oleum Amygdal. radicaliter autem non poteſt ſolvi, ſed in Aquam denuo prodit. Sic nec in Sp. Vin. ſolvitur, etſi ſit rectificatiſſimus. Acidis verò facilius. Oleum cum Bolo deſtill. in Aqua infuſum Camphora eſt. Si digeratur *Camphora* cum *Oleo deſtillat. Roriſmarin.* & deſtilletur, prodibit *Oleum* pariter bonum. Sed autoris modus 3. plus habet in receſſu, præprimis in Peſte.

Caranna nobilior eſt *Tacamahacâ*. Vi anodynâ dolores ſopit externè in *Dolore Stomachi*, *Cardialgia*, & *Anxietate præcordiorum* in *Febribus*, *Stomacho* commodè applicatur in forma Emplaſtri cum *Balſ. Peruv.* Unà

cum *Oleo Nuc. moſch.* vomitum externè compeſcit, & *Dolores artuum*, præſertim à frigore poſt ſudorem ortos, ſedat. Quin & contra *Podagram* & *Contuſiones* applicatur. In *Odontalgiâ* autem *Maſtichi* cedit. Si cum Vino miſceatur & in Arena deſtill. reddit Oleum primò album, poſt luteum, denique rubicundum, quod quoſcunque dolores in *Affectibus Coxendicis*, *podagricis*, *uterinis*, &c. optimè tollit. Hæc de *Tacamahaca* etiam intelligenda veniunt.

E.

ELemi Reſina balſamica eſt, *Vulneribus capitis* & *nervorum* ſuccurrens. Sic cum *Terebinth.* Cranii & Articulorum Vulnera optimè conſolidat. *Oleum* fundit odoriferum & penetrans, in *Affectibus paralyticis* & *Tremoribus* partium laudatum. Internè Elemi nullum uſum habet.

F.

FUligo, præprimis camini ſplendens, nil aliud eſt quàm Reſina ex Lignis exhalans & condenſata, i. e. eorum Spiritus & Oleum in forma ſicca; adeoque Fuligo deſtillata dat primò Spiritum, ſuccedit Oleum flavum & rubicundum; & ex Cap. mort. habetur Sal fix. quod ab igne tantùm provenit. Ipſa enim mero gaudet Sale vol. ratione cujus cum aceto ſumpta ſudorem movet; in Pleuritide ad ℥i. ſanguinem grumoſum diſſolvit; Paſſionem hyſtericam fugat, & Partum difficilem juvat. Ante Paroxyſmum febrilem propinata, vel pulſibus cum *Theriacâ* applicata conducit: Plantis pedum vel volis manuum cum Album. ov. admota, *Ardorem Febrium* mitigat. Spiritus ejus rectif. in *Syncope* & *Epilepſia* potens eſt ſudoriferum. Cum alcali deſtillata dat Sal vol. Oleum ejus in *Suffocatione hyſterica* & *Partu difficili* internè admodum convenit: externè à illinitur locis *Podagrâ* affectis. In *Ulceribus* malignis Sal fixum in Oleum reſolutum mira præſtat. Oleum deſtillatum illo

illo per congelationem *Glauberi* meritò præfertur. Denique ex Fuligine & Succino elicitur Oleum, Camphoræ odorem repræſentans, & multum in receſſu habens. Beneficio quoque Fuliginis, ſpeciatim Salis ejus vol. Auri ſolutio habetur. Differt autem Fuligo ratione lignorum, quod notandum.

G.

G*Albanum* in *Affectibus hyſtericis, colicis, ſpaſmodicis* & *Pareſi* partium *ſcorbuticâ*, externè admodum convenit, vel in forma Emplaſtri, vel Olei ſtill. rectif. vel illius Compoſiti ab Authore deſcripti.

L.

L*ACCA* Gummi eſt perſpicuum, quod in ore maſticatum ſalivam rubore inficit. Ejus Tinctura addito Alum. & Myrrh. putredini ſeu Gangrænæ gingivarum & Dentium vacillationi egregiè ſuccurrit.

Ladanum concretum eſt ſingulare, nec in Oleo nec Aquâ ſolubile, contra Affectus nervinos utile, & in formâ Suffitûs contra *Catarrhos* vi anodynâ præditum.

M.

M*Aſtiche* fundit phlegma ſpirituoſum acidum, Oleum flavum & deinde rubicundum. In *Stomachi Affectibus* admodum commendatur, adſtringit enim & roborat Ventriculum, & in *Cerebri morbis* à Stomacho ortis egregia eſt. In *Diarrhœa* Decoctum ejus in Aqua pluviali frequenter uſurpetur, vel affundatur ſubitò Aqua aliqua vaſi ejus fumo repleto, & ſic potum dat valde Stomachicum. In ſubſtantia ad gr. vi. vel x. Appetitum conciliat. Oleum ejus internè Stomachum inſigniter roborat, externè in ſpiritu vel oleo Stomacho applicatur in *Doloribus*. In *Diarrhœis* etiam & *Nauſeâ* uſum externum habet *Spir. Vini cum Maſtic. & Galangâ* deſtillatus. *Maſtix* ipſa maſticata Salivationem eleganter movet.

Myrrha Gummi reſinoſum eſt, & Balſamum naturale

rale, nam *Spir. Vini myrrhatus* corpora à putredine diutiſſimè præſervat. In pellendis *Menſibus*, *Lochiis* & *Fœtu* primarium eſt ingrediens. In *Peſte*, *Febribuſque, malignis* cum excretione cutaneâ conjunctis, *Tertianâ*, *Quartanâ*, *Variolis* tam pro expulſione quàm ſuppuratione, conducit. *Tuſſim* & *Febres catarrhales* epidemicas egregiè temperat. *Lumbricis* internè & externè adverſatur. Externè *Ulcera verminoſa* Gangrænam minantia curat. In *Scorbuto Oris*, & *Gingivarum* putredine convenit cum *Lacca*. Mirum eſt Concretum, quod neque Oleo, neque Aquâ ſolvitur. Spiritus Salis, vel Spir. Vin. tartariſatus, vel ſola Aqua cum Sale Tartari acuata, vel Spiritus Salis ammoniaci, Myrrham ſolvunt. Oleum ejus haberi nequit. Authoris *Liquor p. del.* egregium eſt Coſmeticum contra *Maculas*, in ſpecie *ſolares*, *Rugas faciei* & *Cicatrices* delendas. Alias facies vapore vini ſuper ferro candefacto, & deinde Myrrhæ fumo irrigata, continuando per ſeptimanam, Rugas dimittit & Juventutem mentitur.

O.

OPIUM eſt ſuccus ex capitibus Papaveris, *Meconium* verò ex Plantâ expreſſus. Vis narcotica fundata eſt in Oleo ſeu Sulphure cum Sale vol. combinato, unde Spiritus coërcet, humores compeſcit, dolores ſiſtit & ſomnum inducit. In *Deliriis febrilibus* ſine dubio convenit. In *Delirio melancholico* ſomnia turbulenta infert, ſi non legitimo tempore & modo propinetur. In *Epilepſia*, *Doloribus Abdominis convulſivis* & *hyſtericis* præcavendis *Laudanum hyſtericum* paratur. *Febres benignas* in incremento ſiſtit. In Malignis cum præcordiorum anxietate Alexipharmacis optimè miſcetur. *Diarrhœam*, *Hypercatharſin*, & omnes fluxus ſiſtit, excepto ſudore, quem promovet. In *Dyſenteria*, tempore ritè diſtincto, convenit. In debilioribus, inprimis *Hypochondriacis*, *Scorbuticis*, & *Colicis*, purgantibus doſi auctis jungitur.

gitur. In *Menſium fluxu*, ſi *Anxietates præcordiorum* adſint, uſurpatur, ſed cautè. In *Sputo viſcido* non convenit. Sed in *Tuſſi ſiccâ* lympham corrigit & acidum obtundit. Angli ex *Opio* cum Ambra Elect. pro *Venere* fovendâ parant. Cæterùm radicem morborum non attingit, niſi legitimo tempore, modo, & in debita præparatione uſurpetur. Tempus quod attinet, in *Morbis acutis* in incremento datur, non verò ſtatu. In *Chronicis* ad præcavendos paroxyſmos graviores, alias non niſi cautè. Modus conſiſtit in eo, ut nunquam ſolum ſed appropriatis miſtum, nec una ſed partitis vicibus detur, & quamprimum ſomnus ſentitur, abſtineamus. Præparatio tandem eò reſpiciat, ut vis narcotica adimatur, retenta ſaltem anodynâ. Extractiones cum Spir. Vin. vel Rore majali nil valent. Tractatur itaque, 1. per acida quæ Sal vol. figunt, unde Acetum, Succus Citri, phlegma Vitrioli, aut Sp. Vin. cum Spiritu Sulphur. acuatus elegantem Tincturam extrahunt. Omnibus interim præparationibus præferenda eſt toſtio ſuper ignem. 2. Corrigitur per Acalia, inprimis Sal Tartari, cum quo in Sp. Vin. elegantem dat *Eſſentiam*; vel ſolvitur in Lixivio Tartari. Cæterùm ut exactius corrigatur, 3. Fermentatio cum ſuccis Vegetabilium inſtituitur, quibus convenienter additur Sal Tartari, quod quidem impedit fermentationem; interim ſi Saccharum addatur, hæc reſtaurari poteſt. Infantibus etiam cautè exhibetur *Opium*. Gravidas interdum abortire facit. In quibuſdam Mulieribus *Paſſionem hyſtericam* curat, in aliis excitat.

P.

P*Iſſaſphaltos* in loco profundiore diſcutit.

Pix valdè diſcutit; *Podagræ* conducit partem nerveam roborando. *Oleum picis* melius fit per alembicum.

Terebin-

R.

T*Erebinthi Reſina* in receſſu habet alcali volatile, ut ut deſtillata primò ſuggerat Phlegma acidulum. Vis tamen in Oleo conſiſtit, quod malè deſtillatur per veſicam cum aquâ, quia reſolvit Sal vol. alcalinum. Optimè contrà ſubigitur cum Cineribus, ſeu alio alcali fixo, & deſtillatur per Retort. ſic enim alcali retinet craſſius, & Oleum prodit penetrantiſſimum. Internè Renibus, Veſicæ, & Vaſis ſpermaticis dicata eſt. *Renes* purgat, *Calculum* præcavet, *Urinam* odore violaceo imbuit, *Ulcera Renum* atque *Veſicæ* ſanat, & *Mictum cruentum* temperat, in *Gonorrhæa* partes nerveas abſtergit, Pectori & Pulmonibus læſis ſuccurrit. Optimè autem internè aſſumitur, ſi in *Balſamum ſulphureum* redigatur. Externè Balſamicum eſt decantatum. Cum *Melle* miſta *Vulnera* ſufficienter curat, *Ulcera* mundificat, maturat & ſuppurat. *Spiritus Terebint.* internè nephriticus eſt, externè inunctus contra frigus Mammarum, aliarumque partium valet.

S.

S*Accharum* nil aliud eſt, quàm Vinum concentratum; unde ſolutum in aquâ fermentando abit in Vinum inſtar Hiſpanici propter facilem fermentationem. *Hypochondriacis*, *Scorbuticis* & *Hyſtericis*; nec non *Pulmoni* & *Pectori* inimicum eſt. *Oleum* ejus cum Sp. Vin. paratum *Aſperitates Faucium* lenit. Sp. Vini etiam rectificatiſſimus Saccharum non ſolvit, quod mirum. Externè cum Sp. Vin. dilutum egregium eſt vulnerarium; inprimis in *Ulceribus putridis*. *Spiritus* ejus *acidus* melius paratur, ſi Saccharum liquefiat, & cum Lateribus miſceatur. *Oleum* ejus *per del.* cum Alb. ov. *Oculorum Affectibus* dicatum eſt.

Sagapenum præ cæteris menſtrua & lochia juvat. Externè Emplaſtra attractiva ingreditur. Talia Gummata in

in aceto ſoluta cuti impoſita *Puſtulas* & *Pruritum* excitant & humores ſtagnare faciunt.

Sanguis Draconis cum *Capræ* vel *Hirci ſanguine* adulteratur, unde nemo eodem utatur.

Sarcocolla conglutinat internè & externè.

Succolata per Retortam dat primò *phlegma*, quod ſapit Juſculum carnis; poſtea ſuccedit *Spiritus* adeoque *Phthiſicis*, *Hecticis*, *Atrophiæ* & *Scabiei* egregiè convenit. Anglis in *Tuſſi* & *Catarrhis* in uſu eſt. Præterea & Sperma augmentat. Quin & in *Scorbuto* cum lacte ſumpta acidum ſalſum temperat. Cæterùm nil impedit, quo minus nos ſimilem mixturam ex Amygdalis facere poſſimus.

Styrax quibuſdam pro roborando Stomacho in Emplaſtri formâ arcanum eſt.

T.

T*Acamahaca* cum *Caranna* convenit.

Tartarus uſurpatur vel *generaliter* pro omni acido vinoſo, quod variat pro vinorum varietate. Quo magis enim matura Vina, eo Tartarus hic magis volatilis eſt. Sic *Vinum Hiſp.* minorem, *Rheni* majorem, *Gallic.* quoque parcam *Tartari* quantitatem ſuggerit. Vel *ſpecialiter Tartarus* vocatur, qui per fermentationem in fundum detruditur, & nil aliud eſt, quàm *Sal eſſentiale Vini*. Quoad uſum, abſtergit & laxat. *Tartarus martialis*, ex Tartaro cum Lim. Mart. cocto, in *Quartanis* & *Scorbuticis* convenit. *Spiritus*, *Oleum*, *Sal fix.* & *vol.* nec non *Tincturæ* ex Collegio Chymico patent.

Thus Reſina eſt temperata hnmores acres corrigens. Pomum excavatum & Thure repletum, in *Pleuritide* ſpeciatim uſurpatur. Alias ad *Diarrhœas* & *muliebria Profluvia* laudatur. Externè *Epilepticum* eſt primarium.

Tragacantha ingreditur Rotulas iu *Tuſſi ſicca* & *Raucedine* lambendas.

Vinum

V.

V*Inum* ſub fermentatione partes ſuas Oleoſas volatiliſat, & flatus naturæ ſulphureæ emittit. In Vino prædominatur *acidum*, in quo partes ſpirituoſæ ſunt per fermentationem & volatiliſationem Sulphuris concretæ. *Spiritus* autem vini eſt compoſitus ex Spiritu ſulphureo & acido, hinc cum Spiritu & Sale vol. Urinæ in offam coagulari poteſt.

CLAS. III.

De Purgantibus primariis.

PUrgantium vis conſiſtit in parte reſinoſa admodum acri, quâ Stomachum & Inteſtina irritare ac M. S. in fermentativum motum ciere ſolent. Pro varietate hujus acredinis dividuntur in mitiora & fortiora. Præter vim purgantem adhuc ſpecificas qualitates obtinent, quarum intuitu eorum delectus haberi debet, prout Morbis appropriantur. Quia aliquid venenoſitatis habent & de viribus corporis deprædantur, ideo corrigenda ſunt, non per *Aromata*, quæ nil corrigunt, ſed vel per *Salia fixa* Oleoſum corrigentia, vel *Acida*, quæ alcalia & vim purgantem enervant, vel per *fermentationem* cum ſuccis v.g. Pomorum Citri, &c. quæ texturam variat. *Notandum* hic, *Antimonium diaphor.* purgantibus additum earum vim augere.

A.

A*Garicus* quas eliminat ſortes in formam mucilaginis tranſmutat. Nocet ſtomacho & Tormina excitat, adeoque optimè corrigitur per Oxymellia ſeu blanda acida, quæ partim corrigunt & mucilaginoſa reſolvunt, partim abſtergunt, quò facilius ab Agarico quis purgetur.

tur. Non uſurpatur in ſubſtantia. Vis ejus conſiſtit in Reſina, unde optimè fit *Extractum* ex *Agar. troch.* cum Sp. Vini. Doſ. ℈i ad ʒß. Pilulæ ab Auth. deſcriptæ in doſi tanta non uſurpantur.

Aſarum eſt vomitorium & purgans per inferiora, imò ſimul diureticum & menſes ſtimulans. *Radix* & *Folia* minutiſſimè pulveriſata, à ʒß ad ʒi. vomitum & urinam movent; groſsè autem, per inferiora purgant, quia Stomachi plicas ingredi nequeunt, & *Quartanam* curant. In Aquâ ſi coxeris & propinaveris, non laxant ſed urinam movent, menſes ſtimulant, & in *Febribus intermittentibus*, Morbisque chronicis pro reſolutionis ſcopo conveniunt, ſed in Oxymelite & Aceto vim laxativam retinent. *Radix* in ſubſtantiâ datur à ʒß. ad ʒi. *Extractum* à ℈ß ad ʒß. *Folia recentia* Vomitiva ſunt; blandè quidem, ſi N°. 12. ſcindantur more Tabaci, & ſtent infuſa per noctem in ℥iv. Aq. Card. ben. poſtmodum Aqua hauriatur. Violentius autem, ſi cum piſtillo ligneo in mortario marmoreo conterantur, affusâ Oxymel. ſimpl. ℥i. terendo, donec folia in ſuccum liquidum ſint redacta. Validiſſimè verò, ſi ʒiij. Succi ex foliis recent. expreſſi propinentur cum *Oxymel.* ℥ß. & *Aquæ Card. ben.* ℥i. quod ipſi *Antimonio* ſubſtitui poteſt. *Folia* in Oxymelite cocta Pectori ſuccurrunt.

B.

BRYONIA purgat Hydropicorum ſerum, ſimulque grumos ſanguinis diſſolvit, & acidum temperat. Uſurpatur ad aliquot drachmas in infuſo vel ſucco, non in ſubſtantiâ. *Vermes* ſingulariter expellit, & in *Hydropis*, *Menſium* & *Podagræ* Affectibus prorſus ſingularis eſt. Si Radix excavetur & proprio operculo tegatur, liquor illic colligitur, qui locis podagricis illitus, & in grumis ſang. diſſolvendis egregiè confert. Unde in *Gangrænâ* & aliis *Tumoribus* radix recens contuſa in formâ Cataplaſmatis conducit; ſed & regioni

Renum ad *Aquas* collectas reſolvendas applicatur.

C.

C*Arthami Semen* ſordes in forma phlegmatis abducit; mucilaginoſum eſt, adeoque corrigitur per Aromata acria. Exhibetur in forma Emulſionis cum *Aquâ* aromaticâ: malè autem additur Decoctis vel Infuſis. A modernis *Flores* in *Menſium affectibus* & *Ictero* uſurpantur.

Caſſia dulcis & aromatica auſteræ præfertur. *Pulpa* ejus ſordes flaveſcentes ejicit; vis in fermentatione conſiſtit, unde *Hypochondriacis, Hyſtericis,* & *Gravidis*, imò & in *Febribus* minùs convenit. Contra *Stranguriam* laudatur. Sed niſi recentiſſima ſit, facilè aceſcit & Affectum auget. Eadem *Pleuriticis* convenit & *Arthriticis*, externè enim contuſa, vel cum Herbâ *Solani* decocta & podagricis locis applicata laudatur. In Veterum præſcriptionibus, pro ſcopo ciendi Menſtrua, notavimus *Caſſiam Fiſtulam*, ſed tum *Cortices Caſſiæ* potius intelliguntur.

Cataputiæ ſuccus inſpiſſatus ſerum purgat. Grana x vel xii. decorticata & trita, cum ovo ſorbili ſumuntur. Si verò blandius operari debent, maſticentur & deglutiantur.

Colocynthis reſolvit ſuccos cum acido concretos, in *Lue venerea, Epilepſiâ*, Affectibus menſtrualibus, & in ſpecie atrocioribus Abdominis *Torminibus*. Egregium eſt alterans æquè ac purgans. Optimè corrigitur cum Sale Tartari in Aceto, ſic enim fit Tinctura aurea amaricans, inſpiſſanda in *Extractum*. Externè Clyſteribus additur & Lotionibus capitis in *Tinea*. *Oleum* umbilico illitum *Vermes* abigit. *Spiritus vitæ aureus* melius cum Spiritu vini tartariſato perficitur.

E.

E*llebori nigri* folia & herba Sal habent volatiliſſimũ, & acerrimum. Calcinata parum dant Sal. fixi. Vis ergo pur-

purgatrix conſiſtit inSale vol.acri,quod inſimul corrigit acidum p. n. unde capiti in *Mania*, *Epilepſia*, *Vertigine*, *&c.* dicatur. Si per acida corrigatur, ab illis nimis caſtratur.Melius fit per alcalia,ſc.ut ſero Lactis, vel Aquæ, Sale Tartari impraegnatæ, infundatur. *Extractum* optimè paratur cum *Aquâ ſimpl.* Alias in *Morbis chronicis* & *hypochondriacis* Decocta & Infuſa ingreditur. Externè Sternutatorium eſt, & Coryzam curat.

Elleborus albus nonniſi in *Maniofis* & *Furioſis* adhibetur. Radix nempe ad ʒß. vel ʒi. coquitur in Vino, donec molleſcat deinde novo Vino infunditur, quod propinatur cum vel ſine expreſſione, prout fortius vel mitius deſideratur. Si tamen ritè corrigatur, exſiccando ter in ſucco Roſar. vel cum Sale Tartari, uſurpari poteſt à ʒi ad ʒiii. Quod ſi gravia eundem Symptomata ſequantur, maturè *Theriaca* propinetur.

Eſularum vis conſiſtit in acrimoniâ cauſticâ, & Sale vol. *Cortex* earum nunquam tutò adhibetur, niſi vis cauſtica corrigatur per acida, v. g. *Succ.Cydon.Citr.&c.* Optimè prçparatur,ſiRadix per 24 horas in aceto macerata exprimatur, & hinc Aquæ Menth. cum Sale Tartari immerſa inſpiſſetur ad Mellis conſiſtentiam. Exhibetur etiam in Infuſo, quando Radix per acida correcta Vino infunditur, ad ʒii vel ʒiii. *Conſerva* è floribus violentum eſt Remedium.

F.

F*Rangula* Vino infuſa à ʒiii ad vi. ſerum, nunc per alvum, nunc per vomitum educit. In ſubſtantiâ nimis violenta eſt.

G.

G*Ratiola* correctione multâ non indiget. Infunditur in Vino à ʒiii ad ℥ß pro *Hydropicis*, & propinatur.

H.

H*Ermodactyli* radix effœta eſt, Tormina excitans. Unde rariſſimè in uſum adhibetur in *Maniâ*.

I.

J*Alappæ* radix eſt reſinoſa, ſordes flaveſcentes abducens, contra *Lumbricos* appropriata. In pulvere datur ad ℈i. ſed cum ſtimulo ſalino, Nitro nempe vel Tartaro, alias Tormina excitat. Paratur *Eſſentia* ejus cum Spiritus Vin. ℥ß ad ℈ii. Pulveris, è cujus ſolutione præcipitatur Reſina cum Aquá communi, ſed facilè Inteſtinis adhæreſcit.

M.

M*Echoacanna* recens purgans eſt mitiſſimum, inveterata nil operatur. Serum mucilaginoſum educit, unde in *Tertianis nothis*, & iis, qui ſuccis viſcidis ſcatent, , valdè convenit. In Cruditatibus Infantum ex lactis grumis ſuaviter purgat, guſtui enim vel odoratui minimè moleſta eſt. Datur ordinariò in ſubſtantia à ℈i ad ʒß. vel infunditur ad ℥ß aut ʒvi. in Aquâ aliquâ cum Sale Tartari in loco frigido. Vis ejus latet in Mucilagine gummoſâ, adeoque *Extractum cum Sp. Vin.* nil valet.

Mezerei Cortex cauſticam vim in Sale vol. ſitam habet; quæ corrigitur per Succ. Cydon. immatur. vel Acetum. Doſ. à gr. vi ad ℈ß. Particulæ ejus, in lixivio maceratæ, auriculis perforatis inſeruntur loco ſetacei in *Affectibus Oculorum.*

Myrobalani ſaporem habent acidulum, nonnihil adſtrictorium. Ratione pulpæ ſucculentæ nonnihil laxant fermentando ſuccos corporis, ratione reliquæ autem ſubſtantiæ adſtringunt, unde in *Diarrhœis*, *&c.* uſurpantur. Qui & fermentationes blandè temperant ſapore ſuo acidulo. Magis agunt in Infuſo quàm in Subſtantiâ, quia mediante Aquâ ſucculentâ pulpa magis reſolvitur. Quò autem plus coquuntur, eò magis adſtringunt.

P.

P*Olypodium* quernum optimum eſt, quia de acrimonia quercina nonnihil participat. Additur purgantibus

tibus, quia vi aliquâ abſterſivâ & acidi temperativâ promovet purgantium operationem.

Pſyllii ſemen mucilaginem perutilem ſuggerit.

R.

R*Habarbarum Monachorum Hippolapathi* ſpecies eſt. *Rhabarbarum verum* habet vim laxativam ſuperficialem, quâ ſeparatâ maximam partẽ adſtrictorium eſt. Ubi adſtringendi animus eſt, datur à ℈i. ad ʒß. Si torreatur, vis laxativa exhalat, unde tantum ferè adſtringit ac Terra ſigillata. Optimè infunditur in Menſtruo aqueo cum Sale Tartari vel cum Crem. Tartari, modò ebulliat parum ad ejus diſſolutionem. *Extractum* ipſius verum (non cum Sp. Vin. ſic enim nil valet) *Hepaticis* & *Calculoſis* commendatur, Bilis ſecretionem juvat, *Icterum* ſingulariter levat; & in *Cachexiis* ſeu *Hydrope* maximi eſt uſus. *Paracelſus* inde *Tincturam* paravit, in q[u]a vim ſolutivam auferendam eſſe dicit, quod facit Sal Tartari. Hæc citò ad vias urinarias dilabitur, & *Calculoſis* ſuccurrit.

Ricini grana validè purgant. Ruſticis robuſtioribus gr. 1. aliis verò 4ta pars grani ſufficit. Integrum iterum ſecedit, peractâ tamen operatione. Exprimitur inde *Oleum*, cujus guttæ ii. in juſculo carnis ſufficienter purgant. In hoc Oleo ſingulare quid contra *Epilepſiam Infantum* latet, ſi cum pinguedine erinaceâ in Linimentum redigatur, cujus grana quædam umbilico illita mira faciunt.

S.

S*Enna* Colutheæ quoad folia & effectus ſimilis eſt; in *Affectibus chronicis* exoptatum laxans. Nauſeoſa eſt & torminoſa, adeoque in ſubſtantiâ raro datur, ſed in Infuſo, idque magis quàm decocto, quia ſi paulo diuturnior fiat coctio, vis laxativa magna ex parte perit. Menſtruum eſt vel Vinum, vel Aqua Tartareis acuenda, quæ mucilaginem ejus reſolvunt. *Rulandus* De-

R 3

coctum ejus in Vino propinavit cum *Aquâ Cardui bened.* pro ſudorifero in *Febribus*. In *Hypochondriacis*, loco Aquæ, infundatur in *Succo Pomor. Borſdorf.* depurato. *Extractum* ſuſpectum eſt, quia metus eſt, ne vis laxans evaporaverit. Fit elegans *Tinctura* ex *Senna* & *Rhab.* cum *Solutione Salis eſſentialis Tartari*, ſed cum *Sp. Vin.* fieri nequit.

Soldanella in *Hydrope* & ſimilibus Affectibus officium ſuum egregiè facit. Semper tamen *Rhabarb.* ipſi addendum. Doſ. foliorum á ℈ß. ad ℈ii. Pro Decocto verò ab ℥ß. ad ℥i. Quibuſdam ſuccus ad ℥ß. in uſu eſt, qui inſpiſſatus ultra ʒii. dari non debet.

Spinæ infectoriæ Baccæ egregium ſuggerunt *Syrupum purgantem*. Inter reliqua præparata N°. 3. *Extractum Rhamni* habet Author, quod elegans, cum vis Tithymali cauſtica Aceto roſ. deſtruatur. Ob Nitrum autem additum, in ſolutione acquiritur Alcali fixum, quod dum extrahitur, habetur Tartarus regeneratus, hoc eſt Sal eſſentiale Tartari ex Aceto roſ. & Nitro ortum & compoſitum.

T.

T*urpethum* radix reſinoſa eſt, quæ omne, quod attingit, ſub forma mucilaginis viſcidæ evacuare ſolet, unde inter Pituitam evacuantia numerari ſolet. *Tinctura aurea* inde elicitur cum Sp. Vini tartariſato, egregium remedium, ubi validiore evacuatione opus. *Reſina* elicita in Sp. Vin. blandè purgat, *Vermes* egregiè deturbat.

Tamarindorum ſuccus ſeu *pulpa* blando gaudet acore, quo bilem ejuſque efferveſcentiam temperat. Propter aliqualem nitroſitatem abſtergunt & laxant. In *Febribus*, inprimis *ſcorbuticis*, æſtum egregiè temperant, & Alvum apertam ſervant. Pulpæ doſis eſt ab ℥ß ad ℥ii. Pro Decocto ℥iii. vel iv. adhibentur. Alias Tartarus ex Tamarindis fieri poteſt, qui tamen nil peculiare habet.

Hæc

Hæc ſunt primaria Purgantia, è quibus ſufficere poſſunt *Senna*, *Rhabarb. Elleb. niger*, *Jalap.* & *Colocynthis*. Perluſtremus adhuc Purgantia ſecundaria, quæ nil aliud ſunt, quàm varia Vegetabilium producta.

CLAS IV.

De Purgantibus Secundariis.

A.

A*Loe lucida* ſuâ *Tincturâ* fæces flavas reddit, unde malè *Cholagoga* dicitur. *Lumbricos* expellit, blandè purgat, Stomacho amica eſt, & mucum ibi hærentem abſtergit. Vim habet *balſamicam*, unde inter omnia Purgantia *Aloe* & *Rhabarb.* habentur innocua, cum reliqua de virulentiâ participent. Duæ autem in *Aloe* ſubſtantiæ ſunt. 1. Mucilaginoſa aquoſa, quæ ſola laxat & in Aquâ ſolvitur. 2. Viſcida reſinoſa, quæ ſtyptica eſt & Hæmorrhoidum concitatrix, & in Sp. Vini ſolubilis. Vulgò lavant *Aloen*, ſed hoc ipſo eandem vi purgativâ ſpoliant. Pro ſcopo igitur purgandi extrahantur cum *Aqua ſimpl.* vel quadam appropriatâ cum Sale Tartari, vel Oleo Tartari p. d. acuatâ, deinde inſpiſſetur Tinctura in *Extractum* ad gr. vi. egregiè laxans. Interim non nimium Sal Tartari addendum, alias vim purgandi omninò deſtruit. Tinctura cum Sp. Vin. non purgat. Si ritè paretur *Extractum*, ſuperflua eſt inſuccatio. Oleum ex *Aloe* deſtillatum Umbilico illitum *Vermes* necat. *Externè* *Aloe* balſamica eſt, & Vulnerum putredini reſiſtit. Fit *Aqua* ex *Aloe* in *Aquâ Abſinth.* ſolutâ, terendo probè & ſubigendo, qua abluuntur corpora pro enecandis *Vermibus* & *Crinonibus*, nec non Crines à defluvio præcavendo.

E.

E*Laterium* ſuccus eſt ex *Cucumere aſinino* collectus, quando flaveſcere & maturare incipit; purganſque admodum violentum, in *Hydrope* ſpecificè conveniens. Subſtantia non uſurpatur; ſed *Extractum* paratum cum Sp. Vin. addendo in *fine Oleum ſtill. Macis* & *Cinnam.* Doſ. ejus à gr. xv. ad ℈i. Similiter ex Radice hujus Plantæ paratur *Eſſentia* & *Extractum* cum Sp. Vini addendo idem *Oleum*. In Gravidis cautè uſurpandum. Aliàs per acida & fermentationem corrigitur.

Euphorbium noſtrum à veteri differt. In acrimonia cauſtica cum ſucco *Eſulæ* convenit, unde quæ de *Eſulâ* dicta fuerunt, hic applicari poterunt. Datur contra *Quartanam Febrem* ad ℈i. prius tamen correctum cum *Succo Citri*; per *acida* enim vis alcalina cauſtica caſtratur. Externè in *Carie oſſium* nil melius eſt *Euphorbio* Sp. Vini irrorato. Sternutatorium eſt validiſſimum, adeoque debet ℈i. cum ʒi. *Pulv. Irid. flor.* miſceri. In formâ liquidâ ʒi. *Euphorbii*, cocta in ℔. i. Aquæ Lil. convall. ad gutt. aliquot potens Sternutatorium eſt.

G.

G*Utta Jemou* videtur eſſe *Gummi* quoddam, è *Radice Ricini* vulneratâ deſtillans, & *Croco Indico* tinctum. Corrigatur neceſſe eſt, ſive per Alcalia ſive per Acida. Lotichius exhibet à gr. iii. ad ℈ß. cum ℈i. Tartari vitriolat. Optima eſt illa *Magiſterii* præparatio, ubi Oleum Tartari vel Sp. Vini tartariſatus adhibetur. Quin & *Eſſentia aurea* inde elicitur. *Spiritus* autem *Vitrioli* acidus non tam corrigit, quàm caſtrat hujus purgantis vires.

M.

M*Anna* ſuccus eſt ex Arboribus deſtillans, qui per noctem jungitur rori, & poſtmodum in ſurculis Arborum reperitur; poſtquam calore diurno aquoſa pars abſumitur & in *granula* inſpiſſatur. Sub collectio-

ne

ne Martem in æruginem rodere valet, unde cum lapideis & ligneis cultris colligitur, ne nigreſcat. Variat ejus virtus pro varietate plantarum, è quibus colligitur. Vis ejus laxativa conſiſtit in motu fermentativo, unde abſtergit ſordes eaſque flavas reddit; adeoque *Hyſtericis, Hypochondriacis* & *Febricitantibus* non convenit, alias in *Aſperitate* & *Ariditate faucium* conducit. *Manna tartariſata* elegans eſt remedium, nam propter Tartarum minùs fermentat. *Spiritus Mannæ* ad ℥i. utut inſipidus, ſudoriferum eſt egregium, & ſingulare quid in receſſu habens. Qui n°. 6. ab Authore deſcribitur, ſingulariſſimum menſtruum eſt pro extrahendo Sulphure ſolari, Manna enim turget Rore, Sale aëris hermetico imprægnato, unde *Mercurium* ſeu *Spiritum* planè ſingularem dat, qui multum habet in receſſu. Quidam *Electuarium laxativum* inde deſtillant per veſicam.

O.

O*Popanax* ad ℥i. data viſcida incidit, & fœces ſub formâ mucilaginis abducit, ſicuti omnia Gummata. *Heraclinum* maximè in uſu eſt, quod à quiſquiliis depurandum, ſolvendo in Aqua, Vino, vel Succo Citri. Externè Tumores diſcutit. Vis ejus in Sale alcalino acriori latet.

S.

S*Cammonium* Veterum Succus fuit Radicis herbæ ejuſdam è *Convolvulorum* genere; noſtrum autem eſt *Succus Eſulæ*, acerrimus, cauſticus & malignus. Sordes flavas & fœtidas reddit, unde Cholagoga falsò dicitur. Per ſe *Crudum* raró præſcribitur, ſed loco ſtimuli aliis in Pulvere additur, ut & ejus *Reſina* ad gr. ii. vel iii. Optimè depuratur Glycirrhizâ juxta modum Num. 5. quæ ſtimulos acerbos & volatiles inviſcat & cicurat. Corrigitur vel per *Acida* nempe *Succ. Cydon.* ut Num. 2. & *Spiritum Vitrioli* Num. 7. vel per *Alcalia*, quando *Lixivio Salis Tartari* Scammonium injicitur, unde emergit

Tinctura rubicunda , quæ inſpiſſata, & cum Sp. Vin. extracta dat *Eſſentiam laxativam* ; ubi per *Sal Tartari* invertitur ſapor & odor ejus nauſeoſus. Ex *Scammonio* vel ejus *Reſinâ* fieri poſſunt *Emulſiones*, cum *Sacch.* & *Aqua Fumar.* vel *Succ. Citr.* guſtui gratiſſimæ. Huc referendus eſt *Succus Citri diagrydiatus* ; ſc. ℞. *Diagr. ſulphurat.* ℥i. *affund. Succ. Citri. depur.* ℔.ß. *ſtent in vitro obturato in loco calido per* 3. *dies. Ultimo die decantetur, & colatura cum Sacchαro, blando igne , ad conſiſtentiam redigatur. Doſ. cochl.* 1.

Et hæc de Purgantibus ſecundariis , ex quibus *Aloe* & *Scammonium* ſufficiunt, adeo ut cæteris facilè ſuperſedere poſſimus.

Schröderus Dilucidatus.

SECTIO II.

De Zoologia ſeu Regno Animali.

ANIMALIA jam ſequuntur, quorum partes diſtinguuntur in *duras* & *molles*. Duræ ſunt *oſſa*, *cornua*, *ungulæ* & *dentes*, quæ acidum abſorbent, non ſine inſigni efferveſcentiæ motu, quia *Sale vol. alcalino* turgent, adeoque Sanguinem fluidiorem reddendo, ſimul ſudorem movent. In Igne ſubminiſtrant 1. *Phlegma aqueum* quod parum habet in receſſu. 2. *Spiritum vol. mercurialem*, minus inflammabilem, & cum *Sale vol.* non efferveſcentem, volatilem tamen & potens ſudoriferum, adeoque mediæ naturæ inter ſalinum & ſulphureum. 3. *Copioſum Sal vol.* quod rectificatum acida deſtruit, & fortiter ſudorem movet. 4. *Oleum nigrum empyreumaticum*; quod per Retortam ſuper proprium caput mortuum rectificatum aurei coloris fit, fœtorem deponit, inſtar Ignis penetrat, & ſudorem ciet, acidum quodcunque ſimul deſtruendo. *Internè* in *Hyſtericis affectibus* & *Colicâ*; *externè* autem *Podagræ* illitum, optimè conducit. 5. *Caput mortuum nigrum*, quod aperto vaſe calcinatum prorſus albeſcit; quodque, utut iners, adſtringit tamen, humidum acidum imbibit, adeoque in *Dyſenteriis*, *&c.* convenit. Partes *molles* ſunt *pingues* vel *non pingues*. *Non pingues* ſunt *Viſcera carnoſa* & *San-*

& *Sanguis*, quæ turgent Succo pingui & Sale blando, ſuggeruntque *Sal vol.* penetrantiſſimum. Ex *pinguibus Spiritus* & *Sal volatile* difficulter elicitur, ſed ſi putrefacta ſint, copioſum *Phlegma*, *Spiritum*, *Sal volat.* & *Oleum* ſuggerunt. Omnia autem animalium Salia volatilia conveniunt generaliter in eo, quod acida deſtruant & ſudorifera ſint. Attamen & ſpecificas ſimul dotes habent. Pinguiores partes, *Sevum* nempe, *Axungia*, &c. in eo conveniunt, quod conſtent parte ſulphureâ, quæ in receſſu ab acido occulto concentratur. Hinc cum Alcalibus in Sapones abeunt (ſicut & Olea vegetabilium) adeoque emolliunt, relaxant, attenuant, & plus minus anodynæ ſunt.

CLASSIS I.

De Animalibus terreſtribus perfectioribus.

A.

ALcis *Ungula* contra *Epilepſiam* internè & externè in forma Amuleti valet. *Alces* nimirum beſtia eſt meticuloſa, & à ſtrepitu etiam arboris in fugam pellitur: hic metus in totum corpus transfertur, præprimis in *Ungulas*, & quidem poſteriores, unde vis hæc dependet. *Calcinata* & *Magiſterium* nil valent. De *Nervis* obſervetur quod Author habet. *Cornu Alcis* paratur etiam ſpagyricè ut C.C. imò *Spiritum* & *Sal vol. antepilept.* ſuggerit.

Apri dentes ad ʒi. in *Pleuritide* & *Inflammatione* internâ ſanguinem coagulatum reſolvunt, & acidum abſorbent, quo abſorpto ſudor ſequitur. Deſtillati dant *Sal vol.* admodum penetrans. *Magiſterium* nil valet. *Gelatina* paratur ut *Gelat. C. C.* & in potu pleuritico egregium eſt remedium.

Aſini ſanguis, tempore verno prope aurem extractus, linteo

linteo exceptus & exſiccatus in Camino, ut de *Sale vol. Lignorum* participet, per annum ſervatur ſine virium jacturâ, & cum *Aqua deſtill. Hyper.* & *Anagall.* propinatus ſpecificum eſt egregium contra *Maniam*. Alias in *Atrophia* & *Phthiſi* Lac ejus maximè ſalubre eſt, quia Aſinus beſtia eſt ſana & longæva. Ante ejus uſum cibus ſit dulcis & minus acidus. Deinde tempore matutino & veſpertino propinetur tepidum, addito Saccharo, ne coaguletur. *Stercus* internè propinatum cum *Aqua Plantag.* & *Syr. Myrtill. Hæmorrhagias* curat. In quem finem & externè ejus *Pulvis* naribus inſufflatur, vel ipſum cum Aceto ſubigitur & intruditur.

B.

B*ovis* & *Vaccæ Cornu*, dum in coitu verſantur, deraſum, Venerem ſtimulat. *Fel* in Clyſmate alvum proritat; externè umbilico cum *Aloe* illinitur contra *Lumbricos*, & ſi ſtrictè adhæret, certò adſunt *Lumbrici*. *Aqua Fellis* deſtill. cicatrices oculorum delet, & acrimonia volatili viſum clarificat. *Eſſentia Fellis Bovis* inſpiſſata & cum Spiritu Vini extracta, præter uſum coſmeticum, egregia eſt in *Tinnitu aurium*, cum bombace illita. *Splenis Decoctum*, vel *Eſſentia* Menſes ciet & Appetitum promovet. In *Atrophia* & *Doloribus artuum* poſt Vulnera, immittuntur membra in *ſanguinem Bovis* recens mactati. *Stercus* in *Doloribus*, *Inflammationibus* & *Ambuſtis* externis egregium eſt anodynum. Aquam etiam deſtill. ſuggerit, quæ coſmetica egregria eſt, & in *Suppreſſione urinæ* laudatur. In Ventriculo ſecundo generantur *Lapides* ex pilis invicem convolutis, mucilagine quadam obductis, qui nullius ſunt uſus. Illi verò in Folliculo felleo conſtant *Sale vol. alcalino* ab acido p. n. coagulato, & ad ℥i. cum Vino vel Aceto, in *Caſu* ſanguinem grumoſum reſolvunt, *Icterum* denique & *nephriticos Dolores*, ac ſcorbuticos per urinam & ſudorem curant. *Lac* conſtat ſubſtantiâ butyroſo ſulphureâ, caſeoſo ſa-

linâ, & vehiculo ſeroſo; adeoque quamlibet corporis acrimoniam in *Scorbuto*, *Ulceribus Renum*, *Mictu cruento*, & *Dyſenteriâ*, temperat; egregium etiam nutritivum eſt; contra *Atrophiam*, *Tabem*, *&c.* nil melius. Pro ratione autem Beſtiæ & paſtûs variat. Unde Sana ea eſſe debet, ac pro uſu antiſcorbutico herbis antiſcorbuticis, pro vulnerario, vulnerariis nutrienda.

Bufones vivi furore perciti venenati ſunt, ſed mortui omni carent veneno. Menſe Julio transfoſſi, exſiccati, & abſciſſis capitibus atque inteſtinis pulveriſati, ad gr. xii. alternis diebus Hydropicis propinati egregiè ſanant. Externè *Bufo vivus* contuſus Renibus in eodem Affectu applicatur. Alii contra *Febres ardentes* propinant ante paroxyſmum. Quin & externè contra malignitatem peſtilentialem adhibetur, latet enim in Bufonibus vis anti-peſtilentialis. *Lapis Bufonum* figmentum eſt, forſan Cranium ſenilium. *Bufones* comburendo cæruleam eructant flammam, unde ſuſpicor in illis latere principium ſulphureum animale. *Pulvis* Bufonum appenſus contra *Incontinentiam Urinæ* valet, & virtute anodynâ pollere dicitur. *Sal ejus vol.* penetrans eſt diureticum. Paratur quoque inde *Oleum anodynum* beneficio Salis marini & Olei Amygd. dulc.

C.

C*Atelli Meliterſes Colicæ* & *Podagræ* applicati, anodyni ſunt; & poſtea claudicare dicuntur. *Axungia canina* ob vim penetrantem vulnerariam præ cæteris laudatur. Multi in Aceto contra *Phthiſin* & *Epilepſiam* laudant. *Album græcum* Canis, oſſibus ſine Potu nutriti multum habet in receſſu. Omnia enim animalium *ſtercora* gaudent *Sale vol. urinoſo* & *acido*, quæ ſi in Stomacho fermentando aceſcant, *Sal vol.* tranſit & *Sal ſalſum* remanet. Hoc Sal ubi alcali præcellit, in aëre cum Sale aëris fermentatum tranſit in perfectum Nitrum. Omnia igitur *Stercora* ſudorem movent, ſanguinis grumos diſſol-

diſſolvunt, & hinc in *Dyſenteriis*, *Pleuritide &c.* egregie conveniunt. Inprimis *Album græcum* quod & internè pro deſtruendo acido primarium viarum in *Paſſione hyſtericâ*, *Colica* ex acido auſtero orta, & alibi conducit: pariter *Decocta vulneraria* meritò ingreditur, & in Angina faucium laudatur.

Capri ſanguis, modo Helmontiano collectus & præparatus, ſub formâ pulveris ad ʒi. in *Pleuritide* ſanguinis grumos optimè diſſolvit, & cum Aceto ſumtus egregium eſt Diureticum, *Calculum Renum* & *Veſicæ* abſumens, imò *Balſamum antipodagricum* inde paratur. *Sevum hircinum* Oleo non miſcendum, alias nimis coagulat. In Clyſmatibus, in *Dyſenteriis* & *Teneſmo*, anodynum eſt & conſolidans. *Lac Caprinum* turget Sero nitroſo & *Nitro volatiliori*; unde eminenter omnes vires obtinet; quæ Sero lactis vaccini adſcribuntur; præſertim pro æſtu, in ſpecie Antiſcorbutico, compeſcendo. Stercus in *Podagra* & *Oedemate* cum Urina ægri applicatum egregiè juvat. *Urina calida* diuretica eſt.

Rupricapra in ſecundo ventriculo ſuggerit Lapillos, ex fibris durioribus vegetabilium, in ſpecie *Doronici*, quæ difficilis concoctionis ſunt, cum viſcoſo chylo generatos. Vi ſudoriferâ pollent ad ʒi. in *Pleuritide*, *Variolis* & præ cœteris in *Partu difficili*.

Capricerva orientalis dat lapidem, *Bezoar* dictum, de copioſo Sale alcalino participantem, vi alexipharmacâ pollentem. Sed inter mille vix unus genuinus. Imò licet omnes genuini ſint, non tamen omnes habebunt Vim alexipharmacam, ſed iſti tantùm, qui ex *Animalibus montanis*, Plantis ſalubribus veſcentibus, deſumpti ſunt. Adeoque *Calculus humanus* longè melior eſt.

Capricerva occidentalis dat *Bezoar* Occidentale. Sed *Lapis fellis bubuli* ad ʒi. propinatus idem præſtabit, ac *Lapis Bezoar occidentalis*. Idem judico de *Orientali*.

Caſtor

Caſtor decantatus eſt ratione *Caſtorei*, quod Liquor eſt in folliculis, à teſtibus longè differentibus, contentus, oleoſus, penetrans, & Sale volatili impregnatus, Videtur eſſe *craſſa Lympha*, per ductum appropriatum in folliculum deducta, & per fermentationem partim ex ſudore, partim aliunde tranſmutata in talem liquorem. Vis ejus fundata eſt in Sale vol. oleoſo penetrante, & Senſus graviter afficiente; unde in *Affectibus nervinis*, in *Colicâ* item, & præſertim *Paſſionibus hyſtericis*, internè & externè, ſacra eſt anchora; auſterum enim corrigit, motuſque convulſivos compeſcit. Unà cum Myrrhâ *Fœtum*, *Menſes* & *Lochia* pellit, *Dolores poſt partum* ſiſtit. In *Lethargo*, *Comate* & *Caro*, ex gas liquorum fermenteſcentium orto, nil melius quàm *Caſtoreum*, præmiſſo Vomitu. In prædictis *Affectibus* hinc cum *Scammonio* ſæpè propinatur, ut alterando ſimul laxet. Si tempeſtivè ante *Febrem* exhibeatur, *Variolas* præcavet: præſente autem *Febrè* expellendæ ſunt, propinando *Eſſentiam* ex *Aſâ fœtidâ* cum *Sp. Vin. tartariſato*. *Oleum per veſicam* cum ſ. q. Aquæ deſtillatum, efficaciſſimum eſt, & minus fœtidum. *Extractum Caſtorei* nil valet, ſed *Eſſentia* à ℈i. ad ʒß. in prædictis Affectibus potens eſt remedium, imò & Auribus purgatis ad gutt. i. vel ij. inſtillatur in difficili *Auditu*, *Tinnitu*, aut *Murmuratione*.

Cati ſylveſtris Axungia liquefacta, habitâ ſexûs ratione, & Umbilico ad gutt. aliquot inſtillata *Colicam* avertit. In *Atrophiâ partium* reliquis præfertur. In *Epilepſia* pariter certiſſimum eſt remedium.

Catus Zibethinus Zibethum ſuggerit, liquorem per ſe fœtidum, licèt tantillum ſuavem ſpiret odorem. Internè *Moſchus* ejus loco ſubſtituitur. *Externè* Umbilico illitum *Tormina* quæcunque *Abdominis* & *Paſſiones hyſtericas* alleviat, modò nares nimium non feriat. Porrò cum *Balſ. apoplect.* Glandi Penis illitum fœcundationem & Venerem promovet.

Cervi

Cervi Cornua quotannis mutant, forſan quia *Plantis novellis* utuntur. Caſtrati autem nunquam *Cornua* deponunt. Colligenda ſunt hæc Cornua inter 23. Auguſt. & 8. Septembr. tunc enim dura omninò & Sale vol. copioſiſſimo imprægnata ſunt. *C. C. uſtum* nil valet, niſi nudâ adſtrictione. Eligitur igitur *Philoſophicè calcinatum*, vel coquendo vel ſuſpendendo in Alembico; ita enim Salis vol. & Olei partem retinet, ratione cujus à ℈i. ad ʒß. elegans ſudoriferum eſt & malignitatem expellit. *Gelatina* coquendo elicita, eſt quaſi *quinta Eſſentia*, ad ℥i. in potûs ordinarii *Menſ.* i. æſtum æquè ac malignitatem *Febrium* reprimit. Pertinet huc *Liquor C. C. ſuccinatus*, qui elegantiſſima eſt medicina: *℞. Sal vol. Succin. & Sal vol. C. C. depur. ana; diſſolve in Spiritu C. C. rect. Hæc ſi diſtillentur, Salia vol. cum Spiritu aſcendunt, & Liquorem huncce conſtituunt.* Quidam *Sal vol.* figere volunt beneficio acidorum, Aceti, Spiritus Salis, ſed hæc vim ejus deſtruunt; præſtat per ſe ad ℈i. in liquore proprio, h. e. *Spiritu Sale vol. imprægnat.* ad ʒß. Cornua tenella putrefacta (non aliter) Sal vol. facilè dant. *Aqua è Typhis* ſpirituoſa in *Variolis*, *Epilepſiis*, & *Mulierum Purpurâ* vehiculum commune eſt. *Caligæ* ex Corio cervino ritè paratæ contra *Podagram* laudantur. *Os de Corde Cervi* nil aliud eſt, quàm muſculorum Cordis tendo ætate inveteratâ in os degenerans, & præ cæteris Oſſibus reverà nil peculiare habet. *Priapus Cervi*, in coitu transfoſſi, Venerem maximè ſtimulat, & *Dyſentericis* damnum infert. *Priapus* verò alio tempore transfoſſi Cervi, optimum euporiſton eſt contra *Dyſenteriam*, & *Affectus hyſtericos*. *Sevum cervinum* Excoriationes ſuperficiales, manuum à frigore Fiſſuras, & Ani procidentiam, calidè illitum, curat. *Lapis* componitur ex acido, & alcali urinoſo prævalente, & *Lapidi Bezoar* æquiparandus, ſi non præferendus.

Cochleæ teſtaceæ majores circa vites repertæ, integræ

cum iſtis contuſæ, in formâ Cataplaſmatis Abdominis aliarumque partium *Tumores ſeroſos* diſcutiunt, inprimis ſi contuſis inſpergatur *Pulvis Fimi caprilli* & *Seminis Carvi.* Quin & contuſæ ſuggerunt *Succum alcali temperato gaudentem*, qui in *Eryſipelate* egregiè convenit, imò & *coſmeticus* eſt, ſi cum Sale Tartari in loco frigidiuſculo fluat. *Teſtæ exſiccatæ* & pulveriſatæ *Hydropem* per urinam curant; vel in *Spiritu Salis*, *Vino*, aut *Aceto* ſolutæ, menſtruo denique abſtracto coagulatæ, per deliquium Liquorem ſuggerunt, egregiè diureticum in *Hydrope*, qui merito *Aquæ deſtillatæ* præfertur.

E.

EQuus (non caſtratus) *Stercus* ſuppeditat, quod in Vino expreſſum *Colicam*, *Paſſionem hyſtericam*, *Icterum*, (propter vim nitroſam vol.) *Variolas*, præprimis *Pleuritidem* & *Inflammationes internas* ſingulariter alleviat. *Teſtes* temperato Igne exſiccati, deinde Eſſentiâ Myrrhæ irrorati, ut durent, & pulveriſati ad ℥i. *Colicam* admodum juvant, *Partum* item *difficilem* & *Fœtum mortuum* egregiè promovent.

Erinaceus in juſculo coctus egregium eſt diureticum anti-hydropicum; Calcinâtus verò dat *Cinerem*, in *Incontinentia Urinæ* optimum. Ejus *Axungia* in *Herniis* Lumbis inungitur, ut Inteſtina retrahat & firmet. Contra *Epilepſiam* Infantum fit *Linimentum* ex hujus Pingued. p. iv. & Olei cujuſdam deſtill. p. 1.

H.

HOminis Capilli reverâ vegetantur, & in Pulvere *Hæmorrhagias* ſiſtere dicuntur; deſtillati dant *Spiritum*, & *Oleum*, quod capillos illitum generat. *Ungues* ſeu tendinum appendices in *Pulvere* vel *Vino* propinati vomitum cient. In Quercum perforatam immiſſi, *Podagram* alleviant, teſte *Marco Marci*. *Saliva* Spiritu acido & alcalino turget, unde contra *Serpigines* & *Maculas Variolarum* jejuna illinitur. In homine iracundo adeo vene-

venenata eſt, ut ejus morſus *Gangrænam* facilè inferat. *Cerumen aurium* non ſolum anticolicum eſt, ſed & ad *Vulnera nervoſa* recentia egregium eſt vulnerarium. *Lac muliebre Phthiſicos* & *Venerem* roborat. *Sanguis menſtruus* ſanarum linteo exceptus, exſiccatus, & deinde cum Aceto ſcillitico extractus, internéque datus commodè menſtrua promovet. Externè Linteum hoc exſiccatum *Tumores eryſipelatoſos*, ac *Dolores podagricos* ſiſtit; quin & collo appenſum *Febrem tertianam* curat. Denique *Philtra* exinde parantur, quibus *Secundina humana* præparata contrariatur. Hæc autem, *Secundina* nempe, multum habet in receſſu, unde & Bruta ſecundinas ſuas avidè devorant. In *Doloribus poſt partum* & *Partu difficili* reliquis remediis palmam eripit. In pulveriſatione partes volatiles avolant. Quapropter potius membranâ propriâ detractâ in cucurbitâ vitreâ capaci (aliàs frangitur) probè clauſa, in loco calido putreſcat, ſed ſine *Vermibus*, qui in vaſe clauſo produci non ſolent. Sic fit liquor limpidus cum horrendo fœtore, qui deſtillatus dat *Spiritum oleoſum*, abjecto *Phlegmate*, qui ad ℥ß. promptiſſimè Fœtum pellit, & contra *Epilepſiam* hæreditariam commendatur. Maculas maternas alias cruentis adhuc Secundinis tangendo curare ſolent. *Urina* egregium eſt anodynum *Doloribus partium nervoſarum* applicatum. In *Podagra* Pediluvia inde fiunt egregia. Imò *Coſmetica* eſt, *Maculas* poſt *Variolas*, *Fiſſuras* à frigore, & *Scabiem* auferens. In *Flatulentiis Abdominis* & *Hydrope*, pro Clyſmatibus egregia eſt. *Externè* mundificat *Vulnera* & *Ulcera*, & contra *Gangrænam Stercore Vaccino* & *Urinâ humanâ* nil melius. Deſtillata dat *Spiritum* & *Sal vol.* idque vel per crudam inſpiſſationem, vel, quod melius, per putrefactionem & fermentationem. Spiritus autem per fermentationem paratus *Olea deſtillata* coagulat, cum eorum occulto acido ſe uniens. Porrò ex Capite mortuo hujus deſtil-

lationis elicitur Sal fixum, vel potius Salſum (fixum enim nullum in Animalibus reperitur) quod cum Boli p. iii. deſtillatum dat *Spiritum acidum*, ſimilem Spiritui Salis; quodque in uſu medico *Acidum*, & *Dolores* inde oriundos deſtruit, *Febribus* itaque & *Hydropi* reſiſtit. *Stercus humanum* volatile eſt, præ reliquis magis oleoſum, & minùs ſalinum. In *Tumoribus* tam *malignis* quàm *benignis* maturandis nil melius. In *Doloribus articulorum* Stercus vaccinum antecellit; cum Allii capitibus *Morſui venenato* impoſitum certum levamen adfert. Deſtillatum per retort. dat *Aquam* & *Oleum fœtidum*, quod in *Vulneribus fiſtuloſis* & ipſo *Cancro* ſummum eſt remedium. Si redigatur hoc Stercus cum ſ. q. Aquæ in pultem, & in Balneo vaporis ponantur, fœtor exibit, ſed dein gratum ſpirabit odorem; unde Mercatores *Moſchum debilem* ſolent in *Latrinâ* ſuſpendere, ut odor ejus intendatur. *Sanguis humanus recens* ex homine decollato collectus, contra *Epilepſiam* hauritur. Deſtillatus dat *Phlegma* & *Spiritum*, & modò prius putreſcat, copioſum etiam *Sal vol. Spiritus* in *Epilepſia*, *Apoplexia*, *&c.* decantatur. *Oleum* ſuper Caput mort. rectificatum, propter luxurians Sulphur anodynum, *Dolores nervoſos*, ab acido oriundos, optimè ſiſtit. *Spiritus Sang. hum.* additis *Camphora* & *Caſtor.* egregium fit *Antepilepticum* & *Hyſtericum*. Si *Spiritus* cum Sale & Oleo proprio digeratur & cohobetur, fit *Liquor rubicundus* ſeu *Quinta eſſentia*. Sanguis irroratus cum Sp. Vin. acuato Spiritu Salis, & Myrrhâ impraegnato, fit *Mumia*. *Mumia* autem *Paracelſo* duplex eſt, *corporalis* ſc. ſeu partes corporis violenter mortui ſolidæ; & *Spiritualis*, quæ Spiritus vitalis eſt unicuique concreto inditus, in quo conſiſtit fundamentum omnium Actionum *magneticarum* & *ſympatheticarum*. *Caro hominis* ſuſpenſi aut rotâ confracti, Myrrhâ impraegnata, & in fumo è Ligno & Baccis Juniperi ſucceſſivè exſiccata, fit elegans *Mumia*, propter rema-

remanentiam Spiritus vitalis mumialis, ſingularium virium in Sanguine congrumato à Caſu ab alto, doſ. ℈i. in vehiculo appropriato expectando ſudorem. Imò in *internis Viſcerum corruptelis* vi Balſamicâ corpus facilè reſtituit. *Externè Mumia artificialis* omnia *Unguenta* in gravioribus Vulneribus ingreditur. De *Calculo humano* vid. Regnum minerale. *Cutis* Cingulum *Paſſiones hyſtericas* levat. *Pinguedo humana* præ reliquis temperata eſt & anodyna, item contra *Atrophiam* utilis. Deſtillata dat *Oleum*, quod rectificatum ſuper Oſſa hum. calcinata ſingulare eſt conſolidans in *Luxationibus* & *Fracturis*. *Oſſa humana* acidum abſorbent, & præterea in *Doloribus artuum* & *Dyſenteria* ſpecificè conveniunt, ubi tam *Oſſa præparata*, quàm *Sal vol.* quod efficacius eſt, conveniunt. Calcinantur autem ſine Igne & ad ʒi. vel ʒii. per ſe alvum laxant. Præ cæteris autem *Oſſa Cranii* in frequenti uſu ſunt contra *Epilepſiam* cum *Aqua ſpirituoſa Lil. convall.* parata. Fit etiam hinc *Galreda* contra *Vermes* cum *Spiritu Hyper. Uſnea Cranii Humani* ſeminium habet ex aëre, & ſuccum nutritivum ex Cranii Liquore; & rarò reperitur, niſi in Capitibus per longam annorum ſeriem Aëri expoſitis. *Hæmorrhagias* utique ſiſtit applicita, & *Epilepſiam* externè arcet. *Cerebrum humanum* in Mar. Balneo dat *Aquam*; & poſtea ex reliquâ maſsâ exprimitur *Oleum*, egregium cephalicum & antepilepticum, *Memoriam* roborans, & vi anodynâ in *Contracturis Tendinum* proficuum. Melior erit Aqua, ſi cum aromaticis deſtilletur.

L.

L*Eporis* pavidi, probè in venatione agitati, *Sanguis* ad ʒi. in Pulv. vel Vino aſſumptus, ſingulare eſt remedium contra *Epilepſiam*. *Externè* Eryſipelas, locoſque podagricos & noctu dolentes levat. *Cerebrum Leporinum* gingivis Infantum illitum Dentium proventum juvat. *Cor leporis*, in fuga capti, lentè exſiccatum ad

tertiam partem in *Quartana* ante paroxyſmum commodè propinatur. *Axungia vetus* pro aperiendis *Abſceſſibus ſuppuratis*, & heterogeneis è *Vulnere* extrahendis, præ cæteris laudatur.

Lupi Stercus contra *Dolores colicos* eſt unum ex optimis remediis.

M.

MOſchi Capreolus* ſuggerit *Moſchum* in Capſulis ſupra Genitalia; haud procul Umbilicum. Sunt qui congrumata tubera Capellæ à canibus agitatæ, exſiccant & pro Moſcho adulterino venditant. Moſchi autem odor non adeo rarus eſt, cum per putredinem intendatur æquè ac producatur. Cæterùm, ut potentius operetur, depurari debet ſuſpendendo ſc. in Cucurbita ſuperiori, cui alia lutata juncta eſt, linteo in medio poſito, & in diebus canicularibus Soli exponendo; ſic enim liqueſcit, & Oleum penetrans per linteum in inferiorem cucurbitam deſcendit. Paratur etiam *Eſſentia* ex *Moſcho* vel *Zibetho*, miſcendo cum Oleo. Amygd. dulc. deinde affundendo Sp. Vin. rect. ſic enim Spiritus digeſtus & deſtillatus extrahit ſubſtantiam medicinalem, Moſchi inerte corpore in fundo relicto. Cæterùm odores hi ſuaveolentes in iis, qui gravioribus meditationibus indulgent, aut quibus Spiritus animales agiliores & volatiliores ſunt, cautè uſurpentur. Ratio eſt, quia in majores & confuſiores impetus aguntur: hinc qui pro confortanda *Memoriâ* iis nimium utuntur, tandem Spirituum defectum indè ſentiunt. Legitimè verò uſurpata in *Affectibus Capitis* ſumma medicina ſunt.

Muris Stercus ad gr. vi. cum lacte tritum & colatum alvum certiſſimè laxat.

Muris alpini Pinguedo antipleuritica Unguenta ingreditur.

S.

S*Erpens* venenoſus non eſt, nec plagas infert venenoſas,

noſas, niſi furore percitus. Venenum enim non tam in forma materiali quàm ideali conſiſtit. Internè certè nocivum non eſt. Exuvias tempore verno indubiè deponit, non tamen eapropter juveneſcit facit, aliàs & Araneæ, Lumbrici, *&c.* idem experireutur. Vi quidem balſamicâ turget, & Remedia inde parata in *Morbis cutaneis*, nempe *Lue venerea*, *Scabie ferinâ*, inprimis autem *Leprâ* & *Ulceribus inveteratis*, primatum ducunt. Quin & *Decoctum Viper.* in *Sterilitate* laudatur. Sunt qui comedant *Gallos*, & *Gallinas*, quæ *Viperis* paſcuntur ad ſanitatem conſervandam. Porrò contra *Venena* vi alexipharmacâ ſunt uſitatiſſima. Itali *Serpentes vivos* conciſos cum Aquâ ebulliunt, & hauriunt pro uſu anti-Venereo ſudoriſero. Contra *Morſus Viperarum* laudatur Camphora in Petroleo ſoluta, vel *Bufo vivus* applicatus, vel Ferrum candens *Morſui* applicatum, quod venenum extrahit. Cæterum ex *Tuberculis* in Capite *Serpentis Indici* paratur *Lapis friabilis*, contra quæcunque Venena commendatus. *Hepar Serp.* in *Pulv.* à ℈ß ad ℥i. egregium eſt in *Dyſenteriâ malignâ.* Pinguedo Strumas incipientes optimè diſcutit, *Maculas* & *Rugas faciei* delet, & calidè Palpebris illita viſum acuit. *Exuviæ* ſponte depoſitæ commendantur contra *Icterum*, & *Urinam* pellunt. Externè Lumbis & Ventri circumligatæ *Partum* facilitant, antecedente prius Linimento ex Cancris, Lumbricis & Axung. q. ſ. *Pulveres Viperini* parantur non per calcinationem, ſed lentam phlegmatis in M.B. abſtractionem; qui tunc ſuo conſtant Sale vol. & ad ℈i. variè exhibentur.

Suis Pinguedo & *Lardum* temperata ſunt, emolliunt & reſolvunt. In *Odontalgiâ* dentes & gingivæ prius ligno acuto fricatæ, lardo commodè illinuntur. Aſſerunt & *Tuſſim inveteratam* curari inunctione plantarum pedum veſperi prope ignem cum *Linimento ex Axungia porcina* & *Allii capitibus.* *Stercus* quibuſcunque *Hæ-*

morrhagiis confert, internè cum Vino & Saccharo miſtum, externè parti admotum. Sunt qui aridum cum Succo Plantag. inſtar Cataplaſmatis adhibent. Quæ habet Author de *Veſicâ* , potius de *Vulvâ* intelligantur; Calcinata enim certum eſt levamen in *Incontinentiâ Urinæ*, in pulvere data.

T.

T*Alpæ Sanguis* papyro exceptus *Gangrænam* ſiſtit, ſi papyrus ſub uſu humectetur aqua, & imponatur. In *Eryſipelate Mammarum* & *Cancro* manus, in qua mortua eſt Talpa, impoſita ſingulare quid confert.

Taxi Adeps calidior & penetrantior eſt *Adipe ſuillo.*

V.

V*Iperæ Oleum* cum *Spiritu* ejuſdem *rectificato* dat Liquorem Alexipharmacum. Sal vol. & Spiritus parantur more conſueto in igne aperto in vas recipiens capax. In *Eſſentiis*, cum *acidis* paratis, deſtruitur Sal volat. In illis autem cum Spir. Vin. parum elicitur: adeoque ſufficit Spiritus cum Sale volatili.

Vituli Medulla ex oſſibus extracta, temporibus illita, *Agrypniam* arcet, præſertim in *Febribus malignis* & *Puerperarum Febribus*, ubi narcotica adhiberi non poſſunt. Idem iis, qui noctu meditabundi ſunt, conducit.

Unicornu terreſtre eſt non ens. Cornua enim illa vulgaria quæ habentur, ſunt nil aliud, quàm Dens ſuperioris maxillæ Piſcis cetacei Groenlandici. Hic *Dens* in *Epilepſia*, ab acido ortâ, multum confert. Verùm C. C. raſpatum eadem præſtat.

Urſi Pinguedo lumbis illita in *Herniâ* conducit: imò contra *Prolapſum ſinus pudoris* ſummum eſt levamen.

Vulpis lingua menſe Martio exſecta, exſiccata, & ſub uſu in Vino macerata, Vulnerique impoſita, omnia heterogenea extrahit. Quidam pro maximo ſecreto habent.

CLASSIS. II.

De Avibus.

A.

A*Vium* Excrementa reliquis animalium excrementis acria magis & nitroſa ſunt; perfectum enim Nitrum cryſtallinum efflorescit, ſi Aquæ immittuntur, idque inprimis in Stercore columbino.

Alaudæ caro urinam & calculum proritat.

Anatis ſanguis inter Alexipharmaca refertur.

Anſeris pinguedo præ reliquis penetrans eſt. Umbilico illita alvum contumaciſſimam ſolvit. Quia ſubtilis eſt, membra à frigore, & inde productis fiſſuris præſervat. *Membris paralyticis* illinitur Pinguedo defluens ex Anſere exenterato Plantis nervinis repleto, & aſſato. *Stercus* ad ℥i. contra *Icterum* egregium eſt; vi enim nitroſo-ſulphureâ multum laudatur, ſed melius erit, ſi Herbis veſcantur Anti-Ictericis. Imò in *Scorbuto deſperato* in Vino hauſtum ſæpè ſummum eſt remedium. Ob vim nitroſam in Hydrope etiam convenit. Stercus junioris Anſer. deſtill. dat *Aquam Ophthalmicam* egregiam.

C.

C*Iconia* tota Alexipharmaca eſt, quia Bufonibus, Ranis & Serpentibus veſcitur. Ex ſanguine paratur *Electuarium* mirificum contra *Venena*. Stercus *Podagræ* illitum egregium eſt. Ex Pelle fiunt tibialia pro curâ *Podagræ*, poſſet & *Sal vol.* pro uſu ſudorifero adhiberi.

Columbæ Sanguis Oculis inſtillatus grumeſcit, & malum exaſperat. Fimus nitroſus eſt, adeoque diureticus & antihydropicus. Ex illo toſto & in Vino mace-

rato extrahitur *Lixivium* ſummè diureticum. Vel cum *Sem. Aniſ.* & *Cort. Aurant.* in *Vino malv.* deſtillatum *Aquam anticolicam* egregiam ſuggerit. *Externè* propter Acrimoniam nitroſam inter Pſylotra refertur. Uſurpatur vel per ſe Aquâ humectatum, vel cum *Sem. Sinapi* tritum, & impoſitum in *Morbis chronicis.*

Coturnix Elleboro nigro veſcitur, adeoque ejus Excrementa ſunt antepilepticum haud contemnendum.

G.

GAllus vel *Gallina* integra, juxta podicem deplumata, *Tumoribus malignis* & *Morſibus venenatis* applicata, brevi moriuntur. Repetentur igitur donec nulli amplius moriantur, & res erit in vado. In *Phrenitide* graviore per medium diſſecta & cruenta capiti raſo cum fructu imponitur, ſed in quadrante horæ horrendum fœtet. *Sanguis* Galli deſtillatus ſuggerit *Spiritum* egregiè *Venereum*, & rectificando acquiritur *Spiritus urinoſus* optimus. Vana ſunt, quæ de *Tunicâ Ventriculi interiori* narrantur. *Guttur* Galli toſtum & pulveriſatum ad ʒi. *Incontinentiam Urinæ* juvat; quod cum *Erinaceo* combuſto, & *Vulvâ ſuillâ*, omnibus in illo Affectu palmam eripit. *Ovum* recens in vino ſumptum vires refocillat & nutrit. *Teſtæ*, ex quibus Pulli modò excluſi fuerunt, inprimis diureticæ ſunt. *Albumen ovi* habet temperatiſſimum Alcali volatile, unde *Vulnera oculorum* conſolidat. Plus autem nutrit *Vitellum*. Ad duritiem coctum & cum *Aceto roſaceo*, cumq; contusâ *Nuce moſch.* ſumptum contra *Diarrhæam* excellit. *Oleum* exinde paratur, quod purificandum, ſcil. liquefactum ſponte per linteum colando, poſtea in patellâ ſtanneâ, addito tantillo Ceræ, lavando cum Aquâ fontan. & agitando cum ſpatulâ ligneâ, ut Aqua eluat impuritates; dehinc exponendo Soli ad aliquot dies, ut fæces ſubſideant, & ſupernatet *Oleum*, quod contra *Ambuſta*, *fiſſuras* à Frigore, valet; & egregium eſt coſmeticum,

cum, ſi faciei illinatur poſt lotionem cum Aqua ſimpl.

H.

H*Irundinis* excrementa nitroſa (non autem Nidus) *Anginam* & *Inflammationem Tonſillarum* levant, vi enim nitroſâ ardorem compeſcunt & maturant.

O.

O*Loris* pellis Stomacho applicata *Colicam* levat, accedente per pellem fomentatione calidâ, quæ forſan magis agit & juvat, quàm reliquæ omnes pellis partes.

P.

P*Aſſeris* in coitu transfoſſi Cerebrum *Venerem* ſtimulare, & *Triglotites* aſſatus ab *Iſchuriâ* liberare dicitur, ſed operandi rationem nondum ſcimus.

Pavonis Stercus, habitâ ratione ſexûs, in Pulv. cum Vino *Epilepſiam* & *Vertiginem* curat atque præcavet, expectando ſudorem, ſed ſæpius in uſum trahendum.

V.

V*Ultur* cum Maſtiche toſtus & pulveriſatus, *Hæmorrhagiam uterinam*, & *Dyſenteriam* deſperatam curare creditur, ſi ſæpius cum Lacte amygdalino ad ʒß. aſſumatur.

CLAS. III.

De Piſcibus.

A.

A*Nguillæ Pinguedo* defluens dum aſſatur, & foliis Lauri excepta, Auribus tepidè inſtillatur pro reſtituendo *Auditu*. Ejus *Hepar* perforatum, blando Igne exſiccatum unâ cum felle, egregium eſt ad ʒß. datum, in *Partu difficili*. In *Prolapſu ſinûs pudoris*, ſuffitus ex *Cute Anguillæ* eleganter inſtituitur.

Barba

B.

B*Arba* cautè comedenda eſt, ne *Choleram* morbum excitet.

C.

C*Ancrorum Succus expreſſus* in *Delirio* & *Cephalalgiâ* graviore feliciter fronti applicatur cum Opio & Croco. *Lapilli* ſunt Liquor lacteus, qui menſe Julio, dum ægrotant Cancri, concreſcit in ſubſtantiam lapideam ſuper Stomachum ſitam; reperiuntur hi lapilli quando Cruſtam mutant, & hinc ejuſdem naturæ ſunt & ſubſtantiæ cum Cruſtâ ſeu Putamine eorum, quod illis ſubſtitui poteſt. Et *Teſta & Lapilli* turgent Sale vol. alcalino, minùs tamen acri, quod beneficio acidi occulti indureſcit, hinc affuſo Vino vel Aceto efferveſcunt propter luctum acidi & alcali interni. Cæterùm acidum maximè deſtruunt, adeoque in *Sodâ* ab efferveſcentia acidâ, *Torminibus*, *Pleuritide*, *Angina*, *Caſu* & *Inflammationibus* internis, acidum coagulans per ſudorem & urinam expellunt. In *Quartanis*, ubi nimium frigus excedit, præmiſſo *Vomitu*, hi cum *Saccharo Saturni*, curam perficiunt. Inſigniter etiam diuretici ſunt, inprimis ſi cum *Sale vol. Succin.* vel *Vino* vel *Aceto* propinati, unde in *Stranguriâ*, *Calculo &c.* præſervativum ſunt & curativum. Mirè etiam pro uſu Vulnerario in *Febribus* poſt *Vulnera* conveniunt. Licet enim vinum *Vulneribus* & *Inflammationibus* noceat, Lapilli tamen adjuncti ejus acidum deſtruunt; imò & bibacibus Arthriticis optimè ſuccurrunt acidum Vini per diureſin evacuando. In *Gonorrhæa* item & *Ulceribus Renum* aut *Veſicæ*, cum Vino ſacra ſunt anchora.

Carpionis fel gaudet alcali temperato, unde præ omnibus acidum Eryſipelatis deſtruit. Lapilli conveniunt cum *Lap. Cancr.*

Conchæ omnes vi febrifugâ & diureticâ conveniunt, quatenus acidum deſtruunt. *Margaritiferæ* conſtant Sale

vol.

vol. magis digeſto, & cum *Perlis* conveniunt; de quibus in *Regno Minerali*. *Oſtreæ* turgent ſucco alcalino, qui in *Atrophiâ, Phthiſi, Lue Venerea,&c.* convenit. Ex *Margaritiferis* paratur *Specif. antifeb. Strobelb.* non tamen ſolum, nec ſine aliis præmiſſis uſurpandum, aliàs duplicatur *Febris*.

H.

H*Alecum* muria in *Hydrope* egregium eſt Clyſma, & externè ulceroſas partes eluit.

Huſonis Gluten, *Ichthiocolla* dictum, Gelatina eſt conſolidans.

L.

L*Ucii fel* Oculis ſuccurrit, nam fella piſcium minùs acria ſunt, quàm illa *Perdicis, Bovis, Hominis, &c.* Hoc *Fel* gaudet Sale vol. penetrante, adeoque attenuat, & reſolvit. Hæc tamen habet incommoda, 1. quod nimis viſcidum ſit & oculis adhæreat. 2. Quod acrimoniam habeat, quæ temperari debet Aquâ ſperm. Ranar. *Mandibulæ* ad ʒi. in *Pleuritide* acidum abſorbent & grumos diſſolvunt. Pinguedo pedum plantis illita *Agrypniam* curat. Paratur ex Felle Aqua, quæ tutius inſtillatur Oculis quàm ipſum Fel, vel cum Spir. Vini fit Eſſentia in *Oculorum Affectibus* egregia.

M.

M*Uſtelæ* infœcundæ Epar, in Vitro probe clauſo Soli expoſitum, reſolvitur in *Liquorem oleaginoſum* penetrantiſſimum, qui vel Palpebris vel ubi fortius agendum ipſis Oculis illitus, in *Viſûs hebetudine, Suffuſionibus, &c.* ſingulare eſt ſpecificum.

P.

P*Erca* lapidem ſuggerit in Capite & Spinâ dorſi, præ cæteris diureticum, facilius ſolubilem quàm *Oc. Cancr.* quique in *Dyſuriis* ab uſu Acetorum acidum melius deſtruit.

R.

RAnæ in *Peſte Carbunculis* ſub axillis infeſta ſingulare ſunt remedium, præferuntur, quæ in Aquis puris degunt. *Sperma Ranarum* nil aliud eſt, quàm Ova mucilagine aqueâ involuta. Pro uſu itaque Medico ova eximantur. Applicatur hoc Sperma cum Acet. roſ. Pubi aut Lumbis contra nimium Menſium fluxum. Quin & in *Ambuſtis*, *Ophthalmiis*, *Ulceribus inflammatis*, *cancroſis*, *&c.* æſtum & calorem coërcet. Deſtillatur *Aqua ex Ranis* per 3. dies in Aquâ putreſcentibus, quæ internè ad ℥ij. in *Hæmorrhagia Uteri*, *Fluore albo* & *Gonorrhæâ* admodum conducit. Quin & ex *Spermate* in M. B. vel V. B. lento igne deſtillatur Aqua. Sed colligendum eſt Menſe Aprili, cavendo novilunia, alioquin Aqua fœtebit.

S.

SEpiæ os ad ℈ij. in Pulv. vel Emulſionibus in *Gonorrhæâ* ſpecificè convenit.

T.

THymalli Axungia, in vitro clauſo ſoli expoſita, dat Liquorem oleoſum, qui foveas *Variolarum* ſingulariter delet, & Vulnera citra cicatricem conſolidat.

Tinca applicatur plantis Pedum, vel Hepati contra *Icterum*.

CLAS. IV.

De Inſectis.

Inſecta Aquatilia temperatiſſimum habent Sal volatile, Terreſtria verò Sal acre Oleo nonnihil temperatum.

A.

APes calcinatæ contra Alopeciam laudantur. Materia *Mellis* colligitur per linguam, & ſub lingua in veſicula quadam parva ſeponitur, quam tandem per fermentationem maturatam evo-

evomunt Apes. *Cera* viſcidior eſt ſubſtantia, non in corpore ſed ad pedes ultimos ſecreta. *Mel* continet extractum Roris, qui reſinam ex floribus exhalantem coercet, ratione cujus *Mel* Spiritu univerſali turgent, Metalla enim nobiliſſima diſſolvit, à putredine præſervat, & vim vitalem mirificè ſuggerit. Gaudet acido & alcali. Deſtillatum vel fermentatum ſuggerit acidum; imò inſtar Muſti fermentatum dat potum vinoſum, ſenibus optimè convenientem. Facilè in ſtomacho fermentationem ſubit, adeoque *Febricitantibus*, *Hypochondriacis* & *Hyſtericis* non convenit. Sed propter vim balſamicam Pectori, Pulmonibus, & Renibus ſuccurrit. Ut *Spiritus mellis* habeatur optimus, priùs ad tempus putreſcat Mel. *Spiritus* hic *acidulus* cum phlegmate circulatus dat *Menſtruum* ſingularium virium, quia in eo latet Sal Roris. *Oleum mellis* externè *Ulcera* mundificat. *Oleum* ejus compoſ. Num. 2. nil valet. *Cera* ſubjectum eſt reſinoſum, quod in ipsâ Aquâ forti adduratur magis, quàm liquefit. Cum Oſſium calcinat. p. ii. miſta, & deſtillata dat *Oleum naturæ alcalinæ*, quia Oſſa retinent acidum Ceræ, quod ad gut. iv. internè diureticum eſt, & Uteri Procidentiam præcavet. Externè attenuat *Tumores frigidos*, lenit nephriticos Affectus, & cum *Oleo ovorum* valet contra *Ambuſta*, & læſiones ab Aquâ fervente.

Araneæ in vaſe concluſæ, ſe mutuis puncturis interficiunt, & poſt mutantur in liquorem fœtidum, qui deſtillatus dat Spiritum urinoſum & Sal vol. Pulveriſatæ *Febres intermittentes* pellere dicuntur, ut & externè *Oleum Aran. major.* pulſibus applicatum.

Aſelli inter fiſſuras murorum antiquorum collecti, Sale nitroſo vol. ſcatent, ſuntque inſigniter diuretici contra *Calculum*. Mucum etiam acidum viſcidum reſolvunt in *Aſthmate*. Contra *Arthritidem vagam*, *Dolores ſcorbuticos* & inprimis in *Morbis convulſivis*, adhiben-

hibentur. Externè infuſi in Oleo Lini dant *Oleum anodynum* , ſpecificum contra *Dolorem hæmorrhoidum*. Quidam cum Vino vel Spiritu Salis & Vitrioli, imprægnant & exſiccant, ſed hæc volatilitatem ejus abſorbent. In *Ulceribus inveteratis* Aſelli miram vim habent.

C.

C*Antharides* turgent Sale vol. acerrimo, & colliquefaciendo acrimoniâ ſuâ ſuccum corporis, *veſicas* excitant, imò & internè quandoque *Ardorem urinæ* & *mictum cruentum*. Abjiciuntur pedes & capita, ut inutilia. Vulgo pulvis Canthar. cum fermento acri & aceto applicatur; ſed hic modus non procedit, niſi ubi mitius agendum, quia acida caſtrant vim veſicantem. Elegantius inſpergitur pulvis Emplaſtro ex Terebinthinâ cum Cera liquefacta. In Infantibus adhibetur *Emplaſtrum citrinum*. Cæterùm & internè laudantur contra *Suppreſſionem Urinæ*, & *Gonorrhœam virulentam*; ad pellendas Aquas in *Hydrope* & promovendum *Calculum*. Scilicet ʒi. pulv. Canth. infund. Vin. Rhen. ℥iv. in loco tepido per aliquot dies. Deinde Colaturæ cochlear. viii. cum Cantharo vini miſcentur, ita ut Cochl. i. ſufficiat (aſcendendo tamen in doſi) ad pellendam Urinam.

F.

F*Ormicæ* naturales optimæ ſunt, quæ circa reſinoſas Arbores & Betulas colliguntur menſe Julio, Lunâ creſcente, hæ enim ſpirant odorem acidum. Generantur etiam *artificiales*, *Alatæ* dictæ ex fermentatione Mellis cum Pane ſecalino. Colliguntur *naturales* in Cucurbita, in cujus fundum fruſtum caſei, quod illos alliciat, repoſitum ſit. Deſtillatæ cum Sp. Vini aromatico dant *Spiritum*, qui externè auribus in *Difficili auditu* & *Tinnitu ſuccurrit*; uti & ova Formicarum, quæ aliàs intus ad ʒi. ſumpta ructus & flatus excitant. Pro *Iſchiadicis*, *Arthriticis*, *Paralyticis*, imò & contra *Sterilitatem*,

tatem, Balneum ex acervo Formicarum multum confert. Infunduntur Formicæ in *Oleo*, quod Penis radici, Scroto, & Teſtibus illitum armat in Venerem; præfertur tamen Spiritus. Cæterùm ſi Formicæ per ſe deſtillentur, dant Spiritum acidiſſimum, qui Martem rodit, & odore ſuo corpus mirè reſtaurat. Si putreſcant ante deſtillationem, dant Spiritum urinoſum & Sal vol. elegantiſſimum. Quin & cum Calce viva, affusâ Aquâ, reſolutæ dant Spiritum urinoſum, quia aciditas omnis à Calce viva abſorpta eſt. Hic Spiritus urinoſus Sale vol. acuatus egregium eſt diureticum in *Scorbuto* ac *Hydrope*; & externè in *Malo iſchiadico*, *Doloribus artuum vagis* & *ſcorbuticis*, imò in *Paralyſi* & *Tremore* omnino præferendus eſt. Spiritus acidus cum Sp. Vini deſtillatus analepticum eſt egregium, præprimis in *Catarrhis ſuffocativis*. *Memoriam* dein & omnes Senſus roborat, magnanimos reddit, & Venerem ſtimulat.

H.

H*Irudo* applicatur Temporibus, Pedibus, Brachiis, pro evacuatione ſanguinis lentâ; Podici in *Hæmorrhoidibus*, & Vulvæ in Menſium oppreſſione. Servatur in Aqua cum Saccharo, ut nutriatur & purificetur. Si pertinaciter nimis loco adhæreat, inſperſo ſale decidit.

L.

L*Acertæ* quadrupedes ſunt, non *Inſecta*. In aceto macerantur, ut corrigatur earum malignitas; deinde exſiccatæ propinantur ad ʒß. cum Melle in forma Electuarii pro *Strumis* curandis. Oleum optimè paratur infundendo in Oleo comm. in loco tepido; quo inunguntur loca Hernioſa.

Lumbrici, qui annulos habent flaveſcentes circa collum, meliores ſunt. In Affectibus chronicis conducunt; inprimis exiſtunt diuretici & diaphoretici. In *Ictero*, *Scorbuto* & *Arthritide vagâ* ſunt adhuc celebres. In

genere in *Morbis chronicis* & *Hydropicis* idem præſtant, quod vegetabilia amara; infuſi ſcil. vel cocti cum herbis aperientibus. *Externè* contuſi & applicati *Dolores arthriticos* & *ſcorbuticos*, nec non *Panaritium* vi anodynâ egregiè tollunt. In *Punctura nervorum*, & *Vulneribus articulorum* Oleum per infuſ. cum Oleo communi paratum, conducit. Liquor per Solem deſtillatus & probè filtratus inſpiſſetur ad tertias, & in loco frigido poſitus, Cryſtallos generat inflammabiles inſtar Nitri. *Liquor* verò Authoris illitus Symptomata convulſiva præcavet. Toſtio nil valet quia ſub eâ Sal volatile avolat. Deſtillantur per ſe, non autem cum Spiritu Vini, ne virtus in fundo remaneat. Scilicet in vitro capaci, ne diſrumpatur, Soli exponuntur, & Liquor filtratus atq; deſtillatus dat Spiritum urinoſum cum copioſo Sale vol. cujus doſ. à ℈ß. ad ℈i. pro Diuretico & Sudorifero, qui & externè in Doloribus majora præſtat quàm Spiritus Salis ammoniaci, *&c.* Caput mortuum in prata projectum Lumbricos generabit. *Eſſentia* parata ex vegetabilibus artheticis cum Spiritus Lumbric. p. i. & Spiritus C.C. ſucinati p. ii. egregia eſt in *Arthritide vaga*.

P.

P*Ediculi* 4. vel 5. Peni immiſſi urinam proritant.

S.

S*Carabæorum cornutorum* Cornua in Pulv. *Partum difficilem* levant. Illorum Oleum per infuſ. auribus contra Dolores inſtillatur; pulſibus verò illitum Febrem producit. *Scarabæi pilularii* Oleo Lini infuſi & cocti, dant Oleum ſingulariſſimum anodynum in *Doloribus aurium* & *Hæmorrhoidibus cæcis*. *Unctuoſi* gaudent alcali vol. acri, quod Tartarum ſalinum in Nephriticis & Podagricis per urinam evacuat. Paratur inde remedium Anti-tartareum hoc modo. Scilicet Scarabæi unctuoſi, menſe Majo abſque manuum attactu collecti, ſuffocantur

tur in Spir. Vini deinde exſiccantur, & ex eorum medio eximitur liquidum viſcoſum, quod cum ipſo corpore pulveriſato formatur in *Balſamum.* Deinde ℞. *Hujus Balſami* ʒi. *Olei Aniſ. & Caryoph. an. gut. iii. f. Pill.* Propinentur gr. ii. in *Aqua Fl. Sambuci* mane jejuno Stomacho; ſequetur Stranguria per tres dies durans, ſin minus, repetatur ſecundo die, & optatum habebis eventum in curando *Calculo.*

Scorpius ad gr. 1. Venerem ſtimulat. Oleum ejus per infuſ. gaudet acrimoniâ vol. & pubi vel lumbis illitum egregium eſt Diureticum in Suppreſſione urinæ. In Dolore quoq; aurium anodynum eſt. Item pro uſu Anti-peſtilentiali pulſibus & membris illinitur.

Schröderus dilucidatus.

Sect. III.

De Regno minerali.

Mineralium principia ſunt *Sulphur, Mercurius & Sal*, i. e. *ſubſtantia pinguis*, *ſubſtantia humida radicalis*, & *terra fixa*. Quorum varia combinatio ratione variæ fixitatis differentiam Mineralium & Metallorum conſtituit. Fuſius tractatur hæc materia ſub titulo, *De Metallis* in genere, tam in *Collegio Chymico*, quàm in hac ipſa *Schröd. dilucidati* Sectione.

CAP. I.

De Terris.

TERRÆ *medicatæ* conſtant terrâ alcalinâ, fumis ſulphureis volatilibus imprægnatâ; ſunt enim rudimenta metallica, quæ propter defectum Mercurii non potuerunt compingi. Hæ *Terræ* imbibunt humiditates & aciditates, adſtringunt etiam & ſudorem movent. Sed & ſpecificas virtutes habent pro ratione Sulphuris metallici, de quo participant. Sic *Terræ ſolares alexipharmacæ* ſunt; *Martiales anticachecticæ,&c.* Præparantur vulgo *Terræ*, 1. *Lotione*, quæ purum ab impuro ſecernit. 2. *Præcipitatione*, quæ nil valet, ſaturantur

tur enim Terræ ab acido, & remanet Calx viva nullarum virium. 3. *Deſtillatione*, ubi phlegma dant acidulum.

Terra Melitea candida commendatur à vi alexipharmacâ.

Terræ ſigillatæ Germanicæ gaudent Sulphure ſolari. Unde contra *Venena* & in *Variolis*, inprimis ſi adſit *Alvi fluxus*, valent. Cæterùm pro uſu adſtrictorio exhibentur cum Acet. deſtill. vel Spiritu Nitri; ſic enim aluminoſæ evadunt. Per ſe ſuggerunt *Spiritum acidum* in *Febribus malignis* uſurpatum. Si imbibantur Spiritu Nitri vel Vitrioli, deinde exſiccentur, terantur ſuper marmore, & in loco frigido in ſacculo ponantur, liqueſcunt in *Liquorem* vel *Aurum potabile*, cujus gut. xii. vel xx. in *Fluxibus malignis* egregiè adſtringunt.

Bolus communis de *Marte* participat & *Sole* ſimul; unde egregiè adſtringit, vitioſas cruditates abſorbet, & maxime ſudorifera eſt. In *Sputo ſanguinis* laudatur. Externè fronti admota cum Aceto deſtill. *Fluxum narium* compeſcit. Ingreditur etiam non ſine ratione Emplaſtra ſtyptica.

Creta participat de *Saturno*, unde adſtringit & aciditates edulcorat. Si Spiritu Sulphuris imbibatur, fit perfectum *Alumen*. A ℈ß ad ℈i. *Sodam* in momento compeſcit. Cum Lacte caprillo ſumpta *Lumbricis* reſiſtit. Externè imbibit aciditatem *Ulcerum* & *Vulnerum* maximè nocivam.

Terra Japonica eſt compoſitum artificiale ex *Glycirrhiza*, *Sang. draconis &c.* corrigit Lympham acidam.

Marga Saxorum ſubſtantia eſt tenera, parum de *Sulphure* participans. Dicitur & *Lac Lunæ*. *Sanguinis grumos* ad ℈ß. potenter reſolvit, *Incontinentiam urinæ* corrigit, & acidum vitioſum abſorbendo *Lac* multiplicat. Externè inſperſa acidum *Ulcerum* & *Vulnerum* abſumit. Mirum quantum promovet conſolidationem *Ulcerum tibialium*.

Ochra de *Venere* & *Marte* participat. Raròuſurpatur, & non niſi externè. *Rubrica Marte* turget, adeoque adſtringit & aperit; externè nimis fluentem ſanguinem ſiſtit, & *Ulcera* conſolidat. Si ſolvatur in Spiritu Salis, extrahetur totum concretum Martiale, remanente Limo.

Tripolis ſpecies eſt *Ochræ*, ſed principiis *Martis* vacua, adeoque nil valet.

CAP. II.

De Aquis.

OMnes *Aquæ* oriuntur à Mari; imbibuntur nempe à Terrâ, tanquam ſpongiâ; & cùm Terra intus caleat, evaporat Aqua relicto Sale, unde dulcis evadit. In *fontium* autem origine reperitur Limus viſcoſus, in quo concentrantur hi fumi, ubi dehinc in Guttulas abeunt, & è Guttulis tandem fiunt Aquæ manantes. Illi fontes, qui per loca ſaxea manant, meliores ſunt, quia Aquæ turgent Nitro. *Aqua ſtagnans* peſſima eſt.

Aquæ aëreæ ſunt *Pluvia*, *Nix & Ros*. Generantur ex effluviis terræ, & ſingulariter agros fœcundant. Optima eſt pluvia, quæ menſe *Martio*, *Aprili* & *Majo* cadit; eaque, quod mirum, adeo *Balſamica* eſt, ut non putrefiat. *Aqua tonitrualis* ſemper habet aliquid teporis, quia *Sulphure* conſtat; cùm *Tonitru* nil ſit niſi *Sulphur* & *Nitrum* accenſa: inſpiſſata autem ac deſtillata dat *Spiritum*, *Sal vol. oleoſum*, & *Sal fixum* in Capite mortuo.

Nix fœcundat campos; in receſſu habet *Sal* ſingulare, unde ſuggerit *Tincturam*, Corallia ſolventem. Inſpiſſata dat *Oleum pingue*, unde ad ℥i. purgat & Urinam movet.

Ros digeſtus & deſtillatus ſuggerit *Spiritum vol. ſtriatum* empyreumaticum; & magma relictum attractâ

aurà

aurâ ſponte turgeſcit, & ſuggerit *Nitrum* penetrans, ratione cujus Ros vegetabilia fœcundat. Habet & *Ros Sulphur*, unde *Balſamicus* eſt, & multum habet in receſſu. *Sal* hoc *nitroſum*, cum *Terrâ* concentratum & fermentatum, occultum eſt omnium nutrimentum. Si in vehiculo ſe abſcondat, dicitur *Nitrum*; nam ex *Terrâ* Nitri exhauſtâ, & aëri expoſitâ, ope *Salis* hujus *aërei* & *univerſalis* fit novum *Nitrum*. Ratione illius *Salis ſulphurei* in *Rore*, multa exinde parantur *Menſtrua* egregia, beneficio *Nivis*, pro extrahendis & ſolvendis corporibus durioribus.

Acidulæ nil aliud ſunt, quàm ſolutio *Vitrioli Martis*, *Mars* enim à *Spiritu Sulphuris* ſolutus *Terram Virgineam* imprægnat, hæc autem Terra ſolvitur ab Aquâ. Malè probantur *Acidulæ* per *deſtillationem* & *evaporationem*, ſic enim volatilis ſubſtantia evaneſcit, & ea quæ remanet mediante Igne alteratur. Si autem de *Sale* participent, evaporatione perquam commodè dignoſcitur. Optimè probantur per *Præcipitationem* cum *decocto Gallarum*, nam ſi de *Marte* participent, nigreſcunt: affusâ Aquâ ſalsâ, ſi aliquid *Nitri* habeant, turbantur & lacteſcunt. Nullatenus autem metuendum eſt, ne *Vitriolum Martis* de *Venere* participet, quia acidum ſulphureum lubentius aggreditur *Mars* quàm *Venus*, adeoque incompatibilia ſunt: unde fit, quod *Acidulæ* (niſi exceſſivè ſumptæ) vomitum non excitent. Patet itaque hinc, Acidularum vim conſiſtere in Spiritu Sulphuris volat. acido & Marte corroſo; quamobrem mucum primarum viarum reſolvunt, urinam movent, ſanguinem purificant, & quæcunque ſalia acida vitioſa abſorbent, atq; in nigris fæcibus deponunt. Cavendum autem, ne *Hydropici*, *Phthiſici*, & qui ſtomachum habent debilem, illas potent. Sed & videndum, ut gradatim hauriantur aſcendendo ſub initium, & ſub finem deſcendendo in doſi, corpus interea movendo,

ſed ſudorem avertendo, & alvum, ubi opus, laxam ſervando beneficio Clyſmatum, ne fortè pedes intumeſcant. Ante uſum præmittatur *Venæſectio*, & inprimis *lenis Purgatio*, ut facilitetur operatio & tranſitus Acidularum. Hauriri debent in ipſo loco natali, ſi enim ad tempus in lagenis ſtent, acidum Martem in totum diſſolvit, & in forma præcipitati dejicit. Parantur quoque *Acidulæ artificiales*, ſed *Acidum artificiale* non adeo penetrans eſt, ac *Sulphur* illud *embryonatum naturale* in Venis Terræ.

Thermæ conſtant ex *Minerâ Nitri*, *Sulphure embryonato* (i. e. imperfecto) impraegnatâ. Uſurpantur externè pro *Paralyſi Artuum*, *Tremoribus diuturnis*, *Hemiplexiis*, *Affectibus cutaneis* & *Sterilitate* à vitio uteri, præmittendo tamen aut *Acidulas* (in Morbis chronicis) aut blanda *Diaphoretica antimonialia*, vel *lene Purgans*; alioquin *Febreos* inſtat periculum. *Arthriticis* autem, *Podagricis* & *Iſchiadicis* ſubinde nocent. *Internè* cum impetu purgant, quod periculoſum eſt, nam *Nitrum* & *Sulphur* ſubſtantiam lapideam ſecum vehunt, cujus particulæ affiguntur lateribus in Stomacho. Parantur *artificiales Thermæ* ex *Calce vivâ*, quæ *Minera* eſt *Nitroſa* (non autem è Nitro ipſo) cum ſ. q. *Sulphuris* & *Aquæ*. Sic enim efferveſcunt, & ſub ebullitione diſſolvitur *Sulphur*.

CAP. III.

De Lapidibus, Gemmis, Coralliis, Margaritis, & illis, qui minùs pretioſi ſunt.

IN *Lapidibus* dominatur *Principium perreo ſalinum*, *Sulphure* ſaturatum, cum minima *Mercurii* quantitate. Sunt autem in triplici differentia. 1. *Facilè funduntur* in Igne & vitrificantur; hi *alcali* abundant.

2. *Non*

2. *Non funduntur*, ſed ſuggerunt Calcem vivam; in his *alcali* eſt ſufficienter Sulphure imprægnatum, unde *Calx viva* conſtat Terrâ mortuâ, & Sulphure acido, alcali coërcente ne fluat. 3. Sunt qui neque *funduntur*, neque *calcinantur*, ſed ſi probè candefacta extinguantur in Aquâ, tandem pulveriſari poſſunt. Hi, v. g. *Amiantus*, *Silices &c.* occultum habent acidum, quod tamen non ſufficit toti corpori fundendo. *Lapides* conſtare ex aquâ veriſſimum eſt, iſta enim ſi clara eſt, dat *Gemmas*, ſi Terreis particulis admiſta fuerit, dat *Corpus opacum*. Sic *Adamas* & *Cryſtallus* non differunt inter ſe, neque à glacie, niſi duritie. Et beneficio *Olei Sulphuris* cum *Oleo Lini* parati, fieri poteſt *Tinctura Cryſtallorum*. Quacunque ratione calcinentur *Lapides*, (ſive ſiccè adjecto corpore ſalino, ſive humidè per Spiritum Salis comp. &c.) mutationem naturalis texturæ ſubeunt. Salia lapidum ſunt tantùm concretum novum ex menſtruo acido & corpore corroſo. Volatiliſatio inſulſus labor eſt.

Gemmarum Color & Vis amuletica in *Collegio Chymico* noſtro tractantur.

Corallia nutrimentum capiunt à *Succo lacteo* & *aqueo*, qui ſuper Aquam induratur, & fit naturæ mineralis ex Acido ſulphureo & Sale aqueo urinoſo. *Corallia calcinata* dant *Calcem vivam*, quæ cum aquâ efferveſcit, ita tamen, ut prædominetur *alcali*, & præcipitetur *acidum*. Per ſe deſtillata per Retortam dant *Phlegma acidum*. Notum eſt, quod *Corallia* deſtruant *acidum* in primis viis, adeoque in *Ructibus hypochondriacis*, *Dyſenteria*, *Torminibus*, *Affectibus chronicis*, in *Hæmorrhagia* cum *Aceto*, in *Soda* cum *Laudano opiato*, in *Gonorrhæa Virorum* rubrâ, atque *Mulierum* albâ, ſunt decantatiſſima. In calcinatione ſicca, quæ nil valet, acidum Lignorum vel Carbonum, illorum pondus auget, & Sulphur tingens adeo occultatur, ut mutetur *Color*.

Sal Corallorum ex Capite mortuo nihil eſt, quia à Sulphure non poteſt ſeparari. Corallia fervida *Aceto deſtillato* extincta, in novum corpus Salini-forme concreſcunt, quod facilè in loco frigido reſolvitur, & ad guttas xxv. in ℔. i. potûs ordinarii in *Febribus* multum præſtat. Quævis acida ſolvunt *Corallia*. Aſt *Spiritus Viridis æris*, *Spiritus Panis*, *Spiritus Roris*, *Spiritus Nivis*, non tam ſolvunt, quàm extrahunt illorum *Sulphur*. *Pulvis Corallorum vitriolatus* aluminoſum quid eſt, & pro ſcopo adſtrictorio in uſu. *Sal dulce Corallorum* habet aliquid in receſſu propter Rorem majalem. Ex Coralliis in Succo Citri ſolutis & inſpiſſatis fit *Tinctura rubicunda* cum Spiritu Saſſafras. *Magiſterium* ex ſolutione cum Succ. Citri eſt quidem cujuſdam uſus; illa autem per ſolutionem in acido & præcipitationem cum alcali nil valent. *Spiritus Viridis æris* ſolvit *Corallia*, ita tamen ut denuo abſtrahatur cum ſua aciditate *Tinctura*. *Tincturæ Corallorum* vulgares nil valent; vera enim *Tinctura* fit extrahendo principium ſulphureum beneficio Salis aërei ex Spiritu Roris vel Nivis. Spiritus quoque Panis idem præſtat; ſed melius eſt *Menſtruum* ex Farinæ triticeæ part. 4. Fermenti p. 1. in Clibano toſtis & deſtillatis. Fit quoque *Tinctura* vera cum Sale Tartari volatiliſato. Tinctura *Hartmanni* eſt Extractum Salis Corallor. Tinctura *Holſatica* non contemnenda eſt, ſi omnes adhibeantur encheireſes. Nec *Tincturæ* cum *Oleo veget. arom.* negligendæ ſunt. Ex Floribus cum Sale ammoniaco elevatis non abſonum eſt, fieri poſſe *Tincturam*. *Oleum Corallorum ſuccinatum* non eſt genuinum.

Margaritæ ſunt primo exortu animale quid, ſed tandem in naturam mineralem degenerant. *Calcinatæ* enim relinquunt *Calcem vivam*, in aquâ efferveſcentem. Concreſcunt originaliter ex liquore lacteo aqueſcente ſalino, in quo præponderat alcali temperatiſſimum, quo ipſo in conſiſtentiam duram coagulatur. Ipſe hic Liquor

quor ſeu ſubſtantia mollis ſupremum eſt remedium pro *Tabidis*, *Phthiſicis*, *Febrientibus*, *&c.* Hinc tentant Spagyrici Perlas in *ſuccum primigenium* reducere. *Perlæ* igne aperto deſtillatæ dant *Sal*, ſed admodum pretioſum. Commune autem earum eſt novum compoſitum ex acido ſolvente & Perlis deſtructis. *Magiſteria*, *Eſſentiæ*, & *Tincturæ* nil valent. Optimè præparatur reducendo ad ſuccum primigenium, beneficio *Menſtrui* ex *Rore*, *Nive*, vel *Aëre* parati.

Ætites Partum facilitare dicitur, ad ℥i. in Aquâ appropriatâ datus. In medio continet ſubſtantiam lapideam, & quandoque Terram argillaceam, contra *Peſtem* commendatam.

Alabaſtrites ingreditur *Unguentũ de Alabaſtro*, quo illinuntur Tempora & Frons in *Agrypniis* & contra *Dolorem capitis* à contuſione. Cum lacte hauritur contra *Dyſenteriam*, nec inconvenienter, quia acidum deſtruit.

Amiantus ab *Alumine ſciſſili* differt; nam nec menſtruis nec igni cedit, & cuti applicatus non urit. Ejus Pulvis ad ℈i. in Vino vel Spiritu Vini in *Fluxu albo* convenit. *Linimenthum de Amiantho* contra *Tineam* Puerorum & *Ulcera inveterata manantia*, euporiſton eſt certum.

Lapis armenus & *Lazuli* pertinent ad *Marmora*, ſed participant de *Venere*, prior quidem de ſolâ, poſterior autem unâ cum corpore *Solis*; nam cum *Mercurio vivo* miſtus ſuggerit *Sulphur Solis* animatum. Attactu acidorum degenerat in *Vitriolum venereum*, unde purgat infra & ſupra. *Cæruleus color*, *Lapidis Lazuli* procedit à *Venere*, ſine *Luna*, adeoque malè pro *Affectibus capitis* commendatur. *Tincturæ* cæruleæ ex ejus Venere ſolùm extrahuntur, & ubi cum Sale ammoniaco parantur, Sal ammoniacum plus facit quàm *Lapis Lazuli*. Ex *Floribus* quidem cum Sale ammoniaco ſublimatis facilè poteſt præparari *Tinctura*. *Magiſterium* cum Acet. deſtil.

deſtill. nil aliud eſt quàm Venus. Interim hic Lapis vix calcinari poteſt; ſed lotus & pulveriſatus à ʒß. ad ʒi. propinatur pro ſcopo purgandi.

Lapis calcarius conficitur ex lapide ſulphureo *Calcis vivæ*, in quo luxuriat *Sulphur*, quod alcali ſaturavit. *Sal* non poteſt elici, propter pinguedinem ſulphuream. *Calx viva* non niſi externè pro uſu cauſtico uſurpatur. In uſu medico eſt *Calx* illa *mortua*, quæ ſubſidet, ſupernatante acido & alcali cum ſubtili pinguedine inſtar *Cremoris*. Eſt maximum abſorbens acidorum in *Ulceribus antiquis*, vel *venereis*, contra *Ambuſta*, & pro ſcopo Cicatricem inducendi. In *Lixivio* ſupernatante, ſive Aquâ Calcis vivæ, præponderat *Alcali* inter alia principia ſalina, unde in *Inflammatione*, *Ardore Ulcerum* vel *Vulnerum*, & in *Gangrænâ*, externè nil melius. Paratur exinde cum *Mercurio dulci* & *Spiritu Vini Aqua Phagedænica*, in *Sphacelo* ultimum refugium. *Scabies* item & *Ulcera verminoſa* ſeu *putrida* curantur externè beneficio *Aquæ Calcis vivæ*. Ubi tantillum *Sulphuris* cum *Calce viva* in *Oleo Lini* ſubigitur in mortario ſaturnino, fit *Linimentum* egregium contra *Ambuſta*. In dictâ *Aquâ Calcis vivæ* ſupernatat *Cremor*, qui alcali eſt temperatum à Sulphure, optimum in *Ulceribus cancroſis*. Si cum *Aqua Calcis vivæ* jungatur *Oleum Roſarum*, fiet coagulum butyroſum ſeu *Sapo*, remedium in *Ambuſtionibus* præſtantiſſimum, quodque Veſicas certò præcavet; & præterea in *Vulneribus ſclopetariis*, ubi empyreuma ſulphureum remanſit, egregiè putredinem arcet. Quin & Aqua phagedænica ſequens ibidem prodeſt. Sc. ℞. *Aquæ comm.* ℔. *xx. Calcis vivæ*, ℔. *iv. Arſenici* (quod virulentiam alcali in Calce viva corrigit non ſecus ac Nitrum fixum) ℥ij. *Ubi probè ebullierint, adde Mercurii dulcis* ʒij. *Quæ ſi probè fuerint agitata, Calx viva ſubſidet, & clarum ſucceſſivè ſeparatur. Huic liquori adde Spir. Vini* ℥v. Et hoc optimum eſt remedium

dium in *Gangrænâ*, *Sphacelo*, & in *Arthritide* ſub formâ lotionis. Sunt qui *Tophos Podagræ* ſequenti *Gelatinâ* reſolvere conantur. ℞ *Calcem vivam fervidam ex furno, cum Spir. Vini alcoholiſato ſuper Sal Tartari, & Igne forti deſtilla, ſic prodit Spiritus urinoſus, qui accenſus relinquit Gelatinam inſtar Cremoris.* Internè *Aqua Calcis vivæ* pro *Phthiſi* & *Ulceratione* partium internarum commendatur. In *Clyſmatibus abſtergentibus* valdè convenit. Ex *Calce vivâ fixante Sal vol. fit Sal ammoniacum.* Sed *Lixivium Calcis vivæ* affuſum *Sali vol.* illud in *Calcem inſipidam* mutat. *Spiritus Calcis vivæ alcalinus* ritè deſtillatus, (non ut noſter Author) *Menſtruum* eſt ſingulare, & remedium contra *Calculum* non inelegans. Pro ſcopo etiam antinephritico fit *Tinctura* cum Spir. Vini rectificatiſſimo ſuper coagulum ſolutionis, & cocturæ *Calcis vivæ p.iv.* atque *Tartari crud. p.* I. cum Aquâ fontanâ.

Lapis calaminaris eſt *Minera Martis* cui pars Mercurialis deficit. Externè pro ſcopo adſtrictorio Croco Martis præfertur, *Ulcera* abſtergit & cicatrice obducit, abſorbet etiam acida, & in *Excoriationibus* præſentaneum eſt remedium. Ex *Lapidis calam. p. xxx. & Veneris puræ* partibus centum fuſis fit *Orichalcum*. Si imbibatur hic lapis Spiritu Salis, Nitri, vel aliis acidis mineralibus, acidum retinet, dum primò prodit *Phlegma*, & deinde ſequitur *Spiritus concentratus acidiſſimus.*

Calculus humanus conſtat ex alcali vol. concentrato per acidum præternaturale. *Diſtillando* remanet *Calx viva*, quæ ad ℈i. egregium eſt diureticum & ſudoriferum in *Morbis malignis* & *Peſte*. In *Lithiaſi* ſummum eſt remedium, præprimis ſi in ens primum reſolvatur. Calcinationes & Solutiones in acidis ejus vim plus imminuunt quàm promovent.

Cryſtalli aliæ ſunt molliſſimæ in *Dyſenteriâ bilioſâ*, *Cholerâ*, & poſt aſſumptum *Mercurium ſublimatum* egregiæ.

giæ. Sunt etiam in nephritico uſu, ſi candefactæ in Aqua appropriatâ extinguantur.

Hæmatites eſt *Minera Martis* purior: unde fit *artificialis Hæmatites* ex *Saccharo Saturni* & *Vitriolo Martis* ſimul ſublimatis. Adſtringit itaque in *Dyſenteria, Hæmoptyſi, &c.* Si nondum Aquam experiatur, ſed ſub formâ Pulveris irrorati cum *Oleo Nucis moſch.* addito *Extracto Croci*, exſiccetur, pro uſu medicinali eſt optimus. Deſtillando dat *Phlegma* ſpirituoſum & acidum ſimile iſti, quod ex Vitriolo elicitur. Sublimando unà cum Sale ammoniaco dat *Flores crocei odoris*, in quibus dum Sal acidum rodit corpus durum, Sal volat. Urinæ cum Sulphure lapidis aſcendit; adeoque magni in Medicinâ uſus ſunt. In *Quartanis*, *Cachexiis*, *Hydrope*, & *Morbis chronicis*, ſanguinem purificant, atque ſudorem optimè movent. Paratur & inde *Tinctura Lap. Hæmat. Caput mortuum*, ex ſublimatione Flor. relictum, in Aëre frigido abit in *Liquorem aurei coloris*, blandè adſtrictorium, & in *Cachexiis* egregium. Hic *Lapis* cum menſtruo ex Sale Tartari & Calce vivâ Tincturam dat, quæ deſtillata redigitur in *Oleum*, Sulphure ſolari repletum; tale enim eſt ejus Sulphur.

Lapis Judaicus blandè diureticus & nephriticus eſt. Cum aliis lapidibus diureticis, in Spiritu Salis ſolutus, ſolutione inſpiſſatâ, in Coagulum reducitur, quod pulveriſatum, & in loco frigido expoſitum, ſolvitur in Liquorem, qui iterum coagulatus & liquefactus egregium eſt Nephriticum. Has compoſitiones *Lapis Lyncis* ingreditur.

Lapis Ceraunius de genere Pyritum eſt, & Sulphure ſcatet. *Ictericis* & *Hydropicis* prodeſt.

Magnes in Pulvere attractivam vim amittit, unde in *Emplaſtro* ad *Hernias* nil habet in receſſu. Uſus tamen idem eſſe poteſt, quàm Martis; licèt multo debilior ſit.

Marmor

Marmor dat Calcem inſtar Calcis vivæ. Hinc Lixivium exinde, ut & *Unguent. contra Gangrænam*, ſingulariſſima ſunt.

Oſteocolla difficillimè ſolvitur vel Aquâ, vel aliis menſtruis. Ad ℈i. in vino vel aceto data in *Fracturis oſſium*, Callum mirificè generat. Adhibetur etiam contra *Febres intermittentes* & *Fluorem album*.

Pumex participat de *Venere*, unde *Tincturam* dat *viridem*. Bini lapides in lacte extincti, & mutuo affricti in *Pulverem* abeunt, pro *Dentifricio antiſcorbutico* egregium, quique cum *Arcano duplicato* in cura *Strumarum* miſcetur.

Silex in aridis locis reperitur; adeoque differt à *Pyrite*, qui in pinguibus tantùm locum habet. Imprægnatur *Sulphure*, quandoque *martiali*, quandoque *ſolari*, quandoque *lunari*. Per ſe nec calcinantur *ſilices*, nec fluunt; per additum Alcali vitreſcunt, ſed ne vel guttula Liquoris ipſo Igne fortiſſimo extrahi poteſt. Candefacti Silices in vino extincti, illud egregiè diureticum reddunt. Silex cum ana Salis Tartari fuſus abit in Vitrum, quod per deliquium fluit in liquorem, vi alcalinâ intensâ præditum, & coſmeticum egregium. Ex *Silicum caltin.* ℥iv. *Antim.* ℈iv. & *Sal. Tartari* ℥x. ſimul fuſis, & deinde pulveriſatis fit Tinctura cum Sp. Vin. rectificatiſſimo, quæ ſanguinem optimè mundificat. Hic enim alcali Tartari & Antim. elicit ſulphur Silicum. Ex *Silic.* cum Nitro fixo & Tartaro fit Oleum, vinum coagulans. Ex *Silicibus, Antimonio, Nitro* & *Tartaro* fit *Tinctura nephritica Amelungi.*

Lapis ſpongiæ ſolvitur facilè in Spiritu Salis, adeoque ingreditur *Liquores nephriticos*. Calcinatus adhibetur pro curâ *Strumarum* & *Scrophularum*. Ipſa Spongia calcinata valet contra *Strumas*. Deſtillata dat *Spiritum, Sal vol.* & *Oleum empyreumaticum*. Eſtque medicina contra *Scrophulas*.

Talcum

Talcum participat de *Sulphure metallorum*, *rubrum* quidem de Solari, & ſic deinceps pro ratione coloris. Internè vix uſurpatur. Duriſſimum eſt, & vix ullo artificio in pulverem redigitur. Præparationes ejus cum acidis minimè ſuccedunt. Oleum ipſius coſmeticum fruſtra deſideratur. Convenientius cum Borace calcinatum in fluorem cedit coſmeticum. Revera Talcum eſt intractabile, & non non niſi cum Sale Tartari mediante Aëris concurſu ſolvitur.

Unicornu foſſile ſpurium nil aliud eſt, quàm Os animalium poſt putrefactionem in Terrâ per vapores tepidos & humidos calcinatum. *Verum* autem eſt Marga quædam intercurſu liquoris ſalini indurata, & reperta in forma Dentium elephantinorum, Oſſium Capitum majorum &c. Quoad uſum, cum *Terris ſigillatis* convenit; adſtringit enim & ſudorem expellit. Unde in *Variolis*, *Morbillis*, in ſpecie ſi *Diarrhæa* ſuperveniat, egregium eſt remedium.

Cap. IV.

De Metallis in Genere.

METALLA, licèt homogenea, ſunt tamen mixta; ex illis enim ſeparari poſſunt partes, quæ non amplius ſunt reducibiles in perfecta Metalla, teſte Croco Martis. Subeunt etiam mutabilitatis Leges, nam generantur ex fluida quadam & unctuoſa (non aquea) materia, ſeu fumis ſulphureo mercurialibus, qui manus quidem non madefaciunt, ſed inter ſaxa duriſſimaſque petras ſe inſinuant, & in Terrâ quadam ſalino alcalinâ, tanquam matrice, gradatim in Metallum perfectum concreſcunt. Poſt certum denique temporis intervallum Metallum halituum formâ abſumitur, cujus matrix Metallo ſuo ſpoliata Lignum exſic-

exſiccatum exactè refert. Unde & experti Metallurgi interdum ante debitam Metalli perfectionem per cuniculos ſubterraneos venam ejus ſe nudâſſe conqueruntur, ſicut contrà interdum ſe tardius ac ſerò nimis, poſt Metalli geniti denuo conſumptionem & ab effluviis ſubterraneis reſolutionem, ſe adveniſſe pronunciant.

Materia *Metallorum* proxima ex *Mercurio, Sulphure* & *Sale* conſtat. Primum à ſecundo, ſicut Alcali ab Acido, coagmentatur, & in tertio unà in *Metallum* coëunt. Ex his Principiis deducenda ſunt Metallorum proprietates & differentiæ. Metallorum *ponderoſitas* à Mercurio oritur, unde *Aurum*, quod copioſiſſimum habet Mercurium, eſt etiam ponderoſiſſimum. *Ductilitas ſub malleo* procedit à firmo Sulphuris & Mercurii, ſibi mutuo ſufficientium nexu, qui in Sole maximè locum obtinet. *Ignibilitas* à *Sulphure* oritur. *Fuſibilitas* ortum ducit à *Mercurio, Sulphur* quantitate ſuperante, & cum *Sale* probè unito. Varia itaque horum principiorum proportio differentiam dat *Metallorum*. Eruuntur *Metalla* ex *Mineris* diverſimodè mixta, adeo ut Ignis vi per modum liquefactionis ex illis elicienda ſint. Nociva autem ſunt *Metallis* adjuncta *Sulphura mineralia* ſeu *Sulphur commune*, *Arſenicum*, *Antimonium, &c.* quorum acidum volatile rodit junctum *Metallum*, & partim ſecum deflagrat, partim ei adhærendo minùs fluxile reddit. Semper itaque in *Metallorum liquefactione* addendum eſt aliquod Alcali, quod Sulphur illud figat, ejuſque acidum infringat, ut hujus medio *Metalla pura* per fuſionem haberi queant; huic Artificio optimè inſervit *Saturnus*, qui omne acidum ſulphureum avidè abſorbet, & aliorum Metallorum ſulphura tanquam magis cruda imbibendo, Solem & Lunam à cæteris ſeparat.

Pergo ad *Metallorum* Uſum. *Uſus Chymicus* eſt igno-

biliora in nobiliora tranſmutare; ſic purus Mercurius, Sulphure ſolari fixo imprægnatus & concentratus, *Sol* evadit. Artificium hoc dicitur *Lapis philoſophicus*, qui non ſanitatem ſed *Metalla* perficit. In *Uſu medico* Metalla corpora noſtra activè non alterant, ſed tantùm paſſivè. Habent quidem vim medicinalem, ſed in Sulphûre ſita eſt, quod ſine aliis particulis commodè extrahi nequit; niſi habeatur Menſtruum, quod radicaliter & amicè Sulphur mercuriale à principio terreo ſalino ſeparare queat. Nam vulgares *Tincturæ* & *Solutiones*, licèt exhibeant *Metalla potabilia*, ipſum tamen Metallum integrum eſt & corporaliter præſens; utut pro præparationum varietate in formam nunc *Sulphuris*, *Olei*, *Tincturæ*, *&c.* combinetur. Idem dicendum de *Salibus*, quæ ex *Metallis* eliciuntur, quod nempe de integra Metalli naturâ participent, & denuo in verum Metallum reduci poſſint. Utut autem reductio Metallorum in prima principia res ſit ardua, utilia tamen medicamenta per ſublimiorem præparationem exinde elicere fas eſt. Metallum nempe in minutiſſimas (licet integras) particulas reducendo, & ita ſaltem earum texturam alterando, ut quodammodo aperiantur & ſulphuream ſubſtantiam quaſi extravertant, quæ aliàs in concreto intimè clauſa deliteſcit; res exemplo patebit. *Mercurius præcipitatus* per ſe Sulphur ſuum extravertit, & fit pulvis rubicundus diaphoreticæ virtutis; qui facilè reducitur in *Mercurium vivum*, in quo illud *Sulphur* quaſi obrutum deliteſcit, & qui alias poſſidet proprietates. Pro his ergo & elegantioribus Metallorum præparationibus, Metalla in minutas particulas rediguntur, vel ope acidorum in igne, fumo, aut liquore; vel ope amalgamationis cum *Mercurio*, qui quaſi alcalinus eſt, & cum *Metallis* magnam habet affinitatem. *Mars* quidem & *Antimonium*, aliaque *Mineralia*, propter *Sulphuris* abundantiam, & *Mercurii* paucitatem, non ſunt per ſe amal-

gama-

gamabilia cum Mercurio. Reliqua Alcalia Metalla non ſolvunt, in ſolutis tamen, ſi volatilia ſint, texturam intimius penetrant, & Sulphur extravertunt; talia ſunt *Sp. Vin.* cum *Spiritu* vel *Sale volatili Urinæ* ſociatus, *&c.* Inſerviunt etiam Alcalia *Mercuriſicationi*, vel *Mercurio ex Metallis* parando, non quòd verum *Mercurium* extrahant, ſed *Sulphur Metallorum* ita alterent ſui interpoſitione, ut coagulum evadat metallicum ſub formâ Mercurii vivi. Hujuſmodi Salia *alcalina* ſunt *Sal Tartari*, *Cineres clavellati*, *Sal Urinæ &c.*

CAP. V.

De Auro.

AUrum eſt puriſſimus *Mercurius* à fixiſſimo Sulphure coagulatus; unde ejus ductilitas, ponderoſitas & indeſtructibilitas deducuntur. Per ſe nullam efficaciam habet in corpore noſtro: adeoque neceſſe eſt, ut priùs *Sulphur* ejus eliciatur, quod ſanè quoſcunque Affectus citò & jucundè curat. Ad extrahendum autem hoc *Sulphur* requiritur 1. *Ut volatiliſetur* Aurum. 2. *Ut extrahatur per menſtrua non corroſiva*, quæ ſuperficiem rodunt, ſed *inſipida* & *blanda*, forſan ex Aere, Nive, &c. cum quibus ita præparatur, ut in *Flores* poſſit ſublimari, & tandem extrahi *Tinctura* ſeu *Aurum potabile*. Purgatur *Sol* vel *miſcendo* cum Luna, & ſolvendo in Aqua regia aut Aqua forti; vel *fundendo* cum Antimonio; vel *calcinando* cum Salibus & farinâ Laterum; vel denique cum Saturno (ſed non adeo benè.) De his in Collegio Chymico actum eſt. *Calcinatur* Sol *immerſivè* in Aqua regia, cujus baſis eſt Sal com. quod tamen per ſe non ſolvit Aurum crudum niſi participet de Nitro. Et Spiritus Nitri, qui Lunam diſſolvit, Solem non attingit, niſi addatur Sal. Ratio eſt, quia Aurum totum ferè Mer-

curius coagulatus eſt; & in Sale com. eſt Terra mercurificans, quæ cum Sole in radice convenit. Solutum tamen Sal com. Solem non attinget, niſi addatur Spiritus Nitri penetrationis ergo. Pertinet huc *Aurum fulminans*, de quo notandum, quod ſi ſubtus Ignem admoveas fulminabit, ſin ſuperius minimè.

Calcinatio Solis *vaporoſa* multum habet in receſſu. Si Solis fiat S. S. S. cum taleolis C. C, crudi non uſti, in tortura Ignis Sal volatile C.C. rodet Solem liquefactum, & evadet *C. C. ſolare*, quod ad ℈i. in *Morbis malignis, petechialibus*, & Puerperarum *Purpurâ* commendatur.

Sol facilè volatiliſatur cum *Spiritu Nitri bezoardico*, & *Mercurio ſublimato*. Fiunt etiam *Flores Solis* beneficio *Salis vol. Urinæ*. Item ex *Auro fulminante*. Sed omnes hi *Flores* per Salia alcalia reduci poſſunt in corpus aureum.

Quod attinet *Extractiones*, certè *Tinctura prima* à *menſtruo* non ab *Auro* habetur. Sexta elegans eſt. Item undecima. Mala autem eſt deſcriptio quæ N_o. 13. habetur.

CAP. VI.

De Argento.

INter *Argenti* præparata occurrit 1. *Purgatio ſolvendo* in Aquâ forti (ex Spiritu Vitrioli & Nitri paratâ) vel *fundendo* cum Saturno. Si ſolutio Lunæ in Spiritu Nitri, per abſtractionem inſpiſſetur, fit appropriatiſſimum Purgans anti-hydropicum ad gr. ij. Paratur & inde *Lapis Infernalis*. Ex ſolutione in Aquâ forti, cum Sale com. præcipitatâ, fit *Argentum carneum*. Quæ reliqua ſunt in Collegio Chymico tractantur.

CAP.

CAP VII.

De Marte.

IN *Marte* notabile eſt *Sulphur*, quod facilè inflammatur, quodq; poſt incenſionem cum Nitro hocce figit, & quod ratione occulti acidi corpora metallica corrodit, imò proprium ipſius corpus in rubiginem vertit, modo medio aqueo vel aëreo ſolvatur. *Aqua* enim per ſe nullum rodit Metallum, nec *Aer*, ſed habeant acidum neceſſe eſt. Quoad uſum *Martis*, adſtringit, & per accidens acidum primarum viarum abſorbendo aperit, deobſtruit; ac ſi in corpore ab acido corrodatur, in *Vitriolum* abit, quod laxativum eſt. Quod acida abſorbeat, exinde patet, quia Spiritus Salis, & alia acida ſuper Marte dulceſcunt. Pro varietate acidi, quod in corpore hoſpitatur, nunc aperire, nunc obſtruere dicitur; quandoque *Menſes ſiſtit*, quandoque *movet*, prout nempe Craſin ſanguinis vitiatam ad ſpiſſitudinem diſponit, vel venas uterinas ab acido obſtructas reſerat. Si acidis in corpore, vel extra corpus occurrat, in ſubſtantiam aluminoſam vertitur & adſtringit, unde *Vomitus*, *Alvi fluxus*, *Hæmorrhagias* quaſcunque, *Gonorrhœas*, & *Fluores muliebres* ſupprimit; acida etiam, membranas nerveas ſpaſmodicè contrahentia, & *Mali hypochondriaci* ſeu *Cachexiæ* fomitem, efficaciter enervat: *Ictero*, *Pareſi*, *Hydropi*, *&c.* medetur, & omnia planè acida coagulativa, quæ Viſcera obſtruunt, potenter abſorbet. *Limatura Martis cruda* trita in Porphyritide, & irrorata cum Oleo deſtillato appropriato (ne facilè alteretur) iis quorum fermentum Ventriculi eſt p. n. acidum, commodè propinatur. Debilioribus autem non convenit. Quod Præparationes attinet, Alkalia tam fixa, quàm volatilia Martem non ſolvunt, ſed aci-

da. Verum eſt, quod *Mars* lixivio Salis Tartari irroratus in *Crocum flaveſcentem* fatiſcat, quem vocant *Crocum Martis* aperitivum cum Salibus, ſed potius eſt Phlegma Alcali diluens, quod actuando acidum Martis, illum in *Crocum* ſeu *Rubiginem* rodit. *Mercurius* etiam ut ſubjectum alcalinum, & propter defectum Mercurii in Marte, in Martem non agit amalgamando. Utut autem in *viâ humidâ Alcalia* nullam actionem edant in *Martem*, dubium tamen eſt, annon in *via ſicca*, antecedente Ignis motu, penetrare & plus minus ſolvere poſſint: Etenim quidam Sal Tartari cum Calce viva calcinatum, & ita acuatum, cum Marte calcinando, èjus Sulphure impprægnari volunt. Facit huc *Tinctura Vitrioli Martis*, extracta cum liquore, in quo ſolutum eſt Nitrum fixum; quæ eſt omnis odoris & ſaporis expers, & vim habet laxandi; Item *Tinctura*, quæ fit coquendo Vitriolum Martis cum Liquore Silicum, donec maſſa fluat, hanc ponendo in Cella & Aquâ irrorando, ut inſtar pultis evadat; poſtmodum huic pulti inſpiſſato affundendo Sp. Vin. & digerendo per 8. vel 10. dies in Balneo Mariæ; ſic enim extrahitur *Tinctura*, quæ menſtrui abſtractione exaltari poteſt, & magnarum eſt virium in *Morbis chronicis*, nam de *Sulphure Martis anodyno* participat.

Aliàs ordinariò *acidis* tractatur *Mars*, unde emergunt Concreta vitriolica. Sunt hæc *acida*, vel *interna* & Martis propria, ab humido quodam ſoluta, quando Ferrum *ignitum* in *Aqua* aut *ſimplici* aut *Cotis*, extinguitur, aut *Crudum* Aquâ irroratum in *rubiginem* vertitur; vel ſunt *externa*, idque vel in via *ſicca* vel *humida*. In *via ſicca* fit *Crocus* obſtructivus, calcinatus ab acido Ignis, illeque à ferramentis Chymicorum pede leporino abſterſus, cui tamen commodè præfertur iſte ex Vitriolo Martis in Aquâ ſoluto, & cum Oleo Tartari præcipitato. Non arridet *Calcinatio* illa *fuſoria*, ope

magda-

Magdaleonum Sulphuris, admotorum Marti ignito, ſic enim ſaturatur acidis extra corpus, & ulterius ab acido Stomachi corrodi nequit adeo, ut Ventriculum oneret. Sunt qui hunc *Crocum Martis aperitivum* dictum miſcent cum *Pulvere Lumbr. terreſtrium* non incommodè, ſic enim eleganter operari inquit *Freitagius*. Ex *Calcinatione cæmentatoriâ* cum *Sulphure* fit *Crocus*, qui ſolvitur in Aqua calida; & illa demum filtratur, evaporatur & cryſtalliſatur, unde *Virides Cryſtallos* ſeu genuinum *Martis Vitriolum* acquirimus. Paratur etiam Mars in *viâ ſiccâ*, dum *ſublimatur* in *Flores* cum *Sale ammoniaco*; vel *diſtillantur* Scoriæ Reg. martialis ſine Sale paratæ, cum Mercurio ſublimato, (quo in caſu redeunte Mercurio vivo acidum Salis commun. Marti partim in forma Butyri, partim in Capite mortuo facilè liqueſcente, adhæret:) vel *detonatur* Mars cum Nitro in pulverem ſanè inertem. Notandum, ſi in Retorta inſtitueretur detonatio, colligi poſſent Flores Martis & Nitri, uſus egregii. Fit denique in *Via ſicca Regulus Martis* ex Tartari, Antimonii & Sulphuris an. ℥ii. Lim. Mart. ℥iv. ſimul fuſis, & in Conum fuſorium præcipitatis.

In *Via humida* præparatur *Mars* per *immerſionem*, *evaporationem* vel *illinitionem*. Per *immerſionem* quælibet acida Martem corrodunt, v. gr. ſuccus Acetoſæ, Decoctum Tamarindorum, Acetum, &c. imò Vinum ſuo modo ſolvit Martem, unde Vina extinctionis Martis igniti, vel Infuſionis Martis in loco calido, egregia ſunt Anticachectica. Tartarus etiam ratione acidi Martem commodè ſolvit, ſimul fluendo ſuper Igne. Vel ℞. *Lim. Mart.* ℔.*i. Tartari alb.* ℥*xxxii. Aq. fervent.* ℔.*xii. bulliant per horas* 12. *affundendo Aquam recentem prout evaporaverit*; Liquor filtratus, & cochleatim hauſtus eſt optimum remedium. Huc pertinet *Tartarus martialis*, & *Noduli* vel *Infuſa martialia* cum Tarta-

ro & herbis appropriatis, in Aqua, Vino vel Cereviſia; quæ egregia ſunt in *Morbis chronicis.* Fit etiam *Tinctura aperitiva Martis* cum *Spiritu Viridis æris. Crocus Martis odoris violacei* paratur, ſolvendo Martem in Urina, in qua Sal comm. & Sal ammoniacum ſoluta ſint, poſt abſtractionem ſubſequente Calcinatione reverberatoriâ. Imò quilibet Spiritus mineralis Martem promptè ſolvit, præ cæteris Spiritus Sulphuris & qui idem eſt, Spiritus Vitrioli, modò phlegmate proprio vel Spir. Vini diluatur, in rectificato enim particulæ acidæ ſunt adeo concentratæ, ut uno impetu in Martem irruant & ſe invicem impediant. Harum ſolutionum (in Spiritu Sulphuris vel Vitrioli) inſpiſſatione, genuinum habetur *Vitriolum* vel *Magiſterium Chalybis vitriolatum.* Obſervandum autem, *Vitriolum* factum cum *Sulphure* melius eſſe eo, quod fit cum *Spiritu Vitrioli*; quia Sulphur acutiſſimis flammarum ſtimulis adactum particulas metallicas exactius diſſolvit. Parant quidam *Vitriolum hermaphroditicum* ex *Miner. Vener.* ℔.*iii. Limat. Mart.* ℔. *i. Vitrioli com.* ℥*xiii. digerendo in Aqua, evaporando & cryſtalliſando*; ſed tantùm eſt *Vitriolum Martis*, quia Mars Veneris conſortium nunquam patitur. *Croci* per Calcinationem *vaporoſam* & *Illinitionem* acquiſiti ſunt peſſimæ præparationes, propter nimiam acidi actionem.

Sequitur *Volatiliſatio.* Quam proponit Autor, *Aqua Martis* nil valet, melior eſt *Burrhi*, qui Aquam ſimpl. Marti affuſam in Cucurbita ſub fimo equino aſſervat; ſic Mars à proprio acido ſoluto roditur ac incaleſcit, & aqueæ particulæ, Gas Martis imprægnatæ, per Alembicum ſine Igne tranſeunt; ſic acquiritur *Aqua* egregiè *ophthalmica.* Mars itidem in Spiritu Salis ſolutus in vaſe clauſo, blandiſſimo Igne *Gas* reddit *martiale*, quod in receptaculo coaleſcit. De *Spiritu Vitrioli Mart.* vel *Vener.* notandum, quòd non ſint *ſimplices* Spiritus aci-

di,

di, ſed participent de particulis metallicis Ferri vel Cupri, injecto enim alcali pulverem præcipitant, & per alembicum propulſi metallicum pulverem in fundo relinquant. Paratur etiam *Spiritus hermaphroditicus* ex Vitriolo Mart. hermaphroditico; imò ex ana Martis & Vitrioli Veneris elicitur *Spiritus*, qui cohobatus Moſchi odorem ſpirat.

Pergo ad *Extractiones* ſeu *Tincturas* cum Spir. Vini extractas. Hic Spiritus in Martem non agit, adeo ut neceſſe ſit, prius Martem diſſolvere in menſtruo acido, v. gr. *Succo Pomorum Borſdorfianorum*, deinde Solutioni ad mellaginem inſpiſſatæ affunditur Spiritus, qui cum acidis facilè ſe jungit. Inter *Tincturas aperitivas* elegantiſſima, ſi quæ alia, eſt illa ex *Terrâ fol. Tartari* & *Vitriolo Martis* ſimul pulveriſatis, Aërique humido expoſitis, unde in *Liquorem rubicundum* defluunt, qui vel per ſe, vel cum Sp. Vini mixtus & filtratus, in quamplurimis Morbis à ʒß. ad ʒi. propinari poteſt. Huc facit *Eſſentia martialis* ſequens. ℞. *Antimonii in Crucibulo fuſi* ℔.*i. Lim.* Mart. ℔.ß.*fluant, contundatur maſſa, addatur iterum Lim. Chalyb. & procedatur ut antea. Harum* ℥. *ii. affunde guttatim Spiritus Sal.* ℥. *iv. digerantur, & extrahatur Aquâ comm. Vitriolum & coaguletur.* ℞. *Hujus Concreti vitriolacei antimonialis, q.v. deſtilletur in Arena, & acquiretur Spiritus, tandem fortiſſimo Igne aſcendet Sublimatum in altum, quod ſolvatur in Spiritu, & ſervetur tanquam melior Eſſentia* ad uſum. Inter *adſtrictivas Tincturas* non inelegans eſt illa cum *Spiritu Veneris* vel *Viridis æris* inſtituta, vel illa ex *Croco Martis Quercetani* n°. 3. ubi notandum, quod ex ejuſmodi Croco per Aquam fortem parato cum Aceto deſtill. elicitur adhuc *Crocus*, qui cum *Mercurio ſublimato* tandem *Lunam* in *Solem* tingit. Loco *Baſilii* n°. 5. longè melior eſt *Tinctura* illa *adſtringens*, quàm *Sulphuris Vitrioli* vocant, parata ex *Terra Vitrioli dulci* poſt Vi-

trioli Martis deſtillationem & exactam edulcorationem reſtitante; vel, quod melius, ex *Croco Mart. præcipitato* ex *Vitriolo Mart. ſoluto in Spiritu Nitri à Sale abſtracto*, hic enim Spiritus Martem, qui naturæ eſt ſolaris, potentius penetrat. Elegans eſt *Tinctura* n°. 6. ex inſpiſſatâ *Extractione* cum *Spir. Vini.*

Sequitur *ſublimatio.* Hinc *Flores* cum *Sale ammoniaco*, qui aureum acquirunt colorem, & ſanè perquam egregii ſunt in *Febribus* & *Morbis chronicis.* Parat. *Zuelf. Sulphur anodynum* ex *Marte cum Sale ammoniaco. Sal Martis genuinum* haberi nequit; *vulgare* autem concretum novum eſt ex re aliquâ Martem corrodente.

CAP. VIII.

De Cupro ſeu Venere.

V*Enus* cum *Luna* facilè miſcetur ratione Mercurii copioſioris, & difficilis eſt ſeparationis, unde vera *Lunæ Tinctura* rara avis eſt. Propter convenientiam in Radice, *Venus* facilè in *Martem*, & *Mars* in *Venerem* mutari poteſt. *Venus dealbata* beneficio Arſenici, eſt *Luna immatura* minùs fixa, nam *Arſenicum* principium eſt metallorum *alborum*, ſicut *Sulphur rubeorum. Venus cruda* non uſurpanda; ſed ſi pars ſulphurea volatilis figatur, aut pars ſulphurea fixior inde eliciatur, certè ſumma inibi Medicina eſt recognita, unde *Sulphur Vitrioli Veneris* adeo nobile eſt medicamentum. ℞. *Vitriolum Veneris, ſolve in Aqua; præcipita cum Sale Tartari, & Venus ſic in fundum cadit, nonnihil fixata. Doſ. gr. aliquot, quæ laxant alvum.*

Calcinatio Veneris *immerſiva* fit vel cum liquoribus *acidis*, qui *viridem*, vel *urinoſis*, qui *ſaphirinum liquorem* producunt. *Spiritus Sulphuris* mediæ quaſi naturæ eſt, & *Venerem* in *Vitriolum cæruleum* elegantiſſimum tranſ-

mutat

mutat. In *Ærugine viriditas* fit ratione *acidi*, *cæruleum* verò ratione *Urinæ*. *Viride æris* deſtillatum cum Arena *Spiritum* reddit *acidum volatilem*; vel deſtillantur *Cryſtalli ſolutionis Virid.Æris* in Acet. deſtill. inſpiſſatæ, & ſic acquiritur *Menſtruum* penetrantius *Aceto deſtillato*, verùm prior modus melior eſt. *Solutio Veneris* cum *Spiritu Vitrioli*, *Vitriolum Veneris* producit, quod Sulphure gaudet anodyno, & virtute illius Sulphuris vi ſympatheticâ pollet: unde etiam paratur *Sulphur Vitrioli fixum*, quod *Helmontius* vocat *Ignem Veneris*, cui ſuccedaneum parari poteſt, ſi Spiritus Vitrioli vel Sulphuris cum Oleo Terebinth. miſceatur; exinde fit efferveſcentia; poſtmodum deſtillantur, & remanet *Corpus ſulphureum inflammabile*, inſignem vim anodynam habens.

Venus cum *Mercurio ſublimato* deſtillata *Spiritum* reddit *viridem*. *Tinctura Veneris* non habetur *genuina*, niſi Sulphur Veneris fixum legitimè extractum fuerit. *Salia Veneris* ſunt tantùm corpora ſaliniformia per acidum corroſa. Sublimari poſſunt *Flores* cum Sale ammoniaco, ſed vomitorii ſunt. Primum *Ens Veneris* nil aliud eſt, quàm Caput mortuum Vitrioli Veneris cum Sale ammoniaco ſublimati. Beneficio Alcali fixi Mercurius è Venere faciliùs, quàm è Marte elicitur.

CAP. IX.

De Saturno ſeu Plumbo.

SATURNUS continet copioſum Mercurium crud.vol. & in rad.convenit cum *Luna*. Externè acida imbibit, & in *Ulceribus cancroſis*, *Ambuſtis* & *Inflammationibus* utramque facit paginam. Purgatur *Saturnus* fundendo & detinendo eum in fluore per quadrantem horæ, dehinc injiciendo Sal ammoniac. & agitando cum ſpatula ferrea

rea donec Sal ammon. in auras abierit. Hinc impuritates ſupernatantes abjice, & *Saturnus* inſtar *Lunæ* ſplendens videtur. *Minii rubedo* demitur ſublimando aliquoties cum Sale ammoniaco; ſic enim in formâ Calcis gryſeæ in fundo ſubſiſtit. *Saturni Vitra* laxativa ſunt, per infuſionem in Aqua. Elegans paratur *Saccharum Saturni*, ſi loco Aceti deſtill. ſumatur Spiritus viridis æris. *Ceruſſa* fit etiam elegantior, ſi paretur cum Aceto, in quo aliquantulum Salis ammoniaci ſolutum. In *Oleo Saturni balſamico* nil prodit, niſi Spiritus Terebinth. Cæterùm de *Saturni floribus*, *Deſtillatis* & *Extractis*, hactenus in Collegio Chymico diximus.

CAP. X.

De Jove ſeu Stanno.

VEteres *Jovem* ſæpè alio nomine vocarunt *Biſmuthum*; imò & apud illos *Saturnus candidus* audiebat. Luxuriat autem in *Jove* Sulphur, unde minus ab acidis ſolvitur quàm verò *Saturnus*. *Crudus* quidem contra *Lumbricos* & *Affectus oculorum* laudatur. Mutatur *Jupiter* in *Flores* beneficio Nitri, ubi Sulphur ſuperfluum deflagrat, & flores magis tractabiles ſunt, atque in acidis ſolubiles; egregiè etiam ſudoriferi, & hyſtericis maximè appropriati. *Sali Jovis* præferendi ſunt *Cryſtalli ex Minerâ*, in *Chymia* deſcripti. In deſtillatione primus Authoris proceſſus eſt elegans, inprimis ſi *Butyrum Joviale* figatur Spiritûs Nitri trina abſtractione, & Sp. Vini deflagratione. Huc pertinet *Antihecticum Poterii*, ſcil. ex *Jovis p. v. & Reg. Antim. p. iv. cum triplo Nitri detonatis*; cavendo ut poſt fuſionem & ablutionem Pulvis *albus* ſit, non *cæruleus*, ne vomitus faciat ratione adjuncti Sulphuris vol. Jovis. Doſ. à gr. xv. ad ℈i. in *Febribus malignis*, *hecticis*, *lentis* & *Purpurâ Mulierum*.

lierum. Authoris modus ſublimandi non ſuccedit. Præſtant *Flores* cum *Nitro* parati.

CAP. XI.

De Mercurio & Cinnabari.

MErcurius *Vulgi* habet *Sulphur acidum*, Martem in rubiginem corrodens, & ſalivationem in corpore noſtro inducens; ratione cujus ejus activitas in *Metalla* coercetur: Si enim abeſſet, poſſet Mercurius Aurum ſolvere. Convenit Mercurius crudus in *Iliaca paſſione ad* ℔. *ii. vel iii.* & contumaci *Alvi obſtructione*. Ejus *Infuſum* vel *Decoctum in Aqua Hyperic*. *Lumbricis* maximè adverſatur. In *forma ſiccâ* cùm Succ. vegetab. datur ad ℥i. in eundem finem. *Externè* inungendo una cum pinguedine *Salivationem* inducit, *Scabiem* pellit, *duros Tumores* reſolvit, & *Ulcera deſperata* à *Gangræna* præſervat. Imò & Coſmeticum eſt; notandum autem quod *Rugas* in Facie producat, & *Gingivis*, inprimis *ſcorbuticis* noceat.

De Mercurii *Purificatione* dictum alibi. Si *Mercurius* cum *Silic*. ſolaribus in Igne arenæ detineatur, exaltatur *Sulphur ſilicum*, & dehinc *Sulphur mercurii*; & ſic ambo coeunt in *Pulverem*, qui vocatur impropriè *Mercurius præcipitatus*. *Arcanum corallinum* N°. 6. deſcriptum, malè *Corallinum Paracelſi* exiſtimatur, hoc enim *Terra* fuit *balſamica*. *Aurum horizontale* eſt *Mercurius vulg. præcipitatus* cum *Aqua regia*, imbutus *Sulphure fixo Veneris*, à quo poſtmodum Spir. Vini extrahitur, & remanet *Pulvis fixus*, remedium diaphoreticum optimum contra *Scabiem*. *Præcipitatio* cum *Tinctura Smiridis* nil valet. Ut corrigantur *Præcipitata*, adduntur alia, quandoque alcalia fixa, ubi albeſcit. *Præcipitatus luteus* N°. 14. contra *Icterum* ſummum eſt remedium.

In

In *Præparatis metallicis*, præſertim *ſolari*, Sulphur externum nonnihil figitur, unde mitius evadit. *Vitrum Mercurii* eſt non ens.

Præparatio illa *Lanug. perlat.* ſeu *Mercurius argent. Claſſ.* N°. 7. non eſt legitima. Si verò ritè præparetur, maximi eſt uſus. De *Mercurii deſtillatis*, *Butyro* nempe *Antimonii*, *Mercurio Vitæ* & *Bezoardico minerali*, tam *ſimplici* quam *compoſito*, in *Chymia* egimus. Notandum autem, in præparatione *Bezoardici mineralis* Spiritum Nitri ideo figere Sulphura, quia ejus acidum ſe aſſociat cum pinguedine, & hujus inflammabilitatem deſtruit.

De *Cinnabari nativa* & *artificiali* ſupra egimus. Egregiam habent vim alexipharmacam, antivenereeam, & ratione ſulphuris Solaris analepticam.

CAP. XII.

De Antimonio.

ANtimonium duo habet *Sulphura*; unum *volatile crudum*, in quo conſiſtit ejus vis *maligna*, *venenoſa*, & *vomitiva*; aliud *fixius* & *ſolare*, unde vis *analeptica* & *ſudorifera*. Obſervetur itaque, Antimonialia in volatilitate ſuá eſſe maligna. *Antimonii flores* vulgares violenti ſunt, niſi corrigantur beneficio Salis Tartari cum aceto deſtil. ſaturati. *Flores Cheiri* dicti in loco frigido liqueſcunt in Oleum arcanum contra *Fiſtulas*. *Clyſſi antimoniales* non ſuccedunt ſecundum autoris methodum, propter abundantiam enim Sulphuris impeditur deflagratio ejuſdem & figitur in Nitrum. Modus genuinus hic eſt; *R. Antimonii* ℔i. *Nitri* ℔.*ii*. *Sulphur.* ℥*iv*. *deſtilla per Retort.* & *habebis flores incarnatos*, & *Spiritum vol. acidulum, quibuſcunque mineralibus pro vi diuretica præferendum*. In Aqua ſtimmi tartarea N°. 21. eſt Spiritus

ritus diaphoreticus & diureticus, ſed nil aliud eſt, quàm Tartarus in forma Spiritus ſuper proprium Caput mort. rectificatus. Ex *Vitro Antimonii* fiunt Infuſa emetica; ut & *Roob* (vomitorium optimum) cum *Succ. Cydon.* vel *Pomor. Borsdorff.* digerendo & inſpiſſando. Hæc infuſa etiam *Oculis* ſuccurrunt. *Reliqua Antimonii præparata, illorumque virtutes medicas videſis in Collegio chymico.*

CAP. XIII.

De Recrementis metallicis naturalibus.

HÆC ſunt nil aliud quàm *Metalla immatura*: inter quæ *Cobaltum* Venus eſt immatura, turgens copioſo Sulphure venereo & purè arſenicali.

Biſmuthum gaudet *Luna immaturâ*; paratur exinde *Magiſterium coſmeticum*, ſolvendo in *Aq. fort.* & præcipitando cum *Ol. tart.* quod etiam ſurſum & deorſum fortiter purgat. De Recrementis artificialibus vide Authorem.

CAP. XIV.

De Salibus: in ſpecie Sale communi, Sale Gemmæ, Nitro, Alumine, Sale Ammoniaco & Vitriolo.

INter *Salia* primatum ducit *Sal commune*; reperitur hoc vel in *forma ſicca*, & dicitur *Sal Gemmæ*, quod aëri expoſitum dureſcit & inſignem gravitatem acquirit; eſt autem *abſterſivum* & commendatur in Clyſteribus ad ℥i. *Balſamus Salis Gemmæ* legitimè paratus eſt, quando in tantum exaltatum eſt Sal, ut ad candelam liqueſcat; dehinc adde *Olei Tereb.* parum, & abſtrahatur

tur aliquoties à Sale, donec in fundo remaneat *Balſamum* contra *Rupturas*. Reperitur etiam *Sal* in *forma liquida*, eſtque vel *marinum*, quod ſulphureum & pinguius *Sale Gemmæ*, vel *fontanum*, quod in granula non concreſcit, niſi additione *Fellis* vel *Sanguinis bubuli*. Eſt igitur *Sal* concretum ſalſum, compoſitum ex acido concentrato in ſubjecto terreo alcalino; ſic *Spiritus Salis acidus* alcali affuſus in perfectum *Sal ſalſum* abit. Reperitur tamen *Sulphur* in *Sale*, adeo ut ejus alcali ſit pingue ſulphureum. In Uſu medico *Sal decrepitatum* egregium eſt remedium *carminativum* & *diſcuſſivum*. Pro uſu verò interno, *Spiritus* ejus egregium eſt ſtomachicum, ut & diureticum inprimis in *Hydrope*. Dulcificatur *Spiritus Salis*, vel cohobando cum Spir. Vini probè *rectificato*, vel *per ſe* ope diuturnæ digeſtionis. *Author noſter* N°. 10. varios habet proceſſus, ubi tertius modus videtur ſingularium & magnarum virium. *Spiritus Sal. compoſ.* hic maxima ex parte eſt *Spir. Nitri*, participat tamen de Spiritu halituoſo ſulphureo Salis. *Spiritus Salis comm. virid.* virorem habet ab adjunctis Lateribus à Spir. ſolutis. Parat *Rhumelius Cryſtallos* ex coagulatione *Spir. Salis* cum *Sale volat. Succini*, qui potens ſunt diureticum, & antihydropicum, unde & *Liquor nephriticus* paratur.

Nitrum veterum nobis eſt ignotum, licet adhuc colligatur in *Ægypto*, quod naturæ ſaponariæ eſt. Noſtrum autem colligitur vel *coquendo* ex terrâ, pingui redditâ à ſtercoribus, vel urina animalium, & radiis Solaribus imprægnatâ: vel *elixiviando* ex muris antiquis & cellis ſubterraneis, ubi Sal calcis vivæ animatur ab aëre. Conſtat *Nitrum* ex copioſo Sulphure excrementorum, cum occulto acido & alcali volatili. *Terrâ exhauſta* aeri expoſita novo *Nitro* ſaturatur, quamdiu pinguedinem habet. Qui noſcunt prius ſeparare Spir. corroſiv. Sulphuris, acquirunt *Cryſtallos Nitri dulces*

non

non deflagrabiles, qui in *Febribus ardentibus* ſumma ſunt Medicina. *Sp. Nitri* affuſus *Sali Tart.* vel *Nitro fixo*, regeneratur in novum *Nitrum* denuò *inflammabile*. In *uſu Medico* ratione Sulphuris dicitur *anodynum*; ſanè nil magis effervеſcentiam febrilem coërcet; in *Salacitate venereâ* Spiritus ferocientes figit, & denique potens eſt diureticum. Sed antequam in uſum veniat, *purificari* debet à *Sale communi* mediante *deflagratione*, & à *Sulphure* mediante *Sale ammon.* vel, quod melius, per *alcalia fixa*. Inter ejus *calcinata Lapis prunellæ* nil valet, avolavit enim *Spir. Nitri* & remanet *Salſum* compoſitum ex acido Sulphuris & alcali Nitri. *Nitrum ſaturniſatum* remedium non ſpernendum eſt in *Peſte* cum *ardore* conjunctâ. *Nitrum antimoniatum* optimè paratur cum *Regulo Antimonii*, qui à ſuperfluo Sulphure fuit liberatus, eſtque illius uſus inſignis in *Febribus ardentibus*, æquè ac *malignis*, ad ℥i. *Nitrum purificatum* crebriori fuſione in crucibulo, & repetitâ ebullitione in aqua, adhibetur feliciter ad ℈i. pro cura *Febrium periculoſarum*. *Nitrum vitriolatum* (cujus præparationem vide in *Collegio Chymico*) in *Febribus intermittentibus*, in ſpecie ubi nullum frigus præcedit, planè ſingulare eſt ad ℈i. Præterea in *Menſium defectu*, *Suffocatione hyſterica* & *Febribus ſcorbuticis* mirè conducit; & ſi *Camphoram* addideris, fit quaſi ſpecificum in *Affectu hypochondriaco*, inprimis cum phlogoſi & æſtu conjuncto, nam ad Somnum diſponit. *Nitrum* per ſe deſtillatum abit in *Spiritum*, addito autem *Sulphure* prodit tantùm pars in Spiritum. Pro uſu Medico dulcificatur *Spiritus Nitri*, miſcendo guttatim cum duplo Spir. Vini. Sunt autem qui Spiritum hunc *appropriatum* reddunt, abſtrahendo à Plantis aromaticis carminantibus, qui *anticolicus* dicitur, & in omnibus *flatulentis Affectibus* non habet par remedium. Pari ratione abſtrahitur à Plantis pleuriticis in *Pleuritide*. Cæterùm ipſe *Nitri*

Spiritus magis convenit in *Febribus*, quàm *Spirit. Vitrioli*, & vi diuretica *Spiritus Salis* antecedit. *Spiritus Nitri bezoardicus* aurum optimè ſolvit. *Aqua fortis* nil continet de *Spiritu Vitrioli genuino*, ſed ſolus eſt *Spir. Nitri*, qui ſecum rapit aliquas particulas inprimis *Venereas* ex *Vitriolo*, ejus enim Fumus laminam ferream colore *venereo* tingit. Paratur *Aqua regia* planè ſingularis ex *Spir. Nitri* & *Sale ammoniaco*.

Alumen, eſt corpus terreum â *Spiritu Sulphuris* ſolutum & coagulatum, unde *Creta* ſimiliter ſoluta & coagulata in *Alumen* abit. Veterum *Alumen*, mellis conſiſtentiam habens, nobis eſt incognitum. Medicamenta ex *Alumine præparata* de *Alumine rochæ* intelliguntur. Optimè purificatur *Alumen*, ſi ſub coctione *Urina humana* injiciatur, ſic enim ſeparatur omnis pinguedo, & tandem in fundum præcipitatur, quod inutile eſt. *Alumen* autem adſtringit validè in omni *Fluxu nimio*.

Sal ammoniacum Veterum, in locis ſabuloſis ſponte eſfloreſcens, nos latet. Noſtras autem *artificiale* eſt, ex *Urinæ hum. p.* 5. *Salis com. p.* 1. & *Fulig.* p. ß. coctis & inſpiſſatis, donec ſublimetur *Sal ammoniacum*, quod *Aquila cæleſtis* dicitur, quia *Sulphura metallorum* ſecum rapit. *Sal ammoniacum crudum* ſingulare eſt Stomachicum ad ℈i. in *Vino abſynth.* ut & Febrifugum, præſertim in *Quartana*, & tandem ſudoriferum. Sed tum *Salibus alcalibus* non miſcendum eſt, ne pars volatilis expiret. Externè in *Inflammat. Tonſillarum* & *Prunellâ febrili* valdè conducit. *Spiritus Salis ammon. urinoſ.* (cujus præparat. vide in *Chymia*) egregiè temperat acidum, & per urinam ſudoremque operatur; unde *Febres* etiam *quartanas*, præmiſſis Vomitoriis, ſudores movendo curat. Diſſolvit & *Sanguinis grumos*, & *acidum* abſorbet in *Inflammatione*, *Podagrâ*, *Dolore iſchiadico*, & *Affectibus articulorum*; acidum enim deſtructum ſub forma ſapo-

ſaporis ſalſi eliminat. In *Catarrhis* cum *Myrrha* & *Succino*, & in *Affectibus hypochondriacis* cum *Liquore Terræ fol. Tart.* egregium eſt remedium. Menſtruum quoque ad *Elixir propriet.* optimum eſt. Externè cum *Camphora* in *Inflammatione* nil melius.

Vitriolum eſt *Mars* & *Venus* à *Spiritu Sulph. acido* corroſa, & in Sal compoſitum coagulata. Hujus intuitu aliud eſt *martiale*, ex albo vireſcens, aliud *venereum*, cæruleſcens; aliud denique *album*, quod ex minera *Veneris* immaturâ fit, & participat ſimul de *Saturno*. Pro uſu Medico optimum eſt *venereum* ex *Cypro* allatum. Paratur & *artificiale* ex *Marte* vel *Venere* in *Spir. Sulph.* ſolutâ. *Nativa* autem vel reperitur in mineris *Martis* & *Veneris*, roſis ab acido Sulphuris, ab ejuſdem pinguedine beneficio Salis aërei diſſolventis liberata; vel paratur ex *Pyrite*, abſumptâ pinguedine ſulphure; in calcinatione, adeo ut acidum ſulphureum *Pyritem* rodat, & accedente ſale aëris *Vitriolum* evadat. *Vis vomitoria Vitrioli* fit ex *Venere*, ſed ejusmodi Vomitoria in deſuetudinem abiere, quia nociva ſunt Stomacho. *Vitriolum album* in Aquâ appropriatâ ſolutum egregium fit Collyrium in omnibus *Oculorum Affectibus*. Niſi *Vitriolum* prius calcinetur, in *deſtillatione* vaſa diffringit, & Spiritus in auras abit. Modus calcinandi & deſtillandi in *Collegio Chymico* hactenus abſolutus *extat*. *Phlegma Vitrioli* in *Febribus hecticis* & *lentis* cum *Tabe* & *Phthiſi*, item in *Phlogoſibus internis*, mirè convenit; externè contra *Cephalalgias* applicatur. Melior evadit *Spiritus*, ſi ſuper proprium Vitriolum frequenter cohobetur. *Spiritus Vitrioli* & *Olei* ſubjectum acidiſſimum, egregiè Bilem & æſtum temperant, & vi acidâ Sal alcalinum deſtruunt; quin & acore ſuo blandè Appetitum reficiunt; & porrò laudatiſſimum ſunt nephriticum. Ratione tamen ſubtiliſſimi acoris, Pulmonibus, Teſtibus, & Dentibus nocent. In *Aq. aperitiva Penoti* propter Silices & Tar-

tarum calcinata deſtruitur *acidum Vitrioli*; unde paucíſſimus, ſed non admodum volatilis acquiritur Spiritus, qui egregiè diureticus eſt, inprimis in *Hydrope* cum *Eſſentia Abſinthii.* *Spir. Vitrioli diaphor.* nil valet, ratione enim *C.C. uſti* & *Salis Tartari* adjuncti nil prodit niſi *phlegma.* Ratione autem *Sulph. anodyni, Spiritus Vitrioli* optimum eſt antepilepticum. Inprimis ſi cum *Urina pueri* paretur. *Spiritus Antepileptic. Quercetani* paratur ex ana *Vitrioli* in aurâ probè ſiccati, & *Vitrioli cærulei Hungar.* affuſo *Spirit. Vini*, à Plantis cephalicis cohobato: ſic enim deſtillando & rectificando prodeunt duo *Spiritus*, qui ſimul miſti in digeſtione abeunt in corpus ſaliniforme, blandè acidulum & volatile, quod egregium eſt Stomachicum & Antepilepticum. Huc pertinent *Salia volatilia Glauberi*, quæ in Aq. ſolut. *Scorbutum* & *putredinem oris* multum juvant. Optimè paratur *Sulphur Vitrioli anodynum* ex *Vitriolo vener.* ſed extraverti debet hoc Sulphur per corpus amicum & homogeneum, *alcalia* nempe, quæ ex fundamento Sulphuris oriuntur; unde ex *Vitriolo Veneris* jam deſtillatur Spiritus. Non melior via *Sulphur Vitrioli anodynum* acquirendi habetur, quàm per *Salia fixa volatiliſata*; ex his autem Sulphuribus ritè elicitis facilè parantur *Tincturæ* per *Spiritum Vini*: *Sulphur* autem & *Tinctura* Authoris nil valent.

CAP. XV.

De Arſenico, Sulphure communi, Ambrâ, & Succino.

ARſenicum eſt nil aliud, quàm Sulphur volatile, quod ſecum rapit Metallum. Sed inter Venena primatum ducit propter acrimoniam volatilem, quæ in corpore ſe demum exerit. Veteres commendârunt contra *Aſthmata,*

mata, ſed non imitandi. *Externè* nil magis *Ulcera cancroſa* curat; & in *Cancro exulcerato* optimum fit remedium ex *Rad. Ari præp. Arſenico ſublim. dulc. & pari cũ Fuligine* Optimè autem tollitur ejus acrimonia fixando cum *Nitri* p. iii. in crucibulo ſimul fuſis, vel abſtrahendo *Spiritum Nitri* ter. Sic enim in *priori* caſu habetur *Arſenicum fixum*, aquâ ſimplici ſeparandum; & in *poſteriori Sulphur Arſen. fixum*, quod tamen ſubterfugiet uſum internum. Per *Oleum Tartari* correctum, addito *Oleo Myrrhæ*, in *Ulceribus cancroſis* par remedium externum non habet.

Sulphur concretum eſt ex ſubſtantia pingui, unde inflammabilitas, & volatili acido, unde Spiritus. Sic fit & *artificiale* ex pingui *Oleo Tereb.* cum acido *Oleo Vitrioli* diſtillato. *Sulphur* pectori dicatur, unde in *Phthiſi*, *Tuſſi*, & quibuſvis Pectoris & partium internarum læſionibus, frequentis uſus eſt. Hoc tamen intelligendum de parte ejus *pingui*, *acida* enim, quæ vitriolacea eſt, pectori nocet. Unde miſcetur vulgo cum Pinguedine ſeu Oleo vegetabilium; ut nempe exaltetur vis balſamica & occultetur acida. Porrò in *Affectibus catarrhalibus* egregiè lympham temperat. Quin & in *Peſte* Maſſam ſanguineam à putredine conſervat, unde potiones ſulphuratæ in *Febribus epidemicis* laudatæ ſunt. In *Partu* denique *difficili* cum *Myrrha* fauſtus ejus uſus eſt; ſicuti & ejus *florum* in *Colica*. *Externè Sulphur* cum *Oleo Lauri* ſubactum in *Scabie* rarò fallit; ad *Serpigines* & *Eryſipelas* exulceratum multum confert. Eſt quoque *Sulphur coſmeticum*. Modum *purificandi*, *ſublimandi*, *præcipitandi*, *deſtillandi*, & *infundendi*, vide in *Collegio Chymico*. Fruſtra ſublimantur *flores* cum *Aloe*, *Myrrha* & *Thure*, nam adjuncta reſinoſa pinguia planè deflagrant; præſtaret itaque ipſis *floribus* hæc addere. In *floribus Sulphuris corallatis* nil de *Coralliis* aſcendit; in *albis* verò, fit albedo

à *Nitro* adhærente. Lac *Sulphuris* nil valet, eſt enim Pulvis neque ab acido neque ab alcali ſolubilis, qui albedinem habet à particulis ſalinis, Sulphur vivum offuſcantibus. *Flores Sulphuris* cum *Spir. Salis* deſtillati dant Liquorem lacteum, qui virtutem antihydropicam, à *Spir. Salis* acceptam, obtinet. Paratur etiam *Liquor volatilis urinoſus* rubicundus ex *Calce viva, Sale ammon.* & *Sulphure vivo* an. deſtillatis. *Spiritus Sulphuris per campan.* convenit cum *Spir. Vitrioli*, niſi quod prior purum ſit acidum minerale, poſterior autem, propter fortem in igne torturam, aliquid de minera ſecum rapiat, unde ſtypticus eſt. *Spiritus* itaque *Sulphuris* minus eſt nauſeoſus, & in *Aſthmate* magis conveniens, cui tamen præfertur *Gas Sulphuris*, ſeu Fumus vitro exceptus, cui Vinum infunditur. *Balſama Sulphuris* melius procedunt cum *Oleo expr.* quæ melius ſolvunt Sulphur. Conducunt autem in *Corruptelâ Viſcerum* incipiente, *Empyemate* & *Vomicâ pulmonum*, *Mictu cruento*, & *Veſicæ exulceratione.* Sed cautè uſurpentur, ne *Febres* excitent. In *Abſceſſibus*, præcipuè *Mammarum*, *Balſamus Sulphuris* cum *Oleo Papav. expr. paratus* perfectè curat. *Balſ. Sulphuris* cum *Balſ. peruv. Bubones peſtilent. Vulnera* rec. & *Ulcera* perfectiſſimè ſanat. Notandum quòd *Oleum Lini*, dum ſolvit *Sulphur*, abit in concretum, pro tingendis Gemmis & parandis Tincturis mirè commendatum.

Ambra legitima ita cognoſcitur, quod ſubſtantiam pinguem tranſudet, intrusâ acu candente, & quod fruſtum manu calidâ agitatum liqueſcat. Naturæ pinguis eſt, in liquoribus oleoſis, non autem aquoſis, ſolubilis. Summum eſt analepticum, Spiritus animales refocillans & mobiles reddens. Senibus optimè convenit, memoriam etiam & ingenium confortat. Nimius tamen ejus uſus vi inebriativâ ſtupidos reddit. In *Stomachi Affectibus* & *Ructibus Senum* palmam ferunt *Ambrata.* Conveniunt etiam Mulieribus in *Partu difficili*, poſt

Par-

Partum, *Paſſione hyſterica*, &c. modò ne nimis feriant nares. *Ambra* pulveriſari commodè nequit niſi cum *duplo Sacchari*, & ſic cum gut. aliquot *Olei deſt. Cinnam.* egregium eſt confortativum pro *Senibus*. Paratur ejus *Eſſentia* rubicundiſſima cum *Spir. Roſar.* per fermentationem vel *Spiritu cort. Citri*; doſ. *gut.* xv. Fit & *Spir. elegantiſſ. ex Ambrâ*, cum *flor Roſ.* fermentatâ, cujus ℈i. analepticum eſt *Perlis* anteferendum. Præfertur autem *Ambræ* forma liquida, quia ſic facilius operatur; ſeparantur etiam quiſquiliæ, quibus adulteratur, & cavetur à glutinoſitate, quæ in ſubſtantiâ incommoda eſt.

Succinum primò liquidum fuit, *Lacertæ* enim, *Ligna* &c. ei ſæpè notantur incluſa; unde *Paracelſo* videtur ejuſdem eſſe naturæ cum *Petroleo*, quod *Succinum* reſolutum eſſe aſſerit. Etenim datur & *Succinum foſſile* in *Moravia*, & ipſe *Gagates* nil aliud eſt, quàm *Succinum*. Præſtat *Succin. flav.* *Album* enim ex flavo & Sale marino imprægnatur, & ipſum flavum beneficio Salis marini tingi poteſt albedine. *Succinum* par cephalicum non habet. In *Apoplexia* & *Epilepſia Sal* ejus *volat.* & *Oleum deſtill.* internè aſſumpta, uti & *Liq. C. C. ſuccin.* & externè *Oleum* Linguæ & Vertici inunctum primatum obtinent. *Affectuum catarrhalium* perfecta cura in *Succino latet*. In *Affectibus chronicis Ol. ſuccini* cum *ſaccharo* per ſudorem & urinam peccantem lympham evacuat. In *Affectibus nephriticis*, *uterinis*, *Gonorrhæâ virulentâ*, *Fluore albo*, optimum eſt. In partu difficili *Sal volat. Succin.* ad gr. xv. & in *Paſſion. hyſter. Ol. Succini* internè aſſumptum, & cum *Ol. ſpicæ* dorſo & cordi illitum, mirè conducunt. Præparatur *Succinum* lævigando cum Aq. appropriatis, cujus doſis à ℈i. ad ʒß. Fit *Tinctura Succin. aurea* per *Sp. Vini rectificatiſſ.* cum *Sp. urinæ circulatum*, cujus *gut.* xx. vel xxx. mira præſtant. Præcipitatur & *Magiſterium* ex hac *Eſſentiâ* per affuſam aquam ſimpl. *Succinum* deſtillando ſuggerit. 1. *Spiritum ſeu phlegma acidum volat.* quod in *Tinnitu* &

aliis *Aurium Affectibus* cum bombace inditur; internè autem non uſurpatur. 2. *Sal volat. acidulum*, collo retortæ adhærens, quod purificari debet, ſolvendo in Aqua ut ſeparetur *Oleum*, deinde in Sp. Vini, & tandem deſtillando per retortam in cineribus, ut prodeat *Sal volat. oleoſ. penetrantiſſ.* 3. *Oleum flavum* inſignis & penetrantis odoris, ex quo cum *flor. Sulphuris* fit *Balſam. polychreſtum* in *Nervorum Affectibus*. Caput mortuum poſt deſtillat. remanens pro corpore *Emplaſtrorum* ſubſtitui poterit; ſicut & Emplaſtra capiti dicata cum *Ol. Succini* malaxari poterunt.

CAP. XVI.

De Spermate Ceti, Aſphalto, Petroleo, Oleo Terræ, Carbone Petræ, & Gagate.

SPerma Ceti Veterum erat pinguedo Cetorum interfectorum; noſtrum autem nil aliud eſt, quàm Cerebrum Animalis cujuſdam cetacei majoris. Uſus ejus, in quocunque Sanguinis grumo diſſolvendo, ad ʒi. in Juſculo, Infuſo Thée, vel Cereviſiâ calidâ probè ſoluti, & ſtatim hauſti, eſt egregius. In *Aſthmatis* paroxyſmo graviori, & *Catarrhis ſuffocativis* à ſanguinis ſtagnatione ortis, mirè convenit. In *Tuſſi* etiam *ſiccâ nocturnâ* Lympham acrem & *Raucedinem* temperat.

Aſphaltos bitumen naturale eſt, rari uſus, niſi quòd pro corpore quorundam Linimentorum adhibeatur; & *Balſamo apoplectico* admiſceatur, ut colore nigro eum tingat.

Petroleum ſponte ex ſaxis tranſudans, eſt revera *Naphtha* Veterum, & nulli cedit *Oleo* in penetrantiâ. Ante Paroxyſmos rigorem febrilem, vel internè ſumtum, vel ex Stomacho illitum, egregiè mitigat. Contra *Menſium ſuppreſſionem* Pubi illinitur. In *Odontalgiâ* cum bombace

bace Denti inditum, & in omnibus partium nervoſarum Affectibus doloroſis, vim anodynam externè obtinet. Illitum locis frigori expoſitis, præſervativum æquè ac curativum remedium eſt.

Oleum Terræ eaſdem vires obtinet, penetrantiores tamen in *Arthritide vagâ ſcorbuticâ*, externè illitum. *Ligamenta* etiam *relaxata* & *Tendines artuum* firmat, & *Lympham* reſolvit.

Carbo Petræ eſt quaſi terra *Succini & Petrolei*, diſtillando enim liquorem dat ſimillimum *Oleo Petræ*.

Gagates Succinum eſt *foſſile*. Externè in quibuſdam *Emplaſtris* adhibetur, uſus internus nullus.

FINIS *Schröderi dilucidati.*

Michaelis Ettmülleri
EPITOME
COLLEGII PRACTICI.

LIB. I. SECT. I.
De Appetitu, ejuſque Vitiis.

Cap. I.
De Fame imminutâ ſeu Dyſorexiâ, & Fame abolitâ ſive Anorexiâ.

IN Corpore noſtro functiones eæ primariæ ſunt, quæ *Nutritionem* ſpectant. Aſſumimus autem alimenta ſtimulati per *Appetitum*, qui quando fertur in ſicca, vocatur *Fames*; oriturque à moleſtiæ cujuſdam ſenſu, circa orificium Ventriculi ſuperius ſeu ſiniſtrum, per acidum volatile fermentativum excitato. Tribus utique modis læditur *Fames*; aut enim *imminuitur* & dicitur *Dyſorexia*, aut *aboletur* planè & *Anorexia*, aut *augetur* unde *Bulimia*, aut *depravatur* denique ac *Pica* vel *Malacia* nuncupatur.

Cauſa Anorexiæ ac *Dyſorexiæ* eſt vel totaliter abolita, vel ſolùm imminuta vellicatio fibrarum nervearum in Stomacho. *Cauſæ ſpeciales* ſunt vel in orificio Stomachi

chi nervoſo, vel in fermento digeſtivo. *Minuitur* vel *deficit* ſenſus vellicationis in orificio Stomachi tum propter nervos, aut per *eſſentiam*, aut per *conſenſum* in nephriticis colicisve Doloribus, affectos; tum propter ſpiritus animales à narcoticis ſtupidiores redditos, aut ab animi Paſſionibus & Doloribus à ſtomacho avocatos, & impreſſionibus acidi minùs audientes. *Deficit* autem Fermentum digeſtivum, propter aërem æſtivum, ſpiritus (aliàs à frigore concentratos) rare facientem & abſumentem; propter nimium potulentorum, in ſpecie Seri lactis, oleoſorum, omniumque alcalium uſum; nimiam ciborum ingurgitationem; ſalivæ in Hecticis & Hypochondriacis viſciditatem; uſum Cereviſiæ non defæcatæ, quæ Tartarum alcalinæ naturæ in Stomacho deponit, aut Spiritûs Vini, qui Sulphure ſuo acrimoniam acidi temperat; bilis in Stomachum regurgitationem; aut excernendorum, putà menſium, ſeminis, &c. ſuppreſſionem. Ex omnibus his cauſis, frequentiſſima eſt viſcidum qualecunque, Ventriculi acidum enervans.

Prognoſis. Appetitus proſtratus ſine cauſa manifeſta in initio Febrium malignarum peſſimum eſt ſignum. Si in declinatione morbi proſternatur, inprimis poſt Febres tam continuas quàm intermittentes, ſignum eſt recidivæ. Pejus eſt ſignum, ſi nil appetant Ægri, quàm ſi appetunt alimenta, allata verò faſtidiunt. Denique fatale eſt ſignum, quando Ægri in ſummâ virium debilitate ſubitò Alimenta, quæ antea faſtidiverunt, appetunt. In Morbis chronicis vel intermittentibus Anorexia plerumque Paroxyſmos antecedit. In Pueris mali moris eſt.

Cura. Attendenda eſt cauſarum varietas. *Si à muco viſcido procedat*, expurganda ſunt vinoſa, quæ in Stomacho hærent, idque ope *Emetici antimonialis*, quod Stomachum immediatè evacuat; additis materiam viſ-

cidam

cidam attenuantibus, v. gr. ℞. *Crem. Tartar.* ℈ß. *Salis Abſynth. gr. vi. Olei ſtill. Mac. gutt. i. Sacch. gr. viii. Tart. emet. gr. ii. Miſc. F. pulvis, detur pro doſi.* Qui abhorrent à *vomitoriis*, *purgantibus* utantur, *Aloeticis* putà, vel *Pill. aloëphanginis* cum *Scammonio* acuatis, veſpertino tempore ante cœnam. Ubi fortius agendum eſt, conducit ſequens maſſa, quæ Stomachum egregiè evacuat, & mucum obſidentem incidit.

℞. *Maſſ. Pill. de Hier. cum Agaric. gr. xii. Extract. Abſinth. (vel Gumm. ammon. in acet. ſolut.) gr. viii. Scam. ſulphurati gr. i. Extract. Troch. Alband. gr. ß. cum ſ. q. Elixiris proprietat. f. Pillulæ No. xii. Inaur. dentur pro doſi.*

Evacuatione celebratâ pergimus ad *Alterantia aromatica* ſcil. paulo acriora, quæ beneficio Salis vol. oleoſi mucum incidunt, & rugas Stomachi detergunt. *Acida* quidem blandâ ſua adſtrictione tonum Stomachi plus minus per opiata, copioſa potulenta, Spiritûs Vini abuſum, aliiſque modis reſolutum firmant. Sed obſervandum, quòd per acida irritetur quidem Fames; veruntamen digeſtionis ſtimulum ſuppeditare, non Medici ſed naturæ opus ſit. Imò acida quandoque lædunt, illorum enim occaſione plus ingerunt Ægri, quàm naturali fermenti virtute digerere valent. Sanè vix, præterquam Tartari, in hoc caſu uſum proficuum obſervavi, ab aliis præſertim mineralibus èffectum minus tutum animadvertens. Inter *aromatica*, quæ hic conducunt, excellunt *Mentha, Cinnamom. Piper, Zinzib.* & *Zedoaria.* Hinc *Elix. Menth.* cum *Spiritu proprio per infuſ.* paratum egregium eſt. *Rad. Acori*, vel *recens* minutim inciſa, *Spiritu Junip.* irrorata, hinc in loco umbroſo *ſiccata, pulveriſata*, & cum *Extract. Tormentill.* miſta, multum confert. *Radices Armor.* & *Helen.* recentes optimè ſalivam glutinoſam in declinatione Morborum corrigunt, & Appetitum provocant. Vel poteſt fieri Nodulus compoſitus ſequens, aut ſimilis.

℞ *Rad.*

℞ *Rad. Acori veri ℥i. Zedoar. ʒvi. Helen. ℥ß. Herb. Menth. criſp. M. iß. Naſt. aqu. Mi. Miſc. pro Nodulo in Vini albi Menſ. i. ponendo. De quo Æger bibat ante paſtum, vel in ipſo paſtu* hauſtulum.

Præter hæc conveniunt etiam amara acriora, *Agrimon. ſcil. Carduus ben. Tanac. Abſynth. Centaurium min. &c.* in Vino & Aquâ decocta, vel in *pulvere* etiam uſurpata. *Elixir proprietat. c. acido* in trivio notum eſt. *Spiritus Panis* egregium eſt Stomachicum. *Tinctura Tartari, i. e. Sale alcali quaſi cauſtica facta*, ad 40 gutas: ut & *Sal Armoniacum* cum *aromaticis* (non fixis alcalibus, quæ acidum arripiunt, & partem volatilem dimittunt) præſcriptum, egregiè viſcidum incidunt & Appetitum ſtimulant. Inter *Salia* conducit etiam *Tartarus vitriolatus*. Intus acida, *Tartarus* primas vias blandè abſtergit & relaxat. In *Cydoniis* autem ferè abſoluta eſt *Inappetentiæ* cura, inprimis ſi cum Alvi fluxu jam conjuncta fuerit. Unde

℞ *Aq. Card. bened. ℥ii. Menth. ℥ß. Aq. Cinnamom. ʒii. ſucc. Cydon. ℥i. Syr. Cydon. aromat. ℥ß. M. cap. cochleatim.* Conferunt etiam *Spiritus Salis & Vitrioli*, modò cum *Spiritu Vini* dulcificentur, ad gut. xx. vel xxx. in vehiculo præſerrim calido ſumendi. Ad *Aromatica* pertinent *Michaelis Elix. ſtomach.* ejuſdemque *Pulvis ſtomachicus.*

℞ *Herb. Menth. criſp. M. iv. Meliſſæ Puleg. Salv. an. M. ii. Rad. Pimpin. ℥ii. Calam. aromat. ℥i. Granor. Maſtich. ℥iß. Zedoar. Galang. an. ʒiß. Cubeb. Nuc. moſch. Cinnam. Macis, Caryophyl. Zinzib. an. ʒß. Infundantur in Spiritu Menth. acuato Spiritu Vitrioli philoſ. ad gratum ſaporem. Eſſentiæ hinc probè extractæ adde Extract. Cal. Arom. q. poteſt diſſolv. Doſ. gut. xxx. vel xl.*

℞ *Pulv. Rad. Ari. ʒi. Arcan. duplic. ℈ii. Salis Card. ben. ʒß. Olei deſt. Menth. gut. vi. Sacchari roſat. ℥ß. M. F. pulv. detur ad ch. Doſ. ℈ii.* vel ℞. *Pulv. ſtomach. Birckm. ℥ß. divid. in doſ.* 6. Sumatur man. ac veſp. doſis cum juſculo. Si

Si oriatur *Inappetentia* ex vitio Spirituum animalium & nervorum, *v.g.* in ſenio, convenit *Ambra*, & *Balſamus Peruv.* aut ejus *Eſſentia* ſive *Tinctura*, cum *Tincturâ Tartari* parata. Ut & *Aromatica*, *Vinum*, &c.

Si pinguia vel bilis *Appetitum* proſternant, convenit *Elixir proprietatis ſine acido paratum*; imò conducunt heic omnia *amara*. Si *narcotica* id fecerint, convenient *acida*, & ſpirituoſa.

Inter externa conveniunt *Cruſta panis* probè ebria Vino & Aceto, *pulv. Caryophyllor.* inſperſo, & Ventriculo applicata; item *Panis* in *Elixiri Menth.* tinctus, applicando deſuper Laterem calefactum, præſertim in Spirituum defectu; ut & *Pellis Vulturis*, *Emplaſtra* ex *Tacamahac.* & *Caran.* *Unguenta* ex *Oleis Arom. deſtillatis* facta.

CAP. II.

De Appetitu aucto, Bulimo ſc. & Appetentia caninâ.

B*Ulimus* eſt ingens fames cum animi deliquio, propter orificium ſtomachi moleſtiùs affectum. *Fames* autem *canina* continua eſt appetentia, cum valida digeſtione, vel ſaltem ſubitaneo poſt paſtum vomitu.

Cauſa utrobique eſt *acidum volatile*, potentius activum, ſtomachi orificium continuò morſicans. Acida enim aſſumpta Appetitum promovent, & in Fame caninâ jejuno ſtomacho ſucci inſigniter acidi per vomitum quandoque rejiciuntur. Atque hæc *cauſa ordinaria* eſt; *extraordinariè* verò etiam produci poteſt per *nimium* membranæ ſtomachalis *ſenſum*, ejuſque facilem provocationem; vel per *Vermes* ſtomachi membranas vellicantes; ſed ſi promptè digeratur alimentum, neceſſe eſt, ut ſimul adſit acidum eſurinum. Ratione exceſſivi hujus acidi maſſa ſanguinea fit minus nutritiva, unde qui *Fame caninâ* laborant raròpingueſcunt.

Pro-

Prognoſis. Bulimos ſuperveniens Morbis chronicis funeſti eventus eſt. Appetentia quaſi canina poſt Febres eſt ſine periculo, niſi nimium comedendo acceriatur recidiva; ſi adſit Vomitus & Diarrhæa, in Cachexiam vergit.

In *Cura* reflectendum eſt ad duas maximè Indicationes. 1. *Temperetur acidum.* 2. *Temperatum evacuetur.* Antequam temperetur, minimè evacuandum eſt, ne acrimonia ſua Stomachum vel Inteſtina lædat. Quæ *temperant* acre acidum, ſunt 1. *Alcalia*, præſertim *fixa.* 2. *Terrea*, quæ abſorbent: Et 3. *Spirituoſa ſulphurea*, ac *oleoſa*, quæ hebetant. Unde patet, omnia Martialia maximè convenire, unà cum aliis fixis, *v.g.*

℞. *Corall.rubr.ppt.Lim.Martis minut.trit.an.*ʒß.*Lap. Cancr. Carpion. an.*℈i. *Croc.orient.*℈ß *Miſc.fiat Pulv. aſſumendus in Juſculo pingui.* Additur etiam ſubinde C. C. *uſtum*, *Creta*, &c.

Inter *Oleoſa* & *Spirituoſa* conveniunt *Spiritus Vini*, aut qualiscunque *ſulphureus*, v.gr. *Ceraſorum nigr. Aqua vitæ Matth.* cochleatim ſubinde ſumpta. Conducunt & *Olea* quælibet *expreſſa*, & potentiſſimè *Olea deſtill. Carvi*, *Caryoph.* &c. Huc pertinent *Vitella Ovorum* ad duritiem coctorum (quæ multum continent Olei, acidum egregiè obtundentis,) *Cochleæ*, *Cancri fluviatiles*, *Caro Suilla*, *Oryza* cum *Butyro* cocta, aliáque difficilioris paulò coctionis, adeoque acidum eſurinum infringentia. *Narcotica* quidem ſenſum ſtomachi ſtupefaciunt, ſed palliando ſolùm conveniunt. Nihilominus tamen *Fumus Tabaci* frequentiſſimè ſuctus, maximè temperat immodicam Famem.

Quoad *Evacuantia*, convenit *Pulvis* ſeq. ℞. *Rad. Jalap.*℈ß. *Reſin. Scam.gr.v.Lim.Martis pp.*℈ß.*Sal Tartar. gr.v.F.pulvis.Vel*℞. *Pill.Hier.ſimpl. Gal.* ℈i.*Extr.Rhabarb. opt.*℈ß. *cum Syr. Roſ.f. Pill. aliquoties mane ſumendæ.*

Bulimus curatur per *Vinum* inprimis *Malvaticum* vel

Hip-

Hippocraticum, & odorem *Panis Vino intincti*. Interdum *Theriaca* in Vino diſſolvitur & dimidiæ drachmæ doſi propinatur cum ſucceſſu.

CAP. III.

De Appetitu depravato, Picâ nempe, Malaciâ, & Faſtidio determinato.

P*Icâ* eſt inuſitatorum, *Carbonum* v. g. *Arenæ*, & ſimilium appetitus. *Malacia* eſt uſualium, *Halecum* v. g. *Carniumve crudarum* aut ſimilium intenſum nimis deſiderium.

Subjectum Picæ ſunt Spiritus animales vel vitiati, vel vitiatè moti, quatenus exinde opus Phantaſiæ depravatur, utut crebrior occaſio ſit ex Ventriculo & hujus Fermento alterato, ubi eſt ſubjectum radicationis. Licèt enim vellicatio ſtomachi Appetitum inferat, non tamen determinat ad particulare objectum, ſed Phantaſia hoc facit. Quin & multa appetuntur, quæ Stomachum non reſpiciunt, v. g. *Odor Corii*, *Fragor Cinerum*, &c. Præterea Phantaſia neceſſariò depravabitur, quia ſenſus externi depravantur: ſic afficitur *Odoratus*, cum fœtore quodam delectantur homines. Afficitur *Guſtus*, quatenus cibum cum voluptate comedunt, quem aliàs abhorrent. Videtur autem Guſtus depravatio à ſalivâ procedere, fermentum enim ſtomachi vel lympha vitioſa (v. g. à Suppreſſione menſium) ſalivam indubiè inquinat.

Cauſa proxima eſt vitiatus Spirituum motus. *Remota* eſt fermenti ſtomachalis alteratio: Hujus enim varia ſpecificatio (licèt à priori imperſcrutabilis) varios in variis animalibus Appetitus excitat. Fermentum itaque præternaturale vellicando orificium ſtomachi admodum ſenſile, Phantaſiam ad certum quoddam edulium,

vel

vel loco hujus aliud quid inuſitatum, dirigit. Adeoque *Pica* revera eſt ſpecies Melancholiæ hypochondriacæ. *Cauſæ occaſionales remotiores* ſunt, Menſium in Gravidis ſuppreſſio, ſanguinis & conſequenter lymphæ ſtagnationem & corruptionem inducens, Ulcera in faucibus materiam in ſtomachum deponentia, Seminis aliorumve excernendorum ſuppreſſio, aut à Matre graviter picante hæreditaria ſucceſſio.

In *Pica* appetunt utplurimum ea, quæ ſunt ſimilia (non verò contraria) fermento ſtomachali; adeoque multa, aliàs ſatis noxia, ſine noxa digerunt, modò nimiam quantitatem non ingerant, ſecus enim Cachexias, &c. inferrent. Mulieres gravidæ difficulter ferunt rei appetitæ denegationem; ſobriè tamen & temperanter comedant.

Cura tres habet Indicationes. 1. Evacuandus eſt Stomachus Vomitorio; vel in Gravidis ſub initium & finem gravidationis, & illis, quæ non facilè vomunt, Cathartico ex *Aloe*, *Extracto Helleb. Rhabarb. Pilul. cochiar. & Merc. dulci.* Quandoque ſuperadditur res appetita, ut fermentum vitioſum eandem avidè arripiens unà ejiciatur. Si depravata eſt integra humorum maſſa, ſudorifera antimonialia conveniunt. 2. Fermentum hoc acrius per *Martialia* ſaturandum, vel per alia appropriata alterandum. 3. Ipſe ventriculus appropriatis plus minus acidis roborandus. Inter hæc egregiè conveniunt *Succ. Cydon. Granat. Limon.* Specificè commendatur *Aqua* ex *Vitium ſurculis ſtillans*, miſta cum *Aqua theriac. ſuc. Citr. & Aurant.* in forma *Julepi.* Vinum etiam generoſum, inprimis *Infuſum Menth. Abſinth. Centaurii minor. Pulegii, &c.* ſingulariter Stomacho amicum eſt.

℞ *Conſerv. Menth. criſp. vel Roſ. vitriolat. ℥iii. Pulv. Zedoar. ʒiß. Syr. Cydon. aromatiſ. q. ſ. f. Elect.* Vel

℞ *Aq. Menth. Meliſſ. an. ℥i. Elix. Menth. ʒii. Succ.*

Cydon. ℥vi. *Syr. Cydon.* ℥ii. *F. Mixtura Gravidis* (*præmiſſis præmittendis*) *cochleatim exhibenda.*

Aliàs in non Gravidis Cura ferè ad imitationem Melancholiæ hypochondriacæ inſtituatur. Vitentur dulcia. Quandoque *Mithrid.* & *Theriaca* conveniunt. *Venæ ſectio* non ſuadenda, niſi adſit Plethora vel Menſium ſuppreſſio. Interdum *Hirudinum* ad *Hæmorrhoides* applicatio utilis videtur.

Succedit *Determinatum* Alimentorum *Faſtidium*; quod oritur vel à *memoriâ* prægreſſæ noxæ, quando v.g. Virgo faſtidit Cinnamomum, quo larvatum fuit purgans violentum; vel à *ſimilitudine* moleſti cujuſdam humoris, in iis v.g. qui in Febribus moleſtum habent amarorem in ore, & qui ab aſſumptione Opii vel reſinoſorum Purgantium amaritiem in ore contraxerunt, adeoque Cereviſiam lupulatam horrent, quatenus amara eſt, & facilè nidorem hoſtilem contrahit. Ad reſtaurandam utique ſuavitatem, & facilem aſſumptionem Cereviſiæ & Carnis nil melius eſt *Elixiri propriet. dulci.*

SECT. II.

De Siti læſa.

S*Itis* eſt liquidorum appetitus. Inſervit autem Liquor appetitus tam nutrimentis intra corpus diſtribuendis, quàm excrementis extra corpus eliminandis. Ille liquidorum appetitus, Naturæ curſu in ſolam Aquam fertur; Homines verò per artem nutrimentum cum vehiculo conjungunt. *Sitis* læditur tribus modis, etenim vel nimia eſt, vel deficiens, vel depravata. *Sitis nimia* eſt vel *moderata*, in Pharynge ſita, v.g. poſt Exercitia, Loquelam diuturnam, &c. vel *intenſa* & *clamoſa* in Stomacho ſita, & ferè inextinguibilis.

Cauſa

Cauſa eſt, quicquid acrimoniâ ſuâ ſalsâ fauces & ſtomachum vellicat. *Cauſæ remotæ externæ* ſunt qualibet ſalita, piperata, purgantia, Mercurius ſublimatus, aliaque *Venena*, *&c.* *Internæ* ſunt triplices: 1. Eſt acrimonia alcalina Bilis, vel cujuſcunque fluidi in Stomacho corrupti in cruditatem nidoroſam, qualem in Febribus obſervamus. 2. Acrimonia ſalſa Lymphæ (præſertim ſalivalis) in *Hydropicis*, *Catarrhoſis*, *Scorbuticis*, *&c.* 3. Saliva pauca glutinoſa, plus minus acris, in *Nephriticis*, *Hecticis*, & ex morbo convaleſcentibus; ubi maximè culpatur Spirituum defectus, qui aliàs ſecretionem ſalivæ promovere deberent; vel eorundem ad alia munia avocatio, in *Doloribus*, *Ira*, &c. Cæterùm in promovenda *Siti* Pulmones etiam multum conferunt in *Vomicâ* & *Empyemate*. Nec negligenda eſt conſuetudo bibendi. Obſervanda eſt differentia *Sitis*, etenim quædam affligit cum ardore febrili, quædam ſine eo, ut in *Catarrhoſis*, &c.

Prognoſis. Sitis in Febribus ardentibus pauca, eſt admodum ſuſpecta. Si Lingua ſit arida, Os glutinoſum aut exſuccum, Æſtus inſignis corporis, &c. & Æger de ſiti non conqueratur, peſſimum eſt ſignum, quia delirium vel ſtupiditatem partium ſignificat. Sitis clamoſa Appetitum proſtratum indicat. Si liquida cum ſonitu in ſtomachum dilabantur, innuunt ejus tonum reſolutum. Sitis inordinata abſque cauſa morbum imminere ſignificat. In Febribus cum eorum ſolutione evaneſcit. In Morbis chronicis non facilè pellitur.

In Cura, 1. Tollatur Cauſa partim per *acida*, partim per *temperata*. *Aqua* ſimplex *frigida* cautè uſurpanda, metuendum enim eſt, ne ex coagulatione ſanguinis in præcordiis Aſthma inferat. In *Affectibus febrilibus acida* plus minùs *auſtera* ſunt optima. Hæc inter ſunt *Acetoſa*, *Semperv. Suc. Citr. Cydon. Tamarindi*, *qui etiam alvum ſubducunt*, *Acetum* (*ſive ſimpl. ſive Roſ. ſive Viol.*)

Phlegma Vitrioli acidulum, *Spiritus Vitrioli*, *Spiritus Salis*, *& minerales Clyſſi* potui inprimis ordinario inſtillandi. Huc refertur *Nitrum*, præcipuè antimoniatum, quod ad ʒii. egregiè ſitim mitigat, & interea viſcidum reſolvit. Iſta, quæ temperando ſiſtunt ſitim, ſunt inprimis *Lac*, ejus *Serum*, & *Paſſulæ*, quibus ſuo modo *Radix Chin. Graminis*, *Cichorii*, *Acetoſæ*, & *Lign. Saſſafras* addi poſſent. Conveniunt hæc *Scorbuticis*, *Phthiſicis*, *Catarrhoſis*, & *Hecticis*, ubi acrimonia ſalſa ſitim inducit, & acida ſæpè nocent. Præ cæteris *Serum Lactis* cum ſucco Citri à butyroſâ parte purgatum, in *Febribus ſcorbuticis* beneficio Nitri ſui temperati alvum laxat, Salia corrigit & per urinas expurgat. Elegans eſt etiam *Decoctum Chin.* & *Saſſafr.* cum *Liquirit.* pro *Siti ſcorbuticâ*. *Hecticis* autem & *Catarrhoſis* Decoctum *Liquirit.* & *Fœniculi* admodum convenit.

℞. *Decoct. rad. & fol. Acetoſ.* ℔i. *Suc. Acetoſ. rec. expr.* ℥iii. *Syr. Ribium*, *Granat. an.* ʒvi. *M. pro potu acido.* Addi poſſent *Tincturæ Flor. Bellid. Roſ. Viol. &c.* Vel parentur *Julepi per infuſionem cum Tamarindis ad inſtar Tincturæ.*

℞. *Hord. rec. m. i. Paſſul. min.* ℥i. *Liquir. raſ.* ʒß. *Cinnam. ſem. Aniſ. Fœnic. an.* ʒj. *Coq. in* ℔iv. *Aq. font. bibat pro lubitu, qui temperata poſtulat.*

II. Augeatur Lympha Salivalis, per uſum potus Aquei, cavendo interim ne ſtomachus nimium gravetur. Inter omnia autem ſalivam viſcidam attenuantia excellit *Sal ammoniacum.*

III. Fallatur *Sitis* volutando in ore Cereviſiam ſecundariam, vel abluendo *Fauces* cum *Succo Sempervivi maj. Mucil. ſem. Cydon.* cum *Aquâ Sperm. Ran. extr.* & *Sale ammoniaco*: præſertim ſi lingua ſimul ſit arida, ſcabra & plùs minus nigricans.

Qui Sani *ſiti matutinæ* ſunt obnoxii, levantur hauſtu Vini abſinthit. Qui æſtuantes, intenſius laborantes,

tes, aut defatigati, Siticuloſi exiſtunt, levantur, per Spir. Vini aſſumptionem.

Sitis deficiens rara eſt. *Depravata* ad *Febrium*, vel *Picæ* & *Malaciæ* Symptomata pertinet.

SECT. III.

De Maſticatione læſa.

CAP. I.

De Muſculorum Maſticationi inſervientium Vitiis; in Specie de Spaſmo cynico & Tortura Oris.

ANtequam Alimenta in Stomachum tranſmittantur, prius in ore maſticari debent. Læditur autem *maſticatio* vitio vel *muſculorum*, vel *maxillarum*, vel *dentium*.

Muſculi temporales, & qui genis atque labiis communes ſunt, inſerviunt Maxillæ inferiori movendæ, & ad ſuperiorem convenienter, idque validè, ſi opus eſt, adducendæ. Si hi muſculi *Spaſmo* laborent, inferior Maxilla ſuperiori conſtanter adducta perſiſtit: Si *Paralyſi* afficiantur, inferiorem Maxillam pondere proprio deorſum labi permittunt, ſine reductione ad ſuperiorem. *Convulſio* ac *Paralyſis temporalis muſculi* rara eſt, ſi non cum univerſalibus *Epilepſiis* & *Apoplexiis* concurrat, quibus curatis, curatur & ipſa; niſi interdum ſpecialiter muſculus vulneretur, aut alio modo afficiatur, quo in caſu vulgari methodo externâ curabitur. Genis & labiis inſervientium Muſculorum ſimultanea *Convulſio* & *Paralyſis*, pariter non niſi gravioribus hujus generis aliarum partium internarum Affectibus ſuperveniunt; & tunc ſpeciatim utriuſque partis faciei Convulſio, & oris hinc facta utrinque de-

ductio, ad modum Canum ringentium, *Spaſmus cynicus* dicitur. Sin verò alterutra ſaltem faciei Muſculorum pars vel convellatur vel Paralyſi afficiatur, tum in Convulſione hâc pars ſana ad ægram, duram, dolore affectam & convulſam; in Paralyſi verò pars ægra mollis, laxa, minùs ſenſilis (cum ejus oculi inferiori parte ferè decidente) ad ſanam trahitur. Exinde recta Oris figura diſtorquetur, & ſpeciatim *Oris Tortura* dicitur, in qua alter oculus ritè claudi nequit, imò & Æger literam O pronunciare, ridere, exſufflare, aut expuere, niſi ex altero tantum oris latere, haud valet.

Cauſæ Convulſionum & Paralyſium ſuo tempore evolventur. Si dimidium faciei totius, & aliæ illius lateris partes, ſimul afficiantur, in radice & principio nervorum alterius iſtius partis hæret malum: Sin verò ſpecialiter muſculus unus alterve afficiatur, tum hæret malum in nervi cujuſdam ſurculo ſpeciali.

Prognoſis. Tortura oris ſuperveniens Morbis acutis, vel Convulſioni aut Paralyſi reliqui corporis, mortem portendit.

Cura. Si paralytica ſit *Oris tortura*, præmittuntur *purgantia*, deinde frequenter exhibentur *ſudorifera* ex *aromaticis* & *volatilibus*, imò & ex *Lignis*; poſtea *veſicatoria* aut *cucurbitæ* cum ſcarificat. nuchæ vel auri affectæ applicantur. Detineantur in ore *Extract. Caſtorei*, vel gargariſetur os cum *Caſtoreo* in vino ſoluto, vel *Decocto rad. Pyreth.* cum *ſem. Eruc.* Quin & *Eſſentia Caſtor.* cum *Tinctura Benzoes* loco affecto crebrius illinatur. Detineantur item in ore *Plateri Rotulæ.*

℞. *Nuc.m.* ℥ij. *Rad. Pyreth. Angel. ſem. Staph.agr.* (*vel Coriand.*) *Sinap. an.* ℥i. *ſem. Angel.* (*vel Cumin.*) *Cubeb. an.* ʒß. *Piper.* ℈ß. *Maſtich.* ʒiß. *Ceræ q.ſ. Miſc.f. Rotulæ.*

Ex Spaſmo ſi fuerit malum, *Purgantia*, *Sudorifera*, & ex *Caſtoreo* parata commodè uſurpantur. Curavit *Platerus* per *Narcotica aromatica*, e.g. *Mithridat. Syr.*

pap.

pap. Opiata &c. *Emeticum* non eſt omittendum, ſi primæ viæ cruditatibus ſcateant.

CAP. II.

De Maxillarum & Dentium Vitiis.

M*Axillæ luxatæ* à quavis violentiâ, nimiâ oſcitatione, aut oris hiatu, facilè per inflictam ſub mento alapam reſtituuntur. Si à tumore aut inflammatione Faucium vel Parotidum, vel decubitu lenti tartareique humoris in juncturam cum oſſibus Temporum, Maxillæ in motu libero impediantur, removendæ ſunt hæ cauſæ, quæ per ſe facilè patent. Si tremulè moveatur Maxilla, propter Spaſmum reciprocum muſculorum adductioni & abductioni inſervientium, ſupervenit ſonus ex crebriori colliſione natus, qui *Stridor dentium* dicitur. Specialiores *ſtridoris* hujus cauſæ ſunt frigus externum, Lumbrici inteſtinorum, imò & Febrium rigores, ob dentium conſenſum cum partibus circa præcordia membranoſis. *Dentium ſtridor* ſubitò Adultis ſuperveniens Apoplexiam aut Epilepſiam portendit. In Febribus deliranti malum eſt. Pro *Cura* applicetur externè *Balſ. Peruv.* & removeantur Cauſæ methodo ſuis locis dictâ.

Succedunt *Dentium* vitia, quibus læditur Maſticatio; quando ſcil. aut *deficiunt*, aut *vacillant*, aut *ſtupore* vel *dolore* affliguntur.

Deficiunt Dentes, quando evelluntur, aut à cauſa externa ita alterantur, ut, inſtar partis morificatæ, cum gingiva viva cohærere nequeant, idque vel ratione *Senii*, vel ratione *nimis frigidorum*, quæ Senium eorum accelerant, vel *nimis calidorum*, quæ dentes & gingivas amburendo penetrant & arrodunt, vel ratione nimii uſus *Narcoticorum*, *Aceti*, aliorumque (in *Odontalgia*) quæ

ſtuporem iiſdem inducunt; vel denique ratione nimis viſcidorum, dulcium nempe, lactis, caſei, &c. quæ pertinaciter dentibus adhærendo tranſpirationem impediunt, unde eorum nutrimentum in acorem nocivum vergit.

Inter *cauſas Defectus* dentium inprimis conſideranda *Caries* ſeu *Arroſio*, qua dens inſenſibiliter abſumitur & excavatur, donec fruſtulatim excidat. Incipit malum utplurimum in parvo puncto extrinſecus, quod nigreſcit primitùs, inde foraminulum aperitur, ſicque ad interiora penetrat; unde ſequitur *Dolor* propter dentis radicem nerveam arroſam; & ex arroſo dente naſcitur quandoque *ſanies*, quæ, ſi per foraminulum dictum non effluat, ad interiora pergit, & nunc gingivas nunc ipſam maxillam rodit, & præſertim per illa hujus foramina, per quæ vaſa in dentes ſubeunt, effluens Tubercula excitat, quæ exeſa ſanioſum acre liquamen fundunt, & licèt curata, nova tamen ſanie ex carioſo dente generatâ recidivant, & tandem in *Fiſtulam* degenerant. *Cauſa Cariei* eſt acidum ex nutrimento dentis degenerato. *Nutritur* autem *Dens* non ſolùm per propria vaſcula, arteriolas nempe & venas, circa ſui radicem implantatas; ſed lateraliter etiam ex firmiter adhærentibus Gingivis; unde acutiſſimus eorum ſenſus, licèt ex ſe indolentes ſint. Quandoque nutrimentum hoc corruptum *Vermes* in dentium cavitatibus generat, graviſſimorum Dolorum autores; quandoque fœtorem, halitum oris inficientem, inducit, inprimis ſi excavatio tanta ſit, ut alimenta carnoſa inibi putreſcant.

Si Nutrimentum Dentium laterale (ex gingivis) ita depravatum ſit ex flacciditate gingivarum externas injurias recipientium, ut perfectè cum dente aſſimilari nequeat, tum abit in *lapideam ſubſtantiam* denti adhærentem, & *lapidem dentalem* ſeu *lithodonton* dictam; quæ ſimul mucilaginem ciborum ac potuum ſecum indurat.

Dentes

Dentes *nigri*, *ſordidi*, aliove modo malè colorati, *Cariei* & *Lithodonto* obnoxii ſunt. Quid enim nigrities, &c. niſi alteratum Dentium nutrimentum, vel occaſione externorum adhærentium, ſpeciatim viſcidorum & dulcium, vel gingivarum flaccidarum, ut in *Scorbuto*, & poſt *inunctionem mercurialem* in *Lue venereâ*.

Quoad *Curam*. Si longius proceſſerit *Caries*, neceſſaria eſt *Evulſio*, quæ peragitur appropriato Inſtrumento, & eo melius ſuccedit, quo magis dens vacillaverit. Quo autem diſponatur ad facilem evulſionem, ſunt qui globulos ex *lacte Tithymali*, cum Sale ammoniaco aut *farinâ triticeâ*, cavo denti immittunt. Commendantur item in hunc finem *Lac Cataputiæ*, *Lac ficulneum*, *Succus Chelid. maj.* & *Pinguedo Ranis* ſupernatans, dum in olla vitreâ affusâ aquâ coquuntur. Vel

℞. *Gum. ammoniaci, Sem. Hyoſcyam. Succ. ejuſd. an.* ℥iß. *Adde parum Pingued. Ranæ virid. & Ceræ, f. Ung. denti extrahendo applicandum vel indendum.*

Si *Caries* nondum nimium proceſſerit, propter pericula ſub *Dentium evulſione* obſervata, tentanda eſt cura remediis ejus progreſſum inhibentibus; inurendo nempe in loco carioſo cum *Cauterio actuali*, vel ſaltem *potentiali*, ſc. *Aq. fort. Spirit. Vitrioli, &c.* & deinde replendo Dentem *Auro foliato*, vel *Myrrhâ* cum *Cerâ viridi* ſubactâ, vel *Zingibere* in *Oxymel.* cocto, aut *Pulv. Corall.* cum *Camphora*: hæc enim à majori putredine præſervant.

Tollitur *Fætor dentium* abluendo os poſt prandium & cœnam aq. in qua Sal ammoniacum ſolutum; vel Denti cavo indendo *Gall. moſchat.* cum *Cyper.* & *Maſtic.* Eliciuntur *Vermes* ex dentibus retinendo in ore *Sabinam* in *vino coctam*, vel Suffitum *ſem. Hyoſciam.* ſeu *Fruct. Halica.* ore ſuſcipiendo; vel denique *Spir. Sulph.* aut *Pulv. Gallarum* cum *Succ. rad. Pyreth.* denti indendo.

Lithodontes, *Dentium nigrities*, *ſordities*, *&c.* curan-

tur, ſordes illas abſtergendo, vitioſum earum acidum abſorbendo, & gingivas roborando. In leviori malo ſufficiet Dentes & Gingivas fricare *Oſſe Sepiæ* C. C. *uſt. Mand. Luc. piſ. Teſt. ovor. calcin. Cin. Majoran. Roriſmar. Urin. calida, Tartar. calcin. Sale Tartar. &c.* Vitanda ſunt lapidea ex *Silic. Pumic.* &c. quia Gingivas atterunt. Ubi fortius agendum, illinatur Gingivis *Spir. Salis* aut *Oleum Sulphur.* cum *Melle, Spiritus Vitrioli* ſuſpectus eſt. Fit utique Pulvis dentifricius egregius ex *Rad. Polypod. infuſ.* in *Vino* cum *Spir. Sulphuris* acuato. Interea non incommodum eſt hujuſmodi Pulveribus addere *Radicem Jrid. flor.* odoris gratià, ut & Sal ammoniacum, quod in omnibus *Oris affectibus* admodum conducit. Paratis Dentifriciis aliquot guttæ *Olei deſtill. Caryoph.* aut *Lign. Rhod.* poſſunt addi. Huc etiam facit *Riverii Liquor ex Alum. uſto.* Vel

℞. *Gran. Cherm. Santal. rub. an.* ℥ß. *Spiritûs Vini q. ſ. pro extrah. Tinct. quâ irrora aliquoties Pulverem ex Oſſ. Sep.* C. C. *uſt. Pumic. ppt. & Moſch. qui poſtea exſiccetur pro dentifricio.*

Succedit *Dentium vacillatio*, vel propriâ culpâ, de qua hactenus, vel Gingivarum vitio, quando ſc. molles & flaccidæ, aut à ſanguinis copia in ſpuriam carnem, ſub tactu cruorem ſtillantem, intumeſcunt; aut, ſi ulterius procedat negotium, exulcerantur & ad Gangrænam diſponuntur. Procedit plerumque hæc Gingivarum laxitas à vitioſo ſcorbutico Sale, in ſaliva regnante, earum tonum reſolvente, & plus minus rodente; unde Mercurii uſus, & omnia ſalivam copioſam educentia, Gingivas valdopere laxant, & hinc Dentes mobiles reddunt.

Cura. Præmiſsâ radicis morboſæ internâ curatione, Gingivæ flaccidæ adſtringendæ, exulceratæ detergendæ & conſolidandæ, gangrænatæ verò ab ulteriori malo præſervandæ. Si quid aliud, certè *Myrrha* & *Lacca* in

Scor-

Scorbuto oris multum conferunt; unde & *Tinctura Laccæ* proſtat, omnibus præferenda. Convenit etiam *Phlegma Vitrioli*, in quo *Alum. ſolutum*, & *Lacca pulver. infuſa.* Optimè abluuntur Gingivæ *decocto Rutæ* vel *Salv.* ſanando dein *Ulcera* cum *Mell. roſ.* & *tantillo Spir. Salis.* In genere conveniunt *Flores Roſ. rub.* & *Aquileg.* C.C. *Eburq; uſt. Alum. Lapid. cancr. fol. Querc. Liguſt. Rad. Ireos flor. Biſtort. Tormentill. flor. Malv. arboreſc. Naſturt. Aq. Rut. Salv. & Roſmar.* Ex his fiunt *Pulveres dentifricii*, & *Decocta*, vel denique *Linimenta*; e. g.

℞. *Alum. crud.* ℥iß. *flor. Aquileg. fol. Salv. an.* ℥ij. *rad. Ireos flor.* ℥iß. *Myrrh. elect.* ℈ij *cum q. ſ. Mell. roſ. f. Linimentum.*

In *Excreſcentia Gingivarum ſcorbuticâ Spir. Cochl. cum Alum. uſto* eſt perquam egregius. Sicuti nulli cedit *Decoct. Vermicularis cum Alum. & Mell.* Probatiſſimum autem eſt ſequens.

℞. *Cremor. aquæ Calcis vivæ ſupernatantis* ℥ij. *Gumm. Lac.* ℥ij. *Vitriol. cypr. gr. vi. Aq. Roſ. Salv. an.* ℥iß. *Solve calore leni ut probè impraegnetur à Laccâ, & eo laventur Gingivæ.*

In graviori malo procedendum eſt ad *Linim. Hartman.* deſcript. in *Praxi Chym.* p. 123. & *Ung. Ægypt.* cum *Melle roſ.* Interdum ad *Aquam Reg.* vel *Aquas virides* ex *Viridi æris*, pauco *Auripigmento*, & quibuſdam vulnerariis, in Aquâ infuſis & decoctis. Pro *Exulceratione* ſufficit quandoque ſeq. Pulv.

℞. *Alum. uſt. Salis ammoniaci an.* ℈i. *Maſtich. Thur. an.* ʒß. *f. Pulv.* affricandus Gingivis, *Decocto Salv. Torment.* & *Flor. Roſ. rub.* antea & poſt elotis.

Impeditur denique Maſticatio, *Stupore dentium* ab acidis aſſumptis vel vomitu rejectis orto, vel ſaltem *Algore*, dum à frigoris attactu afficiuntur. *Stuporem* curant *Portulac. rec.* maſticata, item *Caſeus*, *Siliqua ceracea*, *Ovi vitell.* ad duritiem coctum, & omnia alcali

ditata.

ditata. *Algorem curant Spir. Vin.* vel *panis calidus*, vel *Vitellum ovi* aſſatum, vel denique *Theriaca*, dentibus applicata.

SECT. IV.
De Deglutitione læſa.

LÆditur *Deglutitio*, quando vel *aboletur & diminuitur* vel *depravatur*. *Aboletur* vel *Imminuitur*. 1. Vitio *Gulæ*, quando muſculoſa ejus tunica vel muſculorum tria paria unà cum ſphinctere Paralyſi afficiuntur; quando anguſtatur nimis Inflammatione aut Tumore, tam proprio quàm partium vicinarum; quando coarctantur ejus fibræ Spaſmis epilepticis, hypochondriacis, hyſtericis, aut nimiâ exſiccatione in Febribus, & defectu Salivæ; quando ab aſſumptis (v. g. infuſo Rad. Conſolid. maj. in Vino malv.) nimium corrugatur; quando denique ab hærentibus oſſiculis, ſpinis, aciculis, &c. obſtruitur & inflammatur. 2. *Orificii Ventriculi ſuperioris* culpâ, quando ritè licèt per Gulam demiſſa, admittere recuſat, idque vel quia inflammatum, excoriatum aut tumore obſeſſum eſt, vel quia à flatibus in anguſtiis incluſis pertinaciter ſtringitur, vel denique quia nauſeat, & alimenta tanquam ſibi hoſtilia recuſat.

Depravatur Deglutitio, 1. Quando liquida facilè, ſolida difficulter aſſumuntur. 2. Quando ſolida quidem deglutiuntur, liquida verò (quia Epiglottis Laryngis aperturam debitè non claudit) per os & nares rejiciuntur. 3. Quando vel ſolidorum vel liquidorum quædam facilè, quædam difficulter, quædam non omnino deglutiri poſſunt. De ejus ratione *ſub Titul. de Nauſea Ventriculi* pluribus actum eſt.

Prognoſis. Deglutitio læſa à Paralyſi muſculorum Faucium

Faucium ſemper periculoſa eſt. In Morbis acutis Deglutitio læſa ob Spirituum defectum, ubi & potus cum ſonitu in Stomachum deſcendit, mortem portendit. Si lædatur à Spaſmis, in Vulneribus & Morbis acutis, malum eſt periculoſum; In chronicis minus. Si ab Ulcere Oeſophagi cancroſo, vel ipſo cartilaginoſo facto lædatur, lethalis eſt. Deglutitæ res alienæ in faucibus hærentes Dolorem, Inflammationem, Abſceſſum, &c. inferunt. Quandoque rupto Abſceſſu unà cum pure vel ſurſum vel per ſeceſſum ſine noxâ ejiciuntur; vel per alia plus minus vicina loca, Collum nempe, intercoſtale ſpatium, &c. exitum ſibi quærunt. Interdum dum ad Ventriculum deſcendunt, Pyloro pertinacius adhærentes mortem inducunt, vel in Inteſtina delatæ aſperitate ſuâ Dyſenteriam excitant.

Cura pro *cauſarum* varietate variat. Paralyſis Linquæ tollitur tenendo in ore *Decoct. Salv. & Eruc. in Vino*, vel *Spiritum Vini* ex *Infuſione Thymi, & Flor. Lavend. cum Castor.* Intra fauces ſumendo pulverem *Nucis moſchatæ cum gutt. unâ aut alterâ Ol. deſt. Succin. Aniſ. Lavendul. Roriſmar. Thym.* &c. vel *Eſſent. Caſtor. cum Sp. Theriac.* aut *Aq. anhaltina*; & Collum ac Nucham illinendo *Ol. Lumb. terreſtr. Coſtin. deſt. Succin. Aniſ. Lavend.* &c. Clauſura Faucium & Oeſophagi à Spaſmo, *aromaticis* & *nervinis*, blandis *Opiatis* additis, internis & externis curatur. Si à vitio Hypochondriorum, per *acidum abſorbentia*, & *opiata*, item *caſtoreata*. Si ab Exſiccatione in Febribus, *Mucilag. ſem. Cydon.* cum *Aqua ſperm. Ran.* extracta lentè deglutiatur. Externè applicetur *Ung. Zacuti* compoſitum ex *Ung. Fil. Zachar. Roſ. reſumptiv. Oleo Amygd. dul. Viol. & Mucilag. cum Lacte muliebri.* Salivæ defectus potu *Vini* aut *Cereviſ. ſecundar.* vel *Cryſtallis* in ore volutis reſarcitur. Res alienæ deglutitæ & in ſuperiori tractu hærentes ociùs eximendæ ſunt, vel inſtrumentis, vel artificiali *Tuſſi*, *Sternutatio-*

ne

ne aut *Vomitu*, lambendo interea de *Oleo Amygd. dulc.* & aliis lubricantibus. Aciculæ, Vitri fruſtula, Piſcium ſpinæ, aliave acutiora, per inferiora excludenda; propinando interea *Pultem ſpiſſiorem* ex *Oryza*, *Milio*, vel *Panico*, & abſtinendo à potu, ut nempe res acutiores in ſpiſſo involvantur. De *Vitiis Stomachi* agetur inferius.

SECT. V.
De Chyloſeos Læſionibus.

ALimenta in Stomachum ſuſcepta beneficio fermenti ſpirituoſi aciduli diſſolvuntur, & volatiliſantur in *Liquorem plus minùs ſpiſſum*, *lacteum*, *ſalſum*, *volatilem & temperatum*, *Chylum* dictum. Læditur autem Chyloſeos opus, quando omninò *aboletur* aut magis minuſve *imminuitur*, vel quando *depravatur*, unde alimenta depravata alio nomine *Cruditates* dicuntur; ſuntque vel *acidæ*, quando cibi abeunt in ſuccum acidum plus minùs viſcidum, nec ſufficienter attenuantur & volatiliſantur; vel *nidoroſæ*, quando abeunt in liquorem ſaporis horridi, plus minùs putrilaginoſum; quem imitantur Ructus iſti, qui ab ovis frixis cum Butyro comeſtis ſolent eructari.

Cauſæ. Malè Veteres Intemperiem Ventriculi frigidam, in ejus læſionibus accusârunt; quandoquidem calor non effectivè ſed diſpoſitivè digerat. Cauſa itaque proxima Chyloſeos læſæ erit vel in *fermenti Stomachi vitio*, vel in *vitio Alimentorum aſſumptorum*. In *fermento* quidem, quando non ſufficienter aut non legitimè digerit; vel quia ſpiritus deficiunt, aut à Dolore & animi perturbationibus præoccupantur, aut exercitii defectu habeſcunt; vel quia fermentum minus volatile eſt, & à peregrino acore in ſtomacho corrumpitur, v. g. in *Scorbuticis* & *Hypochondriacis*, ubi alimenta quidem prom-

promptè diſſolvuntur, ſed non debitè volatiliſantur, at nimio acore in *Cruditates acidas* mutantur; vel quia fermentum acidum deficit, aut à Sale volatili oleoſo Bilis in Stomachum regurgitantis, aut pinguium intro aſſumptorum, adeo obtunditur, ut *Cruditates nidoroſas* inferat. Quin & reliquiæ ex præviis digeſtionibus, & copioſæ pituitæ viſcidæ rugis ſtomachi adhærentes, fermenti activitatem obtundunt, & coctionem lædunt. Verùm in unoquoque ſubjecto peculiaris eſt fermenti digeſtivi varietas, adeo ut quæ unus Ventriculus facilè digerit, alius reſpuat. Ipſe autem Appetitus varius monſtrat quædam magis appropriata eſſe fermento ſtomachali, & conſequenter facilius digeri. Unde inſueta fermentum pervertunt, tanquam novum poſtulantia. Accedit inter cauſas Chyloſeos læſæ, Stomachi relaxatio, excoriatio, & obſtructio, vel ejus conſenſus cum Renibus in nephriticis Doloribus.

Altera *Chyloſæos læſæ cauſa* ab alimentis aſſumptis petita frequentior eſt; quando ſc. nimia ciborum ingeritur quantitas, quàm fermentum ſufficienter diſſolvere nequit, vel tanta aſſumitur varietas, pinguium v. g. cum acribus, acidorum cum dulcibus, &c. ut dum fermentum promtius agit in unum, cui magis appropriatur, alterum in cruditatem tranſeat; vel quia appetita denegantur, & contraria offeruntur; vel quia deglutitur immodicâ quantitate panis, qui proin nimio acore aſſumpta imprægnat, & exceſſivâ fermentatione mutationem Chyli in ſalſum impedit. Pari etiam ratione Literati, aut ii, quorum ſubtilius ac minùs potens eſt fermentum, facilè à Vino inebriantur, quia ejus acidum prævalet acri fermentativo ſpirituoſo: Hypochondriaci autem tardius inebriantur. Item potus nimius digeſtionem turbat, quia fermentum nimis diluit, nimiam alimentorum fluctuationem facit, & Stomachi fibras diſtendit flaccidaſque reddit. *Abolita* Chyloſis cogno-

ſcitur

ſcitur per excrementa alvi rejecta talia, qualia fuerunt aſſumta.

Signa. In imminutâ Chyloſi conqueruntur Ægri de Dolore Stomachi poſt paſtum, de Ructibus ejuſdem cum aſſumptis ſaporis poſt quinque vel ſex horas, de Inflatione Stomachi, phlogoſi in Hypochondriacis, & ſubinde difficili Reſpiratione, quando dorſo incumbunt. Matutino tempore os mucoplenum eſt, qui revera à Stomacho regurgitat. Accedit interdum Vertigo Symptomatibus Hypochondriacis comitata. *Signa Digeſtionis depravatæ* ſunt Ructus, in *Cruditate acida* quidem acidi cum flatibus copioſis: quæ reiiciuntur per Vomitum ſunt viſcida ſaporis acidi, & Alvus ſubinde eſt contumax. In *Cruditate nidoroſa* Ructus ſunt fœtidi, ſicut poſt ova frixa aſſumpta; mane in ore peregrinus & cinereus percipitur ſapor; quæ rejiciunt vomitu, ſunt liquida ſubflava, aut inſipido-dulcia, aut amaro-dulcia, & Alvus plus ſolito aperta eſſet ſolet.

Prognoſis. Chyloſis læſa morbos chronicos inducit. Ex cruditate acida in Stomacho oriuntur Febres intermittentes, Malum hypochondriacum, Colica Paſſio, Scorbutus, Cachexia, Morbi cutanei, Arthritis, & omne acidum vitioſum.

Cura. Promovetur *Chyloſis*, impedimenta removendo, Stomachum aromaticis vol. extergendo, & irritando, atque acidis blandioribus ejus tonum conſervando. Removentur impedimenta vomitu vel ſeceſſu. Unde inprimis conducunt *Vomitoria antimonialia*, hinc *Purgantia*, ſc. *Maſſ. pill. Marocoſt. Pill. Emanuel. Pill. de Hier. cum Agaric. Pill. Maſtich.* vel *Aloephang. Scammonio* acuatæ, una alterave hora ante prandium exhibitæ, ſemel qualibet ſeptimana, vel quovis menſtruo ſpatio. Item *Cremor Tartari* non incommodè in juſculo Pulli ante prandium ſemel in ſeptimanâ exhibetur.

Quoad

Quoad *Aromatica* Stomachum extergentia & irritantia, conveniunt inprimis *Sem. 4. cal. maj. Zingiber,* (quod egregiũ) *Abſinth. Acor. Roſmar. Lingu. cerv. Saſſafr. Eſſentia Piper.* cum *Spiritu vini tartariſato parata*, *Elix. propr.* (in cruditate acida *ſ. acido* parata, aliàs *cum acid.*) *Elix. Vitriol. Mynſich.* Facit huc etiam *Sal armoniacum* inprimis in *Vin. Abſinth.* vel *Vin. Infuſ. Saſſafr.* Item *Tart. vitriolatus Tachenii*, & *Nitrum vitriolatum* cum *aromaticis* miſta. Senibus convenit *Ambra* in pulv. cum *Saccharo*, aut ejus *Eſſentia* cum *Spirit. Menth.* vel *Meliſſ.* Huc pertinet *Poterii Specificum ſtomachicum*, quod probabiliter paratur ex *Regulo Antimon. martiali*, ad modum *Antimonii diaph.* Quin & Stomachum roborat *Infuſum Herb. Thee. Nux moſchata* nimis oleoſa eſt. Poſt partum cum fructu quoque aſſumitur *Vini malvatici, hiſpanici*, aut *frontiniaci* hauſtulus; aut etiam *Spiritus Ceraſorum nigr.* Vel *Elixir* qualecunque *ſtomachicum*, ad unum vel alterum cochleare deglutitur. Vel

℞. *Rad. Helen.* ℥vi. *Zz. vel Zedoar.* ℥iii. *Herb. Menth. criſp. Abſinth. an. m. j. ſem. Aniſ.* ℥ß. *Cinnam. acut.* ℥ii. *f. Nodulus pro vino medicato, in quo ſumantur Spirit. Salis dulc. gutt. xx.*

In *Cruditate nidoroſa*, præmiſſa evacuatione, conveniunt inſuper *Rhabarb. Tamarind. Crem. Tart. Spirit. Salis dulc.* & *Conſerv. Roſ. vitriolat. Cruditatem* acidam corrigunt *Tinct. Tart. acris, Vin. Abſinth. Infuſ. Rad. Armor. Spirit. & Eſſent. Menth. Spirit. Piperit.* (perquam egregius) *Sal Abſinth.* cum *Ocul. Cancr. & Coralliis.*

Inter Externa conveniunt *Oleum Maſtich. flav.* vel *Spongia S. V. infuſ. ſimplicium ſtomachalium* madida calidè ſtomacho applicata, vel

℞. *Ol. ſtomac. Craton.* ℥ii. *Ol. deſtill. Menth.* ʒß. *Caryoph. Zedoar. an.* ℈ß. *Miſc. Illinatur ſtomacho, applicando deſuper laterem calefactum; vel Emplaſtrum ex Gum. Tacamah. & Caran. in Balſ. Peruv. malaxatum.*

SECT. VI.

De Aſſumptorum Retentionis in Stomacho Læſione.

CAP. I.

De Flatibus.

TUrbatur Chyloſis nonnunquam à *flatibus*, qui ſi erumpant cum ſonitu *Ructus* dicuntur, ſin copiosè ſurſum & deorſum *Cholera* ſicca audiunt; ſi ſtomachum ſine eruptione diſtendant, *Inflatio Stomachi* nominantur.

Cauſa. Flatus omnes fiunt in primis viis per vitioſam fermentationem ab acido in materia viſcida, unde Hypochondriaci flatibus obnoxii ſunt. Quod autem *flatus* non inſint aſſumptis, patet ex eo, quòd idem alimentum in uno homine flatus generet, in altero non, propter diverſitatem fermentorum. Unde Hypochondriaci & Hyſtericæ ferè ex omnibus álimentis flatus eliciunt. Verum eſt, eſſe cibos præ reliquis aptiores, ut ex illis generentur flatus, uti ſunt *Raphanus*, *Rapæ*, *Allium*, & *Cepæ*; quoniam tales Sale volat. acri abundantes incidunt mucilaginem Stomachi, & poſtmodum cum acido concurrunt. Quod autem adſit talis mucilago viſcida, teſtantur viſcida & tenacia vomitu excreta.

Differentia. Ructus ſunt vel *acidi*, vel *nidoroſi*; vel *aſſumptorum ſaporem ſatis referunt*, vel denique inſipidi ſunt.

Signa. Si in Inflatione Stomachi erumpant Ructus, ſponte prodit malum: verùm quando orificium Stomachi ſiniſtrum eſt occluſum tum adſunt præcordiorũ anguſtia, diſtentio, & ad tactum reniſus quidam, difficilis Reſpiratio, præſertim ſi ſupinati ſunt, propter diaphragmatis à diſtento Stomacho motum impeditum.

Sub-

Subinde dum ſe jactitant ex uno latere in aliud, flatulentias in Stomacho percipiunt. Accedit gravitas & diſtentio non ſolùm circa ventrem, ſed totum pectus, imò collum & dorſum, ubi inanes ſunt ructus, & flatus, qui per alvum excerni conſueverunt, inhibentur. Si ante perfectam reſtitutionem accipiatur Cibus, augetur Inflatio.

Prognoſis. Inflatio ventriculi in convaleſcentibus recidivam morbi prioris ſignificat. Si diu duret, ad *Tympanitidem* diſponit. In Hypochondriacis ordinarium ſunt Symptoma. Ructus fœtidi peſſimi & funeſti ſunt.

In *Cura* 1. Evacuanda eſt materia viſcida. 2. Flatus diſcutiendi, & acidum temperandum per *aromatica ſalina vel oleoſa.* Priori ſcopo inſerviunt *Vomitoria*, & *Purgantia aloetica* ſeu *Pill. Maſtich.* Pro ſecundo conveniunt *Rad. Angel. Gentian. Ariſtol. rot. Calami Arom. Galangæ, Flores Chamomillæ,* horumque *Olea ſtillatitia* & *Aquæ, Semina cal. maj. vel min.* in *Vino* bullita; *Extract. & Eſſent. Caſtor. Balſ. Sulph. terebinth.* In Ructu contumaciori *Ambra* in pulv. cum *ſaccharo* eſt egregia. *Tali Leporum pulveriſati, Cornu* Cerv. *phil. ppt. Corallia, &c.* agendo in acidum flatus corrigunt. Ad Ructus acidos contumaces *grana Piperis* jejunè deglutita commendat *Riverius.* In *Ructibus* cum juncto ardore & phlogoſibus, ex Bile cum acido concurrente ortis, ſingularis eſt *Spir. Nitri dulcificatus cum Spiritu Aniſi.*

Externè conveniunt *Olea carminativa*; item *Empl. è bacc. Laur. malax. cum Oleo Abſinth. Menth. & Juniper.* item Spiritus Vini *infuſionis Aromatum* extrinſecus calidè applicatus.

CAP. II.

De Vomitu & Nauſea.

SI Pylorus ab irritatione quapiam gravi contrahatur, mediantibus fibris circularibus & tranſverſis inſe-

quitur totius Stomachi & Gulæ convulſio, unde *Vomitus*. Si orificium Stomachi ſuperius contrahatur, ita tamen ut fortior Pylori conſtrictio non prævaleat, ſequitur *Nauſea*. Unde in nauſeantibus Ructus deglutitionem rei alicujus ſequuntur, quia tum temporis aperitur orificium antea clauſum. Et quando audimus res horridas, aut olfacimus ingratas, hoc ipſo nauſeamus, quia contrahitur orificium Stomachi. Patet ex dictis, Vomitum eſſe actionem involuntariam; niſi in Hominibus ruminantibus ventriculo ſolito carnoſiori præditis.

Cauſa Vomitus & *Nauſeæ* eſt irritatio ſeu impreſſio moleſta in fibras Stomachi nerveas facta, cujus occaſione Spiritus ad illa loca impetu elaſtico moventur. Irritatio talis vel eſt per *Eſſentiam*, vel *per Conſenſum*. Irritatur Ventriculus *per Eſſentiam*, quando humores acres ex Duodeno in Ventriculum regurgitant, ut in principio *Febris intermit.* quando inflammatur aut exulceratur Stomachus; quando *Saliva* acrimoniâ ſcorbuticâ inquinatur; quando aſſumuntur Stomacho ingrata, emetica aut pinguia fermento reluctantia, & orificium ſuperius laxantia adeo ut Pylori conſtrictioni & ciborum protruſioni facilè cedat. Cæterùm quando diuturni ſunt *Vomitus*, oriuntur à Pyloro occluſo vel callo obducto: item ex *Sphacelo Pancreatis*, *Pancreate lapidoſo*, aut *Herpete* Ventriculi. Irritatur Ventriculus *per Conſenſum* in *colicis Doloribus*, propter continuitatem tunicarum Ventriculi & Inteſtinorum; in *nephriticis* aliiſque *Doloribus* propter membranas cerebri Stomacho aliiſque partibus internis communes. Mulieres etiam Virorum cupidæ, & quibus non ritè fluunt menſes, vomitu per conſenſum ſæpè corripiuntur.

Signa. Vomitum præcedunt Præcordiorum anxietas, Vertigo, Tremor labii inferioris, Salivatio copioſa, & Ventriculi convulſiones. *Vomitus eſſentialis* ex eo digno-

dignoſcitur, quod poſt Vomitum artificialem remaneant adhuc vomendi conatus, Stomachi inflatio, Gravitas, Nauſea, & Ructus. *Symptomaticus* autem ſine prægreſſa nauſea, aut debilitate Stomachi homines invadere ſolet.

Prognoſis. In genere *Vomitus* moderatus ſalutaris eſt. In principio Morborum acutorum criticus eſt & bonus. Vomitus lividi, Fuſci aut Fœtidi humoris, aut Vermium in Morbis malignis, utplurimum lethalis eſt. Vomitus periodicus, qui Spleneticos, Hypochondriacos, & Mulieres quaſdam conſtanter invadit, ſaluberrimus eſt, modò non nimius ſit. De *Vomitu ſanguinis* dicetur infra.

Quoad *Curam.* Cauſa irritans removenda eſt, opiatis Pylori ſenſus & Spirituum impetus reprimendus, Ventriculus aromaticis & aſtringentibus roborandus. Pro his autem ſcopis obtinendis obſervetur 1. *Somnum*, quantum fieri poteſt, conciliandum eſſe. 2. In *Vomitu ſcorbutico* calorem & acrimoniam mitigantia, ut *Lac caprillum* cum *ſucc. Naſturt.* magis convenire quàm calida & acria. 3. In *Vermibus Vomitum*, promovendum, & Alvum ſolutam ſemper eſſe debere. 4. A veneno *Vomitum* ſemper continuandũ, donec nil veneni remaneat. 5. *Clyſteres* valdè convenire, ſed pauca quantitate, ne Colon diſtenſum fundum Ventriculi comprimat. 6. In *Nauſeâ*, *Anorexiâ*, &c. maturè vomendum, ne humores aliò rapiantur.

Quoad *Materiam medicam.* Cauſam removent *Vomitoria*, vel etiam *Purgantia*, interdum cum parca *Opii* doſi uſurpata. Si *Vomitus* ſit per *conſenſum*, curato primario morbo curabitur & Vomitus. Quoad *Opiata*, conveniunt *Eſſent. Op. Laud. opiat. Theriac. Extract. Theriac. Syr. Papav. Crocus*, internè & externè. Inter *aromatica* conveniunt *Mentha*, *Abſinthium*, *Zedoaria*, *Cort. Citr. & Aurant. Caryoph. Nux moſchata*, *Macis*, *ac* præ

cæteris *Cinnamomum.* Horum *Extracta* quoq; *Olea deſt. Aquæ ſimplic. & comp. Elixir propr. Tinct. Caſſ.lignea. Balſam. peru.* nec non decoctum *Ioelis* ex *Caryoph. Maſtic.* & *Roſ.rubr.* in *vino rubro* coctis laudantur. Inter *adſtringentia* excellunt *Succ. & Caro Cydon. Syrup. Roſar. ſicc. & Coralor. Querc. Acet. Zedoar. Decoct. & Extract. rad. Torment. Sp. Vitrioli Martis, Tinctura Martis adſtring. Liquor ſtypticus ex Ter. ſigillata cum Spiritu Nitri paratus, Conſerv. Menth. vitriolat.* In *Vomitu Febris malign. Sal Abſinth.* cum *Succo Limon.* egregium eſt. Vel

℞. *Theriac.* ʒß. *Ol. deſtill. Mac. gutt. ii. Laud. op. gr.* I. *Cum ſucc. Cydon. f. Bolus.*

℞. *Aq. Cardui ben. Menth.* aa. ℥ij. *Aq. Cinnamom.* ℥ß. *Spir. Vitriol.* ℈ß. *Ol. deſt. Macis gut. vi. Sal. Alum. gr. iv. m.* Capiatur *cochleatim.*

Inter *externa* Vomitum ſiſtentia ſunt *Ol. Nuc. Moſch. expr.* (pro corpore) *Olea deſtill. Carv. Caryoph. Mac. Menth. Zedoar.* item *Empl. de Carann.* cum *Balſ. peruv.* inuncta, *Panis* toſtus in aceto maceratus, aromatibus inſperſis, *Sacculus* item *Croci*, fotus ex *Decoct. Abſinthii, Menth.* &c. in Vino, vel ſeq. Cataplaſma.

℞. *Ferment. acerr.* ℥iv. *Pulv. Menth.* ℥i. *Zedoar.* ʒij. *Nucis moſch. no. iij. Mac. Cinnam. an.* ℈ij. *Acet. roſ. q. ſ. f. Catapl.*

Hæc de *Vomitu* in genere. In ſpecie *Vomitus ſpontataneus* cum euphoria Ægri, ut & *non ſpontaneus criticus*, non ſunt curandi, niſi nimii ſint & debilitent. Si *Vomitus* ſit *per conſenſum*, curetur primarius morbus, & *Opio aromatibus* miſto compeſcatur *Vomitus.* Si *per Eſſentiam* ſit *Vomitus*, tum conſiderandum, an vitium ſit in Stomachi fibris irritatis, ubi *Opiata* multum faciunt; an cauſa materialis generetur in Stomacho, quo in caſu prædictæ methodo inſiſtimus; an verò aliunde advehatur, in quo caſu corrigenda eſt & per alvum educenda, vel alio avertenda, quâ ratione Gravidis nimium vomentibus

tibus

tibus Venæſectione in Brachio ſæpè ſuccurrimus. Si *Vomitus artificialis* nimius evadat, convenit externè ſacculus calidus ex *Abſinth. Menth.* & *Aromatibus* in *Vino decoctis*; item hauſtus *Vini generoſi tepidi* ſupervomitiones ab *Antimonialibus* ſiſtit. *Theriaca* etiam, ſi vires ferant, aut *Pillula* unica *Laud. opiati* aut parum *Eſſent. Opii* in *Elix. Menth.* propinatæ. Præſentaneum etiam remedium dicitur potus *Lactis* cum *Pane* cocti, aut *Panis Vino* Generoſo acido intinctus & comeſtus. *Clyſter* itidem ex *Lacte*, in quo *Theriaca* diſſoluta, injiciatur; item *Cruſta panis toſta*, vino generoſo imbuta, cum pulvere *Aromatum* inſperſo applicetur. Si *Nauſea* vel *Vomitus* immineat ab aſſumpto medicamento ingrato, convenit maſticatio *Cort. cum Citr.* cui ſubinde *Pulpæ* aliquantulum adhæreat; vel *Panis* toſtus *aceto* intinctus, & pulvere *Caryophyll.* conſperſus, Ori ac Naribus admoveatur.

CAP. III.

De Vomitu Sanguinis.

INter res varias, quæ evomuntur, etiam eſt *Sanguis*. Fit autem *Sanguinis Vomitus*, ex aperta quacunque ratione arteriolâ aut venulâ ad Stomachum pertinente, idque *vel* vitio ſuppreſſarum conſuetarum *ſanguinis* aliorumve humorum *Evacuationum*, *Menſium* putâ tam in Virginibus, quàm *Prægnantibus*, *Hæmorrhoidum*, &c. *Vel* vitio *Splenis* ex aperto vaſe brevi, ſi modò Sanguis tum poteſt in Ventriculi cavum irruere; vel denique vitio *Pancreatis*, in quo una alterave vena à lympha ejus præternaturaliter acidâ exeſa, ſanguinem in Duodenum deponit. Fit etiam *Vomitus cruentus* ex Ulcere antiquo conſolidato, quia nempe ſanguis ſub forma puris evacuari conſueverat, vel forſan Ulceris fermen-

tum Vaſa pulmonica corroſit. Cæterùm Spleneticis maximè familiaris eſt, propter Splenis infarctum, qui ſanguinem in Vaſe brevi ſtagnare facit; hoc autem ad Ventriculi fundum ſubrepens illum ibidem dimittit. In Spleneticis ante Vomitum percipiuntur Pulſationes circa dorſum prope latus ſiniſtrum. Non tamen ſemper culpandus Lien, quippe & ex Hepate fieri poteſt. In Sanguinis Vomitu ex Pancreatis vitio, ſentitur dolor profundus in loco, ubi inſeritur Ductus pancreaticus in Duodenum; ut & dolor gravativus in ſuperiori Lumborum parte, ubi ſitum eſt Pancreas. Imò ſequi ſolet Puris vomitus propter Pancreas exulceratum. Sanguis ex Arteriis profluens fluidior eſt & rutilans; ille autem ex Venis grumoſus apparet & fuſci coloris.

Omnis Vomitio Sanguinis, ſi frequenter & cum copiâ hujus effluentis contingat, periculoſa eſt, ac ſubinde Tympanitidem Aſcitemque Hydropem cum Hecticâ Febri poſt ſe trahit.

Cura. Cauſæ antecedentes removendæ extra Paroxyſmum, vel Excretiones conſuetas revocando, vel Viſcerum vitia corrigendo. In Paroxyſmo Sanguis à Ventriculo revellendus per *Venæſectionem*; vel avertendus per *Hirudines* Hæmorrhoidibus applicatas. Sanguinis verò jam effuſi ratione, vaſa *adſtringentibus* coërcenda, & ſanguis grumoſus reſolvendus atque ejiciendus. Inter Remedia, quæ huc ſpectant, primatum obtinent *Succ. Plantag.* & *Portulac.* præ omnibus aliis *Succ. rad. Urtic.* Item *Syrup. de Symph. Fernel.* Sed expertiſſimus eſt *Syrupus* paratus ex *Succo fol. Plantag.* & *Radicis Symph.* Aliàs optimè ſanguinem ſupprimit *Oleum* vel *Spir. Vitriol.* in *Aqua Urtic. maj.* Porrò *Trochiſci* de *Carabe* & de *Terra ſigillata* cum *Tinctura Martis*, *Tinctura Sulph. Vitriol.* & blandè acidis, conducunt: v. gr.

℞ *Aqua Burſ. Paſtor. Portulac. Plantag. an.* ℥ii. *Acet. Roſarum* ℥iß. *Troch. de Carab. de Terra ſigillata an.* ℥iß.

Syr.

Syrup. Myrtin. à ℥vi *ad* ℥i. *Miſc.* & *cochleatim da.*

In hujuſmodi miſturis commodè adduntur *Oculi Cancrorum*, quando nempe metus eſt coagulati ſanguinis in Stomacho hærentis; aut etiam *Sperma Ceti* in juſculo calido diſſolutum aſſumatur, ad diſſolvendos Sanguinis grumos, ubi fluxus ritè fuerit ſedatus. Sanguinem autem coagulatum hærere oſtendunt poſt Vomitum color Faciei citrinus aut lividus, debilitas Pulsûs, aut Syncope, aut Stomachi inflatio.

In Spleneticorum Vomitu, crebriores recidivas optimè arcent *Martialia*. In Vomitu copioſiore, ad *Syncopen*, *Aſcitem*, &c. tendente, mira præſtat *Abſinthium*, quocunque modo uſurpatum. Præmittenda tamen aut ſubinde ſocianda erunt *Martialia*.

Externè applicetur *Theriaca* cum *Croco Aceto Rubi idæi* irrorat. vel *Panis toſtus Aceto* intinctus, & *Pulvere Caryoph.* inſperſus.

SECT. VII.

De Doloribus Stomachi.

CAP. Unicum.

De Præcordiorum anxietate, Cardialgia & Soda.

VEntriculus ex ſe nullo ſenſu nullâque moleſtiâ corpori moleſtus eſt. Cæterùm in Præcordiis, id eſt, in eâ regione, quæ coſtis nothis, anteriora verſus ad ſternum ſe inflectentibus, circumſcribitur, non raró ſunt *Anxietates* ſeu inexplicabilis quædam moleſtia, quæ Ægros maximè inquietos reddit. Subinde etiam *Dolores* difficillimi in ſcrobiculo cordis ſentiuntur, qui *Dolor Stomachi* ſeu *Cardialgia* dicuntur. *Anxietates* illuſtrat Vomitus ab aſſumpto vomitorio imminens; *Cardialgiam* verò dolor ille

ille atrociſſimus, qui duriora aut grandiora deglutita ſequitur. In utroque caſu malum oritur ab affecto ſiniſtro Ventriculi orificio, quod maximè ſenſibile & ad Contracturam proclive eſt. *Anxietas* vaga eſt, & ab irritante oritur; *Cardialgia* autem fixa, & à convulſiva adſtrictione provenit.

Anxietates omnes oriuntur à ſuperiori Ventriculi orificio; quod oſtendunt ſimiles anguſtiæ Vomitum præcedentes, & cœnam largiorem inſequentes; Hyſtericas etiam affligentes, cùm à ructibus ſæpius leventur, item Febrium intermittentium Paroxyſmos nunc concomitantes nunc antecedentes, cùm à potu frigido inſigniter exaſperentur. Accedunt *Anxietates* ejuſmodi, contorſioni Vertebrarum ſupervenientes, quæ indubiè in Stomacho hoſpitantur; ſicut & illæ in Febribus malignis, quæ, licèt per ſudorem levari videantur, ceſſante tamen ſudore redeunt, parili ferè ratione ac Diarrhææ imminutâ diaphoreſi. *Cauſæ Anxietatum remotæ* ſunt nunc acriora aſſumpta, v. g. *Mercur. ſublimat. Arſenic.* &c. nunc Alimenta corrupta, ut *Fructus horæi*; nunc *Flatus* & *Humores æruginoſi* in Stomacho; nunc *Fermenta*, nunc aliunde ſuſcepta, in *Peſte*, *Morbiſque contagioſis*; nunc Ventriculi ipſius vitia, Inflammatio putà, Eſchara, &c. vel denique nervorum ejus vitia convulſiva, ut in *Vertebrarum Contorſione.* Pro quarum cauſarum varietate varianda eſt Cura.

Cardialgia nomen ſortita eſt à Lipothymiis, Sudoribus frigidis, aliiſque ejus Symptomatibus, licèt Cor immediatè non afficiatur. Dolor ſanè eſt toti corpori funeſtus, in ſiniſtro Ventriculi orificio locatus, quod maximè ſenſibile eſt, & in quaſvis operationes animales jus habet; adeo ut vulnus leve ibidem inflictum lethale ſit. Obſervandum autem, quod quandoque anteriorem Abdominis partem fugiat, & circa ultimas pectoris Vertebras dorſum affligat; imò & ex ſubſequente

quente œſophagi dolore ſæpè intra ſcapulas ſurſum aſcendere videatur. Interdum etiam in collo compreſſionis ſenſum infert.

Cauſa proxima Cardialgiæ eſt læſio Orificii ſiniſtri Ventriculi, quod ratione nervorum & ſpirituum, quibus ditatur, interdum totum genus nervoſum in conſenſum trahit. Læditur autem Orificium illud ſiniſtrum vel per *Conſenſum*, ut in Nephritide atque contorſione Vertebrarum; vel per *Eſſentiam*; idque 1. ex *Stomachi contentorum vitio*, in ſpecie *flatuum*, frequentiſſimè in Ventriculo vacuo oberrantium, quique Hypochondriacis & Hyſtericis, præſertim ſi corripiantur Febre quâdam intermittente, familiares ſunt; & oriuntur primariò ex pituita acida, vel ſponte, vel Bilis aut Succi pancreatici in Pylorum regurgitantis vitio, effervеſcente. Sunt & *Contenta porracea*, à viridi colore ſic dicta; partim ex corruptione aſſumptorum, partim ex varia Lymphæ pancreaticæ, aut bilioſi Succi inquinati miſcelâ, in ſpecie ex Bile æruginoſa, acido vitiosè auſtero repletâ, cum Bile amarâ concreſcente, oriundâ; quæ *Anxietates* & *Cardialgias* inferunt. 2. Propter *vitioſa Aſſumpta*, v. g. Caſeum, Lac coagulatum, quod Symptomata Venenis ſimilia infert, Hirudines intus receptas, aquá ſalitâ denuo evocandas, Arſenicum, Scarabæos, &c. 3. Ex ipſo *Ventriculi*, aut partium vicinarum, *vitio*, v. g. Ulcere in orificio Ventriculi, Scirrho Meſenterium, Pancreas, Jejunum & Pylorum occupante. Pertinet huc mœror ad Cardialgias contumaces diſponens.

Signa. Frequenter imminentia Deliquia, faciei Livor, Sudores frigidi ſuperveniunt: Ægri interdum quaſi exanimati jacent, interdum mirè ſe jactitant neſcii quid agant. Benè diſtinguenda eſt *Cardialgia* à *Colicâ*. Dolor enim in priore ſurſum vergit, in poſteriori verſus Lumbos & Renes deſcendit. Quin & Cardialgia

gia rarò ſola eſt, & horrenda, interdum ferè epileptica, Symptomata infert.

Prognoſis. Qui os Ventriculi ſenſilius habent, & raræ ſunt texturæ, magis periclitantur: præſertim ſi in Cardialgia frigeant, aut ſi Lipothymia aut Convulſiones ſuperveniant. In Febribus acutis præſertim malignis Cardialgia meritò ſuſpecta eſt. Peſſima Anxietas & Cardialgia oriuntur ex Bile porraceâ & æruginosâ, quam proximè ſequitur, quæ eſt ex Lacte coagulato. Iſta ex pituitâ viſcidâ, plus minus acidâ, contumacior quidem, ſed minùs moleſta eſt.

Cura. Removeatur Cauſa, & placetur Dolor per appropriata *Opiatis* miſta. Ad removendam cauſam in Affectu per Eſſentiam ex contentorum aut aſſumptorum vitio, optima, imò neceſſaria ſunt *Vomitoria.* Conveniunt poſt hæc *Purgantia*, ſed *Opiatis* miſcenda, ne malum exaſperent, adeoque in majori doſi propinanda. V. gr.

℞ *M. Pil. Aloephang. cum Scammon. gr. xv. ad ℈i. Extract. Troch. Alhandal. gr.* I. *Laud. Opiat. gr.* I. *vel iß. cum ſ.q. Extract. Abſinth. f. Pill.*

Conveniunt tales miſturæ iis, quibus facilè ſolvitur Alvus, quibus Lympha acrior ſalſo-acida eſt, ut in Scorbuto; & quibus denique Inteſtinorum dolores, aut ex levi purgatione Suffocatio, ſuperveniunt. In *Poterii Pillullis cathol.* in hoc caſu commendatiſſimis, præcipuum ingrediens ſunt *Antimonii flores correcti*, ut per inferiora purgent, qui *Magneſia ſaturnina meteorizata* dicuntur.

Aliàs ſi Cardialgia oriatur à flatibus, aut exhalationibus ex efferveſcentiâ humorum in Duodeno, v.gr. in Febribus intermit. aut Paroxyſmo hypochondriaco, conveniunt inprimis *Clyſmata* ex *Carminativis* parata, V. gr.

℞ *Radic. Angel.* ℥ii. *Fol. Origan. Brunel. Menth. an. M. j.*

Flor.

Flor. Chamom M.ß. Sem. Aniſ. Fœnic. Dauc. an. ʒj. *Bacc. Laur.* ʒi,ß. *Coq. in ſ.q. Aq. & Urin. humanæ. Colaturæ* ℥vii. *adde Elect. lenitiv. Elect. de Bacc. Laur. an.* ℥ß. *Ol. ſtill. Aniſ. Fœnic. an* ℈ß. *M. F. Clyſma, unâ vel ſi flatus obſtent duplici vice injiciendum.* Parantur etiam hujuſmodi *Clyſmata* ex *Vino albo* cum *Oleo ſtill. carminativo.*

Venæſectio in Cardialgia nil juvat, niſi per accidens, ut in inflammato Ventriculo. Conveniunt autem poſt *Purgantia*, pro *Cauſarum* ratione, vel *Aromata blanda* in flatibus, vel *abſorbentia* in bile porraceâ, ut taceam propria Ventriculi vitia, debitis modis curanda. *Aromatica* ſunt *Rad. Enul. campan. Angel. Fœnic. Menthæ, flor. Anthos. & Verbaſc. Cort. Citr. & Aurant. horumque Elixir.* Egregium ſpecificum eſt *Chamomilla* præſertim *Romana*, ejus decoct. vel *Eſſentia* cum proprio *Spir.* vel *Spir. carmin. vegetab.* parata, & *Oleum ſtill. ſaphyrinum* commendatiſſima exiſtunt. Subinde *Ol. deſtill. Carvi & Succ.* efficaciſſima ſunt. Commendatur etiam *Spir. Salis ammoniac. Eſſent. Opii* commiſta. Si ſimul percipiatur Ardor in regione Stomachi, addantur his temperata acida, ſc. *Spiritus Nitri cum Spir. Aniſ.* dulcific. & *Syr. Granat. acidorum.*

℞ *Aq. Chamom.* ℥iii. *Succ. Cydon.* ℥ii. *Elix. Menth.* ℥ß. *Ol. ſtill. Chamom. gut. vi. Laud. opiat. gr.* iii. *Syr. de Canella* ℥ii. *M. Doſis cochl.* ii. *vel* iii.

Si Dolor oriatur à contentis acribus, acidis, porraceis, ſpecificum eſt *Cryſtallus*, v. g. ℞ *Cryſtal. ppt.* ʒj. *Coral. rub. ppt. C.C. uſt. an.* ʒß. *Laud. opiat. gr.* ii. *vel* iii. *M. pro aliquot doſibus.* In Dolore ex hauſtu *Mercurii ſublimati* conveniunt *Cryſtalli cum Theriac. & Butyro rec.* In Dolore ex aciculis aut vitri fruſtulis convenit *Oleum Amygd. dulc. ad* ℥iiß. in *Jure Galli.* Pro ſenibus egregiæ ſunt *Pilulæ Poterii*, ſc.

℞ *Ambr. gryſ. gr.* ii. *Moſch. Croc. orient. an. gr.* i. *Opii Theb. gr.* iv. *M. f. Pill. devorandæ, ſumendo interea Decoct. Lign. Saſſafr.*

Inter

Inter *Externa Tacamahaca* cum p.3. *Balſ.Peruv.*ſubacta omnibus præfertur; cui vix cedit *Caranna.* Conveniunt etiam *Ol. deſt.Chamom.Mac.Caryoph.* Item *Ol. ſtomach. Cratonis* nec non *Fotus* aut *Sacculi* ex *Carminativis* in *vino* decoctis. Si Dolor oriatur occaſione frigoris externi, & inde natæ flatulentiæ, convenit *Sacculus ſequens.*

℞ *Milii toſt. m.* ii. *Furfur. m.* iii. *Sal. comm. decrep. m.* j. *M. Calefiant in ſacculo & applicentur.* Mulieribus, quæ ex impuritatibus matricis, ut putant, Dolore Ventriculi affliguntur, conducit *Ung. pomat. cum* duabus partibus *Sevi hircin.* ſcrobiculo Cordis mane & veſperi inungendum. In Cardialgia ex hauſto *Mercur. ſublimato* proficui ſunt *Fotus* ex *fol. Hyoſciam. alb. Abſinth. Rom. & Maſtich. in Ol. roſac. violac. liliac. & anethino coctis.* Item *Cataplaſma* hoc egregium anodynum:

℞ *Fol. Hyoſciam. alb. & Malv. ſub prunis coctorum & piſtorum an.* ℥iii. *Farin. Hord. & Lentium cum decoct. Malv. ad debitam conſiſtentiam redact. an.* ℥ii. *Mucilag. ſem. Pſyl. Cydon. an.* ℥i. *M. Applicetur calidè.*

Succedit *Soda* ſeu *Ardor Stomachi*, in quo ſentiuntur quaſi copioſi fumi ſulphurei per gulam aſcendentes. *Cauſa* eſt ab *acido vitioſo* efferveſcente cum quodam *Salino oleoſo.* Salina enim dum efferveſcunt acorem inducunt, qui eo major, quò plus Olei vel Sulphuris adjunctum eſt. Unde iracundi quibus bilis promptè in Ventriculum regurgitat & cum acido efferveſcit; item Hypochondriaci, aſſumptis dulcibus & ſaccharatis, quæ facilè acorem contrahunt, vel aromaticis acribus, Allio, Cepa, &c. quæ facilè cum acido efferveſcunt, *Sodæ* obnoxii ſunt.

Cura. Temperanda humorum acrimonia, aut acidum vitioſum invertendum, per *Abſorbentia* unde *Morſuli ex Cretâ Mynſicht.& Later. pulveris.* expertiſſimi ſunt. Conveniunt etiam *Lapill. Cancr. Ebur. uſt. Bol. Armen.*

Armen. Coral. ppt. Lapis Carpion. Cryſtal. ppt. Lac Lunæ, Siliqua ceracea, Syrup. ex Summit. Querc. Album græcum, Succus & Syrupus Portulacæ, Lapis Prunellæ in Aq. Sambuci diſſolutus, tandem & *Cremor Tartari.* Poſt ſedatam efferveſcentiam evacuentur Contenta per *Decoct.* aut *Infuſ. Tamarind.* vel uſum *Rhabarbari.*

SECT. VIII.

De contentorum in Inteſtinis Expulſione læſa.

EQuidem tractanda priùs veniret tam Chyli à fæcibus ſecretio læſa, quàm Succorum pancreatici & fellei efferveſcentia vitioſa; ſed ne actum agam ſufficiet annotâſſe, quoſvis Morbos chronicos propter cruditatem acidam Stomachi, vel oriri vel foveri à vitio horum duorum ſuccorum, ac vitiata inde chyli perfectione & ſeparatione. Adeoque & iſti morbi, qui ordinariò obſtructionibus Hepatis, Lienis, Meſenterii, &c. originaliter adſcribuntur, reverâ vitio digeſtionis primæ, & hinc alterationi Chyli in Duodeno tribuendi erunt: non ſecùs ac plura Mulierum circa Menſes *Vitia* radicem primam circa has partes figunt; unde ſi quæ Obſtructiones, Tumores aut ſimilia Mala Viſcerum abdominis in chronicis Morbis ſubinde obſerventur, producta potiſſimùm morboſa aſſerenda ſunt.

Expulſio Contentorum in Inteſtinis læditur. 1. Quando *diminuitur*, ut in *Alvi Suppreſſione.* 2. Quando *augetur* in *Alvi Fluxibus.* 3. Quando *depravatur*, ita ut contingat cum *Torminibus, Dolore, &c.*

CAP.

CAP. I.

De Alvi Retentione.

A*Lvi retentio*, *ſuppreſſio*, vel *conſtipatio* appellatur Symptoma excretionis Inteſtini recti abolitæ vel imminutæ, quando fæces alvinæ vel planè non rejiciuntur, vel ſegniter & parcius, quam fieri deberet, excernuntur.

Cauſa Mali hæret vel in *Inteſtinis* vel in *Contentis*. In *Contentis*, quando illa non ritè perveniunt ad Inteſtinum rectum, ut idem poſſint ſtimulare; vel propter paucitatem, ex alimentis paucis aſſumptis, vel propter ineptitudinem ad motum, idque tribus ex occaſionibus. 1. Propter eorum *exſiccationem* & *indurationem*, ut in Febribus ardentibus, aut in iis, qui crebrius ſudant, aut in convaleſcentibus, ubi uberior liquidi intra corpus fit diſtributio; aut in illis, qui Spiras, placentarum genus, Ova ad duritiem cocta, Ceraſa eorumque nucleos, Uvas criſpas, aut Uvas vitis tenaci pelliculâ obductas, magnâ copiâ aſſumunt; hæc enim contentas fæces irretiunt & indurant. 2. Propter *Viſciditatem* Fæcum, in iis, qui vitam agunt ſedentariam, minuſque Inteſtina concutiunt; item in illis, qui parcè nimis potant; qui viſcidis utuntur alimentis, eadem ex vitiatâ digeſtione tranſmutant in mucum viſcidum, item iis, qui ſubinde congerunt pituitam vitream, ſive mucilaginem acidam tenacem, Hypochondriacis familiarem. 3. Propter Fæcum *coagulationem*, idque probabiliter ex auſteritate Lymphæ pancreaticæ in Hypochondriacis & Hyſtericis, vel defectum *Bilis* in quibuſdam *Icteri* ſpeciebus, quæ aliàs Fæces diluere deberet.

Inteſtinorum vitio fit *Alvi Retentio*, 1. Quando nimis angu-

anguſtatur, propter inflammationem, gangrænam, ulcus, aut excreſcentiam. 2. Quando Paralyſi afficiuntur, ut in Apoplecticis, quibus clyſmata fruſtrà injiciuntur. 3. Quando convulſionibus aut irritationibus dolorificis contrahuntur, ut in Colica (quo in caſu acriora purgantia ratione majoris irritationis minùs proficua ſunt, quam leniora, emollientia & quaſi demulcentia) item ex conſenſu in Nephriticis doloribus.

Prognoſis. Si Alvi ſuppreſſio contumacior fuerit ratione Ilei, mortem inferre poteſt. Interdum ſuperinducit Animi deliquium, & ſemper capitis auget ſymptomata; unde in Vulneribus & affectibus Capitis, Melancholicis, & inprimis Hypochondriacis alvus ſit libera: induratæ enim fæces in anguſtiori Coli parte, quæ in hypochondriaco ſiniſtro ſita eſt, varia inferunt Symptomata, quæ lieni vulgo imputantur: cui non obſtat quòd purgantia ſuum faciant officium, tenuem enim educunt materiam & craſſiorem in Colo relinquunt.

Cura. Ratione *Fæcum* conveniunt ea quæ emolliunt, eaſque fluxiles reddunt, ut aquoſa, mucilaginoſa, dulcia, & hinc Gummata. Ratione *Inteſtinorum*, ea quæ vel anguſtiam, pro affectus ratione, vel irritationem & ſpaſmum tollunt, ut anodyna, narcotica, vel eadem plus minus inſenſibilia ſtimulant, ut Salia acria, Purgantia, & horum inſtar intensè amara.

Quæ dictis Indicationibus ſatisfacit *Materia medica*, ex *Internis* ſunt *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ad ℥ii. vel iii. blandè alvum ſubducens; *Ova ſorbilia; copioſior potus* in Hypochondriacis & Hyſtericis; *Paſſulæ* in Decoctis egregium lenitivum & laxativum in Scorbuticis & Hypochondriacis; Poſt *Paſſulas* convenit *Serum Lactis*, quod ratione nitroſitatis in alcali volatili oleoſo fundatæ egregiè temperat acrimoniam Salis ſcorbutici, acidumque vel auſterum Succi pancreatici ſaporem, Phlogo-

ſes item in Hypochondriacis, & æſtum Febrium egregiè temperat; nec non Alvum obſtructam reſerat. Uſurpetur per ſe, vel coquatur cum *Tamarind.* aut miſceatur cum *Syr. Roſ. ſolut.* Aliàs nota ſunt *Decocta* ex *Emollientibus*, v. gr. *Violariâ*, *Mercuriali*, *Malv. Parietar. Alth.* &c. additis *Purgantibus.*

Si duriores fæces aut viſcidior pituita alvum clauſerint, *Gummi ammoniacum* eſt egregii uſus, ſeu per ſe, ſeu cum ſtimulantibus laxativis. In contumaciori malo detur *Mercur. vivus* ad ℥ij. vel iii. unâ vice in *Juſculo pingui* vel *Ol. Amygd. dulc.* vel *Cochlearia* ii. *Vini* in quo *Mercurius vivus* per menſem infuſus fuit, intercedente crebrâ agitatione; vel *Aurum fulminans* ad *gr.* vi. quod fæces nigerrimo colore inficit: magis tamen prodeſt, ſi non nimis edulcoretur, atque ſalina textura nonnihil remaneat. Cum *Extracto Helleb.* redigitur in *Pill.* Convenit etiam *Succ. Rad. Ireos* ad ℥i. Sed cautè utendum purgantibus acrioribus, ne ægros in Morbum iliacum præcipitent. Tandem *tartarea Remedia*, ut *Crem. Tart.* in *Decocto emolliente*, *Tart. Vitriol.* ad ℈i. cum gr. ii. *Scam. Sulphurati* acuatus, item horum loco *Sal eſſent. Tart.* à ʒß. ad ʒii. in vehiculo calido.

Externè uſurpantur *Clyſmata* ex emollientibus parata, addito *Sale communi* vel *Saccharo.* In *Nephritide* ex *Terebinth.* vel *Oleo Oliv. Lin. Rap.* &c. *Prævotius* ℥iv. *Olei comm.* ſingulis horis feliciter injecit. Si illa non ſufficiant, addatur pro induratis fæcibus *Sal Gemmæ* à ʒi. ad ʒii. vel in Paralyſi inteſtinorum *Decocti emollientis* ℥ix. addatur *Pulpæ Colocynth.* ʒi. *Salis Gem.* ʒi. *Benedict. laxativ.* ʒi. Si *Colocynthis* non ſufficiat, addantur *Infuſi Croci Metallor.* ℥iii.

Poſt *Clyſmata* conveniunt *Suppoſitoria* ex *Sale & Melle cum pulv. Helleb. nig.* vel ex *Melle* cum *Sal Gem.* & *Troch. Alhand.* vel ex *Aluminis* fruſtulo ritè formato, aut ejuſdem *pulv.* cum *Gum. Tragac.* in *Aq. Lil. alb.* ſoluto. Ut autem

autem eò meliùs operentur *Suppoſitoria* & *Clyſmata*, Medicamenta *emollientia* vel *lubricantia* per os præmittenda ſunt, ne fruſtra irritetur alvus.

Præter dicta, & externè Umbilico adhibentur *Linimenta*, ex *Extractis Purgantium* vel *Ung. Arthan.* aut *Fell. Tauri* cum *Ol. Colocynth.* Applicatur etiam Pedibus *Linimentum* ex *Ol. popul.* cum *Hierâ Picr.* Si Fæces in Podice ſubſiſtant, promovendæ ſunt Sternutatione, Tuſſi, & fomentatione Podicis cum *Oleo.* Tandem *Balnea Aquæ dulcis*, ceu optimum emolliens, minimè negligantur.

CAP. II.

De Ileo ſeu Volvulo.

A*Lvus obſtructa pertinacior* non raró cauſa exiſtit, ut per ſuperiora ejiciantur excrementa; id quod fit in *Morbo iliaco* dicto. In hoc Morbo nihil aut parum deſcendit per inferiora; ſed contrà nauſeant Ægri, ſingultiunt, & tandem Inteſtinorum excrementa vomitu rejiciunt. Adſunt utplurimum Febris Lipyria, Tormina, Anxietates inexplicabiles; tandem Sudor frigidus, Convulſiones imminent aut etiam ſuperveniunt, & ſæpius in tali puncto mors ſupervenit. Imminentem *Ileum* produnt alvus pertinaciter ſuppreſſa, Inteſtinorum tenuium crudelia Tormina, Nauſea cum Singultu, & Podex ita adſtrictus ſive introrſum retractus, ut ſpecilli extremum non admittat. In *Colica* analoga obſervantur Symptomata, ſed magna inter hæc eſt differentia.

Cauſa Ilei eſt motus Inteſtinorum periſtalticus inverſus, incipiens in Inteſtinis, & plerumque in ea parte Ilei, quæ Colo inſeritur, in quâ magis viget motus periſtalticus. Eadem eſt & continua membrana, quæ gu-

lam, ventriculum & inteſtina conſtituit; habetque in ſtatu naturali unum continuum motum periſtalticum, quo injecta protruduntur. Si invertatur hic motus, excernuntur contenta per ſuperiora; eſtque hæc excretio *Vomitus*, ſi incipiat motus inverti à Pyloro; ſi incipiat circa inſertionem Ductus pancreatici & cholidochi, dicitur *Cholera*; ſi in Ileo vel reliquis Inteſtinis dicitur *Ileus*, qui frequentius ſedem habet in ipſo Ileo convoluto, licet & quandoque in ipſo podicis extremo incipiat, quâ ratione non ſolùm *Clyſmata* ſed & *Suppoſitoria* per os rejecta fuere. Siſtitur naturalis motus nunc vitio *Retentorum* induratorum, Inteſtina infarcientium; nunc vitio Inteſtinorum vel inflammatorum, vel gangrænatorum, vel ingreſſorum mutuo, vel coarctatorum, vel ulceratorum, vel Herniâ translocatorum, vel convulſorum &c. Ab his nempe cauſis quibuſvis irritantur Inteſtina, & motum ſuum invertunt.

Cauſa itaque efficiens occaſionalis eſt partim pertinacior irritatio, Spirituum animalium motum provocans; partim remora quædam, naturalem fibrarum motum deorſum verſus impediens. Præter cauſas præcedenti capite adductas, accedit Hernia tam inguinalis quàm umbilicalis, (frequentiſſima hujus mali mater) Scirrhus aut Ulcus cancroſum in Cæco, Ileum adeo opplens, ut nihil ad Colon penetrare poſſit; Ulcera Inteſtinorum cum Inflammatione (potiùs quàm eorum intorta convolutio) auſtera aſſumpta, v. g. Cydonea, Avellanæ, *&c.* quæ pertinaciter alvum occludunt. *Peyerus* affirmat lympham in Glandulis inteſtinalibus auſteriorem factam, pertinacem ſtricturam efficere poſſe. *Panarolus* quatuor habet *Volvuli* ſpecies, 1. Ex Hernia. 2. Ex convolutione Inteſtinorum; quæ tamen reverâ impoſſibilis eſt, dum Meſenterio adhærent: Et quæ poſt mortem obſervatur convolutio, potius corrugatio eſt à Gangræna orta. 3. Ex Adſtrictione Ilei inſtar farcimi-

nis

nis Lucanicæ. 4. Ex deſcenſu unius Inteſtini in alterius cavitatem, qui ſatis frequens eſt; oriturque nunc à flatibus, nunc à nimia & inordinata commotione. Unde nunc ſuperior pars Inteſtini deſcendit in inferiorem, nunc inferior aſcendit in ſuperiorem. Cæterùm notum eſt, pertinacem utplurimum alvum Ilei eſſe Cauſam. In Ileo quidem lethali, ante mortem quandoque excretio alvi ſupervenit; ſed peſſimum eſt ſignum; innuit enim defectum ſpirituum animalium, adeo ut Inteſtina, tamdiu irritata, jam flaccida concidant.

Prognoſis. Ileus cum ſtercoris vomitu, utplurimum exitialis eſt. Mutuus Inteſtinorum ingreſſus per aſcenſum curabilis eſt; per deſcenſum verò incurabilis. Dolor acutiſſimus ſubito evaneſcens, Gangrænæ ſignum eſt. Singultus, Convulſio, aut Deſipientia, mala habentur. *Arabes* quinque gradus Ilei conſtituerunt. Periculoſiſſimus eſt 1. Quando ſtercus vomitur. 2. Quando ſudor fœtet. 3. Cùm Spiritus reſpiratione emiſſus fœtidus eſt. 4. Cùm Ructus eſt fœtidus. 5. Cùm per alvum crepitus fœtidus exit. 6. Cùm Ægri toto corpore frigent & madent.

Cura. Irritatio ſiſtenda, & Excretio naturalis promovenda. Variatur ſubinde ſpecialis cura pro varietate cauſarum. In genere obſervandum, 1. Opiata ſiſtere quidem irritationem, ſed ſimul impedire alvi excretionem. Hinc conſiderandum eſt, quod magis urget; ſi irritatio, præmittenda ſunt *Opiata*, & ſubjungenda *alvum ſtimulantia*: ſi obſtructio, præmittenda *fæces educentia*; & ſubjungenda *Opiata* ad irritationis & motus univerſi memoriam tollendam. Deinde omnibus aliis irritis, quando propter continuum vomitum nil intromitti poteſt, uſurpetur *Opium*, conſtantibus adhuc viribus. Porrò in Spaſmo Inteſtinorum à Sale acri ſcorbutico, ad illius remiſſionem uſurpari poſſunt *opiata*, ut remittente per illa ſpaſmo alia abſtergentia

meliùs operari poſſint. Sed eadem *opiata* in Inflammatione Inteſtinorum fugiantur, ne ad Gangrænam diſponat. 2. *Purgantia per os* malum exaſperare, niſi prius corroborato Ventriculo & ſedatâ irritatione: & in genere *laxantia* fortioribus *purgantibus* præferenda eſſe. 3. Ægrum non eſſe extra periculum, niſi ſequatur Alvi profluvium aut ſponte aut ope artis; quia cum totus venter commotus erat, facilè recidivam patietur. 4. Propter animi deliquia, & ſpirituum à fœtore proſtrationem, ſemper propinari debet *Spir. theriacal.* cum vel ſine *Camphora*, aut *Vinum generoſum*, aut *Aqua Cinnamomi.* 5. Ubi ſtercora dura ſunt, nil præſtantius, quàm emollientibus Clyſteribus primò educere: nam ſi expectetur donec ſurſum ejiciantur, rarò evadunt. 6. Omnia frigida vitanda. Convaleſcentes etiam tanquam Puerperæ tractari debent, victum imperando tenuiſſimum, ut non niſi cochlearia aliquot Juſculi ex Pullo gallinaceo, ſubinde concedantur.

Inprimis Ratione alvi* clauſæ conveniunt *Clyſmata* ex *Vino*, *Urinâ Pueri* & *Sem. carminat.* Item ex *Ol. Sem. Lin.* ℥vi. in quibus ʒiß. *Troch. Alhand.* parum bulliat; injiciendo nempe, & Umbilicum interea eodem inungendo. *Riverius* commendat. *Decoct. Inteſtin.* & *Omenti Vervecum*, cum *Butyro* & tantillo *Salis Gem.* In Inflammatione Inteſtinorum *Lindanus* adhibendum ſuadet *Clyſma* ex *Decoct. Hord. cum Sal.* Quò facit illud *Zacut.* ex *Oleo cum Ruta & Nitro decocto.*

Ubi motus periſtalticus inverti incipit in Inteſtinis craſſis vel ab ipſo podice, exhibeantur ſimul internè *Juſcula gallinacea cum Chamomilla decocta*; vel *Oleum Amygd. rec. expr. ad* ℥iij. Mirabilis in hoc caſu eſt *Succus Pomorum curtipendulorum* vel *Borſdorfian.* Item *Decoctum Raparum* ſive *crudarum* ſive *aſſatarum* copioſè hauſtum. Imò & *Pulpa Pomor. Borſdorf. putridorum* cum pauco *Croco* ſuper totum Abdomen inſtrata multum juvat.

Si

Si hæc non ſufficiant conveniunt *globuli ſclopetorum* deglutiti, præmiſſo priùs *Ol. Amygdalarum dulcium* ad vias lubricandas; præſertim illi ex Amalgamate *Mercurii* & *Saturni*. Sed notandum, quòd conveniant hi tantùm Globuli, quando à fæcibus remorantibus, vel aſcenſu Inteſtini inferioris in ſuperius oritur Malum. Quando deſcendit ſuperius in inferius, vel ſi adeſt Inflammatio, minùs conducunt.

Cæterùm uſum horum Globulorum ſuperat *Mercurius vivus* copiosè ingeſtus, ad minimum ad ℥iii. vel iv. imò ad ℔ß. aut ultra, applicando ſimul externè fomenta blandè calefacientia, & agitando ægrum in Curru, vel mittendo in ſolium aquâ tepidâ plenum, ut *Mercurii* operatio promoveatur. Quamprimum per alvum effluxit; capiat Æger *Olei Amygdal. d.*℥ß. cum *Olei deſtillat. Aniſ.* guttulis aliquot. Vel

℞ *Aq. Meliſſ.* ℥iß. *Menth.*℥i. *Mercur. viv. Purg.*℥iii. *Aq. Cinnamom.*ʒiii *m.* Repetatur ſingulis diebus ſi opus ſit; interea *Clyſmata* injicienda ſunt ex *Lactis bubuli* ℥viii. *Terebinth. vitello Ovi ſolutæ* ℥iii. *Salis Tartari* ʒiij. pro duabus vicibus; & inſeſſus ordinando ex *Decocto Chamomil. Malv. flor. Sambuc. Baccar. Juniper. Laur.* & Abdomen inungendo *Axungiâ Anſerinâ*. Si diutius *Mercurius* hæſerit, inungatur Abdomen *Ung. de Arthan.* cum *Ol. Diacolocynth.* & applicetur denuo *Emplaſtrum* ex *Empl. de Cicut. & Gum. ammoniaco in Acet. ſolut.* Simul in *Oleo Tart. ſtil.* malaxatis. Præter dicta, ratione irritationis, proſunt *Anodyna*, ut *Decoctum Malvæ*, vel *flor. Chamom.* vel *flor. Anth.* vel denique *Raparum*, quæ ſimul blandè abſtergunt. Si abſit Inflammatio, *Theriaca* ad ℈j. in *Vino generoſo* calido multum valet. Vel ad imitationem *Sydenham*;

℞ *Aq. Menth.* ℥iii. *Sal Abſinth.* ʒß. *Spirit. Theriacal. ſimpl.* ʒiß. *Syr. de Spin. cervin.* ʒvi. *m. f. Potio, mutatis mutandis, ſæpius repetenda.*

Externè illinitur Abdomen *Ol.Chamom. ſtill.* cum *pinguedine Taxi* ſubacto; vel *Galbaneto Paracelſi* cum *Ung. de Arthan.* & *Ol. Chamom. comm.* lintea probè calefacta deſuper applicando. Convenit etiam *Stercus vaccin. rec.* Abdomini illitum. Mirè dolorem lenit *Omentum vervecinum* recentiſſimè exemptum; item *Exuviæ Serpentum in Ol. Roſ.* coctæ, & Ventri impoſitæ. Veteres ſolebant applicato folle per ventum copioſum Inteſtina diſtenta à Scybalis impactis ſeparare, ut facilius dein per *Clyſmata* elicerentur. In Caſu deſperato ſunt, qui Abdomen aperire & Inteſtina manu reponere ſuadent.

CAP III.

Dn Alvi Fluxu, ſeu Diarrhœa.

COmmuniſſimus *Alvi Fluxus Diarrhœa* dicitur, quæ pro excretorum varietate, nunc *ſeroſa* audit, nunc *bilioſa*, nunc *pituitoſa*, &c. Adeſt utplurimùm Appetitus dejectus, Sitis aucta, Urinæ & Sudoris ſuppreſſio; Interdum tormina, murmura & borborygmi, immediatè ſcilicet excretionem antecedentia.

Differentia. Diarrhœa eſt vel *artificialis*, per medicamentum inſtituta, vel *naturalis. Hæc* eſt vel *ſpontanea*, vel *non ſpontanea. Spontanea* fit, 1. Ob errorem externum; ut v.g. ex Fructibus horæis, frigore nocturno, &c. 2. Ob internam materiæ metaſtaſin, v.g. in Pleuritide, diſrupto Lienis vel Hepatis Abſceſſu, Fluxu cerebrali, &c. 3. Ob ſpontaneum humorum motum, tempore verno, v.g. vel ex mutata diæta in peregrinationibus, ubi ordinariò Bilis peccat. Diarrhœa *non ſpontanea* eſt vel *Morbus*, vel *Diarrhœa Morbi.* Atque hæc iterum eſt vel *ſymptomatica*, v.g. in principio Febrium malignarum, ubi adſunt Præcordiorum anxietates, Deliquia,

liquia, Sudores frigidi, præſertim in fronte; aut in Phthiſicis vel Hecticis, quibus Diarrhææ colliquativæ facilè ſuperveniunt, unde ros nutritivus inſtar liquaminis ſeroſi per alvum evacuatur: Vel denique *critica* eſt, in declinatione Morbis, eundem ſolvens. Sunt & Diarrhœæ *periodicæ*, cacochymicos ſingulis, v. g. menſibus affligentes.

Cauſa. Excreta per *Diarrhœam* rejecta, deferuntur in Inteſtina partim ex Ventriculo, ratione aſſumptorum; partim ex Maſsâ ſanguineâ per Ductus, tàm pancreaticos, quàm Cholidochos, ac Glandulas inteſtinales. Si per Cholidochos, dicitur *Diàrhœa bilioſa*, ſi per Pancreaticos *Seroſa* audit; ſi ex chylificationis vel Inteſtinorum vitio excreta viſcidiora ac minùs tincta fuerint, *Pituitoſa* dicitur, & in *Dyſenteriam* vergit. Fit itaque *Diarrhœa* eodem modo, quo *Hypercatharſis*, à medicamento purgante oriunda: ſcil. vel per *Irritationem*, adeo ut uberior fiat liquorum fluxus. v. g. à *Reſinis purgantibus*, vel *Mercurio ſublimato*: vel per *Fermentationem*, v. gr. ex uſu Fructuum horæorum, eorumque fermento humores turbante & colliquante. Patet itaque, *Cauſam proximam* Diarrhœæ eſſe humorem acrem, vel potiùs fermentum acre, nunc Inteſtina irritans, nunc *Maſſam ſanguineam* liquefaciens. *Fermentum* iſtud acre ac volatile, nunc *acidum* nunc *bilioſum* eſt.

Cauſæ Remotæ ſunt, quæcunque acidum ſpirituoſum ſtomachale deſtruunt (Ventriculi enim culpam ſubito Alvus luit) vel Bilem in orgaſmum concitant. Accedit denſa cutis textura, illi enim, qui poros habent apertos minùs *Diarrhœis* obnoxii ſunt. Inter Aſſumpta externa, *Fructus horæi*, *Cucumeres*, *Melones*, *Pruna*, & omnia facilè efferveſcibilia, aut corruptibilia, *Diarrhœam* inducunt.

Ex his etiam *differentiarum Diarrhœæ eſſentialis* patet ratio. In ſpecie *Diarrhœa maligna epidemica* ex fer-

mento acri, Stomacho hoſtili, vel cum aëre, vel aſſumptis, vel ex Ægrorum excretis ſuſcepto, oritur. *Habitualis* fundamentum habet in vitio *fermenti digeſtivi*, quòd non ritè aſſumpta ſubigat & aſſimilet, & in vitio *Bilis*, quod eadem non ſeparet ab excremento, unde ſimul commiſta acria evadunt. *Colliquativa* procedit à deficiente acido Stomachi, & acriori redditá Bile, unde Chylus ſalſus evadit, Inteſtina ſtimulat, & acrimoniâ ſuâ Maſſam ſanguineam reſolvit.

Prognoſis. Diarrhœa *critica* eſt optima; nec rejicienda eſt illa ex *materiæ metaſtaſi*, aut ſpontaneo humorum motu, utpote de quibus intelligendus eſt *Aph*. 2. *Sect*. 1. *Hippocr*. Item *Sect*. 17. §. 6. Item *Sect*. 17. §. 29. *Symptomatica* in principio Morborum acutorum ſemper mala, adeoque ſiſtenda, quia impedit materiæ concoctionem, vires proſternit, & ſubſequens eſt febrilis Colliquationis, ut patet ex excretorum fœtore. Superveniens Vomitus longam Diarrhœam ſolvit. In morbo diuturno ſinceræ dejectiones malum. Si Mulieri uterum gerenti alvus fluat, periculum eſt, ne abortiat; ſed hoc non obſtante, ubi videris fluxum ad ſiſtendum inobedientem, ne multum urgeas, mirè enim ferunt nonnunquam Prægnantes hujuſmodi evacuationes. Excreta craſſa, alba, viridia, crocea, ſpumantia, omnia mala ſunt. Item mala eſt dejectio pauca, glutinoſa, ſubpallida, lubrica. Exitioſa verò nigra, pinguis, livida, æruginoſa, fœtida. Verſicolor quidem diuturnior eſt, ſed nihilominus exitialis. Diarrhœa colliquativa Phthiſicis confirmatis, vel quibus Capilli defluunt ſuperveniens, lethalis eſt.

Cura. 1. Acrimonia fermenti vel acida vel alcalina ſeu æruginoſa temperanda eſt; Maſſæ ſanguineæ Colliquatio fermentativa inhibenda, & jam facta per ſudorem ejicienda. Huc faciunt *abſorbentia*, inprimis *Smaragdus* & *Cryſtalli*. 2. Irritationis ſenſus & ſpirituum impetus,

petus, *Opiatis*, inprimis *Diaſcord.* ſiſtendus. 3. Stomachus apprimè reſtituendus, quò facit *Vinum cydoniatum*, vel *abſinthites*, *Maſtiche*, &c.

Pro his ſcopis obtinendis, ſequentia probè ſunt obſervanda. 1. Ut Ventriculi ſumma ſemper habeatur ratio. Unde vitentur omnia frigida: parcè bibatur; applicentur etiam *fotus Stomachici*, vel *Emplaſtra* ex *Tacamahac.* cum *Aromatibus* miſto. 2. Ut in Diarrhœa, à fermentatione præſertim malignâ, *diaphoreſis* promoveatur: in ea, quæ eſt ab irritatione, non adeo neceſſaria eſt. 3. Ut in principio *purgatio* neutiquam inſtituatur. Sufflaminato priùs humorum impetu, & deleto irritationis ſenſu, poteſt *Clyſmatis* uſus Alvus elui, vel blando *Rhabarbarino* abſterſio inſtitui. 4. Si maximè urgeant Stomachi ſymptomata, Vomitum exercitandum eſſe. 5. Adſtringentia, qua talia, minimè convenire, niſi priùs curata fuerit Diarrhœa, pro tono primarum viarum redintegrando. Dum enim omnia in motu ſunt, quid juvat excernenda retinere? Quin potiùs metaſtaſeos in aliam partem nobilem, & graviorum Abdominis ſymptomatum ingruit metus. Multa quidem, ſapore ſtyptico gaudentia, v. g. *Tormentilla*, *Terra ſigil.* &c. conducunt; ſed non tam adſtringendo, quàm acidum abſorbendo, corrigendo, &c. 6. Vinum tam ſimplex quàm medicatum egregiè conferre.

Præcellit omnibus aliis medicamentis, in *Dyſenteria* etiam *epidemica*, *Extractum* ex *Radice Tormentill.* cum Spiritu Vini paratum, & cum *Laudano* propinatum; imò pulv. *Rad. Tormentil.* vel ipſum *Extractum* aquâ quâdam factum, & in Juſculo calido ad ʒß. vel ʒi. propinatum. Hinc *Rad. Plantaginis* & ſpeciatim ejus *Semen*, *Portulaca*, *Meſpila* (inprimis *cruda*) feliciter uſurpantur. *Roob Sorbi*, ſpeciatim *torminalis*, nobile ſpecificum eſt, in Diarrhœis etiam epidemicis, item in diuturnis ex uſu Fructuum horæorum. Hinc *Cydoniata* quæli-

quælibet *Nux moſch. Macis*, *caput mortuum Cinnamomi*, ex quo nempe Aqua & Oleum deſtillata ſunt. *Decoctum Maſtiches* cum *Aqua Cinnamomi* & *Succo Cydon. ſulphurato* nobile ſtomachicum eſt in hoc caſu. *Ovi vitella bina* ad duritiem cocta cum *Aceto roſ.* uſurpata, euporiſton ſunt præſtantiſſimum. Laudatur *Decoctum gran. Junip.* item *Spongia ſalicis* exſiccata ad ℨß. ſicuti etiam *Sem. Soph. chirurg.* ad ℨi. Porrò *Bolus armena*, *Terra ſigillata*, *ſolaris*, & hinc *Martialia*, *crociis Martis*, *lapis Hæmatites*, præſertim *artificialis*, egregia ſunt. *Gelatina* C.C. & pro potu ordinario *Decoctum* C.C. in epidemicis Diarrhœis egregiè confert. *Theriaca recens*, & inprimis *Diaſcordium*, meritò laudantur.

℞ *Aq. Menth.* ℥ii. *Aq. Cinnamom.* ℨii. *Extract. Tormentil. gr. viii. Croci Martis adſtring. Laud. hyſter. an. gr. vi. Syr. Cydon.* ℥ß. Miſce, & detur cochleatim. Vel,

℞ *Aq. Plantag. Portulac. an.* ℥iß. *Acet. Roſ.* ℨß. *Diaſcord. Fracaſt.* ℨii. *Terr. ſigillatæ* ℈ii. *Antimon. diaphor.* ℈i. *Syr. Roſ. rub.* ℨvi. *M. pro* 3. *doſibus.* *Acida* nempe cum *Terra ſigillata*, ac ſimilibus propinata texturam quaſi aluminoſam *acquirunt.*

℞ *Conſerv. Menth. vitriol.* ℥iß. *Diaſcord.* ℨß. *Terræ Sigill.* ℨj. *Antimon. diaph. Bezoardici martial. Extract. rad. Tormentil. an.* ℨß. *cum Syr. Imperat. f. Electuar. Doſ.* ℨii. *bis vel ter de die.*

Externè *Theriaca* vel ſola, vel cum *Balſ. Peruv.* aut *Oleis ſtill. Juniperi*, *Mac. Caryoph.* applicetur Ventriculo & Umbilico; item Cruſta panis toſta, Vino auſtero vel Aceto ebria, Pulv. *Nucis moſch.* inſperſo. Cætera vide in Capite de *Vomitu.*

Quando opus eſt abſterſione inteſtinali, propinatur *Rhabarb. ad* ℈i. *cum Conſerv. Roſ. & pulv. Nucis moſch.* item *Decoctum Tamarind.* Hæc tamen non conveniunt niſi in declinatione; vel tantùm in principio, quando metaſtaſis humorum & Fructus horæi Diarrhœam inducunt.

Atque

Atque hæc in genere de *Diarrhœæ* Curâ. In ſpecie, *Artificiales ſpontaneæ* ab errore externo, ex metaſtaſi humorum, aut humorum ſpontaneo motu, item *Symptomaticæ*, ſi ægro commodæ, & *Criticæ*, non ſunt curandæ, ſed ſi deficiant, moderatè ſtimulandæ. Si autem nimiæ ſint, adeo ut Appetitum & Coctionem proſternant, tum prorſus curandæ ac ſiſtendæ veniunt.

In *Diarrhœa artificiali* nimiâ, ſeu *Hypercatharſi*, convenit *Theriaca* cum *Aqua Cinnamomi*: item *Terra ſigill. Antimon. diaph.* C.C. *ſine igne*; in ſpecie *Pumex*: præterea *Opium*, *Diaſcordium*; *Vinum generoſum*, inprimis *rubicundum*, atque *Abſinthites*. Externè abdomini applicetur *Theriaca*, vel fotus ex *Abſinth. Menth. & Aromat. in Vino decoctis.* Si Tormina aut Alvum egerendi conatus adſint, injiciantur *Clyſmata ex Lacte tepido*, in quo *Theriaca* ſoluta ſit; quæ etiam conferunt in aliis caſibus, quando nempe crebriùs ſed parcè dejiciunt, peccante magis acrimoniâ quàm copiâ.

In *Diarrhœa* ab errore externo conducunt *abſorbentia*, v.g. *Coral. rubr. Nux moſch.* C.C. *uſt.* cum *Opiatis & ſtomachicis.* In ea quæ ex metaſtaſi fit, & plerumque noctu invadit, conducunt *Veſicatoria* & *Fonticuli*, quæ *Catarrhum* avertant & aliorſum derivent. *Diarrhœa* ex ſpontaneo humorum motu per amara & theriacalia ſpeciatim curatur. *Diarrhœa habitualis* inprimis curanda venit *Thermis*, uſurpando internè *Aromatica* ſtomacho grata. *Colliquativa* vix niſi curato primario morbo auferri poterit, interim *temperantibus* & blandè *adſtringentibus* ejus ulterior progreſſus, quantum poſſibile, cohibendus. In *Epidemicâ* appropriatis *Alexipharmaca & Sudorifera* miſceantur.

℞ *Antimon. diaphor. Terræ ſigill. an. gr. xv. Sal. volat. Viper. gr. vj. Pulv. Nucis moſch. gr. iv. m. pro doſi, expectando ſudorem.* In Præcordiorum Anguſtiis junctis inungantur *Ol. deſtill. Mac. Junip.* & *Caryoph.* cum *Ol. Nuce moſch. expr.* pro corpore Balſam.

CAP.

CAP. IV.

De Cholera.

SUmmus Diarrhœæ gradus *Cholera* dicitur, quando nempe non abſque impetu recrementa ſursùm & deorsùm expurgantur. Adeſt ſimul Ventris ac Inteſtinorum dolor, inflatio & diſtentio; Cardialgia, pulſus celer & frequens, interdum parvus; anxietates præcordiorum inſignes, inquietudo & jectigatio, animi imminentia deliquia, partium externarum refrigeratio, Sudor circa frontem, & tandem Convulſiones. Hæc *Cholera humida* dicitur; præter quam datur & *ſicca* ſeu *notha*, *Hypochondriacis* familiaris, in qua flatus ſupra & infra eructantur.

Cauſa Choleræ humidæ (quæ modo conſideranda venit) eſt fermentum acre, utplurimum acidum, nunc ſolitarium, nunc bili permiſtum, unde illa æruginoſa redditur, Stomacho maximè adverſatur, & graviſſima præcordiorum Symptomata inducit. Hoc fermentum acre non ſolum *irritat*, ſed & M.S. fermentativo motu *colliquat*. Quandoque in ſpecie humoris copioſi ſe exhibet, ex aſſumptis nempe corruptis genitum; frequentiùs autem ſub mole minima exiſtit, & verè malignum eſt, in vehementi nempe affectu ab internâ cauſa orto. Quod irritationem attinet, locus illius eſt finis *Duodeni* & principium *Jejuni*, ubi ſucci vitiati efferveſcunt, & tàm Inteſtina ad naturalem, quam Pylorum ad præternaturalem & inverſum motum ſtimulant. Quoad *Fermentationem colliquefactivam*, patet, quòd Maſſa ſanguinea partes ſui vitioſas à fermento corruptas per vaſa pancreatica & cholidocha in Inteſtina amandet, ex eo, quòd licet ex alimentis corruptis inchoetur *Cholera*, Excrementorum tamen quantitas quævis

quævis aſſumpta longè ſuperet. Hinc enim eſt, quòd in Hyſtericis, Scorbuticis, &c. purgantia ſæpe *Choleram* inducant, ſalia nempe contraria, præſertim acida, in horum corporibus ſtabulantia, in Inteſtina detrudendo. Hinc etiam eſt, quòd *fructus horæi*, in Chylum fermentativum abeuntes, Maſſæ ſanguineæ craſin turbando & colliquefaciendo, *Choleram* excitent. Hinc febrilia ſymptomata ex præternaturali illa ſanguinis commotione oriuntur. Ventris & Inteſtinorum dolor, inflatio & diſtentio, ſunt effectus genuini contentorum acrium effervеſcentium. Fermentum illud in *Cholera* ſæpius malignum eſt, id eſt acerrimum, in minimo efficaciſſimum, & nervoſis partibus quàm maximè hoſtile, id quod tetra teſtantur Symptomata, quæ aliàs à vero Veneno procedere obſervantur.

Cauſæ remotæ ſunt vel *internæ* vel *externæ*; hæ ſunt aſſumpta varia facilè fermenteſcibilia, indeque corruptibilia, in ſpecie Perſica mala, Raphanus, Cucumeres, Melones, Lac corruptum, Oryza cum lacte parata & frigidè aſſumpta, Fructus præcoces cum Ovis frixis, ſuper hauſtâ frigidâ, Muſtum, Cereviſia novella, Vinum non ritè defæcatum, Ova Barbi & Lucii, Medicamenta item acriora, v. g. *Infuſum Helleb. albi* (cujus antidotum eſt *pulv. flor. Nymph. alb.* ad ʒii.) *Aq. fortis*, *Sublimatum*, *Arſenicum*, & quidam *Fungi*. *Internas* inter *Cauſas* ſunt Febres malignæ, occluſa Fontanella, Menſes deficientes, nimia Venus (à qua *Cholera* nata *ſcrupulis quatuor Pulveris Hæmatites in Succ. Granat.* curatur) ut nihil dicam de ſingulari Idioſyncraſia, ratione cujus ex audito tonitru Cholera ſubinde enata fertur.

Prognoſis. Periculoſiſſimum eſt malum; periodum ferè obſervat tertianariam. Sæpius convaleſcentibus recidiva lethalis ſupervenit. Quò magis Venter aut Ventriculus perturbatur, eò periculoſior eſt. Si à bile æru-

ginoſa

ginoſa oriatur, malum; ſi livida aut nigra aut fœtida ejiciantur, peſſimum eſt ſignum. In principio Febrium quarundam poteſt eſſe critica & ſalutaris.

Cura. Temperandum eſt fermentum acre & malignum; opiatis humorum motus ſiſtendus, & appropriatis Ventriculus roborandus. Pro his ſcopis obtinendis obſervandum. 1. *Opiata* nunquam omittenda. Si tamen magna ſit virium exſolutio, præſtat partitis vicibus, quàm integram doſin ſimul exhibere. 2. In initio nec *Adſtringentia*, nec *Purgantia* conveniunt, Illa humorem à fermento inquinatum incarcerant, qui gravia inducet ſymptomata. Hæc licet leniſſima, novos inſuper excitant tumultus. 3. Bibat æger parcè, idq; tepidè.

In principio itaque conveniunt blandè *abſtergentia*, inprimis in corruptione alimentorum, v. g. *ſerum Lactis*, vel ſolum; vel cum ℥i. *aut* ij. *Syr. Roſ. ſolut.* miſtum; vel cum ℥i. *Tamarind.* ebullitum; Item *Infuſum* blandum ex *Rhabarb.* aut *Bolus* ex *eodem* cum *Conſerv. Roſ.* Conducunt etiam *Clyſteres* ex *Lacte* cum ʒij. *vel* iij. *Theriaces.* Internè *Mentha* egregium eſt ſpecificum, unà cum *ſucco Portulac.* & *Plantag.* Item horum *decoctum* cum *Syr. Cydon.* & *Conf. Hyacinth.* propinatum. Pariter *Emulſ.* ex *ſem. 4. calid. maj. Amygd. d.* cum appropriatis inprimis *Terr. ſigillat.* & *Antim. diaphor. Bezoardico martiali*, ſpeciatim *Cryſtal. ppt.* tanquam ſpecifico pro bile æruginoſa temperandâ, & curandâ *Cholerâ*, ex uſu *Acidularum*, corpore non præparato, natâ. Juxta *Cryſtallum* eſt *Smaragdus*, ſpeciatim ubi Convulſiones imminent. Inter *Opiata* ſunt *Laudana, Theriaca, Spir. & Eſſentia Theriac. tam ſimplex quàm camphor.* & *Diaſcord.* In *Cholera* à Veneno corroſivo, v. gr. *Aq. forti* ſumtâ, conducit *Lac*, imprimis *chalybeatum*, cum *Ceræ flavæ* tantillo, *Nux moſchata* & *Terra ſigillata* additis *demulcentibus*, *Oleo* puta vel *Emulſion. Amygdal. d.* Ex dictis facile eſt formulas concinnare. v. g.

℞ Con-

℞. *Conſerv. Menth.* ʒj. *Terr. ſigillat. Coral. r. ppt. Cryſtal. alb. ppt. aa.* ℈ß. *Laudan. opiat. gr. ij. cum Syr. Coral. F. Bolus.*

℞. *Aq. Menth.* ℥iv. *Cinnamom. Eſſent. Theriac. aa.* ʒij. *Syr. Coral.* ʒvi. *M.* & cochleatim ſume.

Externè applicatur Regioni epigaſtricæ *Sp. Vini camphoratus*, cum panno vel linteis multiplicatis, quàm calidè ferre poteſt Æger: Item *panis toſtus* vino generoſo intinctus, & *pulvere arom.* aſperſus. Quoad *differentias*; ſi à *Veneno* oriatur *Cholera*, *oleoſis*, *pinguibus*, & *abſorbentibus* curatur, ut ſuprà. Si ex *Hypercatharſi*, *Opiata* cum *Theriacalibus* & *Vino Abſint.* egregiè conferunt. Si à *Fructibus horæis* ſit malum, præter blandè *abſtergentia*, conducunt *terrea fixa*, ſc. *C. C. uſt.* & *Salia lixivialia*, ad imitationem nempe *Cerevisiæ* vel *Muſti*, effervescentium impetuoſius, dictis mediis cohibitorum.

CAP. V.

De Lienteria.

SI aſſumpta, prout ingeſta fuere, per alvum egerantur, *Lienteria* dicitur: Oriturque 1. Quando fermentum ſtomachale aut deficit, aut iners eſt, aut ex retentis variis impeditur. 2. Quando tanta eſt Pylori laxitas, ut alimenta non retineat, ſed dilabi ſinat antequam ſint diſſoluta; inprimis ſi conjungatur irritatio quædam & moleſtia Stomachi. Hinc Ulcus Ventriculi, eundem continuè irritans, *Lienteriam* inducit, quod curavit *Foreſtus* primò mundando per *Aq. mulſam*, & *Decoct. Hord.* cum *Melle roſac.* & poſtmodum adſtringendo cum *Decoct. Rad. Symphyt. Terr. ſigill. &c.* Humores etiam acriores retenti, & ſalia acria ſcorbutica, tam cum ſalivâ, quàm per membranam Stomachi glanduloſam ad Ventriculum delata, eundem continuè irritando, ad

præmaturam excretionem ſtimulant. Pariter nimius potus, Pylori laxitatem, adeoque *Lienteriam* producit. *Lienteria* gravioribus Morbis ſuperveniens ad Tabem diſponit; item diu durans virium poſtrationem neceſſariò infert.

C*ura*. Stomachus roborandus, tam *Aromaticis*, quàm moderatè *acidis*. Vel Irritatio ſiſtenda temperando acrimoniam humorum, & Ventriculi ſenſum ſopiendo. Pro his ſcopis obtinendis obſervandum eſt 1. In præſentia Excrementorum pituitoſorum, aliorumve vitioſorum retentorum convenire *Vomitoria*, ſed *Lenia*; *fortiora* enim aut tonum laxant (ſi oleoſa ſint) aut Malum irritant. Si Vomitus minùs conveniat, exhibeantur blandè *abſtergentia* & ſimul *adſtringentia*, v. g. *Rhabarb. Aloetica*, *Pilulæ maſtich. &c.* 2. Si à *Veneno*, *Fungis*, aut *Fructibus horæis* excitata fuerit, appropriatis obviam eundum eſſe. 3. Fortiora Purgantia minimè convenire, ſed præſtare, quæ ſtypticitatem aliquam ſecum vehunt.

In genere hinc conveniunt *Stomachica*, ſcilic. *Abſinth. Menth. Salv. Nux moſch. Macis*, *ZZ. Cydonia*, *Meſpila condita*, &c. Item *Coralliata*, inprimis *Tincturæ Coral.* quæ ratione *Corallij* temperant, & ratione *menſtrui* Stomacho gratæ ſunt. Pariter *Elixir propr. ſ. acido*, *Spir. Maſtich.* & *Syr. Maſtich. Timæi.* *Helmontius* euporiſton habuit ex *Vitello ovi* indurato, cum *aceto*; ſicut *Foreſtus* ex *Vitello ovi* cum *pulvere unius Nucis moſchatæ* ſuper tegula ignita aſſato. *Alumen* legitimè uſurpatum optimum eſt. Item *Vinum abſinthites chalybeatum*, *Vinum infuſionis Abſinth. Menth. Meliſſ.* &c. *Panis bis coctus* in *Spiritu vini* maceratus, hinc *Theriacâ* illitus & comeſtus. Denique *Miva* Cydon. *aromatica* cum pauca *Terra ſigil.* & *Diaſcordii Electuario* conveniunt.

℞. *Conſerv. Roſ.* ℥iii. *Theriac. opt.* ʒij. *Spir. Vitriol. gut. viii. cum Miva Cydon. aromat. F. Elect. ſumat manè quantitatem Nucis Juglandis.*

Ex-

Externè convenit pro fotu Sacculus ex *Aromaticis* & *Stomachicis* in *Vino* coctis ; & alia pariter in Sectione *de Vomitu* laudata.

CAP. VI.

De Fluxu chyloſo, ſeu Cœliaca *Paſſione.*

SI aſſumpta in Chylum mutentur, atque hic dein cum excrementis unà per alvum egeratur, dicitur *Cœliaca Affectio*, fitque duobus modis. 1. Quando Chylus non ſecernitur à fæcibus in Inteſtinis, unde excreta gryſea, plus minùs albicantia, invicem permiſta apparent. 2. Quando Chylus ritè ſecretus non debitè diſtribuitur, ſed cum excrementis confuſus excernitur, ipſa autem excreta à Bile ſatis tincta flaveſcunt. Prius fit ob defectum vel inertiam Bilis ; ſine Bile enim Succus pancreaticus non poteſt Chylum perficere & ſecernere. Poſterius oritur ex obſtructione Vaſorum lacteorum à mucilagine viſcida. In utraque hac *Cœliacæ* forma Ventriculus videtur ſalvus, quia alimenta in Chylum concoquuntur. Poteſt tamen Cœliaca oriri à Chylo malè digeſto, adeoque inepto pro ſubeunda alteratione Bilis, quo in caſu meritò culpatur Stomachus. Si diu duret hic *Fluxus* metuenda eſt *Atrophia*.

In *Cura* prioris ſpeciei acuenda eſt Bilis iis, quæ *Sale volatili acri* conſtant, & ſimul *amara* & Stomacho grata ſunt. In altera ſpecie *abſtergendus* eſt mucus Inteſtinorum parietibus adhærens. Utriſque ſcopis ſatisfaciunt *Mentha Abſinth. Agrimon. Rad. aperient.* inprimis *Cichor.* cujus amaror abſterſivus hic eſt egregius. Conveniunt item *Tinctura Tart. acris*, tam *vulgaris*, quàm ex *Scoriis Reg. Antimon.* parata ; *Tinct. Tart. compoſ. Spir. carminat. de tribus*, in *Aq. Menth.* vel *Vino Abſinth.* & *Spir. Sal armoniaci* cum *Spir. Cochlear.* miſtus.

CAP. VII.

De Dyſenteria.

EXpeditâ excrementorum per alvum *expulſione*, tam *diminutâ*, quàm *auctâ*, ſequitur *depravata*. In qua ſpecie primatum ducit *Dyſenteria*, quando nempe per alvum evacuatur ſanguis, idque vel cum muco, non ſine torminibus ventris, teneſmo, aliisque Symptomatibus; vel etiam ſine talibus.

Differentiæ inprimis tres obſervandæ. 1. Quando ſine Inteſtinorum vitio, motu & impetu naturæ, per alvum ſanguis evacuatur, *v. gr.* in Spleneticis, Melancholicis, & in *Dyſenteria Scorbuticâ nothâ*; Item in *Menſium ſuppreſſione*, vel *Ulcere Meſenterii* aut *Pancreatis*. 2. Quando *Fluxus* eſt *hepaticus*, de quo poſtea. 3. Quando ob vitium Inteſtinorum, cum torminibus & ſimultaneâ excretione muci albidi, plus minus purulenti, ſanguis ejicitur. Et hæc eſt propriè ſic dicta *Dyſenteria*.

Signa. Agmen ducunt Tormina; ſequuntur dejectiones cum ingenti Inteſtinorum depreſſione, dolore, & moleſtiſſimo Viſcerum quaſi omnium deſcenſu. Dejectiones non ſunt ſtercoroſæ, ſed nunc ſimpliciter mucoſæ, nunc intermiſtim ſanguineæ, nunc ſimpliciter ſanguineæ. Si ſanguis abundet, *cruenta*; ſin mucoſa verò, *alba Dyſenteria* vocatur. Adeſt ſubinde Febris; lingua ſubalbida, mucilagine densè obſita, &, ſi vehementiùs æſtuet corpus, nigra etiam & ſicca. Proſternuntur vires, Ægri vigiles ſemper ſunt, anxii & inquieti, ſitiunt inſigniter; & ſi majora vaſa corrodantur, ſanguis ſincerus confeſtim effluit. Nonnunquam Inteſtina inflammantur, indeque Gangrænâ incurabili afficiuntur. Si adſtringentia intempeſtivè adhibeantur,

Aphthæ

Aphthæ interdum fauces aut Inteſtina obſident. Tandem plerumque Inteſtinum rectum *Teneſmo* doloroſiſſimo afficitur.

Pars affecta denunciatur à dolore, loco doloris, tempore exitûs excrementorum, & horum variâ miſtione. 1. Si inteſtina *tenuia* afficiantur, dolor adeſt intenſus & diſcindens, qui in *Craſſis* remiſſior & obtuſior eſt. 2. Si tenuia afficiuntur, circa umbilicum & regionem hypogaſtricam magis eminet dolor: ſin verò craſſa, infra & juxta ſtomachum, & utrinque juxta latera, magis tormina vexant. 3. Excretio poſt tormina celer, *craſſa*; tardior verò, *tenuia* labefactata arguit. 4. In *tenuibus* affectis propter magnum iter benè permiſcentur ſanguis & mucus; in *craſſis* verò, apertiùs diſtinguuntur. 5. *Tenuia* (ventriculo proxima) affecta ad Vomitum ſtimulant, & Anxietatem augent; *craſſa* minus.

Cauſa efficiens *proxima* eſt ſpiritus influus occaſione doloroſa ad impetum provocatus. *Cauſa materialis* eſt *acre* quodcunque Inteſtina vellicans, ita ut propter irritationem continuam tandem & ſanguis effluat. Hinc videmus, quòd in *Hypercatharſi* non rarò ſuperveniat ſanguinis excretio. *Acre* hoc, in ſpecie eſt *acidum*, membranis Inteſtinorum nerviſque inimiciſſimum; unde v. g. *Hyſtericæ* purgatæ facillimè *Dyſenterias* incurrunt, ob acres, acidos, erodentes ſuccos. Sic præter Hypercatharſes, & Caſus hyſtericos, non rarum eſt, quòd *Diarrhœis*, ſi acrius affligant, ſuperveniat *Dyſenteria.* Sic ex Uvarum, Peponum, Carnium animalium, Caſſiâ fiſtulâ nutritorum, eſu; ex Muſti potu; ex Mercurii inunctione, & Ulcere pedum diuturno, oritur interdum *Dyſenteria.* Item ex Aceto vel Aqua in vaſe plumbeo aſſervatâ; & ex efflorescentiâ candidâ in canalibus plumbeis tectorum per diuturnam ſiccitatem ortâ, & per ſupervenientem pluviam abraſâ.

Cibi etiam dulces, vitioſâ fermentatione impenſè aceſcentes, ut & Adamas non exactè pulveriſatus, propter angulorum acumen Inteſtina perforans, *Dyſenterias* inferunt.

Dyſenteria endemica, nullibi præterquam à *Sydenham* (quaſi inter hybernos) memoratur. *Epidemica* frequenter autumnali tempore invadit. Oriturque ab acido ſale penè acerrimo, ſubinde minimo & efficaciſſimo, adeoque maligno; ſubinde benigno; utroque tamen inſigniter contagioſo. Frequentiſſimè enim non ſolùm per Latrinas, ſed & per Clyſteres communicatur. Oritur autem, præter aërem plus minùs fervidum & acrem, inprimis ex potu gelidarum Aquarum, ac Fructuum horæorum nimiopere deglutitorum corruptelâ.

Dolor acerrimus *Dyſentericos* torquens, non promiſcuè ex corroſione, ſed maximam partem ex Inteſtinorum ſpaſmo & motu vermiculari oritur; unde excretionem præcedit, quia ſpaſmus Inteſtina propellens contenta exprimit. *Sanguis* excretus in *Dyſenteria benigna* ab excoriatione Inteſtinorum, in *maligna* à miaſmate acri, Inteſtina ad proprium cruorem fundendum ſtimulante, procedit. Ita ut cruoris profuſio conſequens ſit alterationis ſeu vellicationis Inteſtinorum, ab acri rodente in *benigna*, & miaſmate virulento in *malignâ* Dyſenteriâ. Vellicatis enim Inteſtinis, ſicut à ſpinâ alicubi infixâ, ſanguinis fluxus illuc derivatur. Mucus, qui excernitur, pituita Inteſtinorum parietes oblinens eſſe nequit, propter nimiam excreti copiam. Nec ſanies eſt aut pus, licet hæc in diuturniore malo interdum obſerventur. Eſt itaque nihil aliud, quàm nutrimentum Inteſtinorum non rectè aſſimilatum, ſed diverſimodè corruptum. Excernuntur quandoque *Carunculæ*, quæ non tam ſubſtantiæ Inteſtinorum membranoſæ, quàm Glandulæ inteſtinales tumefactæ, & mor-

morbi progreſſu ab Inteſtinorum ſubſtantia ſeparatæ atque abraſæ eſſe videntur. Exulceratio Inteſtinorum rariſſimè locum habet; aliâs Dyſenteriæ cura per ſpecifica tam citò fieri nequiret.

Prognoſis. Si afficiantur Inteſtina tenuia, mala; ſi epidemica ſit cum Febre, periculoſior eſt, præſertim ſi maligna. Si adſit Vomitus, qui ferè jungi ſolet cum ſingultu, deterrima eſt. Si excreta ſint viridia, nigra aut varia, aut admodum graveolentia; ſi ab atra bile incipiat Dyſenteria; ſi ſuperveniant Convulſiones ac Deliria; ſi veluti carunculæ dejiciantur, exitioſa eſt. Dyſenteria indolens Inteſtinorum gangrænam oſtendit, eſtque hæc in Dyſentericis præcipua mortis cauſa. Si adſit vòmitus bilioſus in principio, vel ſingultus in progreſſu morbi, funeſtus eſt. Si ſuperveniant Aphthæ, aut Lienteria, aut ſi intendatur Febris, malum. Si macula nigra vel tubercula poſt aurem appareant, inſtat mors. Gravidarum Dyſenteria Abortum minatur, ſuperveniente tamen partu legitimo ſubinde ſolvitur. Si adſit Teneſmus cum paralytico Ani hiatu, ita ut clyſteres injecti ſtatim elabantur; aut cum tanta adſtrictione & tumore, ut nihil intromitti poſſit; plerumque mortis ſignum eſt. Superveniens ructus vel crepitus ventris, bonum ſignum eſt, ſc. redeuntis fermenti digeſtivi. Tandem continuum extremorum frigus cum vel ſine madore, utcunque actiones apud Ægrum videantur ſatis adhuc vegetæ, animusque præſens, lethale ſignum exiſtit.

Cura. Obſervandum, an *benigna*, an verò *maligna*; item an à cauſa internâ vel externâ, & hæc vel ab aſſumptis acribus, &c. vel contagio nata fuerit *Dyſenteria.* Omnes enim epidemicæ non ſunt malignæ, & ex his differentiarum conſiderationibus variat praxis. Quoad methodum medendi igitur, 1. Irritatio Inteſtinorum, opiatis & acria corrigentibus ſiſtenda. 2. In

benignâ laxantibus abluantur Inteſtina; in *malignâ* abſorbentibus ac blandè ſudoriferis miaſma contagioſum eliminetur. 3. Noxa Inteſtinis illata vulnerariis adſtringentibus ac ſimilibus reſtituatur. Qui communiter purgantibus, clyſteribus, anodynis, & mundificantibus curam aggrediuntur;tantummodoproductum morboſum, non autem Morbi radicem reſpiciunt.

Pro his ſcopis obtinendis obſerventur ſequentes regulæ. I. *Obtundentia*, ut *Lac*, aut *abſorbentia*, ut *Corallia*, acre vellicans in genere corrigunt, ſpecificè autem *Priapus Ceti*, *&c.* II. *Opiata* utramque faciunt paginam, ſed appropriatis, *ſudorificis* nempe ac *laxantibus*, debitè miſta. III. In *Dyſenteria epidemica*, plus minus *malignâ*, ſudor tam per ſe, quàm *diaphoreticis* provocatus, probè attendendus eſt. IV. *Abſtergentia* primas vias Cacochymicis in principio conveniunt; uti & ſi à fructibus horæis malum ortum fuerit. Contrarium faciendum, ſi à causâ oppoſitâ originem duxit Malum. In morbi progreſſu, & in malo contagioſo, exulent *Laxantia*. V. *Clyſmata* irritatione ſuâ Malum facilè exaſperant. Conveniunt igitur ſolùm. 1. In benignâ, ubi eluendæ ſordes. 2. Ubi temperanda acrimonia. 3. Ubi neceſſaria eſt conſolidatio. 4. Quando tenuia ſuperiora & pylorus,nimis afflicta, revulſorio ſtimulo liberanda. VI. Semper habenda eſt ratio Stomachi, unde *Vinum* v. gr. *rubrum* bonæ notæ,præſertim in juncto Vomitu, non nocet, licet acoris ratione nonnihil ſuſpectum videatur. VII. *Venæ ſectio* omnino exulet. VIII. *Adſtringentia*, ut talia, nocent: ſiquidem non relaxata, ſed irritata ſunt Inteſtina. Inprimis nocentiſſima ſunt intempeſtivè h. e. ante ſudorifera in *malignâ*, & ante *laxativa* in *benignâ* exhibita. IX. Si tantillum refrigerentur extrema, præſertim pedes; item ſi potus non calidus ingeratur, tormina & acerbiores ſuperveniunt dolores. Unde calor,

lor, & juſcula decoctionis gallinarum, ſunt maximè proficua. X. Quies, & jectigationis abſentia, maximæ utilitatis eſt.

Inter ſpecifica, acre dyſentericum corrigentia, inprimis ſe offerunt *Priapus Cervi, Tauri*, & præſertim *Ceti.* Uſurpantur, vel exſiccati in *pulveris* formâ ad ℥i. in juſculo calido aliquoties propinati; vel in formâ *Decocti*, tam pro potu & remediorum vehiculo, quàm pro *Emulſionum* liquore. Pertinet huc *Gelatina C.C. recens*, in *potu* ordinario vel *Julepis* propinanda. Quin & ex *Priapis*, qui ſunt concretum quaſi medium inter cartilagines & oſſa, paratur *Gelatina. Oſſa* & *Cornua* animalium, uſta vel non uſta, conveniunt. *Raſura Cranii humani* ad ʒi. vel ejuſdem *Uſnea* ad *gr. xv.* nobiliſſimum habetur *antidyſentericum.* Item *Dens Hippopotami* vel *Unicornu verum* ad ʒß. *Sanguis Leporis* aut *Agni* ſub pavore mortis jugulati, exſiccatus & propinatus à ʒß. ad ʒi. cum *Syr. Cydon.* & *Lap. Hæmat.* ſpecificum eſt. In *Dyſenteria epidemica maligna Hepar Serpentum* & *Viperarum* ritè exſiccatum & pulveriſatum, à *gr. xv.* ad ℈i. propinatur. In *Dyſenteria acri* cum Bile porraceâ aut æruginoſa conveniunt *Cryſtalli pptæ. Ungula equina exſiccata*, aut cum *Butyro frixa* & deinde *pulveriſata*, ad ʒi. nobiliſſimum habetur ſpecificum. Quoad *Hepata Ran. virid.* ſit fides penes Authores. Pauperculis commendatur *Album græcum. Uva quercina*, vel in ejus defectu Viſcus aut Fungus querçinus ſpecificum eſt. Item *Pulvis Granorum Actes* ex *ſucco Bacc. Sambuc.* cum *Farina ſecalina* bis in fornace ad duritiem cocto, deinde pulveriſato; pulvere dein ſecundâ ut & tertia vice cum *ſucco Sambuci* in panem formato, & cocto; & tandem maſſæ pulveriſatæ addendo *ſang. Lepor. crud. Priap. Cet.* & *Suc. Gran. Sambuc.* quæ maſſa denuo in Clibano coquatur & pulveriſetur. Doſis ʒß. inſpergatur *Pani toſto* Vino intincto. *Cydonium matu-*

rum excavatum cum *Cera* & *Gum. arab.* repletum, aſſatum & comeſtum, etiam ſpecificum eſt. Item *Aqua ſuberina*, *Pulvis Suberis combuſti*, *Pulvis* & *Decoctum Tormentillæ*, *Roob* Sorbi *torminalis*, vel *aucupariæ*, *Unicornu foſſile*, & *Terra Vitriol. dulc.* ex *Vitriolo martiali* deſumpta, quibuſvis *martialibus* longè præferenda. *Martialia* quidem acidum ſaturant, ubi ab acido malum oritur; ſed in *Dyſenteria contagioſâ* aut *malignâ* minus conveniunt. *Sulphur* hujuſque *flores* ſunt præſtantes, *Saccharum Saturni* & *Alumen crudum* in *Vino rubro* vel *Lacte vaccino* proſunt. Tandem *Opium* nunquam negligatur. Hinc *Theriaca*, *Mithridat. Diaſcord. Laudana*, & *Trochiſci de Carabe*, admodum conveniunt. Pro optimo omnium ſpecifico, & tantùm non certiſſimo Remedio extollitur hodie Radix illa exotica, *Ipecacuana* dicta, per ſuperiora & inferiora purgans, ad grana 20. 25. vel 30. pro doſi exhibita, ac quotidie ſed fractâ magis ac magis doſi reiterata. Verùm hoc Remedium, utut in Caſtris Militum fortè egregiùm effectum præſtare deprehenſum ſit, in Civitatibus tamen, apud delicatioris texturæ homines non æquè operari feliciter conſuevit.

℞ *Decoct. Priap. Cerv.* ℔i. *Gelat.* C.C. ℥i. *Aq. Cinnam. cydoniat.* ʒvi. *f. Julepus.*

℞ *Terra ſigill.* ℥iß. C.C. *ſ. igne Raſ. Priap. Cerv. an.* ℥i. *Pulv. rad. Tormentill. Coral. rub. ppt. an.* ʒiii. *M. f. Pulvis. Doſis* ʒi.

℞ *Pulv. Hepat. Viperar.* ℈ii. *Extract. Tormentill.* ʒß. *Laud. opiat. gr.* ii. *M. pro* 2 *doſ. in Dyſenteria maligna.*

℞ *Aq. Plantag.* ℥ii. *Aq. Cinnamom.* ℥ß. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒi. *Trochiſc. de Carabe* ℈ii. *Lap. Hæmat.* ℈i. *Syr. Card. ben.* ℥ß. *M. ſumatur cochleatim.*

Hæc ferè ſunt Specifica. Progredior ad ea, quæ communiter uſurpantur, *adſtringentia* nempe, *abſorbentia*, *temperantia*, & *vulneraria*. Inter dicta magis uſitata

ſunt

ſunt *Plantago*, *Pimpinella ſanguiſorba*, *Lyſimachia*, *Fol. Quercus*, *Burſa Paſtoris*, *Millefolium*, *Conſolida major*, *Nymphæa*, *Biſtorta*, *Roſæ rubræ*, *Balauſtia*; *flores Papav. Rhæad. Bellid. Hyperic. Sem. Papav. & Plantag. Cydonea*, *Meſpila*, *Spongia Cynosbat. Nux moſch.* &c. *Mentha* cum *Abſinth.* in fine mirè ventriculum roborant. Unde horum *ſuccus* benè depuratus, & *Syrup. Abſinth.* cum *Aq. Cinnam.* poſt eſum Fructuum horæorum valdè conveniunt. Hinc *Eſſentia* & *Syrupus Symphyti*, *Tinct. Sulph. Vitriol. Tinct. Lap. Hæmat. Crocus Martis adſtringens*, *Succinum*, *Bolus Armenas*, *Terra ſigillata*, *Tinctura antiphthiſica*, *Thus*, *Os Sepiæ*, æſtimantur. Præ cæteris convenit *Lac*, inprimis ſeroſius, poſtea ipſum *Lac*, ſed *chalybeatum*, vel addita ʒi. *Stercoris canini* ſingulis hauſtibus. Incoqui etiam poſſunt *Rad. Symphyt.* vel *Tormentill.* vel ſi ipſum *Lac* ſolitarium incommodum videatur, addatur dimidia quantitas *Aquæ communis* vel cujùſdam aliûs appropriatæ.

Si in principio laxandum, *Rhabarbarum* ſolum tutum eſt, utpote quod vim habet anodynam. Sed aut præmittendum, aut ſimul jungendum, aut ſubjungendum *Opiatum*. *Laxantia* commodius mane, *opiata* verò ſub noctem dantur, quia raró de die agunt; & *Dyſenteria* circa noctem ordinariò exaſperatur.

℞ *Diaſcord. Fracaſt.* ʒß. *Rhabarb. pulv.* ℈i. *cum ſ. q. Syr. de Roſ. ſicc. f. Bolus.*

℞ *Rhabarb. elect.* ʒij. *Roſar. rubr. p.* iv. *Infund. in ſ. q. Seri lactis*, *colatur.* ℥ii. *vel* iii. *add. Syr. de Roſ. ſicc.* ʒiii. *vel* iv. Uſurpetur hauriendo aliquot doſibus.

Fit interdum, ut Dyſenterici patiantur dolorem gravativum ſub umbilico, quaſi materia quædam ibidem incuneata hæreret, propter ſuppreſſos per opiata ſeceſſus; quod tamen non eſt, quin potius ex continuato Inteſtinorum Spaſmo originem ducit. Unde *externè lenientia*, item *later calefactus* Abdomini applicatus, dolorem illum ſiſtunt.

Iſtis

Iſtis hactenus recenſitis legitimâ methodo uſurpatis, quando mitigatum eſt malum, pro reſtituendis Inteſtinis in declinatione Morbi conveniunt *Vulneraria*, quæ inter eminet *Balſ. Peruvianus*, *Vomitum* Dyſentericis moleſtum ſiſtens, & Inteſtinis læſis mirè conducens, vel in formâ *pulv.* cum *Sacch.* & *Coral.* vel in *Vitello ovi* diſſolutus ad ℨß. Additur ſimul quandoque Clyſteribus. Conducit etiam *Potio vulneraria* ſequens:

℞. *Herb. Heder. terreſtr. m. ii. Alchym. Plantag. an. m. i. Summit. Hyper. florent. p. iv. Raſ. C. C.* ℥iß. *Coq. in ſ. q. Aquæ ſimpl. Colaturæ* ℔i. *adde Syrup. Coral. de Symphit. Fernel. an.* ℥i. Detur ad Vitr. Capiatur ſubinde hauſtus cum *6. vel 8. gutt. Balſ. Sulph. terebinth.*

Inter *externa* eminent *Clyſmata* acrimoniam temperantia, ex *Lacte* Decoctionis *flor. Chamom.* & *Capit. Papav.* aut *Rad. Symphyt.* cum *Theriaca* aut *Sevo hircino* diſſolutis; ſpeciatim *Clyſmata terebinthinata.* Conducunt etiam *Clyſmata conſolidantia*, ex *Decocto Herbar. vulnerar.* vel *Jure* aut *Succo Cancror. fluviat.* cum *Balſamo Peruv.* & *Vitello Ovorrum.*

Inter *externè* applicanda, *adſtringentia* non penetrant, adeoque nullius ſunt uſus. Conveniunt quidem inunctiones Ventriculi & Stomachi, ex *Ol. Hyperic. Abſinth. Menth. nardin. Nucis moſchat. &c.* cum *Ol. deſtillatis* ſubinde acuatis, item *Theriaca.* Inter *Fomenta* egregii ſunt *Sacculi* ex *fol. Querc. Furfure, Flor. Chamom. & Verbaſci*, in *Aceto* cocti & calidè applicati. Porrò *Suffitus* egregii fiunt ex *Raſur. C. C.* vel *Aceto*, vel Z. Z. aut *Succino*, ſuper laminam ferream ignitam, ano crebrius excepti. *Sympatheticè* curatur *Dyſenteria*, ſi fæces dejiciantur ſuper *Caput mort. Vitriol.* vel ſi *Perſicaria* cum *Vino decies chalybeato* in *Cataplaſmatis* formam contuſa, juxta Renes calidè applicetur, refrigerata dein ſemel repetatur, & poſt aliquot horas in fimo equino ſepeliatur.

CAP.

C A P. VIII.

De Teneſmo.

TEneſmus eſt continua cupiditas egerendi per alvum, in qua parum materiæ mucoſæ, aut nihil excernitur. *Cauſa* eſt irritatio Inteſtini recti perquam ſenſilis, cujus occaſione ſe contrahit & excretionem urget. Fit hæc irritatio vel *per conſenſum* in Calculo Renum, propter nervos ex ramulis plexûs meſenterici ad Inteſtinum derivatos; item in Calculo veſicæ & Partu propinquo, propter pondus incumbens. Vel fit *per Eſſentiam*, propter mucum acidum in Dyſenteria Inteſtinum ſtimulantem, aut acriora excreta poſt purgantia violentiora; quo in caſu ſæpè etiam particulæ purgantes reſinoſæ inteſtino pertinaciùs affixæ, hoc continuè ſtimulant. Porrò Inflammatio, Exulceratio, aut Fiſtulæ Ani, item Hæmorrhoides cæcæ & Aſcarides, *Teneſmum* frequenter junctum habent.

Prognoſis. Prægnanti Abortum minatur. *Per conſenſum*, eſt abſque periculo. *Per Eſſentiam*, non rarò Ani procidentiam vel Ulcus ſordidum infert.

Cura. Si fiat *per conſenſum*, Vellicatio *Opiatis* ſiſtatur, & curetur prior Morbus. Sin verò eſt *per eſſentiam*, humor acris removeatur, & inde facta excoriatio aut exulceratio mundificetur & denique conſolidetur. Hinc conveniunt *Clyſmata* in pauca quantitate, tantùm ad ℔ß. injecta.

℞ *Flor. Verbaſc. m. j. Roſ. rubr. m. ß. Lumbric. conciſ.* ℥i. *Sem. Pſyl. Fœnugræc. an.* ʒii. *Coq. in lacte rec. ubi magis dolor leniendus, vel in Sero lactis, ubi materia peccans abſtergenda. Colat* ℔j. *adde Sevi hircin.* ℥j. *M. F. Clyſter pro* 2. *vicibus. Convenit etiam jus carnis vel capitis Vervec. cum aliquot gut. Ol. ſtill. Ceræ.*

Oleum

Oleum Ceræ deſtill. egregiè abſtergit & conſolidat; cui ſubſtituitur *Balſ. Peruv.* Præ cæteris *Decoctum Verbaſci in Lacte* cum Spongiâ & Linteis multiplicatis applicatum commendatur. Item *Decoct. fol. Querc.* cum *Furfure* & *Aqua chalybeatâ*, tam cum ſpongiis quàm in forma Sacculi admota. Item ſuffitus ano excepti ex *Aceto* ferventi lateri affuſo, vel *Thure* & *Pice* ſuper Carbones vivos projectis; vel *Aceto* & *Aqua* decoctionis *Sabinæ* lateri infuſis. Quoad *Suppoſitoria* cum *Opio* inſtructa, vereor ne Inteſtinum exaſperent. In Ano exulcerato conveniunt *Inunctiones* ex *Ol. Roſ.* & *Lumbric. terreſtr.* probè in mortario plumbeo agitatis, vel etiam cum *ſolutione Lithargyr.* in *Aceto* in *Linimenti* formam ſubactis, uti & *Suppoſitoria* ex *Sevo hircino* cum *pulv. Thur. Tutia* & ſimilibus, quæ *Unguento diapomphol.* aut *de Ceruſſ. camphorat.* illinantur; vel *Unguenta* ipſa cum tantillo *Terr. Vitriol. dulc.* applicata.

Si adſit *Ani pruritus*, expertus eſt fotus ex *Aq. Plantag.* in qua modicum *Aluminis* decoctum fuerit. Vel *℞. Tragacanth. Sulph. citr. Litarg. an.* ℥j. *cum Aceto, adjecto pauco Ol. Roſ. F. Linimentum.* In *Dolore Ani* ex charta piperata, *&c.* prodeſt fotus *lactis*, additâ paucâ *Aquâ Roſarum.*

CAP. IX.

De Fluxu hepatico.

SI excernatur ſanguis aquoſus, tenuis, loturæ carnium ſimilis abſque doloribus, dicitur *Fluxus hepaticus*, ex falſa Veterum hypotheſi, quod nempe ex defectu ſanguificationis in Hepate oriatur.

Diarrhœa hæc *cruenta*, *Dyſenteriæ* contradiſtincta, eſt vel 1. *Hæmorrhoidum internarum fluxus*; vel 2. *Dyſenteriam ſequitur* propter depauperatam Maſſam ſanguineam

guineam ac nimis hiantia Inteſtinorum vaſa ; vel 3. erit *Hæmorrhagia inteſtinalis*, eaſdem cum reliquis Hæmorrhagiis cauſas agnoſcens. In ſpecie acrimonia ſeroſa ſanguinis vaſorum orificia perforans ; item ſuppreſſio conſuetæ ſanguinis evacuationis ; item obſtructio inſignis in Inteſtina aperiens, fluxum hunc cruentum excitant.

Prognoſis. In Senibus rarò curatur. Ad Cachexiam, Hydropem & Tabem diſponit.

Cura. Si ſit *Hæmorrhoidum apertio*, curatur, in ſpecie per *Tincturam Sulph. Vitriol.* Si ſequatur Dyſenteriam, eadam eſt cura quæ Dyſenteriæ levioris. Inprimis *Decoctum Agrimoniæ Poterii* ſpecificum eſt. Conveniunt etiam *Remedia* ex *Tormentil. Plantag. Sanicul. Coral.* nec negligenda *Opiata*. Si acrimonia ſeroſa dictum malum induxerit, *Rhabarbarina*, item *Vulneraria* & *Adſtringentia* cum *Opiatis* conducunt. Hinc *Corallia*, *Trochiſci de Carabe*, *Unicornu foſſile*, &c. conveniunt. In progreſſu conducit ſudores provocare *decocto Milii* vel *Rad. Chin.* & *Sarſapar.* Sed ſi Hepar afficiatur, vix unam ſudoris guttam emittent. Ad ſanguinis dyſcraſiam corrigendam multum faciunt *Paſſulæ*. *Gelatina* C. C. cum *Aqua Cinnam. parata* à quibuſdam laudatur. Huc facit *Foreſti* obſervatio, quod nempe *Diarrhœa cruenta* ex ſanguine acriori nata, cum Suppreſſione urinæ, curata fuerit hac ſola potione, ſc.

℞ *Fol. Malv. Viol. an. m. j. Rad. Petroſel. Fœnic. an.* ℥j. *Hyſſop. m.* ß. *Glycirrh. raſ.* ℥iß. *Prunor. Damaſc. N.xv. Uvar. paſſar.* ℥j. *Coque in Cereviſia*, cujus uſu aliquandiu continuato Æger ſanitati priſtinæ reſtituebatur. Laudat *Faber* uſum *Aquæ frigidæ* & *Lactucarum* cum *Aceto* multo, præmiſſa *purgatione* ex *Extracto Rhabarb. Syr. Coral.* cum *Aqua Cinnam.* ſæpius ſumpto.

Si ex ſuppreſſa ſanguinis excretione, aut Viſceris infarctu oriatur, tollendæ ſunt hæ Cauſæ, & inſtituenda *Venæſectio revulſoria*.

CAP.

CAP. X.

De Affectibus Hæmorrhoidalibus.

H*Æmorrhoides propriè* uſurpantur de Fluxu ſanguinis ex vaſis Inteſtini recti; ſuntque vel *ſuperiores* ac *internæ*, quarum arteria ex meſenterica inferiori, vena verò ex ramo ſplenico Venæ portæ oritur; vel *inferiores* & *externæ*, quarum arteria ex trunco hypogaſtrico Arteriæ iliacæ internæ, vena verò ex ramo hypogaſtrico derivatur. Cum itaque ex iiſdem ramis hypogaſtricis deriventur vaſa menſtrualia, patet exinde, quare defectus Menſium ſubinde compenſetur per Fluxum hæmorrhoidum.

Differentiæ Affectuum hæmorrhoidalium inprimis ſunt attendendæ. Sunt nempe *hæmorrhoïdes* vel *furentes* ſeu *cæcæ*, propter clauſuram inſigniter dolentes & & tumentes; vel *fluentes* ſeu *apertæ* : quæ denique exiſtunt vel *ſpontaneæ*, ex naturæ beneficio, vel non *ſpontaneæ*; ſuntque hæ vel *criticæ* vel *morbidæ* ſive *ſymptomaticæ*. Dividuntur etiam *fluentes* in *erraticas* & *periodicas*. Ordinariò materia excreta eſt ſanguis; ſubinde tamen etiam alius humor, albidus, aquoſus, aut mucoſus excernitur. Interdum etiam Aqua citrina effluit in Hæmorrhoidibus, quas *veſicales* appellant. Hæmorrhoides *cæcæ* ſunt incipiens Ani inflammatio. Ordinario ferè inſequuntur ſe mutuo *dolor*, *tumor*, *fluxus*. Primò, ſanguis propter fibrarum vellicatarum ſtricturam, & vaſorum clauſuram ſtagnat, & in partis porulos intrat, unde tumor, inflammatio & dolor inſignis; adeo ut, præſertim in *internis hæmorrhoidibus*, ſæpius patiantur animi deliquia, &c. ſub fæcum dejectione. *Externæ*, præter dicta ſymptomata, ſeſſionem & ambulationem moleſtam reddunt. *Cæcæ externæ* interdum ad inſi-

gnem

gnem magnitudinem foras eminent, & à tumoris varia figura varia ſortiuntur nomina, à *verrucis, uvis*, &c. petita. *Cæcæ* nonnunquam in *Ulcus* abeunt, nonnunquam in perfectos *Scirrhos* mutantur. Suntque nunc *benignæ*, nunc *malignæ, cancroſæ, gangrænoſæ.* Hæmorrhoides plerumque *non voluntariæ* ſunt, licèt conſuetudo interdum *voluntarias* reddat.

Cauſæ ſunt vel *internæ* vel *externæ. Priores* ſemper ſunt præter naturam, & non niſi Affectibus melancholicis, atq; ab acido vitioſo natis obnoxiis contingere ſolent. Adeſt nempe in Sanguine ejuſque ſero fermentum ſalinum, quod vellicando loca illa ſenſilia & fibras nerveas ſtringendo, clauſuram, ſtagnationem, tumorem, dolorem, ac tandem fluxum infert. Unde Ægrorum color faciei ſemper ad viridem declinat. *Cauſæ externæ* ſunt equitatio aut vectio laboroſior, conatus in Partu difficilior, ſanguinis circulum circa dicta loca inhibens. Utut *Hæmorrhoides* talia non inducant, niſi in iis, qui ad melancholica pathemata proclives ſunt, aut in Mulieribus, quæ crebrius pariunt, præſertim in ultimis gravidationis menſibus. *Purgantia reſinoſa*, inprimis *Aloe*, non rarò *Hæmorrhoides* excitant, partim quia particulæ reſinoſæ, Inteſtino agglutinatæ, illud ſtimulant, partim quia humores acres evacuati dolores excitare ſolent. Nimia etiam ſanguinis commotio, ex iracundia, motione forti, curſu, ſaltatione, & quæcunque habituales alias ſanguinis evacuationes inducerent, ſimiliter *Hæmorrhoides* in prædiſpoſitis excitant.

Prognoſis. Hæmorrhoides *criticæ*, non nimiè fluentes, Maniam, Melancholiam, Scorbutum, Tumores viſcerum, Arthritidem, &c. levant; *ſuppreſſæ* verò morbos exaſperant. Menſtruationis loco ſunt ſalutares. Si nimiæ ſint, Hydropem, Tabem, ad Venerem impotentiam, debilitatem, &c. inducunt. Si ſupprimatur *Fluxus*, ſimpliciter vaſa ſtringendo, ſine fermenti interni cor-

rectione, ſputum ſanguinis vel ejuſmodi mala inſequuntur. Hæmorrhoides valdè dolentes, facilè inflammationem contrahunt, unde *Ulcera* & *Fiſtulæ*, quæ optimè *Unguento* ex *Ol. Amygd. dulc.* cum *Auro fulminante* tractantur.

Cura. 1. Hæmorrhoides fluere conſuetæ, ad conſuetam periodum reducendæ. 2. Nimium fluentes ſiſtendæ. 3. Nunquam fluere conſuetæ raró aperiendæ, niſi chronici Affectûs ratio, aut ſuppreſſa ſanguinis Evacuatio illud poſtulet. 4. Cæcæ aut diſcutiendæ, aut ſi aliàs fluxerint aperiendæ: ſemper verò dolor ſiſtendus. Unde patet, *Remedia* 1. *Aperientia.* 2. *Claudentia.* 3. *Anodyna* hic locum habere. In *Hæmorrhoidibus apertis* conveniunt omnia, quæ in *Diarrhœis* & *Dyſenteriis* ſpecificâ virtute pollent: in *Cæcis* verò omnia ea, quæ Morbis ſpleneticis, & reſerandis Viſcerum obſtructionibus adhibentur: In ſpecie *Martialia*, nec non Vegetabilia amaricantia & aromatica, quibus ſubjunguntur appropriata, ut: *Scrophularia*, *Millefol. Craſſula*, *Pill. de Bdellio* &c.

Inter *Aperientia* & Fluxum moventia excellunt *Hirudines* ano applicatæ. Si profundius deliteſcant vaſa, ita ut commoda applicatio fieri nequeat, per cucurbitam manifeſtentur. *Aperiuntur* etiam *Hæmorrhoides* fricando *foliis Ficus* contuſis, donec lac exeat. Conſultum interim eſt, prius vaſa emollire *fomentis*, inprimis cum *Lacte* paratis. *Succus Cyclaminis*, vel ſolus, vel, ſi inflammatio adſit, cum *ſucco Betæ* externè applicatus; item *ſuccus Ceparum*, præſertim cum *Aloe*; *ſucci Ari*, *Bryoniæ*, *Centaur. min.* &c. egregiè aperiunt; ut & *ſuppoſitoria* ex *Rad. Cyclam.* vel *Hiera picra cum pulv. Colocynth.* & *Melle* parata; item *Linimenta* ex *Cancris fluv.* in oleo coctis. Si metuatur Inflammatio aut ardor Ani, agitentur dicta in mortario plumbeo, donec lividum colorem acquirant: ſic enim vim refrigerandi obtinebunt.

nebunt. Inter aperientia interna eminent *Aloe, Elixir propriet. Myrrha*, & *reſinoſa Purgantia.*

Inter *Remedia* Hæmorrhoides *claudentia*, conducunt internè *Rhabarb. Myrobalani*, ac præ cæteris *Tamarindi*. Item *Conſerv. fol. Querc. Syr. de Roſ. ſicc. Syr.* & *Succus Portulacæ. Succus Urticæ maj.* ad ℥ij. *Succus* & *Syr. ſtercoris aſinini, Decoctum Sanguiſorbæ, Dens Hippopotami præp. Trochiſci de Carabe*, ac inprimis *Pill. de Bdellio* ad ʒj. *Martialia*, quò pertinent *Hæmatites*, & *Opiata*, quo pertinet *Theriaca*, ſatis nota ſunt. *Externè* Fluxum ſiſtunt & Ulcera ſanant *Crepitus Lupi* ſiccatus; item *Fuligo furni* conquaſſata cum *Album. ovi*, & applicata cum *Telis aranearum*; *Pulvis ſanguinis* recenter excreti & exſiccati; *Pinguedo* ſtillans ex *Anguilla* dum aſſatur; *Pulvis* ex *Mumia* & *Subere uſto*; *Linimentum* ex *Terr. Vitriol. dulc.* ritè edulcoratâ, & *ſucco Plantaginis*; *Unguentum de Tutia* cum cinere *Oſtrearum* ſubactum; *Annulus* ex dente *Hippopot.* pollici pedum applicatus; *Pulveres ſympathetici*, ac inprimis ſuffitus ex *Bdellio. Venæſectio* in brachio non neceſſaria eſt, niſi ſuppreſsâ ſolenni aliquâ Sanguinis evacuatione.

Cæcarum dolorem ſiſtunt, eaſque diſcutiunt *Lac, Opiata, Fotus* ex *decocto fol. Hyoſcyami* in *Lacte chalybeato*: ſpecificè autem *Oleum* ex infuſione *Pomor. Momordicæ* in *Oleo comm.* vel *Amygd. dulc.* Hinc *Oleum Olivarum* ex infuſione *florum Verbaſci, Fotus* vel *Cataplaſmata* ex *flor. Verbaſci* & *Sambuci* cum *ſem. Hyoſcyami* in *Lacte* coctis. Primarium ſpecificum contra Fluorem Hæmorrhoidum eſt *Linaria*, & quidem tam ejus *Oleum* & *Unguentum*, quàm *ſacculus* ex *Linar.* & *flor. Chamom.* in *Lacte* coctis, vel;

℞ *Ung. de Linar.* ℥j. *Ol. Hyoſcyami expreſſ.* ʒij. *Sacchari ſaturni* (*in ardore*) ʒß. *M. pro Linimento.*

Egregium in *Hæmorrhoidibus cæcis* eſt *Linimentum* ex *baccis Herbæ Parid.* in *Oleo* cum modico *Vini* coctis.

Aſelli & *Scarabæi ſtercorarii*, in *Oleo Lini* coƈti dant *Linimentum*, quod *Hæmorrhoidibus externis* commodè illinitur, in *internis* verò in forma *Glandis* immittitur. Idem dicendum de *Millepedibus* in *Oleo Nucis moſchatæ expreſſo* coƈtis vel digeſtis. Si ingens ſit ardor cum dolore, certiſſimum remedium eſt *Suber uſtus* cum *Oleo Rapiſtri* & ſucco *Sedi maj.* miſtus; idque in mortario plumbeo, ſi *Inflammatio* adſit. Conducunt etiam *Mucilag. ſem. Pſyl. Cydon. Lini*, &c. continent enim in ſe Sal volat. ipſius concreti; quibus in ardore commodè adduntur *ſuccus Portulacæ*, *Saccharum Saturni* & *Camphora*, quæ etiam ad ℥ß. cum *Aquæ Roſ.* ℥i. ſubaƈta convenit. Laudantur etiam ſacculi ex *Glandibus* contuſis & *fol. Quercus* in *Aceto* coƈtis. *Scrophulariæ* radix Autumno colleƈta Lumbis applicata *Hæmorrhoides fluentes* ſiſtit, *dolentes* diſſolvit. Recens contuſa dat *Unguentum*, quod cum *Butyro recenti* in olla per 15 dies in cellâ repoſitum, dein liquefaƈto ſenſim *Butyro* lento igne expreſſum, egregium evadit *Linimentum* contra *Hæmorrhoides*. *Scrophulariæ* radix femori alligata, *Infuſum* aut *Decoƈtum Radicis* & *Foliorum* pro potu ordinario, & *folia* minutim conciſa cum *Butyro* comeſta, omnem abſolvunt paginam. Huic ſuccedit *Craſſula maj.* ſeu *Sedum Telephium* pro uſu interno & externo. Ejus folia primo Vere turgentia contuſa cum *Oleo Roſ.* coƈta, egregium reddunt *Linimentum*: *Radix* Lumbis applicata convenit in *cæcis*: *Cereviſia* etiam macerationis *Rad. Scrophul.* & *Craſſul. maj.* mane & veſperi oblata confert. *Chelidonium minus* ſiccatum & *Cereviſiæ* infuſum, omne *Hæmorrhoidum* vitium curat. *Succus* ejus expreſſus externè idem præſtat. *Aqua* ejus *deſtillata* eos curavit, qui ex nimio *Hæmorrhoidum* profluvio fere *Hydropici* faƈti ſunt. *Tuſa Planta*, & oleo incoƈta ad *dolentes* & *tumentes* prodeſt. *Flores* & *Herba* mane commodè comeduntur. Hinc alii recipiunt *Pulverem radicis*

dicis Scrophul. Chelid. min. an ℥iß. cum *Ol. Verbaſci* fiat *Linimentum.* Hiſce tandem addatur, quod pro uſu interno ad ſedandum dolorem & abſumendas *Hæmorrhoides* proficuum eſt, decoctum *Millefolii totius*, pulvis item *Millefolii* & *Tormentillæ.* Quod ſi dolor *Hæmorrhoidum chronicus* evadat, ſpeciatim poſt Menſium emanſionem, egregiè convenit *Fonticulus* in Tibia. Optimè notat *Wedelius*, Unguenta non ſemper conferre, quia Venarum capacitatem augent, tranſpirationem inhibent & ardorem exaſperant.

SECT. IX.

De variis Inteſtinorum Doloribus; Inprimis de Dolore colico.

QUandoque Inteſtina præternaturales patiuntur dolores, *Tormina* dictos, à torquendo, quòd circumvolvi videantur. Proveniunt ferè omnes hi dolores à Spaſmis Inteſtinorum convulſivis, unde & ordinario penè alvus ſuppreſſa eſt, ex impedito nempe motu periſtaltico naturali.

Differunt Dolores inteſtinales, inprimis ratione *Partis affectæ.* Dum afficiuntur tenuia, *Jejunum* & *Ilium*, vocatur propriè *Dolor Iliacus*, qui propter ſitum Inteſtini, in, circa, & infra Umbilicum percipitur. Quando in Inteſtino craſſo, *Colo*, ſitus eſt dolor, ſequitur ductum ipſius inteſtini Coli, ſuperiorem & anteriorem abdominis partem circuli inſtar ambiens, uſque ad Umbilicum, imò interdum uſque ad Veſicam ſe extendens. Ad Partem affectam pertinet & ſitus doloris, ratione cujus dolor eſt vel *hypochondriacus*, vel *umbilicalis*, vel *lumbaris. Lumbaris* eſt nunc *nephriticus*, nunc *meſentericus*, nunc *pancreaticus*, nunc *inteſtinalis.* Do-

lor *Hypochondriacus*, qui in Hypochondrio ſiniſtro percipitur, *Lieni* adſcribi nequit, quia *punctorius* eſt & *terebrans*, quandoque cum tumore ad tactum renitente; Lien autem per ſe minus ſenſilis, vix poteſt habere dolorem, niſi gravativum aut tenſivum ab infarctu nimio enatum; præterea cum in profundo ſitus ſit, ad tactum intumeſcere nequit. Situs eſt itaque punctorius hic dolor in *Inteſtinis*, partim quidem in *Jejuno*, ſed utplurimum in *Colo*. In angulo *Jejuni*, ubi *Lumbis* & *Meſenterio* aſſurgens contorquetur in Abdominis meditullium, ſæpè latent Flatus, vel utplurimum mucilago acida, quæ dolorem acerbum in profundo *Hypochondrii* ſiniſtri inducit. Verùm mucilago hæc acida & flatus frequentius in *Colo* obſervantur, ubi dolores plerumque ſiti ſunt. Dolores punctorii in *Hypochondrio* dextro non ſunt ex *Hepate* ſed ex *Inteſtino*. Dolor *lumbaris nephritico* ſimilis, in *Duodeno* circa principium *Jejuni* ſubinde oritur. *Pancreas* tranſverſim lumbis incumbens, obſcurum & profundum dolorem ſubinde infert. *Meſenterium Lumborum* Vertebris anexum, ſubinde lancinantem circa Lumbos dolorem excitat.

Omnis Inteſtinorum dolor in genere *Colica* appellari ſolet. Eſt autem hæc vel *humoroſa*, vel *convulſiva*. *Humoroſa* oritur à mucilagine viſcidâ & acidâ hærente in Inteſtino, inprimis in *Colo*, ſub Hypochondriis, in cujus cellulis aptum invenit diverſorium. Et hic dolor eſt iſte, qui Hypochondriacos non raró vexat, exiſtitque nunc *fixus* & *terebrans*, quando ſcil. Inteſtina uno quodam loco perterebrari videntur; nunc *diſtendens* & *diſrumpens*, qui frequentiùs oritur à flatibus, ortis ex materiâ viſcidâ, per fermentationem vitioſam ab acido productam; quibuſcum concurrit Spaſmus flatibus exitum intercipiens : nunc *gravis* ſeu *contundens*, ortus ex pituitâ vitreâ ſeu muco viſcido non acri: nunc *rodens*, qui à ſalſo eſt acri, muriatico & vellicante: nunc deni-

denique *pulſans*, ex Arteriarum ſpaſmo, aut inflammatione quâdam proveniens.

Colica convulſiva, cum contorſionis aut vagæ lancinationis in abdomine ſenſu, à Convulſionibus, ſine humorum interventu, oritur. Eſtque vel *accidentalis*, à causâ externâ & per conſenſum frequentius excitata, ut in *Nephriticis* & *Parturientibus*; vel *habitualis* radicatam cauſam in corpore habens, ut in *Doloribus ſcorbuticis*, *hyſtericis*, & poſt *Febres intermittentes* malè curatas. *Colica* hæc *convulſiva* ſæpè conjuncta eſt cum *Doloribus nephriticis*, oritur enim non à vitio contentorum in Inteſtinis, ſed à plexibus Meſenterii nerveis irritatis, qui diffundunt ramos ad Inteſtina, Renes, & Stomachum: unde dolor renalis, per Nervum Renum plexui radicali communicatus, Inteſtinorum ramos ſimiliter infeſtat. Hujus generis eſt *Suffocatio hyſterica*, ſeu *Tormina* ex Convulſionibus Meſenterii & plexuum nervoſorum, Contracturam Faucium inducentibus. Similiter *Tormina* graviora inſequuntur *Convulſiones Meſenterii* & *Inteſtinorum*, quæ ſub difficili Menſium fluxu & poſt Partum eveniunt. Pertinent huc etiam Dolores Morbis diuturnis malè curatis ſupervenientes, qui videntur oriri ex metaſtaſi fermenti morboſi, irritantis glandulas & nervos Meſenterii. Accedit *Dolor Abdominis ſcorbuticus* contumaciſſimus, qui ex Convulſionibus Inteſtinorum & Meſenterii indubiè oritur; inchoatque ordinariè in dorſo, ubi annectitur Meſenterium, pergens interiora versûs uſque ad Umbilicum. In tali *Colicâ* ſæpe podex pertinaciſſimè clauditur, propter ſpaſmum Inteſtini recti, ita ut nihil intromitti poſſit. Non raro etiam Umbilicus introrſum retrahitur, propter Convulſiones, quibus Umbilicus, & forſan ipſum Peritonæum afficitur. Vagus eſt hic dolor, nunc Abdomen nunc Artus occupans.

Symptomata omnis Colicæ ſunt, nunc ardor & æſtus,

vel univerſum corpus occupans, propter impetum ſpirituum & ſanguinis à dolore ortum; vel ſub Hypochondrio dextro, ubi inſeritur Ductus pancreaticus & cholidochus in Duodenum, perceptibilis, propter Bilem acriorem cum Succo pancreatico acidiore efferveſcentem, ſicut ex confuſione Spiritus Vitrioli & Olei Terebinth. intenſus ardor oritur. Nunc adeſt Algor in Abdomine perceptibilis, ex Succo pancreatico auſtero, Bili paucæ aut inerti occurrente ortus: eſtque non tam poſitivum frigus, quàm frigoris quaſi ſenſus ex Spaſmis membranarum ab acido vellicatarum. Colicam convulſivam comitatur Vomitus; minùs humoroſam, niſi Inteſtina tenuia magis affligantur; vel aſſumpta in Ventriculo malum induxerint, vel Colon malè affectum Ventriculum, cui ſubſternitur, irritet. Alvus adſtricta in Colicâ convulſivâ frequens eſt, ubi & Alvi ſolutio parum prodeſt; ſecus autem in humoroſâ.

Cauſæ Colicæ humoroſæ ſunt variæ: nunc aſſumpta vitioſa, vel vitioſè digeſta; nunc ad Inteſtina ex Pancreate derivatum acidum auſterum. Crebriores oriuntur Colicæ à flatibus, ſtercoribus induratis, in Inteſtinorum cellulis commorantibus; comeſtis Fructibus horæis fermenteſcibilibus, Cereviſiâ novellâ, aſſumtis pinguibus, ſuperingeſto potu frigido vel acidulo. Bilis ſale vol. temperante gaudens, per ſe Colicam non inducit, niſi porracea vel æruginoſa ſit. *Purgantia* Inteſtina ſtimulando, & humores commovendo, *Tormina* excitant; omnia item alimenta difficulter digeſtibilia, præſertim ſi ſuperveniat Abdominis nimia refrigeratio; aceſcunt enim, & in mucilaginem viſcidam abeunt. Hypochondriaci Tormina ſæpè patiuntur propter exceſſum acidi, cum cruditate materiæ viſcidæ. Ictericis defectus Bilis idem præſtat. In Lue gallicâ acidum ſpecificum *Tormina* infert; quæ nullis niſi mer-

mercurialibus Unguentis ſuccumbunt. Faciunt huc deglutiti nummi aurei, calculi in Colicis repetiti, & Vermes. Accedunt Inflammatio Inteſtinorum, eorum à Dyſenteriâ conglutinatio, obſtructio occulta meatus cholidochi, Calculus in Veſicâ bilaria Inteſtinum atterens, & pituita in externa Inteſtinorum ſuperficie hærens.

Cauſa Colicæ convulſivæ pariter eſt acidum, ſed in plexibus nerveis Meſenterii, viciniſque locis membranoſis, ſive cum nutrimento, ſive cum vehiculo lymphæ, ut in Scorbuticis & Hyſtericis, depoſitum. Sæpè etiam Abſceſſus in glandulis Meſenterii & Pancreate Tormina Abdominis inferunt.

Prognoſis. Colica ex ſe leve quidem malum, ratione tamen adjunctorum interdum lethalis eſt: Humoroſa benignior eſt convulſivâ, cui non rarò Epilepſiæ, Pareſes, Cephalalgia & Mania ſuperveniunt.

Cura. In *Paroxyſmo.* 1. Senſus doloroſus opiatis ſiſtendus. 2. In humoroſâ, cauſa materialis corrigenda & per alvum educenda. 3. In convulſivâ, appropriata nervina, in ſpecie, Salia vol. oleoſa opiatis miſcenda ſunt. Pro his ſcopis obtinendis obſervetur 1. Clyſmata ſæpius prodeſſe, magis tamen, quando in Inteſtinis craſſis hæret malum, vel quando Ventriculus afflictus ſtimulo revulſorio indiget. Si alvus pertinaciter adſtringatur, & fomes hæreat in Inteſtinis craſſis in Colicâ humoroſâ, uſurpantur acrius ſtimulantia, præſertim ſi purgantibus non reſpondeat alvus. Si malum hæreat in Inteſtinis tenuibus, præferuntur laxantia per os. Si Clyſteribus acrioribus malum non mitigetur, iis ulterius non inſiſtendum. In Colicâ convulſivâ præſertim nephriticâ, *Clyſteres anodyni*, inprimis *terebinthinati*, multum præſtant, v. g. ℞ *Urin. human.* ℔j. *Terebinth. Vitel. ov. ſolut.* ℥iß. *m.* Ubi flatus adſunt, *Clyſmata* ex *Urinâ pueri* valdè proficua ſunt, qui-

bus addi poſſunt *Olea cocta* atque *deſtillata carminantia*. Sed in modica quantitate injicienda ſunt, propter flatus injectioni obſtantes. Præſtant etiam *Clyſmata* ex *fumo Tabaci*. Si acrius ſtimulandum ſit, addantur *Infuſa antimonialia*, v.g.

℞ *Juris Piſor.* ℥viii. *Sacchar.* ℥ß. *Aq. benedict.* ℥iiß. *Ol. comm.* ℥iv. *m.* De hoc injiciatur quavis hora recrudeſcentis doloris.

2. In *Colica convulſiva* Purgantia propriè dicta contracturam augent, adeoque minùs laxant quàm mitiora. Si Vomitus ſimul affligat, blandè abſtergentia conveniunt, v.g. *Potio paſſulata*, *Pulvis ſalinus* cum ſtimulo *Scamm.* vel *Plateri* potio ex *Ol. Amygd. dulc.* ℥iß. *Vin. malvat.* ℥ß. *Syr. de Papav.* ℥j. *M.* Conducit etiam *Manna* & *Sperma Ceti*. Si dolor ab Inflammatione oriatur, exulent vel leviſſima *Purgantia*. In *Colica humoroſa* ab errore externo in aſſumptis, & ubi dolor non adeo urget, initio purgandum cum *Crem. Tart.* & *Reſinis*; ſecus differendum donec dolor ceſſet. In Colica ex pituita vitrea vel acida, ocyus evacuanda eſt per *Purgantia propriè dicta* attenuantibus juncta; ex *Merc. dulc. Gumm. ammon.* & *Scamm.* & nonniſi ſumma neceſſitate urgente anodyna evacuantibus præmittenda. *Vomitoria* cautè uſurpanda, ne *Colica* in *Ileum* tranſmutetur. Si Ventriculus & Inteſtinorum partes ſuperiores repleantur, neceſſaria ſunt: ſed ſi infernæ potiſſimùm afficiantur, fruſtra tentatur Vomitus, utpote qui volvuloſos quandoque reddit homines.

3. In *convulſivâ* conveniunt *Opiata* appropriatis miſta, præſertim ſi alvus aperta ſit. In *humorosâ* ab acri & tenui materia, eadem uſurpari quoque poſſunt, quia iſtam temperant; minus tutò autem in uſum adhibentur, ſi viſcidior ſit materia, quia hanc figunt. In *humorosâ* neutiquam dentur ante *purgantia*, ſed unà miſta, vel poſt *purgantia*, niſi tanta ſit Ventriculi debilitas aut Vomituri-

turitio,ut *Pilulæ* deglutiri nequeant; quo in caſu dari poteſt *anodynum*, ſubjungendo *catarthicum* paucis poſt horis, ita ut ab *opiato* non vincatur. Finitâ *Catarthici* operatione ſolenne eſt, *Anodynum* ingerere, inprimis ex *Eſſentia Opii, Laud. hyſter. Syr. Papav. Theriaca*, &c. Pro exemplo *Opii* cum *purgantibus* miſti. ℞ *Aloes ſuccotr.* vel *Pill. Aloëphang.* ʒß. *Opii, Croci, an. gr.* ii. vel pro *Croco* ponatur *Caſtoreum F. Pilul. n. xv. pro doſi.*

4. In omni *Colicâ* cautiſſimè fugiendum eſt frigus, præſertim Ventriculi & Pedum. Unde *Potus* ſit ſemper *calidus*. Et ſi recepta ſit noxa ab aurâ frigidâ, hauſtus bonus *Aq. Vitæ Juniper.* optimè convenit. *Potus Aquæ* multâ nive *refrigeratæ*, apud *Septalium*, per accidens ſanavit, Spaſmos nempe Inteſtinorum relaxando. Sed non ſine periculo tamen quis imitaretur.

5. Si alvo relaxatâ Dolores perſiſtant, quod in *Convulſivâ* ſæpius accidit, adhibenda ſunt *appropriata, Flatus reſolventia, acidum temperantia*, Ventriculo & Inteſtinis grata; & hinc etiam *hyſterica*.

Appropriata plus minus aromatica contra *Dolorem Colicum*, ſunt inprimis *Veronica*, ejuſque cum *Myrrha* in *Vino* decoctum: *Chamomilla*, ejuſque *Florum* in *Aq.* vel *Cereviſ.* decoctum, quod in *Colica convulſivâ* calidè hauſtum, eſt inſtar omnium; hinc & ejus *Aqua* & *Oleum deſt. ſaphyrinum*, ad aliquot guttas hauſtum: *Sclaræa*, hujusque *Decoctum, Eſſentia*, vel *Spir.* ſæpius abſtractus, in *Colicâ* Virorum, & *Hyſterica* Mulierum: *Helenii Radix* cum Vino decocta: *Allium*, in juſculo nempe calido & oleo cum parte dimidiâ *Vini*: *Cortices Aurant.* quorum *Pulvis, Eſſentia*, & *Ol. deſtill.* potentiſſimè acida quæcunque temperat. *Abſinthium* decoctum, vel minutim diſſectum cum *Sacharo*, præſertim in Colicis peregrinantium, & illis ex Febrium reliquiis ortis: *Gentianæ* pulvis ad ʒi. ſi alvus ſit aperta: *Semina 4. cal. maj.* in Vino ebullita & hauſta, quæ acidum hoſtile

hoſtile ſpaſmos & duritiem inducens egregiè corrigunt : *Zedoaria* in ſubſtantia, *Tincturâ*, & *Extracto*, carminativum egregium, ſi alvus aperta ſit : *Fuligo* pulveriſata cum *Aceto deſt.* calidè hauſta, item ejus *Spiritus urinoſus*: *Olea deſtillata Angelicæ, Sem.4.frig.* & *Ol.baccar. Laur. per expreſſ. cum Vino factum*, ad aliquot guttas: *Caſtoreum*, non ſolùm ubi adeſt pituita viſcida, ſed in *Colicâ* etiam *convulſivâ, hyſtericâ* aut *ſcorbuticâ*, inprimis cum *Salibus volat.* Item in forma *Tincturæ* cum *Tinctura Tartari* acriori, vel *Spir. Salis ammoniaci urinoſo* paratæ, ad ʒj. cum *Eſſentia Opii* ſociatæ ; vel in forma Extracti cum *Theriaca* & *Laud.opiat.* vel cum *Ol. deſtil. Succini* in *Pill.* redacti : *Mandibulæ Lucii piſcis, Unicornu præp.* aliæque partes Animalium duræ acidum abſorbentes : In ſpecie *Stercus Lupi* ad ʒi. contra *Colicam* quamcunque decantatiſſimum : *Stercus equinum* recens ex *Equo avenâ paſto*, ejuſque *Succus* cum vehiculo calidè propinatus, nobile remedium, inprimis in *Convulſivâ* : *Succus Stercoris columbini* cum *Lacte* expreſſus : *Aurium humanarum ſordes* cum vehiculo calido : *Pulvis Teſticul.equin.* cum pauco *Croco* in *Aq. Lil. alb. ad* ʒß. vel ʒi. cum ʒß. *ſem. Aniſi* : Et tandem *flor. Sulph.* ad ʒß. in Vino calido. Inter præparata eminent *Syr. de Alth.* ubi temperandum ; *Syr. cort. Aurant. Papaveris, &c.* Species *Diacum. Diacalaminth. Diagalang. Diapiper. Diaſulph*, *Salia volatilia*, inprimis *Spir. carminat. de tribus* in Colicâ flatulentâ hypochondriacâ ; *Liquor* C.C. *ſuccinatus* in hyſtericâ convulſiva ; *Spir. Nitri dulcificatus* cum *Spir.* quodam *vegetabili carminat.* ad ʒi. in vehiculo calido, ubi *phlogoſes* adſunt. Ex his variæ fiunt præſcriptiones, v. g. in quavis *Colica*.

℞ *Aq. Chamom.* ℥iii. *Spir. Theriac.* ʒii. *Laud. opiat. gr.* iii. *Syr. cort. Aurant.* ℥ß. *Miſc. Capiatur cochleatim.*

℞ *Aq. Menth. Chamom. an.* ℥iß. *Aq. carminat.* (ſtatim deſcribendæ) ʒvi. *Elix. menth.* ℥ß. *m.* Cap. cochleatim in

Colica

Colica flatulentâ humoroſâ, expectando, ſi poſſibile, aliqualem ſudorem. Si adſit æſtuatio febrilis, adde *Spirit. Nitri dulcis anticol.* ℥ii.

℞ *Ol. deſtill. Carvi, Cumin. Angel. Chamom. an. gut.* vi. *Sacchar. albiſſ.* ℥ij. *m. F. Elæoſacch.* vel ℞ *Flor. Sulph.* ℥ii. *Mandib. Luc. piſcis* ʒi. *m. F. Pulvis. Doſis* ʒi. *cum ſ. q. Laud. Op. in Colica aliâ humorali.*

℞ *Aq. Menth. Chamom. Veron. an.* ℥j. *Eſſent. Caſtor.* ʒiij. *Liquor. C. C. ſuccin. vel Spir. Salis ammoniaci* ʒiß. *Eſſent. Op.* ℈j. *Syr. Cort. Aurant. m. in Colica convulſiva.* Quibus inimica ſunt Volatilia, utantur ſeq.

℞ *Aq. flor. Scambuc. Chamom. an.* ℥iß. *Eſſent. Caſtor.* ʒiß. *Unicorn. ver.* ℈j. *Mandib. Luc. piſcis* ℈ß. *Sal. volat. C. C. gr.* vi. *Syr. Artemiſ.* ʒiij. *m. Sequitur Spir. & Aq. carminat. anticolica.*

℞ *Flor. Chamom. Rom. Sambuc. Fol. Menth. Rut. ſicc. an. m.* iii. *Bacc. Junip. recent.* ℥iiß. *Bacc. Laur. excort.* ʒvi. *Sem. Cum.* ℥j. *Sem. Aniſ. Fænic. an.* ℥ß. *Cal. aromat.* ℥iß. *Flav. Cort. Aurant.* ℥iii. *Cinnam. acuti* ʒvi. *Zedoar.* ʒiij. Pulveriſentur omnia tenuiſſimè, adſpergantur *Spirit. Nitr. rectif.* ʒvi. Infundantur *Spir. Vini* non adeo exactè rectificato; ſtent per 12. horas in M.B. Digerantur lento igne, vaſe benè munito; tandem deſtillentur ex arena vel cineribus per alembicum lentè, ut caveatur Empyreuma. *Doſ. cochl.* i. *vel* ii.

Externè illinitur Umbilicus *Oleis Aneth. Chamom. rutac. laurin.* Item *Ol. deſt. Laur. Junip. Rut. Cort. Aurant. Mac. &c.* cum *Caſtoreo*, imponendo deſuper laterem calefactum. Nobile in *Colica convulſiva* eſt *Galbanetum Paracelſi*, vel ejus loco *Ol. Saponis* ex *Sapone* in *Spir. vin.* ſoluto & cum *Calce viva* cohobato; item *Ol. Succ.* cum *Ol. Spic.* miſtum; item *Zibet.* cum *Ol. N. M. expr.* & *Ol. deſt. macis.* item *Balſ. apoplect.* cum *Ol. deſt. Macis.* Conducit etiam *Empl.* ex *Tacamah.* aut *Caran.* vel *Linim.* ex *Galbani in Aq. vitæ ſolut.* ʒii. *Ol. Chamom. Rutæ. an.* ℥ß. *Croci g. vi. Miſce.*

SECT.

SECT. X.

De Situ Inteſtinorum mutato.

CAP. I.
De Hernia.

INteſtina à *Meſenterio* interius collecta, & à Vertebris lumborum ſuſpenſa, naturaliter in Peritonæo, veluti bursâ, continentur. Si verò hæc burſa laxetur aut rumpatur, prolabuntur Inteſtina cum tumore, qui *Hernia* audit. Prolabuntur autem nunc ſola, nunc junctim cum Omento, nunc denique Omentum ſolum prolabitur. Inteſtina craſſa tam firmiter lumbis & hypochondriis anectuntur, ut *Herniam* non patiantur. Sola utique tenuia huic malo obnoxia ſunt. Contingit *Hernia* plerumque in proceſſibus Peritonæi, per quas in Scrotum deſcendunt Vaſa ſpermatica; eſtque vel *inguinalis* ſeu *incompleta*, quando in Inguina ſolùm, vel *ſcrotalis* & *completa*, quando in Scrotum deſcendunt Inteſtina. Poſt hos proceſſus eſt Umbilicus, ubi facilè laxatur aut rumpitur Peritonæi membrana fibroſa. Cæterùm præter loca hæc magis ordinaria, ſunt & alia ubi *Herniæ* oriuntur, quæ ab imperitis tanquam Abſceſſus tractantur. Unde obſervatæ fuerunt *Herniæ*, ex rupto Peritoneo in parte muſculosâ femoris, prope ſpinam dorſi, infra cartilaginem enſiformem, &c.

Cauſæ ſunt, quæcunque laxant, dilatant aut rumpunt Peritonæum. In rupturá Peritonæi ſubſiſtunt plerumque Inteſtina intra muſculorum confinia, quæ aliàs per dilatatum Peritonæum, tanquam per demonſtrata veſtigia, in Scrotum deſcenderent. *Cauſæ* hæ plerumque ſunt *externæ v.g.* Motus nimius, clamor nimius, præſertim in Infantibus; Tuſſis, Sternutatio & Vomitus

tus nimia; Partus difficilis præcipuè in *Omphalocele*, quandoque nimia Purgatio.

Diagnoſis. Sedulò diſtinguatur *Hernia* à Teſticulorum altero retracto, ſuper Os pubis hærente; *Herniarum* enim tumor in ſtantibus accreſcit; decumbentibus verò ſucceſſivè evaneſcit. Sine dolore etiam eſt tumor *Herniarum*, niſi fæces indurentur, aut Inteſtina in anguſtiore foramine includantur. Præterea ſi tuſſiat Æger, & aliquid in Scrotum deſcendat, crepaturas obſervamus. Quoad *Prognoſin*. In Infantibus facilè, in Adultis rariſſimè abſque chirurgicâ operatione curatur. Periculum eſt in *Herniis*, ne *Morbus Iliacus* ingruat ex Inteſtinis in loco prolapſo, à frigore, contuſione, retentis fæcibus, flatibus, &c. irritatis; vel ex Inflammatione quâdam in *Gangrænam* aut *Suppurationem* tendant Inteſtina.

Cura. Reponantur Inteſtina, & repoſita firmentur vel *ſubligaculis* vel *conſolidantibus remed.* Obſervandum itaque; 1. In prolapſu recenti *Clyſteres* non infundendos, ne unà cum Inteſtino in Scrotum deſcendant: quo in caſu præfertur *Suppoſitorium*, cum *ſacculo emolliente* & *diſcutiente* in *aquâ* cocto applicato. Sin verò confirmatus ſit prolapſus, & ſymptomata gravia urgeant, *Enemata* planè neceſſaria ſunt. 2. Flatus nunquam negligendi. 3. Frigus ſubitaneum dolorem, hinc ſpaſmum, duritiem & lethalia ſymptomata inducit. 4. Ut reponantur Inteſtina prolapſa, ſit corpus reſupinum cum natibus elevatis, & removeantur impedimenta, flatus nempe, ſtercora & inprimis durities, quæ non tam à fecibus duris, quæ in tenuibus nondum tales ſunt, quàm à membranarum tenſione oritur, und aromatica interna, & blanda fomenta externa, irritationem ſiſtendo, duritiem amovent.

Ut diſponantur Inteſtina ad repoſitionem, conducunt internè *Sem. 4. cal. majora* in vino cocta. *Externè* appli-

applicantur *Emollientia* in fæcum craſſitie, *Diſcutientia* in flatibus, *Anodyna* in dolore & duritie. Unde applicatur *Spiritus Vini* calidè; item *Fotus* ex *Lixivio acri. Sem. Cumin. cum pauco Malvatico*, filo crudo exceptis. *Fotus* aut *Cataplaſma* ex *Stercore ovillo dulci Lacti* incocto, in *Flatibus* aut *Fæcum duritie*, Inteſtina ſæpè reponit fruſtra tentatis aliis. Illinitur quandoque *Pinguedo urſina* vel *leporina* dorſo, ad Inteſtinorum retractionem; uti & *Emplaſtrum Hoffmanni* ex *Sagapen. Gum. ammoniac Galban.* ℥iij. *Terebinth. Cer. virgin. an.* ℥v. ℈ij. *Magnet. arſenic.* ℥i. *gr. xv. Rad. Ari.* ℥i. in aceto ſolutis & coctis.

Ut repoſitis Inteſtinis Peritonæum iterum conglutinetur, uſurpantur internè *Vulneraria*, inprimis *Symphytum maj. Perfoliat. ſem. Naſturt. Vinum decoctionis Betonicæ*, & præ omnibus *Herniaria* in *Pulvere*, *Eſſentia aut Potionibus*. Sanè *Sem. Naſturt.* ad ℈i. cum *Vino rubro* ſingulis diebus ſumptum maximè juvat: & externè ejus *pulvis* cum *Album Ovorum* ſubactus, & ſuper alutam extenſus, vel cum *Gum. Caran.* in *Ceratum* redactus, mira præſtat. Poſt hoc egregium eſt *Decoctum Rad. Sigill. Salom.* in *Vino* ad plures dies.

Externa ſimiliter *Vulneraria* & *Aſtringentia* ſunt. Præ cæteris laudatur *Succus Herniar.* cum *Farin Fab.* ſubactus. Proſtant multa *Cerata*, quæ parùm valent. Curavit multos *Emplaſtrum* ex *Reſina*, *Pice*, & *Lateribus coctis pulveriſ.* & craſsè ſubactis. Laudatur etiam *Emplaſtrum ſeq. ℞. Empl. contra rupt. Picis navalis liquefact. Empl. Diaſulph. Ruland. an. q. ſ.* Malaxentur cum ſ. q. *Ol. Hyper.* & quàm calidiſſimè applicetur: quando ſponte decidit, applicetur denuò recens. *Cataplaſma* ex *Mucilag. Symph. Maj.* meritò extollitur, uti *Oleum Vitell. ovorum*; quibus omnibus præfertur *Oleum Lacertarum*.

Sunt qui pinguia tanquam nimis dilatantia rejiciunt: adeoque non inepto conſilio applicant lintea intincta

Acet.

Acet. deſtill. acerr. in quo *Lithargyrium* ſolutum. Cœterùm unà cum externis multum faciunt debita *Subligacula*, quies corporis, & continuus in dorſo decubitus.

CAP. II.

De Ani Procidentia.

INteſtinum rectum in Alvi excretione protruſum, naturaliter à muſculis levatoribus ſurſum retrahitur. Si verò protruſio iſta excreſcat aut retractio deficiat, oritur *Ani procidentia.* Nimia & frequens extruſio infertur ab humoribus acribus Inteſtinum vellicantibus in Dyſeteriâ & Teneſmo, item ab acri clyſtere aut ſuppoſitorio, à ſtercoribus duris aut viſcidis continuò ſtimulantibus, Partu difficili motum excretorium augente, & Hæmorrhoidibus perpetuum ſtimulum ſuggerentibus. Muſculi impedita retractio, adeoque *Paralyſis* fit vel *vitio fibrarum* muſculi nimium relaxatarum ab excrementis ſeroſis copioſis, aut Inteſtino recto nimium protruſo; vel *vitio nervorum*, in percuſſione ſive caſu ab alto, facto ſuper Os ſacrum aut ſpinas Lumborum. Quandoque extruſio Ani & Muſculi retractio ſimul peccant, v. g. in Calculo veſicæ, à quo per conſenſum irritatur Inteſtinum ad protruſionem, & à crebriori excretionis conatu in tantum extenduntur aut relaxantur muſculorum fibræ, ut pertinax Alvi hinc ſequatur protruſio. Quoad *Prognoſin.* Si diutius procidit *Anus*, ſubinde tumorem inſignem contrahit, in ſpecie *Inflammationem*, quàm facilè *Gangræna* ſequitur. *Procidentia* à fibrarum paralyſi orta, difficulter curatur, curata autem recidivam facilè patitur.

Cura. Anus reponendus, & repoſitus firmandus. Reponitur autem indice digito, circumvoluto linteo,

decocto emolliente vel adſtringente ebrio. Repoſito Ano, extendantur Coxæ & Crura, & quietus jaceat Æger. Sed & ante repoſitionem ungatur Anus *Ol.Hyper.* vel *Roſac.* adſperſo *pulvere Gallarum.* Si ſtercora repoſitionem impediant, injiciatur *Enema* ex *Meliloto, Verbaſco flor.Sambuc.* &c. in *Lacte* coctis; aliàs recidivat malum. Si acria quæcunque Inteſtina ſtimulent, injiciatur decoctum *fol. Querc. Parietar. Cicer. rubr. & flor. Verbaſc. in Aqua ferrariorum.* Si adſit Inflammatio aut Tumor, repoſitio eſt impoſſibilis, donec tollantur hæc mala fotu ex *Flor.Sambuc. Chamomil. Hyper.an.m.*ß. *Roſ. rubr. p.*iii. *Summit. Abſinth. Melilot. an.m.*ß. in Lacte vel Vino rubro coctis. Si adſit Paralyſis Inteſtini, ℞ *Flor. Chamom. Anthos, Fol. Salv. Balauſt. an.m.*ß. *Gallarum paria duo.* Coque in *Vino Chalyb.* quo abluatur Anus & ſucceſſivè reponatur.

Ut Inteſtinum repoſitum firmiùs cohæreat, applicetur *Emplaſtrum* Oſſi ſacro aut Lumbis calidiſſimè ex *Gum. Sagapen. & Opopan.* Conducit etiam Suffitus Ani ex *Aſphalto, Succin. Maſtic. Thur. & Myrrh.* ſuper carbonibus ignitis. Inſideat item Æger aſſeri probè calefacto, *Maſtiche* illito, vel *Medullâ* aut *Pinguedine cervinâ* inuncto, vel *floribus Verbaſc.* in *Butyro non ſalito* frixis & probè tranſcolatis, illito. Firmant etiam Anum, inprimis poſt Partum difficilem, *Sacculi calidi* ex *Furfure, fol. Millefol.* & *Verbaſc.* in *Acet.deſtil.* coctis. Si natum ſit malum ex Hæmorrhoidibus, inungatur *Ol.Scarabæorum* in *Ol.Maſtich.* bullitorum; ſin à Teneſmo, bulliant *Flor. Verbaſc.* in eodem *Maſtiches Oleo.* Si poſt repoſitionem remaneat rubedo & inflammatio, foveatur podex *Aquâ Plantag.* in quâ ſolutum eſt *Saccharum Saturni.*

SECT.

Sect. XI.

De Chyli Diſtributione læſa.

SI obſtruantur vaſa lactea, effunditur Chylus, & ſtagnat; unde *Aſcites* frequenter inducitur, de quo vide *Sylvium*. Occaſione hujus obſtructionis explicanda quædam, quæ ad antipraxiam & obſtructionem Viſcerum referri ſolent. *Antipraxiam* rejecimus in *Pathologicis*. Obſtructiones quod attinet, obſervandum, tres inprimis meatus inveniri, in quibus Obſtructio fieri ſupponitur. 1. *Vaſa ſanguifera*; in quibus ſanguinis ſtagnatio tumorem, *vaſorum capillarium* ruptionem, extravaſationem, & dein inflammationem inducit. 2. *Vaſa lymphatica*, in quibus ſtagnans lympha infert *vaſorum* diſtentionem, ruptionem; unde lympha effuſa, aut Hydropem in cavitate quâdam, aut Tumores ſeroſos in partibus ſolidis, inducit. 3. *Pori & meatus* partium continentium, inprimis Viſcerum & Glandularum, per quæ continua eſt liquoris trajectio. Si enim obſtruantur hi meatus, ſtagnabit liquor, unde Tumor, qui vel in Abſceſſum degenerat, vel ſcirrhoſus evadit. Tumores ſcirrhoſi ab acido coagulante proveniunt, ut patet ex eorum facili degeneratione in Cancros depaſcentes. Ex his tumoribus patet, frequenter omninò inveniri obſtructiones. Obſervandum autem, has obſtructiones non tam cauſam eſſe, quàm productum Morborum chronicorum. Origo igitur prima omnium iſtorum Affectuum diuturnorum, ex Viſcerum infarctu derivatorum, eſt ex Stomacho & primis viis. Digeſtio nempe prima in *Ventriculo*, & ejus perfectio in *Duodeno*, plus minus læſa, ſunt fons omnium Morborum chronicorum: in ſpe-

cie cruditas acida, & multiplex alteratio *Succi pancreatici*, ut & *Bilis* vel parcior vel inertior. Adeo ut acidum in vehiculo ſeroſo aut pituitoſo ſit prima origo iſtorum Affectuum. Hinc non rarò in talibus ſubjectis ſanguini emiſſo ſupernatat mucus albidus, multis modis variatus, qui reverà nil aliud eſt, quàm Chylus vitiosè digeſtus, qui cum non commodè aſſimiletur ſanguini, fermentationem impedit, & ad Cachexias & Chloroſes diſponit. Confirmant hoc remedia ad horum morborum curam uſitata; tam generalia, acidum corrigentia, viſcidum attenuantia; quàm ſpecifica, ſapores acidos enervantia. In minerali Regno, decantata ſunt *Martialia*, quæ revera adſtringunt, & per accidens tantum obſtructiones reſerant, quatenus ſcilicet ratione ſuæ texturæ terreſtris, promptiſſimè abſorbent in ſe acida, quæ ab illorum particulis tanquam vinculis conſtricta ſub formâ nigrarum fæcum unâ evacuantur; id quod ſanè ſignum eſt Martis rectè operantis. Notandum autem, ſub uſu *Martialium* corpus apertum ſervandum, & movendum eſſe; item quòd illi, quorum ſtomachus ſenſibilior eſt, Tincturas & Vina martialia melius ferunt, quàm præparata crudiora. Pari ratione convenit in hiſce caſibus *Saturnus*, inprimis ejus *Saccharum* & exinde parata tinctura. In vegetabili Regno conducunt. 1. *Amaricantia*, v. g. *Abſinth. Centaur. min. Helen. Gentian. Cichor. Tarax. Gum. ammoniac.* & *Galbanum* 2. *Aromatica oleoſa*, v. g. *Roſmar. Salvia, Fœniculum, &c.* 3. *Acria volatilia*, qualia ſunt omnia *Antiſcorbutica.* 4. *Temperata diuretica*, v. g. *Rad.* 5. *aper. Rubia tinct. Geniſt. &c.* Ex hiſce omnibus parantur *Eſſentia, Spiritus, Salia volatilia & fixa.* Inter ſalia eminent *Tartar. vitriol. Sal hypochond.* ſpeciatim *Sal volatile* ac *Spiritus Tartari.* In animali Regno huic ſcopo conducunt, præter *marina abſorbentia*, etiam *Salia volatil.* aut *Spiritus urinoſi*, v. g. *Spir. ſal. armon.* CC. *Lumbric. Formic. &c.*

Quoad

Quoad *Methodum medendi* horum Morborum chronicorum ex obſtructionibus vulgò derivatorum, revera autem ex acido vitioſo natorum. 1. Propinantur *digeſtiva*, v.g. *Tart. vitriol. Sal hypochond. Ter. fol. Tart. &c.* 2. Hinc *Vomitoria*. 3. Præparato ſic corpore, *martialia*; quibus. 4. Interponuntur per ἐπίκεϱασιν *Laxantia*, inprimis *Gummata* cum laxativis acuata; item *Mercur. dulcis*. 5. Subjunguntur *Aromata*, præſertim *volatilia*, plus minus *amaricantia*.

Artificium *chronicos* hujuſmodi *Affectus* ritè curandi conſiſtit in eo, ut tempori inſervias, nec per uſum intempeſtivum nimis acrium, acriores ſuccos excites, & partes nerveas irrites. Hinc præmittuntur *Digeſtiva* & *Vomitoria Martialibus*; quibus interponuntur blandè *Laxantia*, non autem propriè *Purgantia*, quæ acriores ſuccos in Inteſtina derivarent.

Patet utique, *Obſtructiones* & *Scirrhos* Viſcerum ex *acido vitioſo* naſci, cujus hoſtili præſentiâ ſtringuntur fibræ, clauduntur pori, ac ordinarius fluidorum tranſitus impeditur. Verum eſt, quòd hujuſmodi *Scirrhi* Morbos chronicos pertinaciter foveant, & mira inducant ſymptomata. *Meſenterii* affectiones difficulter cognoſcuntur, quia in profundo ferè latitant: Supervenire tamen ſolet mollis quidam, & ſine fluidi contenti induciis, Abdominis tumor, cum dolore obſcuro plus minus gravativo in ejuſdem profundo, excreta Alvi liquida, ſubinde varia, ſucceſſiva Macies; nec, niſi ubi longius proceſſerit malum, cognoſcitur Tumor tactui renitens. *Lienis* aut *Hepatis* Obſtructiones & Tumores comitatur dolor gravativus obtuſus, plus minus tenſivus (dolores enim punctorii ad Inteſtina referuntur) Ægrorum faciei color obſcurus & lividus. Hepatici quidem ad vitioſam ferè flavedinem declinant; accedunt urinæ crudæ, ſubinde variantes, eæque ferè pauciores, & tandem Tumor hydropicus. Deteriora

ſunt hæc mala, ſi *Lien* affectus *Hepar* in ſui conſortium traxerit, cùm omnis ex *Splene* refluus ſanguis Hepar immediatè petat. Si tumores hi in *Scirrhos* abierint, incurabiles exiſtunt; ſaltem in perfecto *Scirrho* Martialia nocent.

Quoad *externa* ad hujuſmodi tumores uſurpata, primatum ducunt *Gummata*, & hinc *Vegetabilia narcotica*, v. g. *Nicotiana*, *Cicuta*, *Hyoſciamus*, imò ipſum *Opium*; quibus ſociantur alia appropriata. Hinc conducunt *Cataplaſma* & *Emplaſtrum* ex *Nicotianâ*, *Emplaſt.* ex *Cicut.* & *Ammon. Emplaſt.* de *Ran. cum Merc.* In ſpecie præſtantiſſimum eſt *Emplaſtrum carminativum Sylvii.* Malaxari poſſunt talia Emplaſtra *Ol. deſtill. Gum. ammon.* utut fœtido.

SECT. XII.

De Chyli Sanguificatione, Sanguiniſque Fermentatione Læſa.

NOTUM eſt, ſanguinem continuò fermentari, & ipſius fermentationis medio Chylum ſucceſſivè ſanguificari. Læditur autem hæc *ſanguificatio* & *fermentatio*, vel *vitio* Chyli inepti pro aſſimilatione, vel *vitio* ſanguinis ſimiliter ad Chylum aſſimilandum inepti. Primaria ferè cauſa in Chylo latet. 1. Quando non ſufficienter fermentatur, aut attenuatur, aut volatiliſatur in primis viis. 2. Quando non ritè ſecernitur à ſcoriis, beneficio ſuccorum, fellei & pancreatici. Maſſæ ſanguineæ vitio læditur Sanguificatio, quando deficit à debita craſi ſeminali propter acidum & urinoſum volatilia, malè conſtituta. Læditur autem fermentatio ſanguinis multis modis; in genere, quando augetur, imminuitur, aut diverſimodè depravatur.

vatur. *Signa*, quibus proximè cognoſcitur fermentatio ſanguinis læſa, ſunt *Pulſus* & *Urina*; licet utrumque interdum fallat, cum *Pulſus* ex quolibet animi affectu mutetur, & *Urina* alteretur ab admiſto potu, aliiſque ex læſione partium urinalium enatis.

Cauſæ itaque, à quibus vitiatur hæc ſanguinis fermentatio, ſunt omnia ea, quæ ſalium, inprimis acidi & urinoſi, proportionem variare poſſunt. Talia ſunt aſſumpta, inſpirata vel ſuſcepta contagia, quibus accedunt Viſcerum ſanguinis perfectioni inſervientium labes. Sanguini hinc ita vitiato, non tantùm Chylus perversè aſſimilatur, ſed totius corporis habitus à Sanguine dependens in conſortium trahitur: adeo ut exinde omnia ea derivanda ſint, quæ vulgò de *Intemperie* dici ſolent. Sic nimius ſanguinis calor, ejuſque producta, ex aucto motu fermentativo, derivantur, & primariò quidem ab acido volatili tanquam efficiente, intenſius cum Alcali oleoſo tanquam ſubjecto ebulliente; non ſecus ac Aromata ratione volatilis acidi corpus calefaciunt. Similiter ceſſante debitâ fermentatione caloris remiſſio obſervatur, propter acidum quaſi fixius, conſtitutivis partibus noſtri corporis præternaturale, quod acidum figit & ſubigit. Certè omnis calor producitur ab acido, agente in terreum plus minus alcalinum, unde in ipſo Igne adurendi vis, & Calcis vivæ incaleſcentia oritur. Cæterùm in vitiatâ Sanguinis temperie, ex mutatâ fermentatione natâ, obſervandus eſt ſapor ſpecificus, craſin plus minus vitians, ut proximè per ſpecificum remedium curari queat.

SECT. XIII.

De Aëris Inſpiratione læsâ.

CAP. I.

De Suffocatione.

NOtum eſt, *Sanguinem circulari per Pulmones* pro debitâ ſui ſuſcipiendâ perfectione: in quem finem dilatantur Pulmones ope veſiculoſi Parenchymatis, quod facilè expandi & complicari poteſt. Aëris in Pulmones dilatatos ſuſceptio, *Inſpiratio* dicitur, læditurque 1. Quando *aboletur*. 2. Quando *augetur*. 3. Quando *depravatur*.

Abolita Inſpiratio *Suffocatio* dicitur: oriturque 1. Vitio viarum, aërem non tranſmittentium. 2. Vitio Pulmonum, aërem non admittentium. 3. Vitio Muſculorum ac Nervorum, Thoracem non legitimè dilatantium ac moventium.

Quoad *primam cauſam*, quando viæ clauſæ non admittunt aërem, *ſuffocantur* propter externa, vias anguſtantia, *laqueum*, v. g. in ſtrangulatione laryngem conſtringentem: item propter *Inflammationes Faucium*, Tonſillarum, aut Muſculorum adjacentium: item propter *varia deglutita*, quæ vel in Faucibus hærentia, ratione nimiæ molis, Epiglottidis motum impediunt; vel in ipſam aſperam Arteriam ingredientia, ratione irritationis ſenſiliſſimæ pertinacem ab Epiglottide clauſuram efficiunt, & ita *Suffocationem* inducunt. Pertinent huc Pili caſu Epiglottidi involuti, ejusque motum impedientes; & Polypus narium, ſua crura in fauces protendens. *Secunda cauſa* hæret in Pulmonibus, quando ſanguis ibidem ſtagnat propter ſui abundantiam,

vel

vel viarum impedimenta, Calculum v. g. in arteriâ venoſâ, materiam viſcidam in dextrâ Cordis auriculâ, Polypum cordis, *&c.* vel denique propter ſanguinis coagulationem, quæ frequentiſſimè oritur à ſubitâ ingurgitatione potûs frigidi, poſt nimium corporis calorem. Pertinent huc ſub aquis Suffocati, in quibus, partim ex impeditâ aëris admiſſione, partim ex aquarum irruptione, fit ſuffocatio. Faciunt huc inprimis Suffocationes frequentiſſimæ ex fumis metallicis aut ſubterraneis, exhalationibus Vini ſive Cereviſiæ fermentantis, parietibus Calce vivâ recenter incruſtatis, odoribus Aquæfortis, Sulphuris, *&c.* Quæſtio eſt de his, an fumi exhalantes Pulmonem & Sanguinem, an verò Cerebrum & Spiritus animales immediatè afficiant. Pro reſolutione conſiderentur ſymptomata: ante omnia enim anxietatem circa præcordia, quandoq; Reſpirationis difficultatem, & hinc Vertiginem caducam & tenebricoſam experiuntur. Hinc ſtatim vox, ſenſus & motus intercipiuntur; imò abſque pulſu frigidi & quaſi ſyncoptici jacent, utplurimum cum ſpumâ circa os. Ubi nonnihil ad ſe redeunt, plerumque vomitu exercentur, & mucoſa multa ſponte, vel arte, ex ore, naribus & ventriculo rejiciunt. His ſuppoſitis probabilior videtur ſententia, omnia iſta mala oriri ex alteratione ſubitaneâ ſanguinis per Pulmones circulantis, hinc Spirituum vitalium inchoatâ extenſione, & continuati radii cum ſpiritibus animalibus interruptione. Confirmatur hoc ex eo, quod in tali aëre ignis ſtatim extinguatur, & parilis ſit aëris ad ignem & vitam neceſſitas. Cæterùm percipiunt tales Ægri anguſtiam præcordiorum, quaſi ſuffocatoriam mox in principio, quoniam ex hoſtili præſentia aëris vitiati inſpirati, pulmones & thorax ſe ſtringunt; hinc ſupervenit Syncope, Vertigo, Sensûs & Motûs abolitio, propter interruptum radioſum ſpirituum nexum; pari ratione atque

ſuſpenſis, eo ipſo quo conſtringuntur Carotides, mox eadem ſymptomata ſuperveniunt, propter interceptam ſpirituum continuitatem. Interim tamen dubium adhuc reſtat, an Fumi hi Sanguinem & Spiritus alterent, ſanguinem coagulando, an verò ſpiritus inebriando & figendo. *Tertia cauſa* in muſculis & nervis hæret; unde in forti Apoplexiâ, item in Syncope, & Nervorum reſolutione, ex ſpirituum animalium defectu ſupervenit Suffocatio lethalis. Fit etiam Suffocatio ex convulſione Nervorum, *v. g.* in Hyſtericis, in quibus Nervi paris vagi & intercoſtales, Spaſmo affecti, ut pleraque Viſcera Abdominis, ita in ſpecie Muſculos thoracis ac *Laryngis* conſtringunt. Hujuſmodi etiam eſt Suffocatio ex Fungis venenoſis, *ſtrangulatoriis* dictis, ſicut & illa ex Coitu nata, notum enim eſt, quod congreſſus rectè appelletur parva Epilepſia.

Cura variat pro cauſarum ratione. Sic *v. g. Suſpenſis* laqueus ſolvendus, vena ſecanda, frictiones artuum inſtituendæ, ſpirituoſa liquida infundenda, Ægri in loco calido ſeponendi. Si in Faucibus hæreant fruſta, deſcenſus eorum promoveatur concuſſione in dorſo, ac propinentur *incidentia*, v. g. *Oxymel. ſquill.* & *lubricantia* v. g. *Caſſia* lentè deglutita. *Platerus* in oſſiculo Gulæ infixo, cum dolore & ardore, per cataplaſma maturans & ſuppurans, factâ oſſiculi cum pure excretione curavit. Ex potu Aquæ fortis Fauces ferè occluſæ, exhibitâ *Mucilag. Cydon.* in potu curatæ ſunt. Sanguis ſtagnans vel *Venæſectione* vel *ſanguinem attenuantibus* reſtituatur. Suffocatio ex ſanguine coagulato à ſubitaneo frigore, nimium calorem ſubſequente, optimè curatur cum *Succo expreſſo* ex *Bellidis flore rubro*, quæ præter vim vulnerariam, inſignem habet virtutem diſſolvendi Sanguinem congrumatum. Si ſub aquis ſuffocati ſint, elatis pedibus inclinato corpore concutiendi ſunt, ut aqua effluat; admoveantur interea *Panis aſſati micæ*

Spi-

Spiritu Vini calidò imbutæ, ſæpiusque repetitæ. Quandoque *lenis Vomitus* non malè ſe habet. Ubi reviviſcere incipiunt, pro alteratione corporis internâ corrigenda propinetur *Decoct. flor. Chamom. in Cereviſiâ*, evocando in lecto ſudorem. Suffocatis ex fumis, convenit inprimis *Vomitorium* in majore longè doſi; tam præmittendo quàm permiſcendo ſpirituoſa, *v.g. Spiritum Vini*, *Spir. Theriac. Aq. apoplect.* & ſimul etiam *Sternutatoria* inſufflanda ſunt naribus. Item in aërem exportandi ſunt Ægri, os diducendum, continuò ventus faciendus, facies crebro frigidâ adſpergenda, acetum naribus admovendum. Nonnulli curati ſunt ſolo *vapore calido Aceti*. Conducit etiam *Caſtoreum* cum *Aceto* naribus admotum; item *Acetum Rut. Aqua Hirund. cum Caſtor.* Dubito an *larga Venæſectio* conducat, niſi forſan in Plethoricis aut Obeſioribus, in quibus naturâ tardior eſt ſanguinis motus. In *Suffocatione* denique *convulſivâ* eadem conveniunt, quæ in *Hyſtericis* & *Epilepticis*, in ſpecie *Caſtorina* & *Salia volatilia*. Sin ex Fungis ſit malum, horum Alexipharmacum eſt *Oxymel. ſquillit.* vel ſolum, vel cum *Theriaca*, præmiſſo, pro circumſtantiarum ratione, *Vomitorio*.

CAP. II.

De Aſthmate.

D*Epravata Inſpiratio*, ſive ea quæ fit cum difficultate, *Dyſpnœa* dicitur; cujus primus gradus *Anhelatio* audit, ſecundus *Aſthma*, tertius *Orthopnœa*, quia tales corpore erecto & ſublatis talis reſpirare nituntur. *Aſthma* eſt vel *humidum* vel *ſiccum*. *Humidum* oritur à materia vitioſa, & ab ejus remotione iterum ceſſat; eſtque ejus ſedes vel in Pulmonibus, vel in Stomacho. Fit *Aſthma* vitio Pulmonum, tum ob nutritionem ſubſtantiæ

ſtantiæ propriæ depravatam; tum ob metaſtaſin materiæ ex alio loco ad Pulmones depoſitæ. Fit *Aſthma vitio nutritionis propriæ*, quando læduntur Pulmones, vel ab aëre, vel ab aliis inſpiratis, præſertim fumis metallicis, ita ut vitietur eorum digeſtio, & coacerventur ſucci craſſi viſcidi, in Pulmonum *parenchymate* vel *Bronchiis* hærentes, & aëris motum reciprocum impedientes. Par ratio eſt, quando *Lympha catarrhalis* aſperam Arteriam lædit, adeo ut alimentum ejus proprium in ſuccum vitioſum degeneret. Patet itaque, hujuſmodi Aſthmata oriri à liquido hoc excremento nutritivo, in gypſeam & vitream viſciditatem mutato. Pertinent huc ſimili ferè occaſione geniti *Abſceſſus* & *Vomicæ pulmonum*; item *Phthiſicorum* & *Empyematicorum Dyſpnœa*, propter pus in Pulmone vel Thoracis cavo fluctuans. Fit autem *Aſthma pneumonicum* per metaſtaſin, quando Febres continuæ ſolvuntur per decubitum in Pulmones materiæ in ſanguine coctæ; quando ipſum ſerum ſuppreſſum intra Pulmones ſupponitur, quo in caſu larga urinæ excretio juvat; quando ſanguis in ſuo motu impeditur, & in vaſis pulmonum ſtagnat; aut etiam impenſius ebullit & turgeſcit, adeo ut vix tam promptè per Pulmones moveatur, quin nonnihil in illis ſubſiſtat; quando ſuppreſſio Menſium vel Hæmorrhoidum, item & Cachecticorum leviſſimus corporis motus, ſanguinis per pulmones circulum ſufflaminat. Cachecticorum interim alia eſt ratio quàm in dictis Suppreſſionibus: horum enim ſanguis crudus & glutinoſior, tardè ab aëre alteratur, & lentè per Pulmones tranſit; unde celerius moto ſanguine ſub corporis motu, facilius circa Pulmones ſubſiſtit; atque *Dyſpnœam* infert. Huc pertinent terrores ſanguinem in Pulmonibus coagulantes, materia viſcida in auricula Cordis ſiniſtra coagulata, potus ſubitaneus aquæ frigidæ ſub nimio æſtu, & tandem Hydrops pectoris, quæ omnia *Aſthmata* gravia inferre ſolent. Ex

Ex modo dictis duo notanda veniunt. 1. Materiam hanc, quæ in Pulmonibus talia *Aſthmata* infert, non ex capite deſtillare, ſed ſolummodo ex vaſis ſanguifluis vel lymphaticis eò inferri. 2. *Aſthmata* hæc humida graviora eſſe, ſi materia peccans acrimoniâ ſuâ inſigni Pulmones & aſperam Arteriam ad conſtrictiones ſtimulaverit.

Datur & *Aſthma humidum* vitio materiæ craſſæ in Stomacho & primis viis, quando nempe quacunque occaſione turgeſcit & quaſi inflatur, partim quia nimiâ Ventriculi diſtentione impedit motum Diaphragmatis deorſum, ad Pulmonum dilatationem ſummè neceſſarium; partim quia ipſum Diaphragma, per conſenſum, ex irritatione Ventriculi *Convulſiones* patitur. Adeo ut frequentiſſima ſint *Aſthmata ex Stomacho*, per vomitum ſæpius curata, ſed pectori malè dicata. In talibus Aſthmaticis ſæpè conjuncti ſunt flatus, ut in Scorbuticis & Hypochondriacis, poſt paſtum præſertim veſpertinum, qui multum ad *Dyſpnœas* conferunt. Cæterum *Hydropici* etiam fiunt *Aſthmatici*, partim propter liberum Diaphragmatis motum impeditum, partim propter diſtentos muſculos Abdominis reſpirationi inſervientes, partim propter copioſiùs retentum ſerum, craſin ſanguinis vitians, & acrimoniâ ſuâ Pulmones nonnihil vellicans.

Alterum *Aſthma ſiccum* dicitur, quod citra materiæ ſenſilis acceſſionem aut excretionem Paroxyſmum inchoat & finit. Ut pateat hujus *Aſthmatis* cauſa, conſiderandum, tria eſſe quæ ad legitimum Pulmonum motum faciunt.

1. Legitima partium mechanica conformatio. Atque ex hujus defectu fiunt *Aſthmata ſicca*, propter tuberculum, calculum, ſcirrhum, aut alia concreta præternaturalia, in Pulmonum parenchymate vel bronchiis hærentia. Gibboſi etiam, & illi, quibus ſternum

&

& coſtæ nothæ vitioſè conformantur, utplurimum ſunt Aſthmatici. Facit huc deficiens Pulmonum nutritio, unde Pulmones aridi & flaccidi redditi minùs expandi queunt: quo etiam diſponit crebrior Nicotianæ fumus, immediatè Pulmones ad Atrophiam diſponens, non verò caput immediatè alterans.

2. Ad legitimum Pulmonum motum requiritur Muſculorum inſtrumentaliter moventium, & nervorum hos dirigentium ſana conſtitutio. Cum enim *Thorax* per tot & tam inſignes muſculos moveatur, non mirum eſt, creberrima inveniri *Aſthmata ſicca*, quæ fiunt ratione nervorum, muſculos hos ad Spaſmum adigentium. Hujuſmodi ſunt *Aſthmata* ex ſubluxatione Vertebrarum dorſi, nervos ibidem prodeuntes comprimente & irritante, ex Vermibus Inteſtinorum, partes haſce ad Convulſiones irritantibus, ex Paſſionibus hyſtericis & hypochondriacis, ubi partes reſpirationi inſervientes vitio nervorum conſtringuntur. Vitium itaque hic hæret in nervis, ſive in exortu, ſive in progreſſu circa plexus, ut in Hyſtericis, ſive denique in ipſis Muſculis, quibus inſeruntur; *Nervi* enim *intercoſtales* & *paris vagi*, qui Thoraci præſunt, pluribus plexibus diverſimodè ſociantur, & hinc varios Spaſmos, etiam remotioribus in locis, excitare valent; ut in Nephriticis & Hypochondriacis manifeſtum fit. Eſt etiam maxima varietas muſculorum, duplici dilatationis & conſtrictionis motui inſervientium, qui omnes & variam ſtructuram & diſtinctum motum obtinent; adeo ut non mirum ſit, tam inſignem varietatem circa Aſthmata convulſiva obſervari. Pertinent huc Arthritici confirmati, quibus rarius vel difficilius ſuperveniunt Paroxyſmi; in talibus enim hujuſmodi *Aſthmata* ſolent ſupervenire, quæ denique per paroxyſmi podagrici acceſſionem levantur. Cæterùm *Aſthmata* hæc *convulſiva* ſæpius ſunt hæreditaria, non ſecus ac *Morbi*

epile-

epileptici; ſunt enim utplurimum *periodica*, & ubi ceſſaverint aliquandiu, facilè per multiplices occaſiones externas, v. g. per iracundiam, mutationes tempeſtatum, &c. recidivam incurrunt. *Cauſa* proin horum *Aſthmatum convulſivorum* eſt acidum vitioſum, nervis inimiciſſimum, quocunque in loco nervos vellicârit. Hinc Hypochondriaci, Scorbutici, & ii, qui Inunctionibus mercurialibus malè tractantur, huic morbo frequentiſſimè ſunt obnoxii.

3. Requiritur denique ad legitimum Pulmonum motum, ut fibræ nerveæ iſtius membranæ, quæ Pulmones undique cingit, aliæque ad veſicas pulmonales, pro iſtis rectè colligendis & conſtringendis, hinc inde diſperſæ, ritè moveantur. Sin autem fibræ hæ irritentur, veſiculas conſtringent, & pro aëre ſuſcipiendo ineptiores reddent, unde *Aſthma*. Percipitur hoc, quando à Sulphure incenſo, aut Aquâ forti naribus admotis, Fauces & Thorax exinde conſtringuntur, & ſpiritus intercipitur. Fibræ enim dictæ irritatæ vel ab acido interno, vel à ſpiritibus metallicis, vel ab aëre inclementi, Pulmonem corrugant.

Aſthmata hæc, *humida* nempe & *convulſiva*, ſæpè conjuncta ſunt. *Scabioſorum Aſthma*, ex Scabie retropulſâ ortum, videtur complicatum eſſe, ex fermento Scabiei Pulmones irritante & ſanguinis craſi, quaſi cachecticâ. Notandum autem, materiam in *Aſthmate* per os rejectam eſſe quidem cauſam *Aſthmatis humidi*, ſed in *Aſthmate ſicco* eorum, qui gaudent copiâ lymphæ, eſſe duntaxat effectum agitationis Pulmonum & reciprocationis aëris, qui in declinatione Paroxyſmi convulſivi ejicitur. Cæterùm in *humoroſo* etiam concurrit aliquid convulſivi, ratione irritationis Pulmonum, unde idem ſequitur effectus. Notandum ulterius, difficilem Reſpirationem, quæ tam in ſtatu *Tuſſis humidæ*, quàm in principio *Tuſſis ſiccæ* adeſt, ſæpe non ab infarctu

farctu Pulmonum, ſed eorum irritatione & contracturâ procedere. Signum mihi erat, adeſſe talem irritationem, quoties Æger vel loquens, vel validius reſpirans tuſſire cogebatur. Nam in talibus caſibus, propter crebriorem aëris reciprocationem, irritati magis pulmones *Tuſſim* concitabant. Imò in ſimili caſu, liberiorem reſpirationem ſemper obſervavi ex Opiatis, vellicationis ſenſum ſufflaminantibus. Idem dicendum de ſenſu *doloris compreſſivi* in Pectore, quod nempe non à copiâ materiæ, ſed fibrarum pulmonalium conſtrictione procedat. Obſervandum denique quòd in *Aſthmate ſpaſmodico* adſit malarum ac faciei rubor, vaſorum in collo major intumeſcentia, aut ſenſilis etiam arteriarum pulſatio; in tali enim caſu tardior eſt ſanguinis circuitus per Pulmones.

Signa. In *Aſthmate humido* adeſt reſpiratio difficilis, cum ſonitu ex profundo, eoque ſtertente, quando nempe malum fit à muco in bronchiis Pulmonum, unà cum Tuſſi ac pituitæ excretione, quæ quò magis excernitur, eò magis minuitur effectus. Si verò materia peccans ſit in ſubſtantia pulmonum, fit ſonitus minor, & minus excernitur per Tuſſim, idque ſucceſſivè. *Aſthma* humorale ſolet eſſe continuum; & ſemel curatum ſucceſſivi incrementi ſigna prodit, antequm recurrat. Hoc autem omni *Aſthmati* commune eſt, quod cum aëre mutentur, motu corporis exaſperentur, quod denique veſperi ac noctu acerbiùs affligant. *Aſtmata ſicca*, ſpeciatim *convulſiva*, ingruunt ex improviſo, ſine materiæ peccantis indiciis, & ceſſant ſine manifeſtâ excretione, aut ſenſili reſpirationis nocumento: ſi vitium ſit *in capite*, præcedunt aut adſunt Vertigo; ſin verò in *Abdomine* (*in plexibus Meſenterii lienaribus*, *&c.*) antecedunt vel conjunguntur ſonitus, murmura, & vermiculatio in Abdomine, aliaque Abdominis ſymptomata; ſi *Diaphragmatis muſculi*, aut loca vicina ſunt affecta pri-

primariò, ſenſus inſtar Zonæ in iſta regione percipitur; ſi *muſculi* Thoracem *moventes*, ſenſus eſt conſtrictionis ac compreſſionis thoracis; ſi *Laryngis* & *Faucium muſculi*, adeſt ſuffocationis, quaſi laqueo injecto, ſenſus; ſin *Pulmo* conſtrictus primariò ſit, inexplicabile quoddam reſpirationis impedimentum experiuntur Ægri.

Prognoſis. Aſthmata omnia ſunt periculoſa, & quidem inveterata, ſive ſint *humoroſa*, utpote quæ inſignem Pulmonum læſionem arguunt, ſive *convulſiva*, nam talia epilepticum in quodam nervorum plexu radicatum fomitem præſupponunt. Rariſſimè curantur perfectè, etenim vel leviſſimo diætæ errore ſubitò recidivant. Tandem omnes *Aſthmatici* ſub contumacia morbi vel *cachectici* vel *hydropici* moriuntur.

Cura. In Paroxyſmo libera & ſufficiens reſpiratio promovenda, tum impedimenta in Pulmonibus removendo, tum Organorum motus convulſivos compeſcendo. Ratione prioris, aëris ambientis ventilatio, erecta ſeſſio, alvi ſubductio, Venæſectio, potiones ſanguinem attenuantes & viſcida incidentes, blandè dulcia pulmones demulcentia, & interdum *Vomitoria* utiliter adminiſtrantur. Ratione poſterioris, *antiſpaſmodica*, *anodyna*, *volatilia*, &c. ſunt optima. Extra *Paroxyſmum* in *Aſthmate humido*, pro cauſarum varietate, varianda cura. 1. *Aſthma humidum* à *viſcido muco* genitum, curatur per *incidentia*, *vomitu* vel *tuſſi ejicientia*, & *ſtomachica* Recidivam præcaventia. 2. Si *pus* ſit *Aſthmatis* cauſa, evacuandum erit vel per *expectorantia*, vel per *paracentheſin Thoracis*. 3. Si *vitium* ſit *ſanguinis*, minuatur ejus copia, coagulatus diſſolvatur, cachecticus emendetur, ſuppreſſus revocetur, & turgeſcens temperetur. 4. Si *ſerum* fuerit *Aſthmatis* cauſa, *evacuandum* eſt per *urinam*, vel *ſudorem*, vel *Veſicatorium* confeſtim, aut per *Fonticulum* pedetentim. 2. Si *vitium* ſit in *Stomacho*, conveniunt *Vomitoria* cruditates cor-

rigentia. In *Aſthmate* autem *ſicco*, 1. Conformationis vitia difficillimè curantur; excreſcentia tamen tubercula aut grandines, beneficio Spiritus Sulphuris per campanam ſucceſſivè abſumi poſſe, ſunt qui aſſerunt. 2. *Acidum* nervis inimicum, in Paroxyſmo, *antepilepticis* corrigendum; Paroxyſmus imminens per *opiata* ſuſpendendus; recurſus paroxyſmi præcavendus *Veſicatoriis* vel *Fonticulis*. 3. Si fibræ pulmonares primariò ſtringuntur, cauſa irritans removenda, vellicatio *opiatis* ſopienda, *vulnerariis* & *balſamicis* Pulmonibus ſuccurrendum.

Pro his ſcopis ritè obtinendis obſervandum. 1. *Vomitoria* in quovis ferè *Aſthmate* eſſe egregia, tam in quàm extra Paroxyſmum; in *humido* ſanè æqualiter materiam tam ex pectore quàm ex ſtomacho hauriunt; quin etiam expectorantibus non malè miſcentur. In *Aſthmate ſicco* maximè conveniunt, ubi radix mali eſt in Abdomine, niſi metuantur pathemata hyſterica. Hunc in finem optimum eſt *Vinum emeticum Heurnii*, ex ℥ß. *Rad. Helleb. alb. macerat. in lib.* 1. *Vini Hiſpanici*, compoſitum, & Solis radiis aliquandiu expoſium cujus cochleare vomitum excitat, vel guttæ aliquot additæ expectorantibus, eadem acuunt. 2. *Purgantia* in *Aſtmate convulſivo* nequaquam, & in humido non niſi ſedato Paroxyſmo conveniunt. Poſtea quidem ad reliquias exhauriendas conveniunt *Pilulæ* quæcunque cum *Gum. ammon.* vel *Mercur. dulc.* 3. *Venæſectio* in *Aſthmate* per ſe nil præſtat; per accidens verò, ſi ſanguis in Pulmonibus ſtagnet, liberiorem circuitum conciliat. 4. *Sudorifera* in *Aſthmate convulſivo*, tam in fine Paroxyſmi quàm extra Paroxyſmum, non negligenda ſunt; præſertim *decoctum Guajaci*; quod etiam in *humido* fuligines diſcutit & pituitam incidit. 5. Reſpectu paroxyſmi *Opiata* multum conferunt, præſertim appropriatis miſta. Tutiora autem ſunt in *Aſthmate ſicco*, in

humi-

humido enim excretionem ſufflaminant, licèt in concitatiori ſpirituum impetu nimiam Paroxyſmi ferociam benignè ſatis mitigent. Hujuſmodi ſunt *Eſſent. Op. theriacalis Mithridat. Syr. Diacod.* & ſimilia, quæ in *Aſthmate ſicco* Paroxyſmum etiam præcavent. Sanè *Veteres* in quovis Paroxyſmo aſthmatico potius materiæ fluxionem *opiatis* inhibebant, quàm evertentibus eandem agitabant. 6. Si ſit ex *Scabie retropulsâ*, curandum, ut *ſcabies* revocetur, per *Eſſent. Fumar. compoſ. Extract. & Eſſent. Helen. Extract. Theriac. Decoct. Helen. & Fœnic. Antim. diaphor.* cum *Salibus fixis*; item per *Veſicatoria* femoribus & brachiis applicata, vel denique collocando Ægrum in eodem lecto cum Scabioſo. 7. Si Sanguis coagulatus fuerit à ſubito poſt æſtum frigore, conducunt *grumos ſolventia*; inprimis *Succus Bellidis*. 8. Si ſit *Aſthma* ex fumis metallicis, non expugnatur niſi mineralibus & metallicis appropriatis.

Remedia itaque ad *Aſthma humidum* ordinariò uſurpata ſunt *incidentia & expectorantia.* Inter quæ eminet *Syrup. Nicotian.* diuturnâ digeſtione à vi emeticâ liberatus; item *Decoctum Fol. Tabac.* ad ℥i. *in lib. ii. Aquæ ad medietatem, addendo in fine Malv. Branc. urſin. Viol. an. M. i.* cum *ſapa* calidè hauſtum; item *Eſſentia Peti* cum *Spiritu vini* extracta, & *Melle* excepta; quin & ſolus *fumus Nicotianæ* Paroxyſmum cohibere obſervatur. Aſthmaticis etiam perutilis eſt ſequens potus.

℞ *Vin. Malvat. Melicrat. coct. an. lib. viii. Fol. Tabac. ſic.* ℥iß. *Rad. Enul.* ℥iv. *Rad. Polypod.* ℥ii. *ebulliant; doſ.* ℥ß.

Egregium incidens eſt *Gummi ammoniac.* & in *Paroxyſmo humido* admodum laudatur hauſtus ex *Aq. Hyſſop.* ℥iij. *Vin. Rhenan.* ℥iß. & *Gum. ammon.* ʒi. *M.* Facit huc *Spiritus aſthmaticus* ex ℥ii. *æris viridis*, ℥i. *Gum. ammon.* & ʒvj. *Sulphuris*, *deſtillatus per retortam & rectificatus per alembicum, cui imponatur nodulus Croci.* *Doſis gt.* 30. vel 40. Porrò *Aqua* ex *Raphano recenti in taleolas*

inciſo, & Saccharo adſperſo, inter duas patinas expreſſo, potentiſſimè mucum reſolvit. Item *Radix Ari pulv.* aut etiam *Spiritus rad. Zedoariæ Bryoniæ* radix præter vim laxativam, grumoſum quicquid in corpore diſſolvit. Egregium eſt *Helenium* in *Electuarii* forma cum *Melle*, præſertim in *Aſthmate ſtomachico.* Mirabilis eſt effectus *Spermatis Ceti* ad ʒi.in Paroxyſmo. His addantur *Marrub. Hyſſop. Calamint. Roſmar.* & *Crocus.* Vidimus à *Cochl. ii. Aceti Rutæ* paroxyſmum mirè ſedatum; cui addatur *Acetum* & *Oxymel ſquillit. Oxymelita* enim talia præſtant ferè cum *Syrupis pectoralibus.* In paroxyſmo etiam egregius eſt *Spir. Sulphuris* & extra paroxyſmum *Flores Sulph.* aut *Balſamus Sulphur. terebinth.* & *aniſat.* Obſervandum interea, *Saccharata* in Affectibus pectoris non conducere, ſed contrà materiam viſcidiorem reddere, & corruptelam Pulmonum intendere. *Millepedes* denique unum ex præſtantiſſimis ſpecificis ſunt contra *Aſthmata:* turgent enim ſale volatili nitroſo admodum penetranti, & præterea vim habent anodynam: exhibentur in *Pulvere* cum *Melle* vel *Syrupo Nicotian.* Optimum autem inde præparatum eſt *Vinum infuſionis Millepedum expreſſum* & *filtratum*, quod quidam in diæta adhibent. Tentandum etiam aliquando, quid Salivatio mercurialis in *Aſthmate humido* contumaciori præſtitura ſit. Sunt etiam, qui commendant *Pediluviorum* uſum revulſorium. Ex his haud difficile erit plures concinnare formas, v. gr.

℞ Aq. *Flor. Rapar.* ℥iii. Aq. *Cinnamom. ſpirituos.* ℥ß. *Syr. de Nicotian.* ℥i. *Spir. Sulphur. q. ſ. m.* Addi poſſet *Gum. ammoniac.* niſi ſapor eſſet moleſtus.

℞ *Rad. Ireos florent.* ℥i. *Rad. Helen.* ℥iß. *Rad. Zedoar.* ℥ß. *Herb. Marrub. m. ii. Comar. Hyſſop. Roſmarin. an. m. i. ſem.* Aniſ. *Fœnicul. an.* ʒvi. *Paſſul. min.* ℥iß. *Inciſa infundantur in vino, vel coquantur cum* Aqua *& Melle pro Mulſa pectorali; vel cum* Aqua, Aceto, *& Melle pro Oxymelite.*

℞ Aq.

℞ *Aq. Hyſſop.* ℥iii. *Aq. Menth.* ℥j. *Aq. aſthmat. Rudolph.* ℥vi. *Spir. Gum. ammoniac. cum Virid. æris* ʒiß. *Syr. Nicotian.* ℥vj. *Miſce, capiatur cochleatim.*

℞ *Vini Infuſ. Millepedum* ℥viii. *Syr. de Marrub. & de Hyſſop. an.* ℥ii. *Extract. Helen.* ʒii. *Extract. Croci* ʒß. Miſce & uſurpa cochleatim, vel unciam dimidiam pro doſi.

Ad *Aſthmata ſicca*; valdè conveniunt Remedia *antepileptica*, tam *fixa* quàm *volatilia*; quibus addatur *Laudanum* in tali caſu nulli remedio cedens. Conducunt etiam *Veſicatoria*, ſcapulis aut brachiis applicata, tam ſpiritus influentes divertendo, quàm ſerum acre ſcorbuticum avertendo. Dabuntur itaque *Salia vol. Succin. C. C. Sang. human.* aut horum *Spiritus*; *Caſtoreum*, atque ex hoc parata remedia; Medicamenta ex *Aſellis* & *Lumbricis*; *Cinnabarina*, *Sulphura metallica*, &c.

CAP. III.

De Singultu.

INſpiratio interrupta cum impetu & ſono ingrato, *Singultus* dicitur; fitque à ſubitanea *diaphragmatis* deorſum verſus contractione. Cum impetu enim & ſubitaneo motu in hoc affectu inſpiramus, & Abdomen antrorſum propellimus. Parum itaque conſideratè ſtatuitur Singultus affectus Stomachi; *Diaphragma* enim primariò affici probant ſequentia. 1. Omni tempore voluntariò poſſumus ſingultire, & neceſſariò ſingultimus inſpirando: ſed nullus datur muſculus inſpirationi inſerviens pro voluntatis imperio actionem illam mutare valens, excepto Diaphragmate. Præterea Ventriculus ita alterari nequit. 2. In Singultu Abdominis contenta deorſum & ſurſum moventur, ſub inſpirationis actu; quod per ſolam Diaphragmatis convexitatem nimiam explicari poteſt. 3. Sæ-

pius curatur Singultus inſpiratione continuata, & inhibita exſpiratione. Jam ſi eſſet motus Ventriculi, tum per inſpirationem, in qua Diaphragma ſtomachum premit, potius aggravaretur malum. 4. Joco quandoque & terrore aut nimio animi motu curatur, ergo aliquid voluntarii, *diaphragma* nempe, afficitur. 5. Sternutatio ſuperveniens ſingultum tollit, quia ſub forti exſpiratione Diaphragma concuſſum ex ſe diſpellit, quod antea iſtud irritabat. 6. Abſque Ventriculo Hepatis Inflammatio dat Singultum, quia illa immediatè contingens *Diaphragma*, iſtud ſtimulat, ut convellendo ſingultiat. 7. Obſervatur Singultus non rarò in Morbis convulſivis, à contractione nempe *Diaphragmatis* inſpiratoria oriundis.

Cauſa eſt omne id, quicquid ad violentam, reciprocam tamen ſui contractionem *Diaphragma* cogere poteſt. Hoc ipſum ſæpius hæret in Ventriculo, & ſpecialiùs afficit ſuperius ejus Orificium, quo pertinent inprimis aſſumpta. Unde *Panis* nimiâ quantitate comeſtus, refrigerantia prout *Aqua frigida* & *Nitrum*, item *Ol. Vitrioli*, *Singultum* induxerunt. Ita in Febribus *Julepi refrigerantes Singultum* quandoque inferunt, ſolo Vini potu curandum. Præter occaſiones haſce *externas*, & ex *internis Singultus* ſupervenit Stomacho affecto, ſive *per conſenſum* in Vulneribus Capitis, Nephritide, Hernia, imminente Ileo, &c. ſive *per eſſentiam* propter ſuccum acriorem & viſcidum in rugis hærentem, cujus expellendi nixum *Singultus* inſequitur. Patet autem, ſuperius Ventriculi orificium affectum facilè Singultum inducere, irritando nempe muſculum *Diaphragmatis* poſteriorem, per quem tranſit. Inflammatio item Hepatis, compreſsâ Thoracis vertebrâ undecimâ, Coſtarum ad Ventriculum detruſio, Arthritis non amplius artus viſitans, Purgatio effrænis & Febris continua, imminentibus jam Convulſionibus, *Singultum* inducere obſervata ſunt. *Progno-*

Prognoſis. *Singultus* in quavis Febre continua mortem fere prænunciat, licet contrarium quandoque obſervetur. Superveniens Purgationi, Diarrhœæ, Dyſenteriæ, Ileo imminenti, aut Hepatis Inflammationi, periculum innuit. Si malum diuturnum ſit, & penitus incurabile, ſubeſſe videtur occultum quoddam conformationis vitium, *Os Ventriculi*, aut *Diaphragma* aut *Nervos* afficiens.

Cura. Tollatur irritationis ſenſus in *Diaphragmate*, & removeatur cauſa occaſionalis. Prioris ratione optima ſunt *Opiata* cum appropriatis, v. g. *Theriaca Caſtor. Sem. Aniſ. ejuſque Spir. & Ol.* item *Spir. Sal. ammon. aniſat.* ut & *Z. Z. in India conditum.* Interim pro cauſarum varietate varianda cura. Si malum hæreat in Stomacho, præſertim ratione pituitæ vitreæ, orificio Stomachi impactæ, optimum eſt *Vomitorium.* Si purgandum eſt, conveniunt *Pill. aloet.* cum *Laudan.* item *Mercur. dulc.* cum *Diagryd.* item *Hiera* cum *Oxymell.* Peracta purgatione, vel vomitu, ubi languet ſtomachus, propinetur Miſtura ſequens.

℞ *Aq. Meliſſ.* ℥ij. *Menth.* ℥iß. *Spir. Theriac.* ʒiij. *Conf. Alkerm.* ʒi. *Laud. opiat. gr. ii. Syr. de Menth.* ʒvi. *M. uſurpetur cochleatim.* Pertinet huc *Mixtura* ſæpius ad *ſingultum* experta, *cydoniata*, cum *Extracto Zedoar.* & *Laudano.* Si adſunt flatus, miſturis talibus addatur *Spir. Nitr. dulc.* à ʒß. ad ʒi. Sin fiat Singultus à cibo crudo, aut vitiatâ digeſtione, conducunt *Aloetica, Pill. roſac. Elix. proprietatis.*

Si *Singultus* fiat ab humoribus acribus, corroſivis, æruginoſis, plus minus effervescentibus, convenit *Ebur vel C. C. uſtum* ad ʒi. *Lapides Cancror. Terra ſigill. Lapis Percar. Carpion.* in ſpecie *Pelliculæ internæ ſtomachi Gallinæ*, ſiccatæ & in *Aqua* cum *Syrupo Portulacæ* propinatæ. Laudatur aliàs *Decoctum ſem. Aniſ. Aneth. Carvi, Portulac. & Papav. alb.* in *Cereviſia.* Externè in tali

Singultu egregium eſt *Cataplaſma* ex *Bacc.Laur.flor.Roſ. rubr.fol.Menth.an.m.j. pulveriſ.*& *ſubactis* cum *fermento acerrimo* ad quantitatem Ovi; hinc cum *Aceto ferventi* calidiſſimè applicatum. Si exſiccetur, denuò irroretur *Aceto*. Item *Panis calidus, Vino generoſo* irroratus, Ventriculo commodè applicatur. Alii *Fotum* faciunt ex *Aceto calente* cum *Caſtor. Piper. Sinapi* ac *Pane calido*, cum Spongia applicandum. Pariter *Ol. deſtill. Aniſi* Umbilico & Ventriculo illitum eſt egregium. Si ſuſpicio ſit, ſubeſſe in ſingultu *malignitatem*, aut ſi oriatur in *Febre maligna*, tunc aliis addatur *Aq.Cord.Herc. Sax. Aq. Cinnam. Syr.* Citri, *Extract. Theriac.* &c.

Singultum ex aſſumpto acriori, v.g. *Ol. Vitriol.* lenit Miſtura ſequens. ℞ *Aq. Plantag. Endiv. an.* ℥ij. *Succ. Semperviv. maj. depur.* ℥j. *CC. uſti.* ℥i. *Ter. ſigill.* ʒß. *Lap. Cancr.* ℈i. *Laud. opiat. gr.ii. vel iij. Syr. Portulac.* ℥i. *M.* Singultus ſymptomaticus curatur addendo appropriata remediis morbum primarium reſpicientibus. Obſervavit *Riverius ſingultum* ex *frigidæ* potu poſt calorem ortum, Balneo *Aquæ dulcis* cum *Plantis nervinis*, curatum.

CAP. IV.

De Incubo.

INCUBI Symptomata ferè tali ordine ſequuntur. 1. Læditur Inſpiratio. 2. Senſus aut motus, cum imminente plus minus ſuffocatione. 3. Depravatur Loquela; ſonum enim inconditum & boatum gravem edunt. 4. Adeſt præcordiorum anxietas. 5. Inſomnium rei cujuſdam thoracem prementis. 6. Maculæ rubeæ, lividæ, cæruleſcentes, artus inprimis pingentes, & mane poſtmodum apparentes. 7. Expergefactis, dum omnia cætera Symptomata evaneſcunt, *Corporis tremor*, & non

raro

rarò *Diaphragmatis* vibratio celerrima & violenta ſupereſt, una cum totius corporis laſſitudine.

Cauſa eſt omne id, quod liberum Thoracis reſpiratorium motum impedire poteſt. Impeditur autem ille motus, *vel vitio* objecti externi, *vel vitio* nervorum motui inſervientium. Prioris ratione *Incubus accidentalis* dicitur, quando nempe *Diaphragmatis* liber motus impeditur, propter impedimenta in primis viis & Abdomine motui ejus deorſum reſiſtentia. Hæc inter inprimis eſt Stomachus nimium repletus, in quo materia viſcida in Flatus abit. Experimur enim eſum *Caſtanearum* & potum *Vini fæculenti*, Incubum inducere. Unde pueris nimia alimenta ingurgitantibus, aliiſque temulentiæ aut diætæ craſſæ deditis, familiaris eſt Incubus. Frequentior eſt etiam illis, qui dorſo incumbunt, unde Diaphragmatis motus inferiora verſus impeditur. *Incubus habitualis* oritur à vitio nervorum reſpirationi inſervientium, idque inprimis eorum, qui ex cerebello primas radices habent, adeo ut fundamentum *Incubi habitualis* in parte poſticâ capitis circa Cerebellum ſtatuat *Louverus*. Dubitatur, an vitium hoc nervorum ſit *paralyticum*, an verò *convulſivum*; i. e. an denegetur ſpirituum influxus, an verò nimis impetuosè influat. Varia proſtant apud Autores exempla utrumque concludentia. Et ſanè, ſicuti non rarum eſt, quòd Paralyſis cum Spaſmis, & contrà, ſubinde permutetur; ita quidem cauſa *Incubi*, *Acidum* nempe *peccans* lymphæ medio ad Cerebellum delatum, nunc irritando nervos reſpirationi inſervientes, atq; Cordis motui dicatos, *Affectus ſpaſmodicos*; nunc verò ſpirituum motum nonnihil ſufflaminando, leviores *Affectus paralyticos* inducere poteſt.

Revera igitur *Incubo* infeſtante, laborant Muſculi thoracis motui inſervientes, præſertim *Diaphragma*: Et cum idem Nervus ex intercoſtali ſurculum ad La-

ryngem mittat, adeſt etiam ſtrangulationis ſenſus, loquela impedita, aut ſaltem ſonus inconditus gemebundus. Thoracis autem motus impeditus ad ſomnia & imaginationes compreſſionis Thoracis diſponit; non dubium eſt enim, quin anima rationalis in ſomno alterationes corporis percipiat, teſte *Pollutione nocturna.* *Incubus* itaque formaliter ad Affectus nervinos refertur; ſubjectivè verò ad melancholicos vel ſcorbuticos, ratione *Lymphæ acidæ* ſubtilis nervos afficientis; quo etiam reſpiciunt *Maculæ*, quæ declinante *Paroxyſmo* cutim pingunt.

Prognoſis. Incubus accidentalis parum refert, *habitualis* verò *Epilepſiam*, *Apoplexiam*, aut *Melancholiam* portendit; præſertim ſi adſit etiam *Vertigo* diuturna. Si accidat partim dormienti, partim vigilanti, *Epilepſiæ* propinquior eſt; ſed adhuc deterior, ſi poſt excretionem Sudor frigidus, Tremor cordis, *Spaſmus* aut *Syncope* ſequatur.

Cura. Accidentalis curatur ſtomachum evacuando, diætam benè ordinando, lautam cœnam & ſubitaneum poſt paſtum decubitum vitando, & remedia antepileptica propinando. *Habitualis* verò ad modum *Mali hypochondriaci* curatur, nempe per *digeſtiva* præſertim *martialia*, hinc per evacuantia inprimis *vomitoria*, quibus ſubjunguntur *volatilia* ac *antepileptica.*

Pro his ſcopis obtinendis, poſt *vomitoria*, excellunt *evacuantia helleborina* cum *Mercurio dulci.* Deinde *per epicraſin evacuantia*, inprimis *Paſſulæ* cum *Aloë*, vel *Pillul. aloëphang.* quæ non tantùm ebrietatem arcent, ſed inſimul coctionem juvant. Nobile ſpecificum eſt *Radix Pæon.* in *pulvere*, ut & *Semen*, ejuſque *Emulſio*, item *Aqua.* Huic annumeratur *Semen Aniſi* ejuſque *Ol. deſtil.* ſub introitu lecti uſurpatum. Cæterùm in *Incubo habituali*, *martialia* & *ſudorifera volatilia* non negligenda.

SECT.

Sect. XIV.

De Læſa Expiratione.

Cap. I.

De Sternutatione immoderata.

COmprimuntur Pulmones, pro aëre expirando, à muſculis intercoſtalibus internis, Sacrolumbo, & etiam muſculis Abdominis; quibus in ſupplementum accedit Abdominis ſpontanea remiſſio. Læditur autem hæc aëris expiratio. 1. Quando fit cum impetu in *ſternutatione*. 2. Quando fit interruptim & cum *tuſſi*. 3. Quando aër expirans vitiatam vocem profert.

Sternutatio eſt motus convulſivus muſculorum Expirationi inſervientium, in quo, poſt aliquam inſpirationis ſuſpenſionem, ſubitò per nares & os aër una vice exploditur. Percipimus in hoc caſu Thoracem à ſuis muſculis conſtringi, & Abdomen etiam à ſuis comprimi; & hinc à contentorum ſurſum verſus motu Diaphragma intra Thoracem cogitur. Unde in *Partu difficili* proficua, & in *Herniis* nocua eſt *Sternutatio*. Cauſa occaſionalis hujus *motus convulſivi* eſt, quicquid membranam narium internam ſuperiorem irritat; ſine hac enim irritatione nulla fit *Sternutatio*, quoniam nervuli ex pari tertio & quarto ad Nares derivati, connectuntur per plexus cum pari nervorum vago & intercoſtali, Thoracem inprimis moventium: adeo ut nervuli illi irritati hos etiam convellant, unde Diaphragma aliquandiu propter Inſpirationem protractiorem deprimitur: ſicuti & cæteri muſculi Reſpirationi inſervientes magis tenduntur: ſed mox ſuperveniente contrario

ſpaſmo

ſpaſmo nervorum & muſculorum Expirationi inſervientium, *Sternutatio* ſupervenit. Quæ irritant narium membranam, ſunt vel *externa*, odores nempe fortes, aliaque vellicantia; vel *interna*, ut Lympha acrior in *Coryza*: item coitus, & conſpectus pulchræ Mulieris poſt abſtinentiam à Venere. Cæterùm hæc membrana à nimio Pulveris ſternutatorii uſu, & copioſiore lymphâ affluente, minus ſenſilis evadit. In omni *Sternutatione* inſons eſt Cerebrum; quæ enim ejiciuntur, primariò ſunt ex contextu glanduloſo poſt membranas narium & faucium ſito; ſecundariò autem ex *Bronchiis aſperæ Arteriæ*, unde in *Pleuritide* & *Peripneumonia Sternutatio* mala eſt; proficua verò ad pituitam in Bronchiis expellendam, quæ Tuſſi rejici non poterat. Adeo ut ex Capite nihil planè educatur.

Prognoſis. *Sternutatio* ſine cauſa manifeſta crebrò repetens mala. Infert enim paralyticos aut epilepticos inſultus. *Sternutatio* oculis nociva eſt. In Epilepſia aut Apoplexia poſt uſurpata ſternutatoria non ſuccedens, malum eſt ſignum.

Cura. Removenda cauſa vellicans, & irritationis ſenſus *opiatorum* uſu. Unde odor *Opii* omniumque *Narcoticorum* multum juvat, inprimis *Ol. roſaceum Opio* imprægnatum interioribus naribus illitum. Poſt acrius ſternutatorium, conducit nares abluere cum *Lacte tepido*, aut injicere *Cremorem lactis* aut *Mucilag. ſem. Pſyl.* vel *Cydon.* cum *Aq. Nymph.* extractam; item pro odoratu admovere *Semina Fœnic.* & *Aniſ.* Aceto intincta.

CAP. II.

De Vocis Vitiis.

VITIA *Vocis* ſunt, quando vel *deficit* vel *vitiatur*. Deficit autem vel *Thoracis vitio* in Apoplecticis, Hyſtericis, &c. ubi nulla reſpiratio contingit; vel *vitio*

La-

Laryngis, propter ejus rimulam, Tumoribus vicinis vel aſſumptis aſtringentibus conſtrictam; vel denique *Muſculorum* & *Nervorum vitio* : quo in caſu Vox deficiens *Aphonia* dicitur; ſin verò linguæ motus deficiat, dicitur *Loquela amiſſa*. Cæterùm Vitium hoc muſculorum nunc *paralyticum* nunc *convulſivum* eſt; prius fit vel *vitio proprio*, vel *vitio nervorum recurrentium*, ad eos diſtributorum, unde his diſſectis, *Aphonia* canibus ſupervenit. Forſan Raucedo *Aphoniam* infert, propter nimiam humiditatem, & exinde flacciditatem muſculorum; qua ratione Crapula & abundans phlegma idem præſtant. Caſus item ab alto, & Terrores, *Paralyticum* hoc *vitium* inferre obſervata ſunt. Virgo etiam fumo lapidis ex oleo conſtructi per ſomnum inſpirato, incidit in *Paralyſin Laryngis* & ſubſequentem *Aphoniam*. Quoad alterum *Aphoniæ* fiendi modum, *Convulſionem* nempe muſculorum & nervorum Laryngis, obſervatur hæc in Hyſtericis & Epilepticis, item ex Vermibus. Huc ſpectat *Aphonia* ex retenta Gonorrhæâ virulentà, propter acre Luis venenum, nervos recurrentes vel muſculos irritans, Fonticulis in inguine curata. Huc etiam referenda *Aphonia* Febribus ſuperveniens, inprimis Variolis, quarum acre venenum Nervos recurrentes facilè irritat. Cæterùm præter *Paralyſin* ac *Convulſionem*, etiam Terror aut ſubitanea ſpirituum perturbatio *Aphoniam* producit.

Prognoſis. *Apoplexiæ* juncta *Aphonia* diuturna eſt & difficulter curatur. Quæ cum ſingultu ſunt *Aphoniæ*, peſſimæ exiſtunt. *Per ſe* autem ritè tractatæ curabiles ſunt. *Balbi* Profluvio alvi ſæpè corripiuntur, teſte *Hippocrate*, quo ipſo ferè ſanantur.

Cura. Reſpiciendum ad primarium morbum aut cauſam antecedentem. Removeatur *Paralyſis* vel *Spaſmus* muſculorum, aut nervorum Laryngis, per *Cephalica interna*, ſubinde *ſudorem* ſimul provocando, & Ptyaliſmum

liſmum *maſticatoriis* promovendo. In contumaciori malo, præſertim paralytico, *diæta ſudorifera* ex *Lignorum decoctis* inſtituenda venit. Externè applicentur collo Sacculi ex *nervinis aromaticis Spiritu vini* irroratis; vel *Spiritus apoplectici* cum *ſpirit. Lumbric.* aut *Formic.* calidè, vel denique *Ol. Succin. Lavend. Rut. Junip.* cum *Theriac.* ſive *Balſ. Peruv.* miſta, aut cum *Eſſent. Caſtor.* ſociata. Interdum, ubi circumſtantiæ permiſerint, *Venæſectio ſub lingua* inſtitui poteſt.

Sequuntur *Vitia Vocis depravatæ*, inter quæ inprimis occurrit *Raucedo*; quando nempe aër expiratur per aſperam Arteriam aut Laryngem nimis humidam. Notum eſt, continuam in aſperam arteriam tranſudare Lympham, ex glandulis juxta annulos Laryngis ſitis, & membrana glanduloſa interius aſperam arteriam cingente; quæ partim ab aëre inſpirato inclementiori vel variis pulveribus rebusque aliis permiſto ipſam defendat; partim eandem planam ac voci firmandæ aptiorem reddat. Quod ſi itaque Lympha hæc copioſius effundatur & nimis humectet aſperam Arteriam, *Raucedo* oritur.

Obſervanda autem eſt differentia *Raucedinis*, vel *recentis*, à lympha ſimpliciter tenui, nunc mitiori, nunc acriori, nimis ſaltem humectante; vel *inveteratæ* à craſſiori mucoſo tegmine aquoſo Bronchum interius abducente, ortæ. *Cauſa remota* eſt irritatio Laryngis, producta vel *externè*, ab inclementia aëris hyberni, inſpiratione fumi ſulphuris, aliorumve acriorum; quibus & ſuo modo loquela, cachinnus aut vociferatio intenſior annumerantur; vel *internè*, à lympha acriori, ſalſiore, aut acidiore, ad aſperam arteriam delatâ; quæ nullatenus à capite deſtillare putanda eſt, ſed ex propriis Laryngis & aſperæ Arteriæ glandulis effunditur. Scorbutici autem & Lue venereâ correpti facilè rauceſcunt, propter ſerum acrius partes aſperæ Arteriæ

teriæ internas excorians. *Phthiſici* etiam, *Empyematici*, & qui *Tuſſi crebriori* laborant, non rarò rauceſcunt, propter acrem materiam frequenter rejectam, quæ Laryngem irritat, & hinc copioſioris Lymphæ inſtillationem provocat. Omnes hæ cauſæ moderatæ *levem* inferunt *Raucedinem*, ſin verò majori impetu aut diutius affligant, ita ut lympha continuò effuſa in Mucum ſpiſſiorem degeneret, & aſpera Arteria ſucceſſivè excoriata nutrimentum proprium cum lympha tranſmittat, ac undique Bronchiorum cannis affigat, talia *inveteratam Raucedinem*, quæ non niſi per muci ſpiſſioris expectorationem ſolvitur, inferre ſolent; in quo caſu ad Pulmones maximè reſpiciendum.

Prognoſis. Raucedo per annum vel ulterius confirmata vix ſanatur, ſi quidem ob Suppurationem vel Tabem contingat. Sed & in Phthiſicis plerunque ante mortem proximè futuram contingere hominibus ſolet.

Cura. Attendendum inprimis an *cauſa* ſit *interna* vel *externa*; an lympha *mitior* ſit, an verò *acrior*, quod juncta Tuſſis oſtendit; an denique ſit *recens*, *tenuis* nempe & *copioſior*, an verò *mucus* ſit *craſſior*, quod partim ex ſenſu majoris vel minoris titillationis, partim ex excretis per os, ſcreatu vel tuſſi rejectis, manifeſtum eſt. In *recenti* igitur *malo* à *cauſa externa*, hac remotâ, *opiata*, *lenientia* vel *temperantia* irritationem, & hinc lymphæ effuſionem ſiſtentia maximè conducunt. Si verò ſit recens à *cauſa interna*, *temperantia* ac *opiata*, acrimoniam irritantem *demulcentia*, *ſudorifera* lympham mundificantia, & ordinarium ejus motum promoventia, conveniunt; præmiſſis, ſi opus fuerit, *Purgantibus* talibus, quæ ſub ſeri formâ evacuare ſolent, in ſpecie *Jalap. Eſul. Elater.*&c. *Inveterata* verò curanda venit per *incidentia*, & hinc *expectorantia*, pro quo ſcopo interdum Vomitus etiam neceſſarius eſt. Quod ſi altiores in corpore radices habeat malum, *v.g. Luem*

Vene-

Veneream, *Scorbutum*, *Vomicam Pulmonum*, &c. ad hæc primaria Cura dirigenda, ſimul tamen ſymptomati *Raucedinis* ſuccurrendum erit.

Inter *temperantia* eminent *Syr. Papav. Eſſent. Opii, Diacod. Theriac.* item *Syr. Glyzirrh. Syr. Viol.* & inprimis *Syr. de Jujub.* Egregium etiam temperativum eſt *Decoctum Raparum ſecundum* cum *ſaccharo*, ut & quælibet ex *Rapis* parata remedia. *Paſſulæ* etiam elegantes ſunt, in ſpecie *minores*, unde *Roob Paſſular. Decoct. Paſſul.* cum *Aniſo. Flores ſulphuris* etiam lympham temperant & eroſionem præcavent in *Raucedine recenti.* Sed *Balſam. Sulphur. aniſ.* vel *terebinth.* in *Raucedine inveterata* convenit, *Sperma Ceti* itidem ad ʒj. in Juſculo calido hic multum conducit.

Inter *incidentia* & *expectorantia*, in *Raucedine inveteratâ* excellit *Syrupus de Eryſ.* cujus baſis eſt *Eryſimon*, quod ſapore acri penetrante, quaſi antiſcorbutico præditum, egregiè Mucum incidit & diſſolvit. Loco hujus Syrupi uſurpatur *Pulpa Paſſul. min.* cum *Sem. Eryſ.* ſubacta, vel eorundem *Decoctum.* Convenit etiam *Electuar.* ex *Scord. Salv.* & *Rad. Helen. pulv.* cum *Melle* ſubactis; item ipſum *Mel ſquilliticum.* Commendatur denique *Pulv. rad. Ari*, cum *an. Sacch. cand. addita Syr. Jujub.* inſtar *Eclegmatis.* Admodum etiam à nonnullis extollitur *ſuccus Braſſicæ.* Cæterùm experta ſunt ſequentia duo remedia, prius quidem in *recenti*, poſterius in *inveterata Raucedine.*

℞ *Hord. opt. non excort. Paſſul. min. enucleat. an.* ℥j. *Rad. Liquir. mund. & conciſ.* ʒij. *Caric. ping. N.* 6. *Herb. Capill. Vener. Hyſſop. an. M.* ß. *Sem. Braſſic.* ʒij. *Pinear. recent.* ℥ß. *F.* omnium decoctio in *Aqua fontana. Colaturæ* ſumantur ℥vi. ante ſomnum & in diluculo.

℞ *Succ. Braſſic. depur.* ℥ij. *Sacch. penid. vel Syr. de Eryſ.* ℥j. *cum Oxymel. ſquillit. q. ſ. f. Electuarium ſæpius lambendum.*

CAP.

CAP. III.

De Tuſſi.

FAmiliare expirationis vitium eſt *Tuſſis*, quæ fit, dum muſculi thoracem cingentes, & aerem ſic expellentes, non blando nec naturali modo ſubſident, ſed potius violenter ſimul contrahuntur, contractione quidem momentaneâ, ſæpius tamen reiteratâ; qua ratione ad motus convulſivos Pectoris, non autem veras Convulſiones, refertur *Tuſſis*. Cæterùm unà cum vehementi aëris eliſione, adeſt etiam ſtrictura aliqualis Laryngis ob irritationem, unde ille ſonitus, qui in *Tuſſi* obſervatur.

Pars affecta ſunt Nervi ac Muſculi, à ſpirituum impetu in motum convulſivum acti. Afficiuntur igitur hi à quavis irritatione; ac interdum quidem ex ſolis *ſpaſmis & motibus convulſivis*, tam ex primario Affectu, quàm ex conſenſu cum aliis partibus nerveis. Unde *Tuſſes* hæ *convulſivæ* dicuntur, ex ſimplici nervorum ſpaſmo, ſine vitio partium ſpiritalium, ortæ; ſuntque Hypochondriacis & Hyſtericis familiares. Frequentior autem eſt *Tuſſis*, quæ cauſam materialem, reſpirationis organa afficientem, agnoſcit, præſertim eam, quæ oritur ex ſenſu noxii, ſive mediatè ſive immediatè infeſtantis Laryngem à ſui principio uſque ad Pulmonis profunditatem. *Focus* autem cauſæ occaſionalis irritantis nunc in Pectore nunc in Stomacho obſervatur.

Differentia. 1. Ratione modi *Tuſſis* eſt vel *ſicca*, quoties magno labore nil excernitur, ſed fatigatur univerſum corpus *Tuſſi inani*, non raró cum Capitis, Hypochondriorum aliarumque partium dolore contundente ac plus minus lacerante, quâ ipſæ nunc Herniæ, nunc involuntarium urinæ aut alvi Profluvium excitantur:

vel *humida* eſt, quando concuſſionis illius ope humor per os excernitur. 2. Cauſæ irritantis ratione oritur *Tuſſis* vel ab *interna* vel ab *externa* cauſa. Utraque *Tuſſim* tam *ſiccam* quàm *humidam*, & quidem foci materiæ occaſionalis ratione vel *pectoralem* vel *ſtomachalem* excitare ſolet.

Tuſſis pectoralis ſicca oritur frequenter ab *externis inſpiratis*, v. g. aëre inclementi, aut fumis acidis mineralibus, qui aſperam Arteriam & Membranam pituitariam irritant & contrahunt, adeo ut ſimul adſit Pectoris anguſtia & ſenſus Pulmonum compreſſivus. *Tuſſis* hæc ex ſucceſſiva partis irritatæ læſione tandem *humida* evadit; ac materiæ primò ſeroſæ, dein mucoſæ expectoratio ſequitur. Colligitur enim lympha, ex irritatione tranſudans, in Larynge, Bronchiis, imò & in ipſo Pulmone; quæ pedetentim condenſatur in mucum viſcidum: & ſi gravior ſit læſio, tum partium ipſarum nutrimentum, ſucceſſivè alteratum, etiam ſub forma muci evacuatur. Hinc ordinariò duo tempora in tali *Tuſſi* diſtinguere ſolent; quando enim eſt *ſicca*, Tuſſim à Catarrho tenui & crudo eſſe aſſerunt; dum verò eſt *humida*, materiam coctam eſſe dicunt & evacuationi aptam. Malè autem *Catarrhus* ipſe ex capite tranſmitti fingitur; nullæ enim patent viæ; ſed in ipſis his partibus colligitur partim ex irritatione glandularum, partim ex degeneratione alimenti proprii, & debilitate ſpiritus inſiti. Oritur etiam non raró *Tuſſis pectoralis* ex vitio lymphæ acrioris & ſalſo acidioris, hincque *catarrhalis* dicitur, comitem habens Febrem catarrhalem, à meridie & veſperi vagis horripilationibus, ingruente verò nocte æſtu totius corporis præſertim capitis, non tamen adeo intenſo, vexantem, revertente autem dein aurorâ ceſſantem. Hinc non raró accidit, ut etiam ſub Æſtu illo febrili, artuum lancinationes & dolores vagi unà affligant, ex acido lymphæ, partes

tes nerveas vellicantis, oriundi. *Tuſſis* itaque hæc *catarrhalis*, quæ inprimis *nocturna* eſt, originem ducit ex lympha vel *ſalſidiore* vel *acidiore*, tam organa ſpiritalia irritante, quàm in maſſa ſanguinis Febrem talem plus minus lentam excitante. Non rarum quoque eſt, hanc *Tuſſim catarrhalem* ſæpè affligere ſine Febre. Ipſe autem *Catarrhus* non ex capite, ſed ex glandulis, poſt membranas pituitarias ſitis tranſudat. Obſervatur *Tuſſis* hæc *nocturna* frequentius in *Phthiſicis*, *Scorbuticis*, aliiſque, quibus Lympha vitiata eſt; & procedente ulterius malo exulceratur aſpera Arteria aut Pulmo; unde *Phthiſis* perfecta pulmonaris inſequi ſolet, & tandem pus genuinum tuſſiendo expectoratur. Lympha autem vitiata, *Tuſſis* hujus *nocturnæ* cauſa, radicem habet in Stomacho; ex defectu enim digeſtionis Chyli, ejuſque perfectionis in Inteſtinis, generatur Chylus ſalſus aut acido-ſalſus, qui ſui labem mediante lymphâ variis partibus, & hoc in caſu Pulmoni affricat. Exacerbatur autem hæc *Tuſſis*, uti & omnes Affectus lymphatici, remittente die; forſan, quia tum temporis minus procedit Tranſpiratio inſenſibilis. Ad has *Tuſſes catarrhales* pertinent etiam *Tuſſes*, in principio *Variolarum* & *Morbillorum* præſentes, item quę à *Scabie*, *Tinea*, aut *Achoribus* repulſis naſcuntur. Ad *Tuſſes pectorales* referuntur etiam *humidæ* iſtæ poſt Febres ardentes præſertim minùs acutas contingentes, in quibus natura materiam coctam ex vaſis ſanguineis in Pulmones deponit, & ita copiosè *Tuſſi* mucilaginoſa rejicit. Ejuſdem ſpeciei ſunt iſtæ in *Pleuritide* obſervatæ, in principio *ſiccæ*, procedente tempore ex lympha & ſanguine miſtis *mucoſæ*, & ſuppuratâ *Pleuritide* purulentæ.

Ne autem confundatur *Tuſſis pectoralis* cum *ſtomachali*, in ſpecie conſideretur 1. Locus irritationis: ſi enim Æger profundiùs reſpirare juſſus, mox tuſſire incipiat, vitium eſt in Pectore & Pulmonibus; ſecus ſi

in Stomacho. 2. Reſpiratio circa ſuperiora pectoris loca magis impedita, *Tuſſim pectoralem* eſſe indicat. 3. Sonitus etiam locum indicat. 4. Adjuncta quoque ſymptomata ſimul conſideranda ſunt; ſanè ubi magis noctu affligit, aut Febricula ſimul adeſt nocturna, *Tuſſim pectoralem* oſtendit.

Quoad *Tuſſim ſtomachalem*, certum eſt hanc frequentiorem eſſe; quando nempe occaſionalis fomes in Oeſophago & Stomacho latitat, & hinc mediatè aſperam Arteriam affligit; ſive quatenus Diaphragma ab affecto orificio Ventriculi ſuperiore vellicatur, ſive quòd ſimul Oeſophagus vellicatus contiguam ſibi aſperam Arteriam per conſenſum afficiat, ac in *Tuſſim* proritet. Quando *Tuſſis furibunda* eſt, in qua vix aliquid egeritur, licet cum ſummo conatu tuſſiant, tum ſemper deliteſcit in Ventriculo materia ſalſa & tenuis. Sanè pleræque *Tuſſes* originem ducunt ex materia vellicante in rugis & orificio ſuperiore Ventriculi. Quod confirmat quotidiana experientia, obſervamus enim, *Tuſſes ſiccas*, ſubinde ſatis vehementes, mitigari, quoties *Aqua vitæ*, aut aliud ſpirituoſum acrius gulam tranſit, etiamſi non intret aſperam Arteriam. Adeo ut frequentes ſint *Tuſſes ſtomachales*, tam *ſiccæ* quàm humidæ, tum ex *cauſa interna* tum ex *aſſumptis*. Hujus notæ ſunt *Tuſſes* illæ in principio paroxyſmorum Febrium intermittentium, quæ ſequuntur motum fermenti febrilis in Stomacho & in primis viis, uti & *hypochondriacæ*, & illæ, quas quidam contrahunt, dum in lectis aëri liberiori regionem ſtomachalem exponunt.

Tuſſes ſtomachales ſiccæ ferinæ oriuntur à materia ſalſa, acri, præſertim tenui, pertinacius orificium ſuperius affligente. *Humidæ ſtomachales* oriuntur interdum, ſed rarius, ex prægreſſo errore diætæ aut digeſtionis, & hinc congeſto muco ſalſo, qui ex profundo excernitur, elevatâ regione ſtomachi. Sed frequentior *Tuſſis humi-*

humida fit ex læſione membranæ pituitariæ poſterioris, ſive ab aëre externo ſive à lympha acriore. Talibus enim occaſionibus per hanc membranam copioſè lympha ſpiſſior, & junctim ſimul nutrimentum ejuſdem proximum, pedetentim per œſophagum deſtillat, orificium Ventriculi ſuperius vellicat, & hinc primitùs *Tuſſim ſiccam*, dein *humidam ſtomachalem*, non rarò ſuperveniente vomitu pituitæ vel alimentorum ingeſtorum, concitat. Eſtque hæc *Tuſſis*, quam communiter Ægri dicunt eſſe *catarrhum* ex capite depluentem, cujus defluxum per fauces exactè ſentiunt.

Diagnoſtica. Cognoſcitur *ſtomachalis Tuſſis*, ex loco ubi primò ſentiunt tuſſiendi ſtimulos, ex ſonitu profundiore quàm in pectore, ex vomitu item Tuſſim concitante, & adjunctâ Anorexiâ. Si ſubſit catarrhale vitium, veſpertino tempore exaſperatur. Si Senes, ſine occaſione inſpirati aëris, copioſa viſcida per *Tuſſim* excernant, ac ſimul conquerantur de dolore plus minus compreſſivo circa ſcrobiculum cordis, *Tuſſis* eſt revera *ſtomachalis*, nata ac ſuſtentata ex defectu digeſtionis. Arthriticorum *Tuſſis* humida cum ſenſu moleſto circa ſcrobiculum cordis, ac difficili plus minus inſpiratione, & superveniente Podagra quaſi ſponte evaneſcens, revera *ſtomachalis* eſſe videtur. Cæterùm ſubinde complicantur hæ *Tuſſium* differentiæ; *ſtomachalis* nempe, *humida* cum *pectorali*, & frequentiſſimè *Tuſſis humida* cum *Tuſſi convulſiva*.

Prognoſis. *Tuſſis* à cauſa externa eſt abſque periculo: Si verò crebrius affligat in Subjecto, quod debiles habet pulmones, aut quod lymphâ, ſero aut ſanguine ſalſioribus ac acrioribus eſt præditum, *Phthiſin* pulmonalem vel *Hæmoptyſin* inferre poteſt. *Tuſſis* capiti & oculis nocet: *ferina* autem Infantibus & adultis Maribus Herniam, Prægnantibus Abortum minatur. *Nocturna catarrhalis* & *pectoralis* prodromus eſt Phthiſeos.

Tuſſes Senum diuturnæ non maturantur. In Scorbuticis frequentiores Phthiſin introducere poſſunt. *Tuſſis humida* in declinatione Febris continuæ, ritè expectorans, bona eſt; ſin minus excreent Ægri, *Hecticæ* periculum infert.

Cura. Ante omnia attendendum, an *Tuſſis* ſit morbus primarius, an verò ſecundarius, v.g. Phthiſicorum, Pleuriticorum, &c. nam hæc primarium morbum ſequitur. Si motus materiæ deficiat, ut in Phthiſicis, promoveatur expectorantibus; ſi ſit nimius, ut in *Tuſſi ferina* crebrius inani, inhibeatur. Aliàs materia medica in *Tuſſi* tribus ferè generalibus capitibus abſolvitur, *ſcil. Incraſſantibus*, *opiatis* nempe ac *temperatis*, quæ irritationis ſenſum ſiſtunt, acre vellicans mitigant, & ita materiam vellicantem ad conſiſtentiam moderatam pro meliore expectoratione diſponunt: *Incidentibus*, quæ in *Tuſſi humida* mucum glutinoſiorem pro meliori expectoratione diſponunt, attenuant, ac mobiliorem reddunt: & *Balſamicis vulnerariis*, quæ noxiam excoriationem Bronchiorum, aut Stomachi emendant, ut ſic ulteriores progreſſus maturè inhibeantur.

His ita præmiſſis 1. *Tuſſis pectoralis ſicca*, ſi fuerit *recens*, & à *cauſa interna* inducta, hâc tantiſper remotâ vel correctâ, *opiatis* paulatim ſedatur. Præſervat ab aëre inclementi *Balſamus apoplecticus*, largiter naribus illitus; à mineralium fumis, *panis* comeſtus largiter *Butyro* illitus. *Theriaca*, ſudorem expectando, aliqualem noxam promptè elicit. Si *Tuſſis nocturna* ſit & *catarrhalis*, curatur præmiſſo Vomitu, per volatilia ſudorifera opiatis miſta, veſperi inprimis aſſumenda, v. g. *Spir. ſal. ammon. aniſat. Liquor C.C. ſuccin.* cum *Eſſent. Opii* miſtus, modò adſit Febris; citra *Febrem* optimæ ſunt *Pilulæ de Styrace Sylvii* vel *Schröderi*. Item præter *opiata* ac *papaverina temperata*, *incraſſantia* dicta, ex *Rapis*, *Violis*, *Jujubis*, *Succino*, *Benzoe*, *Spermate Ceti*, *Flor. Sulphuris*, &c.

&c.parata:nec non *Ficus* cum *ſpiritu vini* combuſtæ; *Species diaireos* uſitatæ, *Pulveres pectorales* varii,&c. v.g.

℞ *Aq. Fœnic.* ℥iij. *Aq. aſthmat.* ʒvi. *Diacod. Montan.* ℥ß. *Miſc. capiatur cochleatim.*

℞ *Syr. de Jujub. Papav. ſimpl. an.* ℥ß. *Aq. Papav. rhœad.* ℥j. *m. pro* 2. *doſ. bihorio ante cœnam & ſub introitu lecti ſumendis.*

℞ *Spec. Diair. uſitat.* ʒi. *Flor. Sulph.* ʒß. *Laud. opiat. gr.* iij. *m. f. Pulv. pro* 3. *Doſ.*

℞ *Spir. Sal. ammon. aniſ. vel Tinctur. Sulph. Williſ.* ʒii. *Eſſent. Opii* ʒß. *m. Doſ. gut.* 40 *vel* 50 *ante introitum lecti.*

℞ *Aq. Scabioſ.* ℥iij. *Liq. C.C. ſuccin.* ʒj. *Syr. Papav. alb.* ʒvi. *m. capiatur crebrò in* Tuſſi ſicca *cum* Febricula catarrhali, *imminente paroxyſmo, & poſt mediam noctem, expectando ſudorem.*

℞ *Conſerv. Tuſſilag.* ʒß. *Laud. opiat. gr.* j. *m. f. Bolus, bihorio ante cœnam ſumendus.*

2. *Tuſſis humida pectoralis* curatur materiæ irritantis *evacuatione*, adeoque *per incidentia, expectorantia* dicta, interpoſitis præſertim *Vomitorio* vel moderato *Purgante* (nam *Tuſſes pectorales* à *purgantibus fortioribus* ſolent exaſperari) deinde per *pectoralia vulneraria*, noxam tollentia & recidivam præcaventia. Pro 1. ſcopo faciunt *Gum̃ata*, in ſpecie *ammoniacum, Spir. aſthmaticus, Syr. Nicotian. Oxymel, Succus Raphani, Electuarium ex Melle* cum *Scordii & Helenii pulvere*, & in genere omnia ea, quæ in *Aſthmate humido* & *Raucedine inveterata* commendata fuerunt. Pro poſteriori ſcopo conveniunt *potiones pectorales* ex *Tuſſilag. Heder. terr. Sigillo Salom. Scabioſ. Helen. Veron. Lign. Saſſafr.* Item *Sulphure, Benzoe, Balſ. Sulph.* &c. paratæ. In *Purgantiũ* claſſe nota ſunt *Vomitoria*, nunc per ſe pro *evacuationis* ſcopo danda, nunc *potionibus pectoralibus* ad promovendam expectorationem in minuta doſi addenda. Per inferiora commodè pur-

gant *Pill. de Hier.* cum *Agar.* addito *Gum. ammon.* & *Merc. dulc.* In *Tuſſi humida opiata* non conveniunt, quia materiam ſpiſſiorem reddunt, & *expectorationem* impediunt. In fine tamen, ubi maximam partem evacuata eſt mucilago, & ſupereſt crebrior *Tuſſis* inanis, ſæpius repetens antequam aliquid ejiciatur, ad veſtigia læſionis delenda commodè cum aliis *papaverina* miſcentur. In *Tuſſi pectorali* à lympha acri commendatur ℈i. *flor. Sulphur.* in ovo ſorbili quovis mane exceptus. Pro omnibus his caſibus ſufficient ſequentes formulæ.

℞ *Aq. Hyſſop. Tuſſilag. an.* ℥ii. *Syr. de Tuſſilag.* ʒvi. *Syr. Nicotian.* ℥ß. *Oxymel. ſquillit.* ℥i. *Aq. aſthmat.* ℥ß. *m.* Detur cochleatim.

℞ *Aq. Hyſſop.* ℥iii. *Aq. aſthmat.* ʒvi. *Gum. ammoniaci aceto ſolut.* ʒi. *Syr. Nicotian.* ʒvi. *M.* Capiatur per cochlearia.

℞ *M. P. de Hiera cum Agar. gr.* xv. *Gum. ammon. acet. ſolut.* ℈ß. *Extract. Troch. alhand. gr. j. cum ſ. q. Ol. deſt. Aniſ. f. Pillulæ pro ſcopo purgandi*, dandæ pro doſi.

℞ *Aq. Scabioſ.* ℥iij. *Aq. aſthmat.* ʒvi. *Flor. Sulph.* ʒß. *Diacod. Montan.* ℥j. *m. Detur in fine Tuſſis humidæ* cochleatim.

℞ *Rad. Ireos Florent.* ʒij. *Flor. Sulph.* ʒi. *Ol. deſtill. Aniſ.* ʒß. *Ol. deſt. Fœnic. gutt.* xv. *Sacch. cand. alb.* ℥iii. *m. f. Pulvis ſubtilis in declinatione mali dandus. Vel fiat Elect. ex Pulp. Paſſul. min. flor. Sulph. & Syr. Papav. alb.*

℞ *Herb. Marrub. Hyſſop. Tuſſilag. Pulmonariæ, an. m.* ß. *Veron. Heder. terreſtr. an. m. j. Flor. Scabioſ. Helen. an.* P. ij. *Rad. Ireos flor. Helen. an.* ʒvj. *Sem. Cartham. contuſ.* ʒvj. *Mechoacan. albiſſ.* ℥ß. *Paſſular. minor.* ℥j. *f. Decoctum pectorale in Aqua vel Hydromel. bis terve de die uſurpandum. Conducit etiam Decoctum Lign. Saſſafr. cum aliis vulnerariis.*

3. *Tuſſis ſtomachalis ſicca ferina* curatur, præmiſſo *Vomitorio*, tantillis temperatis aſſumptis, v. gr. decocto

Rad.

Rad. Helen. cum *Uvis corinth.* in *Vino hiſpanico*, poſt co-ctionem fortiter expreſſo, addito *Diacodio* & *Eſſentiâ Opii.* Conducunt itaque *opiata* & *temperantia* ſupra in *Tuſſi ſicca* laudata.

4. *Tuſſis ſtomachalis humida* curatur, præmiſſo Vomitu, *aromaticis* nonnihil *temperatis*, reliquias attenuantibus & Stomachi tonum reſtaurantibus, v.g. *Elixiri Menth. Elix. Propr. Tincturâ Tartari acri* cum *Spir. Sal. ammon. aniſ. Syr. Diacod. Malvat. Juniperino Ficubus Spiritu Vini* maceratis, hunc poſtmodum deflagrando. Quin etiam præmiſſis præmittendis in tali *Tuſſi* aliquando *Liquor. Terr. fol. Tart.* item *Tinctur. Mart.* pro debita rugarum Stomachi extenſione proficua obſervavi.

Non omittenda eſt *Sudoriferorum* utilitas. *Decoctum Guajaci* materiam Pulmonibus impactam mirè attenuat & evacuat. In *Tuſſi chronica*, præſertim *ſiccâ pectorali*, à Lymphâ acri oriundâ, optimè conducunt *Decocta Ligni Guajaci, Saſſafras* aut *Chinæ* cum *Paſſulis*. Ratione *Faucium*, ab acriori lympha quaſi *inflammatarum*, conveniunt blandè dulcia pedetentim deglutienda, quæ partim Fauces leniunt, partim pro expectoratione lubricant. Talia ſunt *Syr. Scabioſ. Viol. Jujub. Liquirit.* inprimis *Diacod.* cum *baculo Liquiritiæ* ſæpiùs lambenda.

CAP. IV.

De Catarrho ſuffocativo.

QUæcunque reſpiratio ſubitò difficilior reddita, & ſuffocationem plus minus minitans, inprimis cum Tuſſi ſiccâ ſubinde conjuncta, *Catarrhus ſuffocativus* dicitur. Adeo ut *Aſthmata occulta* interdum recurrentia, & *humoroſa* inprimis veſperi affligentia, ſub hunc cenſum veniant. *Catarrhus* dicitur ex præconcepta fal-

ſa opinione, quaſi ex capite flueret. Revera autem complicatus eſt Affectus ex *Aſthmate* præſertim *ſicco*, *Tuſſi* & *Raucedine*. Cæterûm *Catarrhi ſuffocativi putatitii*, *Aſthmati convulſivo* contradiſtincti, triplicem pono differentiam.

1. Ex Pulmonibus ab hoſtili acido vel inſpirato vel intus genito irritatis, & proprias fibras fortius ſtringentibus; adeo ut immineat *Suffocatio*, non prius ceſſans, quàm lymphæ uberioris irrigatione irritans illud abſterſum fuerit, & ex eorum mutuo coalitu concretum mucoſum expectoretur. Remanet interea veſtigium in fibris, ita ut levi occaſione *Spaſmum* denuo minetur. Talem Affectum obſervavi in Muliere ex fumorum ſulphureorum elevatione, ſub aſſatione Alaudarum, genitum, ubi acidum viſcidum ex Butyro & Alaudæ pinguedine incenſis exhalans & inſpiratum, aſperæ Arteriæ cuneos, & hinc Pulmones tam acrimoniâ quàm adhæſione glutinoſâ irritavit; unde Tuſſis ſicca, hinc ex irritatione uberior lymphæ affluxus, & ab utriſque gravior irritatio & ſtrictura fibrarum. Duravit hoc, donec fuligo illa adhærens lymphæ & nutrimenti proprii affluxu abſterſum fuerat; & ex utriſque concretum novum, ob moram & exactam miſtionem ſpiſſum candidum & glutinoſum genitum, excretum erat. Sed ex læſa nutritione Pulmonum, & fibrarum facili contracturâ, manſit veſtigium, adeo ut levi occaſione revocaretur priſtinus Affectus. Huc pertinere videtur Infantum quorundam *Catarrhus ſuffocativus*, *Epilepſiæ* motui junctus, ſed cum levi vel nulla *Tuſſi*; conſtringitur nempe Pulmo, ita ut ſanguis non debitè circuletur, & facies rubicunda fiat: Cui præcedere ſolet per aliquot dies *Raucedo levis*, vel *Tuſſicula*. Uti proin talem Affectum in Adultis *opiata* & *attemperantia*, vulgò *incraſſantia* dicta, optimè levant, etiam in paroxyſmo; ita & talibus Infantibus *thoracica*, inprimis

Sper-

Sperma Ceti; &c. in vehiculo calido propinata obſervantur proficua: cùm contrà *Aſthmata humida*, item *Tuſſes humorales*, præſertim ex Stomacho, in Infantibus non raræ, inprimis per *Nicotianam*, item per blanda *emetica* curari debeant.

2. & 3. Differentia *Catarrhi ſuffocativi* revera eſt *Laryngis Catarrhus* ad *Bronchum* pertinens; ſi enim Larynx afficiatur vel ex proprio vitio, vel ab aliquo extrà Laryngi & Epiglottidi incumbente, ſequitur pertinacior ſtrictura ad inſtar *Catarrhi ſuffocativi*. Notum eſt ab Aquæ guttula, vel panis miculâ *Laryngem* ingreſſâ, maximè irritari *Laryngem*, & pertinaciter ejus rimulam ab *Epiglottide* occludi; & quo diutius fit iſta irritatio, (quæ ex quacunque cauſa fieri poteſt) eo plus muci poſtmodum excernitur. Cæterùm *Cauſa* reſpectu Laryngis eſt vel *interna*, affluxus nempe ſeri & lymphæ acrioris; vel *externa*, lympha nempe viſcidior ex membranâ pituitariâ poſteriore ad Fauces delata, Laryngem quaſi inviſcans & Epiglottidis liberum motum impediens, unde jungitur materiæ viſcidæ ſcreatus. Sic ex aëre inclementi, Tuſſi diuturnâ, & frigore ſub ſomnum ſuſcepto, hujuſmodi Catarrhi orti ſunt: atque evaneſcente paroxyſmo, remanſit aliquot dierum Febris lenta, Tuſſis frequens, & pedetentim muci copioſi excretio atque ſic morbi ſolutio. *Cura* plana eſt; nempe ſi ſit *Catarrhus Laryngis* à cauſa interna, curatur eodem modo ac *Raucedo recens*, vel *Tuſſis nocturna ſicca*; v.g. per *Opiata incraſſantia* & acrem lympham *temperantia*, præmiſſo, ſi opus fuerit, *Vomitorio*. Si malum eſt à *Cauſa externa*, curatur ut *Aſthma humoroſum* vel *Tuſſis humida ſtomachalis*, nempe per *Vomitum*, deinde *attenuantia* & mucum viſcidum *incidentia*, *v.g. Succ. Raphan. Syr. Nicotian. Spir. aſthmat. Oxymel. ſquill. &c.* Patet itaque, in paroxyſmo & ſiſtendo & præcavendo primatum obtinere *opiata*, *anodyna* & *temperantia*; ſopiunt

piunt enim ſpiritus, quorum impetu humores in partem ferantur, & in parte ipſa irritationis ſenſum tollunt, ejuſque inchoatos ſpaſmos curant. *Clyſteres acriores*, quantumvis uſitati, nil valent, niſi per accidens, quatenus primas vias evacuant, & Abdominis viſcera in motum concitant, adeoque pectoris anguſtiam ex indirecto levant. *Venæſectio* item *per ſe* nil prodeſt, niſi impediatur Pulmonum motus reciprocus, & gravior ſit ſanguinis in illis ſtagnatio. Fruſtrà etiam Capiti, Nuchæ & Vertici applicantur *Balſama*, *Emplaſtra*, &c. cum non ſit in Capite mali radix. *Veſicatoria* item nil præſtant, niſi *per accidens*, ubi *Aſthmatis convulſivi* quidpiam adeſt, quo in caſu brachiis applicari poſſunt. Cæterùm in Subjecto phlegmatico *Fonticuli* non malè admittuntur.

Accedit & 4. Differentia, quæ nil aliud eſt, quàm *Suffocatio ſubitanea* à ſanguine in Pulmonibus ſtagnante. In hoc caſu adſunt *Gravedo*, *Dolores pectoris*, *Difficultas reſpirandi*, *vox ferè amputata*, *periculum ſuffocationis*, *anxietas*, interdum *Tuſſis* (quando nempe vaſa Laryngis ſimul lympham uberius effundunt) *pulſus tardior* & *rarior*. Differt autem ab *Apoplexia*, quod in hac æger benè adhuc ſpiret & anima cum ſpiritu feratur. In *Apoplexiâ* certè *leviori*, abolitis cæteris actionibus, non adeſt magna reſpirandi difficultas; & in graviori vix ulla ſunt vitę indicia, ſi excipias pręſentis adhuc reſpirationis ſigna. Adeo ut *Catarrhus* talis ad *Peripneumoniam* magis accedat. Adeſt præterea in eo ſpuma, quæ ex Pulmonibus oriri videtur; & interdum mucus, qui nil aliud eſt, quàm Lympha paulo viſcidior, ex Larynge tunc uberiùs emulcta, in tantis anguſtiis, mediante crebriori reſpiratione, cum aëre foras protruſa. *Cauſæ* hujus ſtagnationis *remotæ* ſunt variæ, inprimis aëris vitia, ratione cujus *epidemicus* & *malignus* interdum inducitur *Catarrhus*. *Cauſæ* propinquiores ſunt 1. Sanguis nimis abundans,

dans, majus ſpatium in Pulmonibus occupans. 2. Sanguis chylo crudiori impregnatus, & ad motum tardior. 3. Sanguis ab acido vitioſo, inſpirato aere frigido, Olei Sulphuris in Canis venam injectione, &c. coagulatus. *Cura.* Promoveatur ſanguis per Pulmones, vel ejus quantitatem minuendo, vel eundem attenuando, vel coagulum ſolvendo. Ferè ſemper neceſſaria eſt *Venæſectio*, nam nil magis motum circularem accelerat. Unde etiam *Cucurbitulæ* cum ſcarificatione hinc inde applicandæ. *Clyſtere* quoque *acriori* eluatur Alvus. Interea remedia ſunt *Aquæ aſthmaticæ* & *pectorales ſpirituoſæ*, *anodynis* mitioribus miſtæ. Egregium autem eſt *Sperma Ceti ad* ℈ß. in vehiculo calido. Forſan etiam hic locum invenit *Miſtura Sylvii*, quam habet in *Praxeos L.*1.p.280. Quod ſi Tuſſis & materiæ per Laryngem tranſudantis ſuperveniat rejectio, declinante paroxyſmo, commodè etiam leniter *expectorantia* uſurpari poſſunt. Sed de his vide *Schneiderum*, in Libr. *de Catarrhis*.

SECT. XV.

De Sanguinis motu per Cor vitiato, adeoque hujus Pulſu læſo.

CAP. I.

De Virium Languore & Syncope.

Vitiatur Cordis motus 1. Quando deficit in *virium Imbecillitate* & *Animi deliquiis*. 2. Quando auctus eſt, nimiſque impetuoſus in *Palpitatione Cordis*. 3. Quando depravatur in *Febribus*.

Virium

Virium imbecillitas non ſolùm quibuſdam nativa eſt, ſed etiam variis ex cauſis ſupervenit: In qua languidi ſunt Ægri, tardi ad motum, membra ponderoſiora & torpida, pulſus parvus & debilis, quandoque per intervalla certa aut incerta intermittens,&c. Concurrunt ſimul ſenſuum, tam internorum quàm externorum vacillatio, item motus corporis plus minùs languens. Cæterùm præter talem virium imbecillitatem,ſucceſſivè Ægros affligentem, obſervatur etiam nonnunquam *ſubito ingruens Virium proſtratio*, non tamen diu permanens, per intervalla tamen ſubinde recurrens.

Hujus *ſubitaneæ Virium proſtrationis* tres ſtatuuntur gradus. 1. *Lipothymia*, in qua præter pulſum minorem & debiliorem, ſenſus ſimul externi & interni obfuſcantur, & motus animalis, tàm voluntarius quàm & quodammodo naturalis plus minus aboletur, ita ut Reſpiratio obſcura aut ferè nulla obſervetur. 2. *Syncope*, quæ gravior eſt ſpecies; in qua ſubitò concidunt Ægri, pulſus mox nullus & nulla reſpiratio obſervantur,corpus friget & pallet, interdum Urinæ & Alvi excrementa ſponte effluunt. 3. *Aſphyxia*, in qua eadem Symptomata, ferè graviora, obſervantur.

Debilitas virium repentina fit *remotè & fundamentaliter* vitio ſanguinis, *formaliter* verò & *effectivè* vitio ſpirituum, vel *vitalium* in ſanguine, vel *animalium* in ſyſtemate nervoſo. Obſervandum autem, hos *ſpiritus* à ſe invicem dependere, ita ut *vitalibus* peſſum euntibus eclipſentur *animales*,ſicut his evaneſcentibus cordis ac ſanguinis, nec non ſpirituum vitalium motus itidem ceſſant: *prius* in ſuſpenſis, *poſterius* in *Apoplexia* forti manifeſtum fit. Ex dictis clarum eſt, quòd *cauſa virium imbecillitatis omnis* ſit deficiens ſanguinis in pulmonibus & ſiniſtro Cordis ventriculo turgeſcentia ac ſpirituaſcentia, unde hujus reſpectu pulſus minores & rariores,

riores, ſicut ex hinc dependente ſpirituum animalium moventium defectu debiliores exiſtunt.

Cauſa remota conſiſtit in vitiatâ craſi ſanguinis, ſpeciatim in deficiente acrimoniâ ſalis volatilis urinoſi, oleoſi, cui contrà non rarò ſupervenit acidi vitioſi exaltatio. Horum cauſa in cruditate Chyli plus minus acidâ primariò latet. Hinc eſt, quòd poſt morbos acutos curatos, ex nimia alimentorum aſſumptione, languores adhuc superveniant, quodque in Scorbuto vires ſubinde ſint adeo imbecilles, quoniam ex vitioſo acido ſanguinis fermentatio & ſpirituaſcentia imminuitur, unde ſpiritus animales pauciores ſunt, & functionibus ſuis non ſufficientes. Obſervatum eſt etiam, ab odoribus ingratis nonnunquam Syncopen induci, item ex odore *Zibethi*, vel *Moſchi* in Hyſtericis, ex præſentia rei, *v. g. Felis*, &c. quam ex idio-ſyncraſia quidam horrent; ex affectibus etiam fortioribus vel ſubitaneis, *v. g. gaudio*, *terrore*, imò & ſolâ *imaginatione rei horrendæ*; ex *nimia ſanguinis* aut *ſeminis effuſione*, *nimio ſudore*, *nimia aquarum hydropicarum evacuatione*, *puris ex thorace emiſſione*, *ſubitaneâ mutatione ex aëre calido in frigidum*, *ingurgitatione potus frigidi poſt inſignem æſtum*, *veneno aut intus aſſumpto aut extrinſecus per morſum*, &c. *applicato*, *nimio corporis motu ac defatigatione*, & tandem in iis, qui ſunt rarioris texturæ, ex graviore *dolore*. Faciunt huc *Abſceſſus Cordis* & partium vicinarum rupti, qui periculoſas dant *Syncopes*. Sanguinis quoque habenda eſt ratio,. qui aut nimis parcus, aut pure vitiatus, aut ſubitò coagulatus, ſpirituaſcentiæ debitæ ineptus evadit, & exinde neceſſarium Spirituum animalium & vitalium commercium intercipitur. Porrò epilepticis Paroxyſmis, & aliis Affectibus convulſivis gravioribus, ſubinde junctum ſymptoma *Syncope* eſt. Inprimis conſiderari meretur *Syncope ſtomachica*, ex lacte coagulato, eſu Fungorum, aut acribus ſuccis,

præ-

præſertim æruginoſis, orificium Ventriculi ſiniſtrum gravius infeſtantibus: frequens enim eſt hæc *Syncope ſtomachica*, nunc *per ſe* ex contentis ſtomachi, nunc *per conſenſum* cum affectis partibus ſtomachum afficientibus, & tales Syncoptici, præter inexplicabiles circa Stomachi regionem moleſtias (quæ omnem fere *Lipothymiam* comitantur) ſub imminente *Syncope* ſentiunt Vertiginem & Caliginem oculorum; unde ſic animo delinquunt.

Ex dictis patet, cauſas *Syncopes* proximas eſſe aut Spiritus *vitales* ſubitò deficientes ob ceſſantem ſanguinis fermentationem ac circulum, aut *animales* ſubitò in motu deficientes, unde quaſi abrupti movendo cordi minus inſervire poſſunt. Omnes enim cauſæ modò dictæ vel Sanguinem & *Spiritus vitales* afficiunt, vel *Spiritus animales* in motu ſuo alterant, ita ut 1. Vel in motu deficiant, *v.g.* in *ſubitaneo Terrore*: vel 2. diſſipati evaneſcant: Vel 3. in motu quaſi exorbitent, & ex irritatione indeque natis *ſpaſmis* Cor in continuâ ſyſtole detineant, quod in *Morbis convulſivis* non rarò contingit. Patet itaque, quaslibet evacuationes, mutationes ſubitaneas aëris, ſanguinis quaſcunque inſignes aut in craſi àut in motu locali alterationes, *Syncopen* inducere, *ſanguinem & ſpiritus vitales afficiendo*: dolores autem, odores graves, præſentiam objecti ex idioſyncraſia hoſtilis, gaudium nimium, & illa quæ Stomachi orificium, cum univerſo nervorum ſyſtemate conſentiens, afficiunt, *Syncopes* excitare, *Spiritus animales* diſſipando & abrumpendo.

Prognoſis. Sine cauſa manifeſta languidi in Morbos inclinant; reconvaleſcentes, præſertim à Morbis acutis, diu languidi vel Cachexiam vel Recidivam incurrunt. In morbo quocunque præter manifeſtas cauſas, mox ſuperveniens ſumma virium proſtratio maligni Morbi ſignum eſt. Si Ægri poſt exhibita ſpirituoſa,

poſt

poſt irrorationem faciei cum frigida, poſt Ptarmica, ad ſe non redeunt, ſummum periculum portendit. Sudor frigidus ſuperveniens, quo copioſior & frigidior eò pejor: eſt enim nil aliud quàm mucilago rorida nutritiva partium ſubcutanearum, quæ Syncope reſolutâ, ſpontaneo motu per poros, ob reſolutum fibrarum tonum hiantes, emanat.

Cura. In *Languore ſucceſſivo* conveniunt inprimis *aromatica*, & acrioribus particulis ſalinis, præſertim oleoſis turgentia, quæ acidum corrigunt, bilem acuunt, Ventriculum reſtaurant, ſanguinis glutinoſitatem attenuant, & ejuſdem fermentationem promovent. Pertinent huc *Vina hippocratica*, *Noduli ex aromaticis Vino infuſi*, *Salia volatilia oleoſa*, *Elix. propr. Aquæ apoplect.* & 600. alia, mane, meridie, ſub introitu lecti, vix autem ſub ipſo paſtu uſurpanda.

In *Syncope* & *Lipothymia* præſtantiora requiruntur remedia, habitâ tamen ſemper ratione cauſarum antecedentium. Ratione ſpirituum deficientium conveniunt *volatilia penetrantia*: ratione deficientis motûs ſpirituum animalium, conducunt ea, quæ partes ſenſiles tam internas quàm externas fortiùs vellicant, & ita ſpiritus animales in motum debitum revocare valent: ratione ſpirituum aut facilè diſſipabilium, aut in motus convulſivos pronorum, conveniunt ea, quæ ſpiritus quodammodo figunt, & convulſivum eorum impetum ſiſtere valent. Remedia igitur ad tres claſſes revocari poſſunt. 1. *Spirituoſa ſulphurea* ac *oleoſa*: quo pertinent *Spiritus inflammabiles* per *fermentationem* parati; *Spiritus* & *oleoſa deſtillata aromatica ſuaveolentia* (quæ tamen Mulieres quædam, imò & Mares literati aut rariore texturâ præditi, non commodè ferunt) *Aq. & Ol. Cinnamom. Spir. Lil. conval.* vel *Theriac.* vel *Roſar. ambrat. Eſſ. Ambræ* cum *ſpir. Roſ. parat. Eſſent. Croc. Quinta Eſſentia Meliſſ. Angelic.* &c. tam internè, quàm externè uſur-

pata. 2. *Spiritus ſalini volatiles acres urinoſi*, inprimis *oleoſi* redditi, v. g. *Spir. Sal. ammon. oleoſus aniſatus*, aut *fœniculatus*, *Spir. C.C. Liq. C.C. ſuccin.* quælibet ex *Succino* parata remedia volatilia, & *Elix. vit. Matth.* cum *Sale Viper.* diſſoluto. 3. *Acida volatilia acria*, v. gr. *Vinum*, *Acetum deſtill. Acetum theriacale, caryophyllat. rutac.* In *Aceto* infuſum *Caſtoreum*, *Succus citri*, &c. quæ partim ſenſuum organa potenter afficiunt, partim ſpirituum diſſipationem præcavent. His addi poſſunt *Opiata v.g. Laudanum* in parvâ doſi, *Theriaca*, *Mithridat. Extract. Theriac.* &c. quæ certè Spirituum aut diſſipabiliorum, aut in motus convulſivos pronorum impetum ſiſtunt. Quoad externa, naribus, temporibus & labiis affricantur eadem ſpirituoſa; ſicut & *Spir. ſal. ammon. Acetum vini* vel *florum Tunicarum* naribus adhibentur. Ex dictis variæ concinnari poſſunt formulæ, *v. g.*

℞ *Aq. Meliſſ. cum Vino* ℥iii. *Syr. flor. Tunic.* ʒvi. *Conf. Alkerm.* ʒi. *Quint. Eſſent. Matth.* ʒiii. *M.* detur cochleatim.

℞ *Aq. Cord. Herc. Saxon. Aq. Cinnam. Borrag. Aq. Meliſſ. cum Vino an.* ℥i. *Spir. Theriac. ſimpl.* ℥ß. *Elix. Citr.* ʒvi. *Eſſent. Ambr.* ℈i. *Syr. de cort. Citr.* ℥ß. *M.* Capiatur ſubinde cochleare plenum.

℞ *Aq. Meliſſ. & Fœnicul. an.* ℥iß. *Liq. C. C. ſuccin.* ʒiß. *Syr. Fœnic.* ℥iii. *M.* Sumatur per cochlearia.

℞ *Ambr. gryſ. gr.* vii. *ſolve in Ol. Cinnam. & Cardam. an. gut.* viii. *adde Extract. Lign. Aloes.* ℈ß. *Margar. præp.* ℈i. *Sacch. cand.* ℥iß. *M.* & ſumatur hinc per vices, quantum cuſpis cultri admittit.

In ſpecie quoad cauſarum varietatem ſubinde varianda cura: v. g. in *Syncope ſtomachica*, ubi nauſea & ſimilia ſymptomata urgent, confert Vomitus: in hoc enim caſu ſpiritus non tam reſoluti, quàm oppreſſi aut inordinatè agitati, per vomendi conatus excitantur. In ipſo autem vomitionis actu, ne animo delinquant,

odores

odores penetrantes, inprimis *Vini generoſi*, naribus admoveri ſolent. Quod ſi *Vomitus* non æquè tutus videatur, injiciatur *Clyſma* paulò acrius. Si ex Veneno ſit *Syncope*, præter *alexipharmaca* & *appropriata* convenit etiam *Vomitus*, ſi in primis viis *Venenum* latuerit. Si ex evacuationibus quibuſvis, inprimis *purgatione* nimia, immineat *Syncope*, conveniunt *Theriaca*, *Extract. Theriac. in Aq. Cinam.* item *Miſtura* ex *Àq. Menth. Spirit. theriac.* & *Conf. Alkerm.* Sin ex terrore nata ſit *Syncope*, præter *volatilia urinoſa* in ſpecie *Salia volat. oleoſa*, conducit etiam *Venam aperire*, præſertim in *graviore Syncope* : item in *Syncope* ex Menſium ſuppreſſione conducit *Sectio venæ ſaphenæ*. *Syncope à gaudio* curatur per *acida*, *Vinum*, *Succos vegetabilium*, aut *Julepos acidulos*. Sin ex Venæſectione immineat *Syncope*, imponatur Æger ſupinus pavimento, ac *Sal commune* ori indatur, vel labia ejus hoc ipſo fricentur. In defectu Salis communis utiliter *Urina* uſurpatur, vel *Acetum* applicetur Naribus & affricetur Linguæ. Ubi metuitur *Lipothymia* à Venæſectione, optimum eſt præmittere Juſculum, antequam Vena ſecetur, & hinc in dorſo cubantibus Vena aperiatur. Si ex nimia ſanguinis excretione immineat *Syncope*, *opiata acidis ſociata* addito *pulv. Coral.* ſunt optima. Si in Convulſivis, Hyſtericis, *&c. Syncope* adſit, *Salia volatilia*, *Liquor C.C. ſuccinatus*, *Spirit. carmin. de tribus* præſertim cum *caſtorinis*, ſi ferre queat Æger, propinentur, aut etiam *opiatis* additis malum præcaveatur.

CAP. II.

De Palpitatione & Tremore Cordis.

PAlpitatio Cordis eſt motus ejuſdem convulſivus, quo forti *ſyſtole* ſe contrahit; cognoſciturque ex pulſu

arteriarum vix ullo, adeo ut plurimum neceſſarium ſit lateri ſiniſtro admovere manus, ut ritè percipiatur. Interdum eſt malum adeo vehemens, ut ſolo auditu & viſu poſſit cognoſci, imò exempla proſtant coſtarum exinde diffractarum, ſi verum eſt, quod *Fernelius* aliquando ex ore Chirurgi alicujus audivit. Unde patet, *Palpitationem* Cordis eſſe convulſionem muſculi ejus.

Cognatum malum eſt *Tremor Cordis*, in quo fibræ muſculorum ejus celerrimè & quaſi ſemicontractæ *ſyſtoles* & *diaſtoles* vices obeunt. Differt à *Palpitatione* in eo, quòd *Palpitatio* ſit vehementiſſima contractio & impetuoſiſſima ſyſtoles moleſtia; in *Tremore* verò minores ſunt pulſationes, ſed crebriores & quaſi tremulæ.

Cauſa *Palpitationis* Cordis eſt, quicquid muſculos & nervos ejus irritare poteſt. Cauſæ tales irritantes ſunt vel in ipſo corde, vel in nervis. Ratione Cordis cauſa irritans eſt vel *externa* vel *interna*: inter *externas* refertur vulgo *Hydrops pericardii*; ſed dubium eſt, annon lymphæ hujus ubertas potius *Palpitationis* effectus, quàm cauſa ſit; ſiquidem aquæ Pericardii in homine vivente parcior, in mortuo major reperitur quantitas? Cæterùm inter *externas* ſunt Vermes *Cordis* dicti, præcipuè intra pericardium Cordi adhærentes. Affectus rarus nec ubique cognitus: patiuntur tales Ægri *Palpitationem* ſubinde recurrentem, nec non roſiones, puncturas & dolores Cordis, Facies pallet, ex improviſo interdum Lipothymiæ imminent, interdum etiam Convulſiones ſupervenire notantur. Obſervavit etiam *Petrus à Caſtro*, *Scabioſam* in *ſucco*, *juſculo*, *decocto*, aut *ſyrupo*, omnia alexipharmaca hoc in caſu antecedere. Aliàs medicamenta ad hunc vermem uſitata ſunt *Mercurialia*, & hinc *Succus Allij*, *Raphani*, *Naſturtii*, &c. Externè expertum eſt *Cataplaſma* ex foliis *Cinaræ*, *Tanaceti*, & *Abſinthii Aceto vini* incoctis, & cum pauco

Mithri-

Mithridat. mixtis, regioni Cordis admotum. *Cauſæ internæ* reſpectu Cordis, *palpitationem* inferentes, rariores ſunt *Abſceſſus in Corde* & ſimilia; frequentius culpatur ſanguis in circulo ſuo impeditus, & circa Cordis baſin aggeſtus, cujus ſignum eſt pulſus in carpo languidus & motui Cordis minùs reſpondens. Has inter cauſas ſunt tam ipſe ſanguis vitioſus, minùs turgeſcibilis, ad ſtagnationem & coagulationem pronus, unde ex Menſium ſuppreſſione poſt levem motum, non ſecus ac in Cachecticis, ſupervenit *Palpitatio;* quam alia, quæ ſanguinis benè conſtituti motum impediunt, v.g. Pulmonum infarctus, truncus arteriæ magnæ prope Cor oſſeus, Vena pulmonaris cartilagine adnata ferè obſtructa, excreſcentia Polypi aut Calculi in corde. *Cauſæ irritantes* ad nervos Cordis referendæ ſunt, inprimis eorundem irritatio, vel ſpaſmus ex quacunque cauſa occaſionali, v.g. Animi affectibus, præſertim Terrore, conſenſu nervorum ſplenicorum cum cardiacis in Affectibus hypochondriacis & ſcorbuticis ortus; in horum enim paroxyſmis videtur Cor quaſi conſtringi aut ambabus manibus comprimi: acidum nempe vitioſum Hypochondriacorum utcunque commotum, nervos vel Stomachi vel Lienis fortiſſimè irritat, unde Spaſmus eorum ac partium appenſarum concitatur, & hinc facilè Nervi cardiaci per conſenſum afficiuntur, ſicque ad *Palpitationem* Cor adigitur. Imò & nervuli arteriis Cordis vicini, ſpaſmo affecti, & ita ſanguinis circulum turbantes, atq; mediante vaſorum arctiori ſtricturâ impedientes, conſequenter ex ſanguine circa Cordis baſin congeſto, hujus *Palpitationem* inferre poſſunt. **Tremoris cordis**, in quo pulſus inæqualis & languidus, interdum quaſi vermicularis percipitur, *Cauſa* vel in *Muſculo Cordis*, vel *in Nervis* inveſtiganda, cùm pariter convulſivi quid ſapiat. Quod ipſos Cordis muſculos attinet, equidem in his aliquid vitioſum ſive præ-

præternaturale contineri videtur, quod fibras motrices Parenchymatis continuò ad contracturas irritat; cùm autem neceſſariò diaſtole Cordis à ſanguine influente ſuperaccedat, hæc vix ſufficiens conceditur, quin ex dicta cauſa ſubitò contractio repetita ſuperveniat, & ita continuus ſed interruptus, atque adeo tremulus fiet motus. Quoad *Nervos*, Scorbutici etiam ac Hypochondriaci, ex his ipſis affectis, & ab aliorum Viſcerum nervis per conſenſum in ſpaſmum coactis, leviores licet Tremores in Corde pati obſervantur.

Prognoſis. *Palpitationi* Cordis ſuperveniens pulſus ſenſim remittens, imminentis *Syncopes* ſignum eſt. Qui Juvenes, aut in declinante ætate ſani, ſubitò ſine ullo manifeſto ſymptomate Palpitatione cordis corripiuntur, ante ſenectutem moriuntur. Quæ ex Malo hypochondriaco aut Scorbuto eſt *Cordis palpitatio*, frequentior quidem eſt, ac ſæpius recidivans, levior autem reliquis ſpeciebus, præſertim per idiopathiam Cordis & partium vicinarum accedentibus.

Cura. In Paroxyſmo fortiori ſubinde neceſſaria eſt Venæſectio, inprimis ſi ſubjectum ſit plethoricum ſive revera tale, ſive apparens; item ſi ex terrore, aut ſuſpicione ſtagnationis vel grumorum ſanguinis oriatur; item ſi ex inſigni commotione inpetuoſus circa vaſa feratur ſanguis. Si à conformatione læſa ſit vitium, ferè incurabile eſt malum, ac ſaltem per exactam diætam & minimum animi corporisque motum, quantum poſſibile, ſuſtentandi tales Ægri. ----Quoad *cæteras Cauſas*, ſive ſanguinis ſubſit vitium, ſive ſpaſmodica per hypochondriorum conſenſum Pathemata, pro his corrigendis tria proſtant remediorum genera. 1. *Martialia*. 2. *Terrea*, in ſpecie *Corallia*. 3. *Salia volat.* inprimis temperata. Fortiter enim *oleoſa* non omnibus conveniunt, quia quibuſdam Hypochondriacis & Hyſtericis, genus nervoſum fortius afficiendo, paroxyſmum

mum exaſperant; & in caſu hujuſmodi exaſperationis conducunt *acida*, inprimis *Spir. Nitri dulcificatus.*

Excellunt itaque in Paroxyſmo *Cinamomum*, ejuſque parata; licèt *Palpitatio* ex uſu *Cinamomi* orta, per *acida* curata fuerit. *Extra paroxyſmum* igitur, ut iſta abſorbentia inprimis conducunt; ita *in paroxyſmo volatilia ſalia* præſtantiora ſunt. Inprimis laudatur *Meliſſa* tam *internè*, quàm *externè*, fotus cum *Meliſſ. viridi* & *flor. Borrag.* cum *Aq. roſaceâ*, & *Acet. deſtill.* applicatus calidè. Præ cæteris laudantur *Camphora*, *Crocus*, *Caſtoreum*, tam internè quàm externè: Item *Eſſent. Croci* cum *Eſſent. Caſtor.* & *Ambr.* miſta in largiori doſi: Nodulus ex *Croco* & *Camphora*, circa Cordis regionem ſuſpenſus: *Eſſentia Caſtorei* cum *Spir. Sal. ammon. urinoſ.* parata, inprimis in Hypochondriacorum *Palpitationibus*; in quorum paroxyſmo optima ſunt *Corallia* & hinc *Sal volat.* &c. *Cor cervi, vervecis*, &c. nil valet; horum tamen *Spiritus* & *Salia volat.* proficua ſunt. Multi uſus eſt *Tinctura Corall.* cum *Spir. C.C. Externè Balſama, Olea* & *Spiritus*, regioni Cordis applicata, quandoque graviora ſymptomata inhibent, parum ſaltem Spiritus reficiendo. Sed in malo ex Paſſione hyſterica, item per conſenſum *Abdominis* & *Lienis* nato, utiliter *Lieni* applicatur *Emplaſt. de Nicotianâ.*

Quoad *particulares arteriarum Palpitationes*, tres inprimis agnoſcunt cauſas. 1. Eſt Inflammatio, à quâ tenduntur, & cum dilatationi renitantur, pulſatorium dolorem adjunctum habent. 2. Impedimentum in ſanguinis circulo, unde arteriæ etiam nimis diſtenduntur. In ſpecie *Hypochondriaci* ex dicta cauſa pulſationem Arteriarum percipiunt, nunc in toto corpore, nunc in dorſo infra coſtas, ubi ſita eſt Arteria cæliaca, & inſignior ejus ramus. In his Arteriæ per conſenſum Splenis aut partium vicinarum aliquid convulſivi patiuntur, unde rigidiores propter fibras ſenſibiliter pulſant,

& talis pulſatio paroxyſmi ejuſdem Hypochondriaci, aut Melancholiæ, aut ſanguinei Vomitûs indicium eſſe ſolet. Curatur hoc malum per *martialia*, ſicut priores duo modi inprimis per *ſudorifera*.

CAP. III.

De Febre.

ARTIC. I. *De Febre in Genere.*

INTER *Febrim concomitantia ſymptomata* immediatè exiſtit *pulsûs notabilis mutatio*, & ſpeciatim præternaturaliter frequentior, adeo ut rectè à *Sylvio* ſignum laudabilis & æquabilis ſanguinis fermentationis dicatur. *Vehemens*, ſpirituũ influentium vigorem inſequens, non rejici debet: etenim magnus & vehemens pulſus animoſum reddit Medicum. Sed parvus & debilis, non niſi ſub periculoſa conſtitutione, vel in *maligna Febri* adeſſe ſolet, virium enim dejectionem junctam habet.

Vulgo *calorem præternaturaliter auctum ſignum pathognomonicum Febrium* aſſerunt, definientes calorem illum in Corde incenſum, & hinc per arterias in totum corpus diffuſum; ſed malè, non ſemper enim convenit *Febri* calor, cùm in principio paroxyſmorum Febrium intermittentium horror & frigus urgeat. Nec omni convenit, in *malignis* enim nil minus quàm calor moleſtus eſt, quæ tamen peſſimæ. Imò & *frigidæ* Febres dantur, quæ minus moleſtæ ſunt, absque æſtuatione ſuperveniente. Nec rarum eſt, *Intermittentes* diuturnas cum ſolo frigore & aliquali rigore ſtatis temporibus invadere, ita quidem ut nullum veſtigium æſtûs ſuperveniat. Proſtant exempla Veterum de *Febrium frigidarum* obſervatione, quod notârunt *Hippocrates*, *Avicenna* & *Galenus*. Exemplum tale mihi obſervare contigit:

git: erat enim hic Artifex, qui laborabat perfecta *Tertiana*, anticipando tamen ſemper duabus horis, nullo ſubſequente calore: inclinabat ad Pthiſin, ac erat inſignis Scorbuticus. Paroxyſmus ingruebat cum inſigni horrore & graviſſimo rigore, qui ultra horam integram durabat, poſtmodum nullus ſentiebatur calor, ſed loco hujus acerbiſſimi dolores totum corpus & artus excruciabant, inprimis regionem dorſi, femora, & in ſpecie in regione lumbari circa connexionem Meſenterii. Circa finem interdum materia viridiſſima & ſaporis amaricantis rejiciebatur, abſque ullo calore. Urina turbida, craſſa, cum copioſo ſedimento erat. Paroxyſmi obſervabant ordinarium typum anticipando bihorio. Vocatus ergo, cùm jam ab Uxore purgatus eſſet, præſcripſi ad temperandum acidum ſequens.

℞ T*art. vitriolat. Ocul. cancr. pp. an. gr.* xv. *Miſce.*

Propinetur hora 1. ante paroxyſmum, qui nunc erat quartus; poſt hoc frigus & dolores remiſerunt inſequente blando ſudore abſque inſigni incaleſcentia. Die intermiſſionis hinc ſequens tulit.

℞ *Spir. Sal. ammon.* ℥ij. *Spir. Cochlear.* ℥j. *m. capiantur* 40 *gutt.* bis in die intermiſſionis, & die ſequenti paroxyſmi tantùm bihorio ante paroxyſmum. Paroxyſmus eodem modo redibat, cum frigore abſque calore, remittentibus doloribus. Die 9. intermiſſionis Spiritum illum continuavit. Hic verò pulvis: ℞ *Sal. Abſinth.* ʒi. *Ocul. cancr.* ʒß. *m.* datus fuit bihorio ante paroxyſmum, qui dein non rediit. Die intermiſſionis continuavit ſpiritum, & tempore paroxyſmi adhuc ſemel præfatum pulv. & ſic curatus fuit.

Subjectum ſive pars affecta in *Febribus* ſunt *ſanguis* & *ſpiritus*. *Sanguinem affectum* præter alterationem pulsûs ſupra notatam, & ſudor, ſine quo nulla Febris perfectè judicata & curata dici poteſt, & coctio & cruditas materiæ in ſanguine contentæ, & per urinam manifeſta-

tæ, & Icterus, facilè Febribus ſuperveniens, & alteratio ſanguis, niquæ poſt abſolutas Febres obſervatur, eo major quo diuturnior extiterit, dum indolem acidam exinde rectè acquirere dicitur à *Majow. Tract. de Nitro pag.* 135. confirmat. *Spiritus verò influos* ſimul laborare, aſſerit *Opii* uſus, qui ſpirituum ſiſtendo impetum, *Intermittentium* paroxyſmos penitus ſiſtit, & minus hinc affligere facit. Sed & *Opium* pariter in *continuis* obtinet, quorum ferociam mitigare, & extinguere interdùm penitus liquet; *Vid. Bartholin. Cent.* 1. *Hiſtor.* 84. *Ephemeram*, aut *Synocham* ſine putredine dicas tales Febres, eo ipſo enim quo *Ephemeras* tales unius ſive plurium dierum, à ſpiritibus affectis, undecunque alteratis, unicè dependere concedis, ſpiritus in Febribus aliis quoque multo magis affici negare non poteris. Id quod magis confirmant *maligniores*, ſpiritus magis quàm ſanguinem alterantes, quæ tunc etiam, ubi urinæ ſanorum ſimiles, nec adeo inſignis, pro ratione ſcil. peſſimè habentis Ægri, in pulſu mutatio obſervatur, adeoque ſanguis minus alteratus notatur, tamen Ægros facilè necant. Spirituum magis affectorum culpa tandem, quantum in concitanda Febre valeat, illi ſatis probant, aut horrore qui ex metu ſibi facilè ſimilem *Febrim* contrahunt, aut qui ludicris Intermittentes ſubinde fugant, ob ſolam imaginationem Spiritus ſolùm afficientem.

Conſiſtere proin dicimus *Febrem formaliter* in fermentatione ſanguinis præternaturali, eaque depravatâ, ſive ut aliis placetur diſproportionatâ, quandoque auctâ; inductâ à fermento peregrino, nunc ſanguinem, nunc ſpiritus, nunc utrumque immediatè afficiente, quo depuretur eadem aut ſeparetur, quod ipſi præternaturale & hoſtile exiſtit.

Quatuor *primaria ſymptomata ſunt*, in quâvis *Febre* notabilia. 1. *Mutatus pulſus.* 2. *Calor*, ſive *æſtus.* 3.

Frigus,

frigus, *horror* & *rigor*. 4. *Urina mutata* ſecundum liquorem & contenta.

Pulſus mutatus fit à fermento peregrino ſpirituum animalium, & ſanguinis motum præternaturalem irritante. Vehemens ſemper bonus exiſtimandus. *Æſtus omnis occaſionalis fit ab acido*, craſin ſanguinis immutante. *Peccare autem* acidum in corporis æſtu probatur ſequentibus. 1. In Febribus ſymptomaticis ex Vulneribus vel Ulceribus *acida* nocent, æſtum enim intendunt, atq; hinc curantur per *acidum* imbibentia; ut: *Saturnina*, *Oculos canc. Caput mortuum Vitriol.* &c. 2. *Pleuritides*, *Anginæ* & quælibet *Inflammationes internæ* curantur per *acidum imbibentia*, ut: *Dentem apri*, *Maxillam Lucii piſcis*, *ſalia volatilia*, *ſtercus equinum*. 3. Omnes Inflammationes eryſipelaceæ per acidum imbibentia etiam externè curantur, uti ſunt: *Creta*, *Cerusſa*, *præparata ex Saturno*, *Lac virginis*, & ſic acido ablato *Febris* in *Eryſipelate* evaneſcit. 4. *Intermittentes* ab acido viſcido originem ducunt; hinc per *alcalia fixa* & *volatilia* curantur, ſicut ſunt: *ſal Abſynthii*, *Spiritus Sal. ammoniaci*, *oſtracoderma* & *alia teſtacea*. In *Quartanis* conveniunt magis *martialia* & *ſaturnina*. 5. *Febres catarrhales*, à lymphæ acrimonia originem ducunt, ſicque curantur *Spiritu Sal. ammon. aniſato*, *Liquore ſuccinato* C. C. item *Opiatis* lymphæ motum ſuſpendendo. 6. Non ſecus in *Variolis* & *Morbillis* acidum peccat. Curantur per *abſorbentia*, *Salia volatilia invertentia*, *Tincturam tartari*, &c. 7. Sic & *Arthritis* curatur per acidum imbibentia. 8. Etiam *Febres* iſtæ, quæ ex retropulſa *Scabie* oriuntur ab acido ſalſo, plus minus viſcido, ſuperiora confirmant. 9. *Febris lenta* & *hectica* ex *Ulcere partis* cujuſdam internæ nata, & ſic ſaniem acrem producens idem confirmat. 10. Infantes patiuntur Tormina ex acido lactis vitiato; teſtes ſunt excreta viridia ſemigrumoſa: Hæc ſi durent, ſequuntur *Febres*, *Convulſiones*, &c.

&c.Sed deſtructo acido omnia ceſſant. 11. Urinæ videntur hoc illuſtrare, quippe in Febribus intenſius tinctæ & perquam rubræ obſervantur; quo intenſior enim æſtus, eo color magis flammeus rutilans obſervatur. Declinante *Febre*, citrino colore apparent. Colorem illum intenſum ab acido fieri, mechanicè Chymia docet, inſtillatis enim *ſpiritibus Vitrioli, Nitri, Salis, Sulphuris, Aceti*, intenſius rubeſcunt; è contrario inſtillatis alcalicis, v.g. *Ol. tart.* per *deliq. Lixivio cinerum clavellator.* aut nonnihil palleſcunt, aut nullam coloris mutationem patiuntur. In Scorbuticis Urinæ ſubinde intenſiſſimè tinctæ ſunt ab acido luxuriante, & hoc abſque æſtu febrili. 12. Symptomata ex *vini* abuſu accidentia, non niſi ab acido tartareo volatili originem ducunt, ut *Orexis*, *Æſtus corporis*, &c. Curantur hinc *Pulverib. præcipitantib. Spiritu Sal. ammon. Oſſe ſepiæ, Lacte ipſo*, &c. 13. Ita *Æſtuationes & Phlogoſes in Hypochondriacis*, acidum præcipitantibus, ut *Coralliis, Ebore, Alcalibus fixis*, ſanantur. 14. Sic *Soda & ardor ſtomachi*, correcto acido, evaneſcit. 15. Aliqui acido prædominante vegetabilia *calida*, & alcali ſuperante *frigida* danda eſſe aſſerunt. Sæpius autem obſervavi, in Febribus intermittentibus æſtum & ardorem multum remiſiſſe ex uſu *Spirit. Sal. ammon. urinoſi* ante paroxyſmum. 16. Senſus ardoris, qui poſt combuſtionem ab ignitis ſubjectis remanet, fit ab acidi ſpiculis, in parte læſa relictis, & per *ſaturnina, alcalia animalium, ſperma Ranarum, Urinam human. Spirit. ſal. ammon.* tollitur. Equidem plures ex bile ardoris rationem, tam naturalis quàm præternaturalis febrilis, derivare amant. Sed 1. An ex bile ardor ille oriatur, dubium? 2. Si ex bile, quæritur, quâ ratione? 3. Unde in Febribus intermittentibus *amara, reſinoſa*, bili quaſi analoga tam proficua ſint?

Obſervetur hic *caloris* duplex in Febribus differentia, Etenim 1. *Vel humidus* eſt *vel ſiccus*. 2. *Vel mitis vel acris.*

humidus melior eſt *ſicco*, quia copioſa hic datur tranſpiratio & tenſio minor fibrarum. Contrarium fit in ſicco calore.

Mitis calor vel acris, craſin ſanguinis ſequitur, hic enim ſi minùs particulis acidis turgidus ſit, mitiorem, ſin magis particulis iiſdem imprægnatus, acrem, & ad tactum mordacem calorem exhibet.

Non raró de *frigore*, verùm magis de *rigore* conqueruntur. Si ſenſibili Convulſione quatiantur membra, & per conſenſum muſculi, *Rigor* dicitur, medio modo *Horror* appellatur, ita ut talis Rigoris inſultus Epilepticis ſimilis videatur. Afficiuntur in hoc *Rigore* omnes *membranæ* ſenſibiles, tam *internæ* quàm *externæ*: (excepto ſolùm Panniculo carnoſo) ſi nimirum ab acido irritantur. Hinc in *Colica* Rigores frequentes ſunt, *Abſceſſibus internis* rumpentibus, &c. *Rigores* in Intermittentibus fiunt ex partibus membranoſis in primis viis affectis, quod etiam fit in principi Continuarum: vide plura apud *Fernelium*. *Urinas* quod attinet, tinctura harum intenſior fit ab acido prædominante, ut ſuprà. *Cruditatis* ſignum eſt urina clara abſque ſedimento excreta; craſſiores verò Urinæ, contentis ſaturatæ, & ſponte turbatæ coctionem inchoatam oſtendunt. Quòd ſi remaneant turbidæ, contrarium indicant. Sin verò clareſcere & contenta ad fundum demittere incipiant, ulterioris concoctionis ſignum erit. Particulæ enim illæ, non benè miſcibiles, per fermentationem à ſanguine ſeparantur; ita in ſudore Intermittentum Maſſa ſanguinea, ſub paroxyſmo plus minus colliquata, propriæ ſubſtantiæ unà jacturam facit: atque in fine earundem quadam quaſi criſi ſudor copioſus ſupervenit.

Quam primũ ergo ſe inſinuant Maſſæ ſanguineæ particulæ, facilè fermenteſcibiles & non miſcibiles, ex primis viis, fiunt ſtatim fomes Febris: ſanguis enim naturaliter conſtitutus fermentatur & ſpirituaſcit. Ab iſto negotio

gotio *cruditatis & coctionis*, & univerſa *Criſium* dependet *ratio.* In præcipitatione fæcum varia concitantur ſymptomata, ut: *Rigores*, *Sudores*, *Hæmorrhagiæ*, *Deliria*, *narium Pruritus*, *&c.* Hinc obſervavi, quamdiu Urinæ ſunt in Continuis crudæ, tamdiu ſe res in ambiguo habere ſtatu; ſi coctionis ſigna appareant, fauſta prædicere licet; ſin verò recrudeſcant, periculum portendunt. Exemplum ſit *Puellæ Purpurâ affectæ*; die 9. urina craſſa & coctionis ſigna apparebant; ſed 15. urina pallida, & ex improviſo delirium, convulſiones, circa Meridiem mors; ideoque benè notabimus in Urinis ſigna concoctionis continuæ. Opus hoc *coctionis* ſolius eſt naturæ; cujus motus circa *coctionis negotium in eo conſiſtit*, ut acidum morboſum corrigatur mediante motu fermentationis.

Ex dictis hactenus patet, *nec calorem*, *nec frigus eſſe de eſſentia Febrium*, ſed tantùm ſymptomata ſupervenientia, non ſecus ac *Sitim & Cephalalgiam.*

Patet denique de *Putredine*, *à Veteribus* deſcripta in *Febribus putridis*, illam nòn niſi per fermentationem poſſe explicari. Patet etiam, *Cor*, aliamve partem ſolidam non eſſe *ſubjectum primarium* Febrium, ſed *Sanguinem & Spiritum.* Alia tamen ratio *Foci febrilis*, cujus ſubjectum eſt *Viſcus* quoddam, uti v. gr. *Ventriculus*; item *Febris ſymptom.* ex *Ulcere*, *Vulnere*, *&c.* Interim *Febris* ratione circumſtantiarum nunc hanc nunc illam partem corporis magis aut minus affligit.

Differentiæ Febrium *reales* ſunt. 1. Ratione conditionis cauſæ. 2. Ratione modi afflictionis. *Cauſæ* ſunt omnia, quæ ſanguinis craſin pervertunt, ut *Ulcus internum*, *Abuſus Fructuum horariorum*, &c. *In ſpecie* acidum volatile, miaſmate quodam putrido in Ventriculo relicto, imprægnatum.

Cauſæ remotæ ſunt variæ ac multiplices. *Prognoſis Febrium in genere* ex pulſu & urinâ deſumitur.

In

In *Curâ Febrium* in *genere*. 1. Acidum illud volatile corrigendum. 2. Materia vitioſa fermenti ſeparanda. 3. Utrumque, quâ datâ portâ, per peripheriam cutis eliminandum; fitque hoc medicamentis ſpecificis, fermentum febrile enervantibus: v.gr. *Febrifugo River. Kerkr. Helmont. Cortic. Peruv. Sal.ammon. Antimon. diaphoret.* &c. *Evacuationes* fiunt in principio, conferunt enim ad futuram concoctionem. *Ex Fonte chirurgico*, inter alia auxiliaria hic ſe offert *Venæſectio*. Conceditur iis, qui ad ebullitiones ſanguinis & fermentationes ſunt proni, & detractionibus ſanguinis artificialibus conſueti, laudabili & euchymo victu utentes; verùm à principio locum habet in *benignis*, minùs in *malignis*. *Ex Fonte pharmaceutico* ſe offerunt *Evacuantia* in ſpecie, ſive *purgantia*, ſive *diuretica*, ſive *ſudorifera*.

Purgantia non conveniunt niſi in declinatione; turbarent enim magis maſſam ſanguineam. Secundùm *Hippocr. cocta medicari oportet non cruda*. Interim blanda *diaphoretica* adhibeantur. Quod verò attinet in ſpecie. *Evacuantia primas vias*, ſunt illa vel *vomitoria* vel *per inferiora laxantia*. Priora ferè in omni Febris principio locum habent; *Intermittentes* certè aliæque Febres, à cruditate Ventriculi ortum ducentes, vix abſque vomitu, vel infra laxante curantur. Proſunt *Clyſmata*, vel aſſumpta *pharmaca* æſtum partium, præſertim capitis, levando. *Binæ* ſaltem *conditiones* obſerventur, Clyſmatum uſum prohibentes. 1. Quando natura inclinat aliorſum evacuationem inſtituere. 2. Quando excretio cutanea in *Febribus malignis* imminet, adeſt, vel facta fuit. Hinc in *Variolis* & *Morbillis*, *Purpura*, *Petechiis*, non conducunt, niſi ſumma neceſſitate urgente ad eadem, eaque leniſſima. *Blanda laxantia* per os ſunt *Tamarindi*, *Rhabarbarum*, *Infuſio fol. Sennæ*, &c. *Sudoriferorum* uſum nobis natura monſtrat. Hinc in toto *Febris* decurſu *diaphoretica utiliſſima*, item *præcipitantia*,

tia, volatilia macra non oleoſa. In *malignis* ſemper ſocianda *ſudorifera alexipharmacis*, in principio *temperata* ſunt longè meliora, in incremento autem & ſtatu *fortiora. Opiata* non conveniunt in ſtatu, ne motus critici impediantur; nec in principio, ne naturæ conatus ſufflaminetur: in incremento quidem, ad mitiganda atrociora ſymptomata, per accidens interdum conveniunt: in *Intermittentibus* verò, vel ante paroxyſmum vel in ipſo, appropriatis mixta juvant. Ex fonte *Diætetico*, urgente *Siti* convenunit *Potus tenuis*; item *guttæ aliquot Spiritus Sulph.* quæ plus levant quàm integra menſura potûs cujuſvis. *Vinum* etiam in die intermiſſionis, vel poſt paroxyſmum Intermittentium, in *Febre* item *malignâ & continuâ* ſub virium proſtratione, utile eſt. In *Continuâ benigniori & ardenti*, ejus vis fermentativa & acidum nonnihil ſuſpecta ſunt, niſi adſit Vomitus, Syncope, &c. Cæterùm nocumenta *ab uſu Vini*, non à ſpiritu ejus volatili, ſed ab acido procedunt; talia ſunt *Phlogoſis*, &c. quæ abſorbentibus removenda. *Cereviſiam lupulatam* utplurimum recuſant Febricitantes, quia ceſſante ſtomachi digeſtione nidorem contrahit. *Cereviſia* autem *ſecundaria & potus aquoſiores* non ſunt denegandi, ſed quia flatus generant & ſtomachi tonum lædunt, addi debet *Spir. Nitri dulc.* aut *Nitrum antimoniat.* In *continuis Febribus Aqua* cum parte tertia *Vini*, addito *Pomo citrio* convenientiſſima eſt; item *Serum lactis* cum *Succo Citri* à parte caſeoſa depuratum, quod & in *Intermittente ſcorbutica*, niſi laxior ſit alvus, locum habet. In ſpecie *Spirit. Sulph.* cum ſ. q. *aquæ* præter alia commoda ſudorem movet. In genere concedatur *potus* in *Continuis*, crebrior certè, ſed & parcior, nec minus frigidus. In *Intermittentibus* autem, non prius quàm ſub æſtûs vigore. Quoad *Victum*, tenuis is eſſe debet, inprimis ſi *Febris* magis acuta ſit; in Ventriculo enim languido corrumpitur cibus

& Fe-

& Febri fomitem præbet. In ſpecie nocent Carnes, ſacharata & dulcia, uti & Fructus, aliaque facilè fermenteſcibilia. Sufficiunt enim Juſcula, inprimis avenacea, Pultes ex Pane & Cereviſia, & ad ſummum Ova ſorbilia. *Quies* corporis optima eſt & bonum ſignum; uti & *Somnus*, niſi præternaturalis ſit, comatoſus nempe; in Somno enim ſpiritus ſuo munere funguntur, & coctio materiæ, & inſenſibilis tranſpiratio promovetur.

ARTIC. II.

De Febribus Intermittentibus.

FEBRIS *intermittens* redit per intervalla diverſis paroxyſmis, tempore intercalari ab omni Febre vacuo. Hinc diverſa ſortitur nomina, ut *quotidiana*, *tertiana*, *quartana*, &c. vid. *Señert. Schenkium*. De paroxyſmorum invaſione & intervallo temporis vide *Sylvium* Præter has Febres *periodicæ* quædam dantur, quæ nullam periodum obſervant, & tales ſunt *erraticæ* vel *vagæ*. Sic *erratica* eſt, v. g. hodie invadit horâ 12. perendie 6 matutinâ, rurſus perendie veſperi octavâ, & ſic porrò. *Vagæ* ſunt, quæ nullum certum tempus adeundi & redeundi habent. In *Febris intermittentis* paroxyſmo *frigus*, *rigor* aut *horror* calorem præcedunt, & in ſudorem largum ceſſat. Hæc tria primaria ſymptomata paroxyſmorum conſtituunt, quorum delineationem vid. in *Sylvio*; rarum enim eſt, ut calor præcedat ſequente frigore. Ratione Symptomatum graviorum, 1. Obſervantur *algidæ*, aliquando tanto frigore moleſtæ, ut rarò calor ſequatur. 2. *Ardentes* inprimis *Tertiana*, in qua nullum fere frigus rigor & horror obſervatur, ſed talis moleſtus calor, qui non remittit, antequam novus paroxyſmus revertatur. 3. *Epialæ*, in quibus frigus & ca-

lor vehementer urgent. 4. *Siticuloſæ* ab inextincta ſiti. 5. *Famelicæ*, à fame inexplebili. 6. *Cardiacæ* à dolore orificii ſuperioris ventriculi. 7. *Torminales* & colicæ. 8. *Syncopales*. 9. *Præfocantes*. 10. *Anheloſæ*. 11. *Aſthmaticæ*. 12. *Tuſſiculoſæ*. 13. *Catarrhales*. 14. *Arthriticæ*. 15. *Inſanæ*. 16. *Vomitoriæ, &c.* Affirmatur etiam, dari *Febres intermittentes malignas* à vitio aëris & alimentorum, vide *Authores*. Omnes hæ *Febres intermittentes*, cujuſcunque fuerint typi ſunt ejuſdem prorſus naturæ, diverſificantur tamen ratione ſubjectorum, unde talis diverſitas Symptomatum: in genere autem una medendi eſt ratio.

Cauſa proxima eſt *fermentum præternaturale* in Ventriculo genitum, Maſſam ſanguineam alterans & motum fermentativum immutans; eſtque hoc *fermentum ſaporis ſalino acidi*. Conſpirant in hoc ſymptomata, & Intermittentium cura. *Origo* ejus ex Ventriculi digeſtione emergit, ſeque ex reliquiis alimentorum in Stomachi rugas inſerit. Notum enim eſt, aliquos incidiſſe in Febres ex horrore aut intenſo appetitu rei alicujus, errore diætæ. E contrario exempla dantur eorum, qui appetitu intenſo rei alicujus poſtea fuerunt curati. Non igitur putandum eſt, ex diſtinctis Viſceribus diſtinctas oriri *Febres*, nam in principio utplurimum Viſcera ſunt ſana, ſed diuturnis, vel etiam malè curatis morbis Tumor ſcirrhoſus plus minus Viſceri tali ſupervenit. Facilè rurſus concedo, menſtrua ſuppreſſa ſanas ſubinde diſponere ad *Febres*, vel aliunde natas fovere, primo tamen authore Ventriculi digeſtione. Dum hoc fermentum ſe exſerit, partes nerveas primarum viarum vellicat, hinc earum ſpaſmi, ac ſuccorum, *fellei* & *pancreatici*, nimiæ effuſiones. Idem ſanguini permixtum motum ejus fermentativum pervertit, hinc ſpirituum vitalium emerſionem & volatiliſationem ſufflaminare poteſt aliquantiſper; in tali ſtatu

ſtatu *pulſus* ſunt *parvi*, donec ipſo fermento cum ſale volatili oleoſo ſanguinis ad præternaturalem efferveſcentiam concitato, oriatur incaleſcentia cum ſanguinis turgeſcentia, pulſu magno, celeri, &c. atque hinc dictæ inordinatæ fermentationis motu ſeparatis, & præcipitatis illis particulis heterogeneis, ſudor quaſi criticus ſuperveniat. Unde *Urina* in *paroxyſmo* collecta ſanorum ſimilis videtur; motu fermentationis adhuc vigente, poſt paroxyſmum, turbida & multo ſedimento onuſta obſervatur. Ex *acido* proin *volatili* tota hic poteſt explicari hiſtoria, quod dum membraneas particulas Abdominis, Ventriculi, Inteſtinorum tenuium afficit, convulſivo motu quatiuntur, unde frigus, horror & rigor. Confirmat hoc 1. Cura per *alcalia* & *acidum abſorbentia*. 2. *Oleoſa deſtillata*, tam intus propinata, quàm ſtomacho illita, rigores ſopiunt corrigendo acidum. 3. *Opiata* urgente neceſſitate conveniunt. *Anxietates*, *Vomitus*, *Tuſſis clamoſa*, *hypochondriaca ſymptomata*, *Tormina* oriuntur à copioſa effuſione ſuccorum Hepatis & Pancreatis; non ſecus ac *frigus Abdominis* & *circa Lumbos*, *Flatus*, *Intumeſcentiæ*, *Inquietudines*, *præcordiorum Anxietates*, *difficiles Reſpirationes*, &c. *Æſtum* inducit acidum illud volatile per fermentationem inordinatam. Æſtuationis compeſcentia ſunt *nitrata*, *Nitrum antimon. Nitrum vitriol. Spir. Nitr. dulc.* &c. In Febribus diuturnis, uti *Tertianis* & *Quartanis* non videtur adeſſe inſignis materiæ morbificæ moles cum paroxyſmi ſint ſatis tolerabiles. Verùm *Sennertus* vult, miaſma aliquod in maſſa ſanguinea hærere paroxyſmos illos revocans. Tota *differentia Intermittentium* uno verbo reſidet in fermento febrili plus minus libero aut impedito. *Liberum* propter nullum impedimentum graviora infert ſymptomata, ſed citius ſaturatum Febri finem imponit. *Impeditum*, propter vehiculum aut fomitem, cui inhæret, viſcidius atque tenacius, vul-

go pituitoſum, quo humores temperatiores exiſtunt, minus ſe exſerere poteſt, adeoque mitiora ſymptomata, diuturniores verò paroxyſmos, & Febres magis chronicas ſolet inducere. *Cephalalgia*, *Agrypnia*, *Deliria* &c. ex ſanguine æſtuante & ſpirituum intenſo calore ſolent oriri. Itaque quo diuturnior Febris eo magis viſcoſus ac glutinoſus fomes fermenti exiſtit in primis viis, indeque in *Acutioribus abſorbentia* & *præcipitantia*, in *Chronicis* verò *incidentia* & *abſtergentia* dantur. *Scorbutus* ſæpè ſe *Intermittentibus* aſſociat, & periodum erraticam inducit, ut demonſtrant lancinantes artuum Dolores, vagæ Maculæ poſt ſudorem evaneſcentes, Arenulæ rubræ & friabiles parietibus matulæ adhærentes, nempe ſalia ſunt ſubtilia acido ſalſa, cryſtalliſata: contumaces propter Scorbutum exiſtunt, & ſi non ejus habeatur ratio, in cura recidivare ſolent. *Febres hæ periodicæ* nunc ſtatâ redeunt horâ, nunc ante, nunc poſt, niſi Ægri aut Medici culpâ, turbato nonnihil naturæ motu, inæqualitas inducatur. *Anticipatio* vel *poſtpoſitio* illa tres habet cauſas. 1. *Robur* naturæ validius vel debilius. 2. *Fermentum* febrile magis vel minus viſcidum aut copioſum, &c. *Multiplicantur* Febres, vel 1. errore *curæ*, vel 2. Vel errore *diætæ*. Ex errore *curæ* α. cùm minus tempeſtivè ſpecifica, & figentia adhibentur. ϐ. Cùm Opium inconſideratè præſcribitur. γ. Cùm acriora aromatica, purgantia vegetabilia vehementiora, ante concoctionem, præſertim in Quartanis, uſurpantur. Veriſſimum eſt, Quartanam in principio lentè eſſe tractandam, ne in duplicem, triplicem, aut continuam lentam mutetur. 2. Errore *diætæ*; quando imminente paroxyſmo Ægri non habent ſtomachum vacuum, & ante ipſum lacticinia bibunt, vel quando ipſo nondum abſoluto comedunt, vel quando die intermiſſionis nimium comedunt, vel horarios fructus aut ſimilia fermenteſcibilia tempore Morbi ingerunt.

Pro-

Prognoſis. Urinæ inſpectio, propter legitimum ſpecificorum uſum, obſervanda: Nam quò citius concoctionis ſigna apparent, eo brevior morbus innuitur, ſin verò pauca & imperfecta, eo diuturnior, & morbi diuturni generatio metuenda. Inſpicienda autem eſt Urina aliquamdiu poſt paroxyſmos; nam omnes in paroxyſmo crudæ excernuntur, mediante autem fermentatione poſt paroxyſmum coctæ exhibentur. Si propter Febris diuturnitatem Scirrhus Viſceri ſuperveniat, malum, metus enim Hydropis aut Tumoris cachectici eſt Intermittentes ſucceſſivè curantur, vel malè curatæ in Febrim hecticam degenerant. Cura per ſudores omnium tutiſſima; interdum ſuperveniens Icterus Febres ſolvit, ſicuti Ulcuſcula in labiis erumpentia idem præſtant. *Tertianæ benignæ* utplurimum abſque periculo ſunt; dantur etiam *malignæ & peſtilentes* cum intermiſſione, ſed raró è medio tollunt. *Nothæ* verò curatu difficiliores, & ſi error committatur, in lethales Morbos degenerant; *quotidianæ* ſi longæ fuerint & pertinaces, periculoſæ. Nam cum Ventriculus hic afficitur, atq; ſanguis crudus & aquoſus exiſtit, facilè in Cachexiam, Carum & Lethargum incidunt. *Diurna nocturnâ* periculoſior eſt, cùm tempus medium deficiat. *Diuturnæ*, ſi acceſſiones longæ, ſomnolentia, capitis gravitas ſimul adfuerit, exiſtunt periculoſæ; *Carum* enim affuturum notant. Si dejectiones accedant pituitoſæ & viſcidæ, Dolores articulorum, ſpem ſalutis denotant, ſolvuntur enim utplurimum his. *Quartana* tutiſſima propter longa intervalla, ſed medicamentum exaſperans vitetur, facilè enim tunc in *Melancholiam hypochondriac. Hydropem*, aut *Icterum nigrum* degenerat. Sexagenariis utplurimum Lethalis eſt. Æſtivæ breviores, autumnales longæ, atque raró, niſi Vere, ſolvuntur, & aliis anni æquinoctiis. *Urinæ* Quartanarum extra paroxyſmum aqueæ, tenues, & pallidæ, die paroxyſmi ex obſcuro flavæ, an-

te ſolutionem Febris turbidæ & nigræ : In his nigredo Urinæ ſalutare ſignum, in aliis periculoſum.

Cura Intermittentium. 1. Fomes materiæ morboſæ in Stomacho & primis viis removeatur incidentibus, abſtergentibus evacuantibus. 2. Fermentum febrile ſpecificis enervetur. 3. Symptomata, ut rigor, calor, & ſitis mitigentur. 4. Dyſcraſia ſanguinis debitis alterantibus reſtituatur; & hoc fiet præmiſſis ſalibus digeſtivis. v. g. *Tart. vitriol. Vomitorio, blando Purgante;* tum ſequantur *diaphoretica, & ſpecifica* ante paroxyſmum. Diebus intermiſſionis *digeſtiva*, *abſtergentia*, & poſtea *alterantia aromatica*, aperientia dicta v. g. *Eſſent. Abſinth. Elixir propriet. &c.* Sed nota. 1. *Maturandam eſſe Curam.* Maturetur autem Cura, non paroxyſmi inhibitione, ſeu Febris ſuppreſſione, ſed motus naturæ ſemper promoveatur; alias concentratum cum fomite fermentum febrile, ad alias partes tranſmittetur, & *Colicas convulſivas*, *Hydropem* vel alios morbos inducet. 2. *Venæſectio* in his Febribus non niſi ſumma neceſſitate inſtituatur, nempe in æſtu ſed magis opus videtur *ſudoribus*. 3. *Vomitoria* hic conducunt; ſed propinanda quartâ vel quintâ horâ ante paroxyſmum; ſi vires non permittant iſto die, dies ante paroxyſmum eligatur. Conveniunt præſertim in principio, neque nocent in progreſſu vel declinatione. *Indicantur*, ſi Ægri conquerantur de ſaporibus amaris in ore & nauſeabundis poſt ſomnum, Anguſtiâ præcordiorum, Vertigine extra paroxyſmum, &c. Interdum enim in principio paroxyſmi moventur humores vitioſi in primis viis ad os Ventriculi; nec deterreat ſpontaneus Vomitus, quin ulterius blando tunc ſuccurratur vomitorio. Peractâ vomitione capiat hauſtum ex *Vino generoſo*, & *Aq. Cinnamomi.* Vomitoriorum formulæ ſunt v. g. ℞ *Sal. armoniac. gr. xv. Tart. emet. gr. ii. vel iii. plus aut minus. M. d.* in vehiculo in *Quartanis.* ℞. *Rad. Aſari pulv.* ℈ß. *Crem.*

tartari

tartari gr. vii. *Miſce detur ex Aq. Carduiben.* ante paroxyſmum. 4. *Purgantia fortiora*, præſertim *vegetabilia*, à *principio* in nulla Febre conveniunt, turbant enim Maſſam ſanguineam, vires debilitant & Febrim vehementiorem reddunt. Imò in *ſtatu*, ſi copioſa ſedimenta onerant urinas prorſus ſunt venena. Si verò inſtituenda videtur purgatio ob vomitionem impeditam, aut ſuſpicionem excrementorum in primis viis ſtabulantium, ſit lenis illa, ultra 4. ſedes non provocans, specialiter in *Quartanis*. *Genuina purgantia ex antimonialib. aut mercurialib.* deſumenda ſunt; fomitem enim & febrile fermentum corrigunt. Subſtitui poſſunt mitiora vegetabilia ut *rhabarbarina*, *ſennata*. *Quartanæ* à principio leniter ſunt tractandæ, nullumque tum, niſi ſalino-lixivioſum ferè medicamentum adhibendum eſt. Obſervatum enim fuit, illas ab exhibitis remediis in duplices mutatas eſſe, & conſequenter diuturniores & contumaciores evaſiſſe. De *Quartanis* vid. *Ballonium*, *Deckerum*, *&c.* Formulæ *Purgantium leniorum* ſunt. ℞ *Tart. vitriol. gr.* xv. *Scammon. ſulph. gr.* iij. *Troch. alhand. gr.* ß. *Ol. Caryoph. gut.* i. *M. f. Pulvis* pro doſi. ℞ *Maſſ. pill. de Armon. vel Tartar.* ℈i. *Extract. Abſynth. gr.* iij. *Scammon. ſulph. gr.* ij. *M. f. Pill.* Optimum purgans in chronicis. ℞ *Conſerv. roſ.* ʒß. *Mercur. dulc.* ℈i. *Scammon. ſulph. gr. v. M. f. Bolus.* *Mercurius* hic viſcidas & pituitoſas, *Scammonium* acriores & bilioſas cruditates evacuat. Pertinet huc *ſpecificum empiricum*, præſertim in *Tertianis*. ℞ *Mechoacannæ alb.* ℈ii. *Granor. Piper. alb. no.* xxi. *Ocul. cancr.* ℈i. M. divid. in iij. partes æquales, ſingulas propinando imminente paroxyſmo, expectando ſemper largum ſudorem. Sic pulvis *Comitis de Warwich* additione *Martis* correctus, ex *Corall. rubr. pp. Sal. Abſynth. aa. gr.* xii. *Scammon. ſulph. gr.* ii. vel iii. detur ante paroxyſmum. Confert etiam, ſi mox in recidivâ capiatur. 5. *Clyſteres* optimi ſunt u-

ſus, ſi adſint flatus, borborygmi, ardores Abdominis, dolores acres & mordaces circa vertebras lumbares, excrementa indurata, &c. Stomachi debilitate laborantibus & difficulter vomentibus, fiunt ex leniter *abſtergentib.* aut *carminantib.* v.g. ex *Rad. Leviſtici, Althææ, herbis Malvæ, Biſmalv. flor. Camomill. Sambuc. ſem. Aniſ. Fœniculi, Fœnugræc. Elect. Bacc. Lauri, Hiera cum agar.* Injiciantur, imminente paroxyſmo hora i. vel ij. ante invaſionem. In *Scorbuto*, ubi dolores Lumborum & Abdominis adſunt, ex lacte fiant, v.g. ℞ *Lact. caprill.* ℔i. *Mel. roſac. rutac. aa.* ℥i. *ad* ℥i*ſ. Vitell. ov. no.* ij. *M. pro duabus vicibus.* 6. Rarò autem *Febres* hæ ſolùm *purgantibus* aut *V. S.* terminantur, ideoque hic rectè *diaphoretica* communia, tam *ſalina fixa* quàm *volatilia* appropriata, quæ fermentum illud febrile per ſudorem deſtruunt & expellunt, ſimul in uſum vocantur. *Aſſumenda autem* duabus vel tribus horis ante paroxyſm. Eligenda *diaphor.* autem pro varietate Symptomat. in paroxyſm. Ubi intenſior æſtus, fixa conducunt; itaque *calida, aromatica*, ſive *theriacalia* vitanda. 7. In *Tertianis pernicioſis ſive malignis alexipharmaca* ſemper miſcenda ſunt *ſpecificis diaphoreticis.* Et cautus ſit Medicus, ſi lingua aſpera, & virium proſtratio adſit. In Paroxyſmo hic convenit dare aliquot *grana Citri* & ejus *Emulſionem.* 8. *Opiata* leniſſimo uſu conducunt, præmiſſis evacuantibus univerſalibus, præcipuè duobus in caſibus. *a.* Si paroxyſmi ex conſuetudine naturæ febriendi recurrant, & non fomite. *b.* Aut ſi graviora in paroxyſmo adſint ſymptomata. Nunquam autem ſola ſed Febrifugis immiſceantur. *Theriaca in Quartana ne detur ante coctionem*, ſed tunc ℞ *Succ. Abſynth.* ℥ß. *Theriac.* ʒi. *M. d. ex hauſtu Vini.* Quod ſi nimius æſtus Theriacæ uſum reſpuat, capiat ex moderato hauſtu Aceti & mediante Sudore Febrim profligabit. 9. In omnibus Febribus periodicis *Æger ante paroxyſmum*

nec

nec cibum nec potum aſſumat. Utiliſſimè verò alvus exoneratur Clyſtere. Pro *potu in Febribus* utatur *Vino abſynth.* dieb. intermiſſionis. Potus non concedatur niſi in vigore & declinatione paroxyſmi, & ſit calidus vel ſaltem non adeo frigidus. In *quartanæ* paroxyſmo nimia potûs copia noxia, nam Febrim magis contumacem reddit. Potus ſit *Vinum dilutum*, *Cereviſia* ſecundaria cum *Vino medicato* correcta; in *Scorbuticis Serum lactis depuratum*, decoctum *Tamarindor. cum Paſſulis.* Quòd ſi nimius ſit æſtus, aliquot *guttæ Spir. Nitri* addantur. 10. *Salia fixa vegetabilium* & *volatilia animalium*, adeoque quælibet *alcalia*, omnes *Febres intermittentes* tollunt; uti ſunt *Sal. Abſinth. Cent. minor.* additis *Ocul. cancr. Antimon. diaphor. Coralliis*, &c. ſi frigus, *ſalia fixa*, ſi æſtus *volatilia* convenientiora; uti *Spirit. Sal. ammoniac.* ʒß. ante paroxyſm. & repetito uſu præmiſſ. præmittendis univerſale Intermittent. remedium eſt: in *Scorbuticis* cum *Spiritu Cochleariæ* datur. Sequuntur formulæ. ℞ *Spirit. ſal. ammon.* ℈i. *Corall. rubr. pp. gr. xv. Ol. Junip. gutt.* ii. *M. f.* pulv. Vel ℞ *Corall. rubr. pp. Sal. Abſinth. aa. gr. xv. Ol. Caryoph. gut. ii. M. f. pulvis*, *Vel* ℞ *Sal Carduib.* ℈i. *Antim. diaph. gr. xii. l. xv. Laud. opiat. gr. i. M. f. p. vel* ℞ *Aq. Carduib.* ℥i. *ad* ℥iß. *Spir. Sal. ammon.* ʒß *ad* ʒii. *Eſſent. Opii. gr.* viij. *Syr. Carduib.* ℥ii. *M. f. Hauſtus.* Dentur omnia illa præſcripta ante paroxyſm. Contra *Quartanam* ℞ *Sal. Abſynth. Corall. rubr. pp. an. gr. xv. ad* ℈i. *Aur. fulmin. gr.* vi. *M.* Vel ℞ *Aq. Cichor.* ℥iij. *Sal. Abſinth.* ʒß. *Spirit. Sulph. vel Vitriol.* gutt. xv. ad ℈i. M. capiat duabus horis ante paroxyſmum. 11. *Fixa & calcinata* non conducunt, niſi univerſalia abſtergentia primas vias fuerint præmiſſa, ut ſunt *Specific. Strobelberg, Crollii, Mynſicht. à* ʒß. *ad* ʒi. v. g. ℞ *Aq. Taraxac.* ʒii. *Specific. Strobelberg.* ʒi. *Syr. Carduib.* ʒij. *M.* vel ℞ *Specific. febril.* ʒß. *Sal. Abſinth.* ℈i. *M. pro* 1. *Doſi.* Poſt profligatam *Febrim*, die illo blandum laxans dandum

eſt. Propterea commendatur hic *Magiſterium Aluminis Schroder.* ante paroxyſmum ſumptum. Non inelegans quoque eſt hic Pulvis. ℞ *Ocul. Cancr.* ʒß. *Sachar. ſaturn.* ℈ß. *M. d.* ante paroxyſm. 12. *Salia fixa, ut, Tartar. vitriol. Sal. hypochondr. Arcan. duplic.* in principio ante univerſalia recté exhibentur, diebus ſcilicet intermiſſionis, uti & ante paroxyſmum. Scorbuticis convenit v. g. ℞. *Arcan. duplic.* gr. xv. *Sal. abſinth. Coral. rubr. ppt. an.* ℈ß. *Laudan. opiati gr. i. M.* 13. *Acida* non convenire ſolent, niſi rigori ſuperveniat intenſior æſtus, ſitis clamoſa; hinc dari ſequens poteſt declinante paroxyſmo, v. g. ℞ *Aq. Rubi idæj* ℥iij. *Succi ejuſd.* ʒiij. *Antimon. diaph.* ʒi. *Syr. Rub. idæj* ℥ß. *Spir. Nitri dulc. q. ſ. M.* Capiatur ſubinde cochleatim. Si adſint anguſtiæ & anxietates Præcordiorum, Flatus, &c. eadem quoque proficua ſunt. 14. *Frigus & Rigor* optimè compeſcitur *aromaticis*, ſub *Ol.* vel *Extracti* formâ uſurpatis, *v. g.* ℞ *Ol. Macis, Caryophyll. an.* ℈ß. *Junip.* ℈i. *Nuc. moſch.* ℥i. M. f. Balſ. ingruente paroxyſmo Præcordiis inungendus. Pro interno uſu v. g. ℞. *Sal. Abſinth.* ℈i. *Matr. perlar. pp. gr. xv. Piper. alb. gr. vi. M. pro* 1. *doſi* ante paroxyſm. Vel ℞ *Extract. Abſinth.* ℈i. *Sal. Abſinth.* ℈ß. *c. ſ. q. Ol. Caryoph. f. Pill.* 15. Ad *ardentes Intermittentes* nil melius quàm *Sal. armon.* ſolum *à* ℈i. *ad* ʒß. vel *cum* ℈ß. *Antihect. Poterii* mixtum. 16. Poſt Rigorem ſuperveniente *inſigni virium proſtratione*, reſpiratione *anhela, celeri & parva* cum ſucceſſu propinatur *Spir. Sal. armon. vel Ocul. Cancr. cum Aceto.* 17. *Si Cardialgiæ, Eroſiones ſtomachi* adſint, adhibentur rectè *Clyſteres*, *Emplaſtra ex gumm. Tacamah. gum. Ladano. Ol. diſtil.* quandoque & *blanda Vomitoria*, &c. 18. *Cephalalgiæ* removeantur *ſudoribus* vel blando *Epithemate camphor.* 19. *Veſicatoria*, nuchis vel carpis manuum applicata rigorem ceſſare faciunt, quandoque Febrim tollunt; applicantur die intermiſſionis. 20. *Poſt Intermittentes diuturnas* curatas ſubinde

inde convaleſcentes Febriculis lentis affliguntur, aut ſaltem *Appetitus* haud perfectè redit, leni *Vomitorio* illis occurrere poſſumus. 21. *Diuturnæ*, quæ per copioſa abſorbentia aut calcinata terrea diu uſurpata curatæ fuerunt, vix ſine inſigni labe Viſcerum ſolent evaneſcere. Unde *Colicæ*, *Cachexiæ*, *Tumores pedum*, &c. inſequuntur. Talibus optimè convenit *Decoct. Abſynth.* Crurum tumor ſæpè evenit illis, qui copioſius in Intermittentibus chronic. biberunt & parum ſudaverunt. Internè *Decoct. Abſinth.* externè *Chelidonio maj.* plantis pedum admoto curatur. 22. Poſt remiſſionem univerſal. Febris convenit bis in die ſumere gut. 30 vel 40. *de Eſſent. Abſynth. Cent. min. Spir. Cochlear. Elixir. propriet. ſ. a. Elix. febril. Mynſichti*, &c. 23. Febres intermittentes ſæpè recidivam patiuntur propter *Scorbutum*, ideoque ſemper remediis antiſcorbutica jungenda. V. g. ℞ *Elix. febril. Mynſ. Spir. Cochlear. an.* ʒij. *M. capiantur gut.* 40. *bis in die intermiſſ.* Vel ℞ *Aq. antiſcorb.* ℥j. *Spir. Sal. Ammon.* ʒß. *Cochlear.* ℈j. *Laud. op. gr. j. Syr. ſceletyrb.* ℥ß. *M.* Si ſitis intenſa, convenit *Serum lact. depurat. cum Succ. Citri*, *Decoct. Tamarind.* 24. *Julepi refrigerantes*, locum non habent, ſufficit potus ordinarius. Nobiliſſimum remedium ad temperandum calorem febrilem eſt *Nitrum depuratum*; diſſolutum in potu calido. 25. *Externa ſpecifica*, præmiſſis univerſalibus, ſunt *Emplaſtra*, *Cataplaſmata*, *Amuleta*. Parantur illa ex *Allio*, *Sabina*, *Ruta*, *Terebinth. Calce viva*, *Croco*, *Araneis*, *Fuligine fornacum*, *Salvia & Albumine ov. mixtis*, &c. v. g. ℞ *Fuligin. fumi ſplendent.* ℥iß. *Terebinth.* ʒvj. *Telar. Aranear. Camphoræ an.* ℈i. *Ol. Aran. q. ſ. f. Empl.* carpis manuum applicandum. 26. Notatu dignum eſt in Tertianis, ante paroxyſmos dextri hypochondrii & cruris dolores cum calore intenſo, quieviſſe. 27. In Cura *Quartanarum* Medicus tangat Hypochondria & obſervet, an adſit tumor, durities au-

Sci-

Scirrhus Lienis, Hepatis, aut Meſenterii. *Quærat* itidem, an adſint Flatus; quo facto demum Prognoſin & Curam inſtituat. Cùm ſæpè hic adſit vitium Lienis rectè conducunt *martialia febrifugis mixta*: ut, *Tinctura Vitriol. Martis, Vitriolum Mart. compoſ.* & *pulver. Diaph. martiale*, ſi Icterus ſupervenire velit. Externè Splenis regioni applicetur *Empl. de Cicuta cum Gumm. ammon. Acet. ſol. Empl. carmin. Sylv.* vel *Helmont.* vel ℞ *Tabaci q. v. affunde Vini q. ſ. coq. ad ebullit. per med. horam. poſtea coletur & exprimatur. Colaturæ expreſſæ* adde *Succi Nicotian. inſpiſſ. Ceræ, Oleì Olivar. aa. q. ſ. ut f. Empl.* Tepidè applicetur regioni Lienis. 28. In *quartanis* & *chronicis* aliis Ægri diu tempus paroxyſmi obſervent, ut obſervatâ diætâ recidivam declinent. 29. Inter Pathemata, quæ *Febres malè curatas* inſequuntur, inprimis ſe offerunt *Dolores colici convulſivi* cum retractione Umbilici verſus interiora atq; Alvi adſtrictione. Hinc ℞ *Aq. Menth.* ℥iß. *Spir. Sal. ammon.* ʒß. *Laudan. opiat. gr. ij. Syr. Cort. aurant.* ℥iij. *M.* capiatur cochleatim ſubinde. Dolore paulum ſedato potio laxativa paſſulata detur. Si dolor, & tumor, farciminis parvi inſtar, remaneat, tum applicetur illi regioni *Empl.* ℞ *Gumm. ammoniac. Acet. ſol. Empl. de Galban. q. ſ. Malaxet. c. ſ. q. Ung. Alth. compoſ. irroretur denuo Ol. philoſophor. & fiat. ſ. a. Emplaſtr.* Omnibus ſedatis in uſu *abſinthiacorum* perſiſtendum aliquamdiu; inter *Febrifuga vegetabilia* locum habent quævis amara; ut: *Abſinth. Carduus bened. Cent. min. Gentiana, Herbæ antiſcorbuticæ* omnes, *Taraxacum, &c.* Quartanis *Zedoar. Imperator. China chinæ*; ſed cautus ſit hujus uſus, *Myrrha*, &c. In *Scorbuto* ℞ *Myrrh. Caſtor. Opopanac. Extract. Gentian. Abſinth. an.* ℈i. *cum Mithrid. f. pill.* deglutiat 7 vel 8. duabus ſemper horis ante paroxyſmum. Facit huc Pulvis Febrifugus. ℞ *Nitri fixi* ʒß. *flor. Sulphur.* ℥iii. *Sal. ammoniac.* ℥j. *Santal. rubr.* ʒvi. *Sacchar. alb.* ʒii. *M.* detur à ʒß. ad ʒj. His ita

ita obſervatis Ratio medicandi & Remedia ſatis patent.

ART. III.

De Febribus continuis.

OCcurrunt 1. *Febres continuæ acutæ*; ſuntque hæ vel *primariæ*, vel *ſecundariæ*. Primariæ ſunt vel *ſimplices*, vel *compoſitæ*. Primaria ſimplex dicitur *Synochus putrida* aut *continens*, ad differentiam *Ephemeræ* ſive *non putridæ*, quæ ab abuſu rerum nonnaturalium, & ſubſequente fermentatione ſanguinis plus minus turbata oritur, ſed ultra 5. vel 7. diem non durat, & aliquo critico naturæ motu finitur, adeoque rarò ſub Medici curam cadit.

Synocha febris ſive *continens* incipit cum frigore vel aliquali rigore, prægreſsâ quadam capitis perturbatione, quam inſequitur æſtus corporis, eodem tenore vel perſiſtens vel ſimiliter accreſcens vel decreſcens, uſque ad finem ſtatus. Eſtque hic æſtus ſimilis ferè illi, quem ex intenſiori corporis motu aut animi Pathemate percipimus. Adſunt urinæ intensè tinctæ, ſucceſſivè turbatæ, & tandem ſedimentum deponentes. Qui tamen Bilioſi ſunt, Scorbutici, aut Phthiſici, levi etiam Febriculâ urinam reddunt intensè rubram, ob ſalia nempe acriora in ſanguine; illi verò, quibus ſanguis magis temperatus eſt & dulci ſucco chyloſo æqualiter permixtus, urinam dant intenſius tinctam & craſſiorem; ſuntque his etiam pulſus rariores & tardiores. Quoad cætera, adeſt Sitis, Saliva pauca & glutinoſa, Cephalalgia, & utplurimum Agrypnia. Pergit tali curſu hæc *Febris* donec ſolvatur, idque vel ſubitaneâ criſi die 7. vel 14. vel 21. evenire conſuetâ, ſed in frigidis hiſce regionibus perrarâ; vel ſucceſſivâ λύσει mediante Urina aut

Sudo-

Sudore, aut interdum copioſá expectoratione, aut Ptyaliſmo, aut denique Abſceſſu quodam: materia nempe ſucceſſivè cocta, vel excernitur, vel in loca quædam transfertur, aliàs in lentam Febrem, Hecticæ ſimilem, aut Recidivam degeneraret.

Peccat hic Chylus, plus minùs ſub digeſtione corruptus, & ob id in Duodeno à Bile minùs perfectus, ſed vitiosè alteratus; qui ſucceſſivè ſanguini inſtillatus, tandem verò copioſius congeſtus, aut occaſione quadam excitatus, ſpirituaſcentiam ejus naturalem turbat, indeque effervеſcentiam febrilem inducit, mediante qua materia iſta hoſtilis vel ſecernitur in morbo ſalubri, vel ſanguinis texturam ad mortem uſque immutat. Adeoque depuratur ſanguis in *ſalubri*, penitus verò pervertitur in *lethali*; ſicut Muſtum fermentando in Vinum abit, læsâ verò fermentatione in Vappam. Confirmantur dicta ex analogia, quæ inter Febrim intermittentem & continuam talem intercedit; facilè enim complicantur aut permutantur, & unus in Intermittente paroxyſmus eſt integri morbi curſus in Continuâ: acidum enim primarum viarum utrobique Maſſam ſanguineam turbat; & rectè dicitur omnes ſuccorum in corpore fermentationes eſſe ſolùm continuationes fermentationis in ſtomacho inchoatæ. Graſſantur autem hæ Febres in corpore athletico ob particularum fermenteſcibilium in ſanguine copiam, item vernali & æſtivo tempore, imò ſub iracundiæ fervore, acrium & volatilium abuſu, immerſione ſubitanea in frigidam poſt æſtum.

Succedunt *Febres continuæ compoſitæ*, cum *Intermittentibus* nempe complicatæ, adeoque *periodicæ* dictæ, ratione exacerbationis ſub certo temporis recurſu, ſine autem *Febris* intermiſſione. Sunt hæ utplurimum *tertianæ*, rarò *quotidianæ*, rariſſimè autem *quartanæ*:

aut

aut ſaltem, ſi hæ aliquando occurrant, ad Lentarum naturam proximè accedunt. Continua in his *periodicis* eſt febrilis fermentatio, adeoque pulſus mutatus & calor certa ſuá periodo exacerbatus, ſed rariſſimè ad horroris ſenſum remittens. Componuntur itaque hæ Febres ex *intermittenti* & *continua*, & contingit complicatio tribus modis, 1. Dum Intermittens in Continuam. 2. Dum Continua, correctâ plus minus Maſsâ ſanguineâ in Intermittentem degenerat. 3. Quando utraque ſimul inchoat & pergit.

Febres hæ *acutæ* pro varietate ſymptomatum diverſimodè denominantur. Quædam dicitur *Cauſus* ſive *Febris ardens*, præſente nempe *æſtu intenſo* & *ſiti clamoſa* cum *Linguæ ariditate*, *Labiorum fiſſurâ*, *Capitis dolore*. Oritur autem intenſiſſimus ille *æſtus* ex volatili acriori acido, intenſiorem efferveſcentiam excitante; *clamoſa* autem *ſitis* ex contentis ſtomachi depravatis, à calore partis & nimio æſtu febrili, in texturam alcaliſatam colliquatis, ac membranam Oeſophagi adeoque ipſius Linguæ per conſenſum irritantibus. Alia *Febris lipyria* dicitur, qua interiora uruntur ex inflammatione Viſceris interioris valdè ſenſilis, exteriora verò, univerſi nempe corporis habitus, frigent. *Algor* autem non ex tactu, ſed ex Ægri judicio dijudicatur. Periculoſa eſt *Lipyria* ex inflammatione partis membranoſæ, Ventriculi nempe, Uteri, Veſicæ, &c. oriunda. Adſunt autem ſummus æſtus partis affectæ. Linguæ cruſta nigra, corporis agitatio, ſitis, delirium, pervigilia, &c. Notatur, partis ſenſilis Inflammationem ſequi *Lipyriam*, non ſenſilis verò Febrim plus minus lentam. Porrò dantur cum *Prunella* junctæ *Febres*; ſaliva hic alterata & mox glutinoſa mucilaginis inſtar obducit partes teneras, quæ pedetentim exſiccata, ab æſtu, mox Phlogoſin ſive inflammatoriam diſpoſitionem inducit, unde rubedo, ardor, dolor, mucus ſpiſſus, &c.

Febres acutæ quædam ſuns *deliræ.* In his fermentum febrile inimicum videtur Spir. animalibus, & generi nervoſo circa partes interiores capitis, & hinc ſuâ continuâ vellicatione (unde intenſior æſtus circa frontem) vigiliarum, deliriorum, atque convulſionum cauſa exiſtunt. *Benignæ* quoq; hæ acutæ Febres ſæpius *malignæ* evadunt, eæque periculoſæ: accedit enim ſæpè ut malignitas earum primis diebus lateat. Dantur & *colliquativæ*, corpus ſubito emaciantes, ex diſſolutione roris chyloſi in Maſſa ſanguinea & ſolidis partibus, imò ipſa pinguedinis fuſione oriundæ. Accidit *nunc* mediante ſenſili ſubſtantiæ colliquatæ excretione crebriori, hinc dicitur *Diarrhœa colliquativa*, in qua copioſa fœtida oleoſa & pinguia excernuntur, item Urinæ fluxus *colliquativus* copioſus, interdum plus minus calidus & glutinoſus. *Nunc* autem ſine ſenſili excretione, dum ros corporis paulatim abſumitur & non alius ſuggeritur. *Cauſa* colliquationis partim in *ſubjecto patiente* aut ſucco chyloſo nutritio, partim in *efficiente causâ* conſiſtit. In *patiente*, ſi ſuccus iſte rarioris texturæ, minuſque ab acido concentratæ exiſtit, hinc facilè reſolvitur. Ex. gr. *Olea* per *Spir. Nitri acidum* in pinguedinem coagulare poſſumus, è contrario alcalia & Saccharum Butyri coactionem penitus imminuunt. *Cauſa efficiens* menſtruum diſſolvens, non eſt tantùm motus caloris, ſed *acrimonia ſeptica ſive cauſtica fermenti febrilis*, ſuccum illum & pinguedinem liquefaciens, ſimili ferè ratione ac particulæ acres purgantes ſudoriferâ reſinosâ acrimoniâ ſuâ partes nutritivas diſſolvere ſolent. Diſtinguendi ſunt autem hi duo Affectus: 1. *Generalis Atrophia*, quæ à colliquatione ſeu emaciatione oritur. *Partium mollium concidentia*, à ſpirituum influorum defectu orta, vitio enim vel influxu illorum denegato partes molles, ut *Naſus, Facies, Oculi orbitæ*, &c. ſubito afficiuntur. Itaque mutatio illa ſubitanea in quovis ſtatu Morbi malum ſignum denotat.

Plu-

Plures apud Veteres adhuc annotantur differentiæ *acutarum*, v. gr. *Pemphygodes*, latinè *ampulloſam diceres*, in quâ totum corpus bullulis protuberantibus diſpergitur. Effectus videtur eſſe fermenti maligni, cum ſuo vehiculo, quaſi critico motu naturæ, excluſi. *Febres hyphodes*, *elodes*, *tydrodes*, latinis ſudorificæ dictæ, ubi Ægri primo invaſionis die copiosè ſudant; de his *Sylvius* conſulatur. Febris *aſſodes ſive anxioſa*, in qua ab anxietate ſæpè figuram jacendi variant. *Cauſa* hujus frequentiſſima eſt *oris Ventriculi affectus* à fermento maligno vel pravis humoribus ortus; accedit orgaſmus vel malignitas materiæ, item imbecillitas. *Febris lingodes*, quæ ſingultum per totum morbum comitem habet, utplurimum ex ventriculo per *eſſentiam* vel *conſenſum* affecto. *Febris phricodes*, cum continuo nempe horrore & rigore; idque non ſolùm in Suppurationibus partium, ſed & in Febribus compoſitis.

Inter *Febres compoſitas* eminet *ſemitertiana*, quam vulgo compoſitam eſſe dicunt ex *tertiana* & *quotidiana*, quarum una ſit *continua periodica* altera *intermittens*, cum horrore ſub quovis paroxyſmi inſultu. Unde *Regius* exemplum dat *tertianæ* cum *quotidiana intermittente*; *Tymæus tertianæ intermittentis* cum *quotidiana continua*; *Riverius continuæ quotidianæ* cum *quadruplici tertiana*; *Platerus continuæ* minùs *acutæ* cum *duplici tertiana*, ſingultu & ſiniſtri hypochondrii tumore. *Sennertus* & alium addit typum ex *intermittente*, præſertim *tertiana*, vel ſimplici vel multiplici, conjuncta cum *Febre ſymptomatica continua*, inflammationem partis internæ ſequente. Obſervandum etiam, *Febrem malignam* interdum *ſemitertianæ* typum referre, vel ex vago exacerbationis quaſi morſu, vel quia revera *tertianæ intermitt.* jungitur. Unde *Hemitritæus* peſtilens paſſim ab Authoribus deſcribitur. Obſervandum & *intermittentes* malè curatas in *continuas* facilè degene-

rare, unde & tali *Lentæ* ipſa *Intermittens* complicatur. Cæterùm probabile eſt, *ſemitertianam* non tàm complicationem Febrium eſſe, quàm *Febrim continuam horrificam*, & plures *Intermittentes* invicem ſuccedentes. *Signum* utique *pathognomicum Hemitritæi* ferè eſſe ſolet, quando Febris continua eſt, ſed ſuccedunt rigores, cum inſequente æſtu intenſiore, ſi *Tertiana* ſit *intermittens*, mitiori autem incaleſcentia ſi ſit *Intermittens quotidiana*. Ex dictis patet, fermentum acidum membranas vellicans, horroris & rigoris; item Maſſam ſanguineam inquinans, ex æſtuationis occaſionem ſuggerere: Unde multiplex ille complicationis typus facilè derivari poteſt. Sic in *Variolis* nonnunquam *Semitertiana* obſervatur, ab acri *Variolarum* fermento, partes membranaceas vellicante, & in ſanguine æſtuante; cui accedit ratio ſpecialis contentorum Idioſyncraſiæ. In *Eryſipelate* etiam acidum, membranas vellicans, Febrim infert, quæ typum hunc repræſentat. Ut dignoſcatur denique, an *ſimplex* an *complicata* ſit *Febris*, obſervandum, rigorem ſine ſubſequente ſudore, aut forte plures rigores cum uno ſudore in continuis *compoſitam* indicare. Nam in *Synocha* rigor non apparet, niſi criſis tempore, quem ſudor ſequitur. Deinde pulsûs crebrior contractio in *continuis* novi paroxyſmi adeoque *Febris compoſitæ* indicium exhibet.

Prognoſis. Febres acutæ continuæ perfectè ad ſanitatem, vel imperfectè ad mortem terminantur. Perfectè quando *criſi* ſubitaneâ, aut λύσει ſucceſſivâ convaleſcunt Ægri. *Imperfectè*, dum ab uſu præcipitantium fermentatio febrilis ſupprimitur, & fixatur in tantum ab acido morboſo, ut recidiva periculoſior inſurgat. Alias *Febris* tam *continens*, quàm *continua tertiana*, ceu *acutæ* ſunt ambigui exitus: per ſe quidem minùs periculoſæ, de facili tamen periculum ſupervenit. *Periculoſæ illæ* ſunt, quæ nimis *acutæ*, atque ſymptomata in prin-

principio vehementia obtinent, & tales fere malignæ cenſendæ. *Urina* alba, aut cruda in *Febribus ardentibus* periculoſa, *alba tenuis* & *clara* in delirantibus cum Febre & æſtu lethale ſignum eſt. Quando *rubicundior* initio eſt, cum ſignis bonis ad bonum, cum ſignis malis ad malum terminatur. Quæ lethales exiſtunt, *vires*, citra ullam evacuationem criticam, proſternunt. Apud nos morbi acuti ſeptimâ aut decimâ quartâ die finiuntur; quin & ultra hunc terminum quoque ſolent extendi, dum in aliis locis rarius ad decimum quartum diem extenduntur. Unde ratio circumſtantiarum habenda, ſigna coctionis probè attendenda. Criſis, quæ in his frigidioribus per ſudorem vel alvi fluxum, in aliis calidis regionibus per Hæmorrhagiam ferè contingere ſolet.

Cura. In *Febribus acutis* Medicus naturæ ſit miniſter. Cùm enim Maſſæ ſanguineæ effervеſcentia hic à ſua heterogeneitate depuratur, & ſic per illam Criſes manifeſtantur, medicatio fit *conatum illius moderando & adjuvando.* 1. Impedimenta removentibus. 2. Alterantibus & blandè diaphoreticis, h. e. acrimoniam abſorbentibus & bilem corrigentibus. 3. Symptomata urgentia mitigantibus; quem in finem α. Prodeſt ſanguinis per Venæſectionem evacuatio. β Conveniunt Nitrum Antimonii fixatum, Partes quin & Animalium duræ. Et γ. In genere *anodyna*, in ſpecie *moderata acida*, aliave appropriata. Hac methodo Medicus non negligit, ſed expectat Criſin.

Obſervandum interea unum atque alterum probè; etenim 1. Cautus ſit Medicus, ne pro *Cauſo*, aliave *continuâ*, curet præſentem *malignam* Febrim, malignitas enim primis diebus latet & formam *Cauſi* præ ſe fert. Ideo ſtatim *bezoardica* & *alexipharmaca* commendanda, ita tamen ut nequaquam ad ſudorem cogatur Æger; ſi certo conſtet, nullam malignitatem adeſſe, reliqua tuto peragi poterunt. 2. In tali *Febre continuâ acutâ*

Venæſectio locum habet, in quâ nimius urget, aut metuendus eſt æſtus, aut nimia turgeſcentia contentorum corporis, aſſuetis item aut quibus ſuppreſſa eſt ſolennis evacuatio. Venæſectio inſtituatur mox in principio, quocunque diei tempore. Ut igitur frænetur æſtus, & ut fiat circuitus ſanguinis liberior, inſtituatur mane aut veſperi in meliore aliquo tempore morbi & remiſſiore calore. Quantitas mittendi ſanguinis à conditione ſubjecti ac impetu Febris deſumitur. 3. *Vomitoria* conducunt, ſi inanis vomendi conatus, ructus acidi, vel præcordiorum anxietas urgeant; item ſi dubium annon maligna, aut ſi ex contagio ortum traxerit. Obſervandæ ſimul *Vires*, ne vomitoria ſint nimis valida, quoniam in talibus Ægris multum & vehementer ſolent evacuare. 4. *Purgatio*, non niſi coctâ materiâ, in declinatione Morbi convenit; ſi verò Morbi decurſu alvus admodum conſtipata videtur, utimur his blandioribus: ut *Syr. Roſ. ſolut. Sero Lactis cui Tamarindi ſint incocti.* In *Febribus malignis*, in quibus natura verè intendit motum ad partes intercutaneas, cautiſſimi ſimus in alvo aperiendâ: ℞ *Pulv. Rhab. Cremor. Tart. an.* ℈j. *Scammon. pp. gr. j. m.* capiatur in vehiculo calido. Vel, ℞ *Tart. vitriol. gr.* vii. *ad* xv. *Scammon. Sulphurat. gr.* ii. *vel* iij. *m. f. Pulv. Item Infuſ. folior. Senn. cum Rhabarb.* 5. *Alterantia* & *blanda diaphoretica*, & quæ ſymptomata urgentia mitigant, conducunt. 6. *Clyſmata* duobus in caſibus, nimirum ſi vel ſymptomata Præcordiorum & Abdominis urgeant, & orgaſmus ad Caput ferri videatur: vel ſi nimia ebullitio ſit & æſtuatio ſanguinis. 7. *Diaphoreſis*, ut in omni *Febre*, ita in ſpecie in *continuis* ſervanda eſt libera: ſic enim calor & æſtus, aliaque ſymptomata mitiora eſſe ſolent. In principio, quo omnia ſunt cruda, Ægri ad ſudorem minimè cogendi; conveniunt autem tum *diaphoretica ſalina, terrea, minùs volatilia, ſulphurea* vel *reſinoſa.* 8. *Opiata* in *Febribus*

bus ardentibus optima ſunt quandoque. Si materia peccans turgeat & orgaſmus ſit humorum, optimè datur *Syr. Papaver. alb. ad ℥i. cum Nitri ſ.q.* Etiam alia *opiata*, ſemper addito tantillo *Nitri*, dum vires conſtant, dari poſſunt; æſtum enim compeſcendo, Ægro quietem conciliant, atque diaphoreſin promovendo orgaſmum nonnihil ſufflaminant, & hinc, ut coctio melius procedat, per accidens juvant, ac ſpiritus blandè figendo, abſumptionem & diſſipationem eorum nonnihil præcavent. In *Cauſo* cum *dolore Ventriculi*, *v. gr.* ℞ *Aq. Scabioſ.* ℥vi. *Syr. papav.* ℥i. *Succ. Limon.* ℥ß. *Spec. diamarg. frig.* ʒi. *M.* Vel ad tumultum emetico concitatum ſopiendum: ℞ *Aq. Papav. rhead.* ℥ij. *Aq. mirabil. Syr. de Mecon. an.* ʒii. *Papav. err.* ℥ß. *M. f. Hauſtus.* 9. *Victus* in *Ardentibus* ſit tenuis. Appetitus hic ferè proſtratus eſt, & quæcunque aſſumunt, calore febrili putreſcunt & ſic ſtomachum aggravant. Reconvaleſcentes à carnium aliorumq; ciborum dyſpeptorum uſu ſibi aliquamdiu temperent ne relabantur. 10. In *Ardente continuâ Potus* liberalior concedendus; quo major ſitis & æſtus eo liberius indulgendum, ſed parcius & frequentius, ne nimiâ ingurgitatione tonum Ventriculi labefactet. In *Selectu* potius ratio effervefcentiæ, hinc ſymptomatum circa primas vias urgentium, præſertim Alvi plus minus clauſæ vel apertæ, habenda eſt. Hinc *Serum Lactis depurat.* & *ſuccus Citri* aliquantum *acidulatus* convenit, ſic *Aqua fontana* vel *Cereviſia ſecundaria* cum quintâ vel ſextâ parte vini miſta, atque *Syr. Cydonior.* vel *Rubi idæi* edulcorata, &c. gratiſſimum potum Ægris ſuggerit. In æſtu nimio *Cauſi acida mineralia*, in æſtu moderatiori *vegetabilia* conveniunt. 11. *Veſicatoria* quomodo in his applicanda, infra *de Malignis* exponetur. Remedia *alterantia* in his uſitata vel ipſum *Affectum* ejuſque *cauſam* materialem occaſionalem, vel *Symptomata primaria* reſpiciunt. Illa ſint *Nitra* & *ni-*

trata, inprimis *Nitr. antimoniat. Nitr. vitriolat. Antimon. diaphor.* tam *ſimplex* quàm *compoſitum*, aut *martiale Ludovici*, *ſaturnale Poter. Antihecticum ejus*, *Bezoardic. miner. ſimpl.* aut *Saturn. Antimonii.* Hinc *abſorbentia animalia*, hiſque cognata *terrea*, v. g. *C. C. ſine igne*, hujuſque *Gelatina*, cujuſvis acris temperativa, *Ebur ſine igne*, *Maxillæ Lucii piſcis*, *Corallia pp. aut illorum Magiſter. cum ſucco Citri*, *Unicornu foſſil. Terr. ſigill.* &c. Quin & *Sal. volat. C. C. it. Liquor. C. C. ſuccinat.* Hiſce ex *vegetabilibus refrigerantia* & *hepatica* addenda, v. g. *Cichor. Tarax. Plantago*, *Acetoſa*, *Portulaca*, *Fumar. Fragar. flor. Roſ.* ex quibus *decocta* parari poſſunt. Item *Emulſion. ex Semin. frigidis maj.* Corrigendæ *Bilis acrimoniæ apozema* convenit, v. g. ℞ *Rad. Acetoſ. cum fol. m. ij. fol. Fragar. Violar. aa. m. j. coq. ex Aq. Hord. ad colat.* ℥xx. *add. Syr. acetoſ. Citr.* ℥iij. *Spir. Nitr. dulc.* ℈ß. *M.* Ad emendandam verò *bilis oleoſitatem inflammabilem* ℞ *Rad. plantag.* ℥j. *fol. Semperviv. maj. Portulac. an. m.* ij. *coq. ex Aq. pura ad* ℥xx. *add. Syr. Portulac.* ℥iij. *Ol. Sulph. per campanam q. ſ. ad acidit. temperat.* Ad *Bilem ſanguini immiſtam* ſecernendam *Rad. Tarax. cum fol. m.* ii. *Herb. Fumar. m.* i. *coq. ex Aq. ad col.* ℥xx. add. *Syr. de Cichor. ſimpl.* ℥iij. *Tart. vitriol.* ʒi. *M.* Præſcripta *Apozemata* bis vel ter quotidie mediocri quantitate, tepidè ſunt uſurpanda, nempe ad ℥iij. vel iv. Pro *Bile* ad evacuationem jam diſpoſitâ *minuendâ & evacuandâ ſenſim & blandè*, conducit ſequens. ℞ *Rad. Cichor.* ℥ij. *Fol. Endiv. m.* ii. *flor. Roſ. pallid. m.* i. *Cremor. Tart.* ʒij. *coq. in vaſe fictili vitreato ad* ℥xx. *add. Syr. de Cichor. cum Rhabarb.* ℥iij. *M.* Remedia ſymptomata magis reſpicientia, ſunt inprimis *acida*, *æſtum*, *ſitim*, *oris ſqualorem*, *virium diminutionem mitigantia.* Ubi quæ ex *Regno vegetabili* ſumuntur, *mitiora* ſunt, quæ verò ex *minerali*, *acriora* exiſtunt. *Hæc* in æſtu minori, *illa* in majori conveniunt. *Hæc* facilius in ſalſum, temperatum, diureticum in nobis

bis alterantur: *Illa* contrà fixioris magis naturæ, & acida potentiora figentia & inde æſtuationes natas mitigantia evadunt. *Vegetabilia* uſitatiora ſunt *Succi Citri, Cydonior. Ribium, Rubi idæi, Acetoſæ, Tamarindorum*, &c. Cmmendabiles ſunt hi per ſpontaneam reſidentiam poſt ſulphurationem depurati. *Mineralia* ſuggerunt *Spiritus acidos* tam ſimplices, primariò *Sulphuris*, hinc *Vitrioli, Nitri*, quàm *compoſitos*, nempe *Clyſſos ſulphureos*. *Temperatis* ſemper inſiſtamus, quia intemperata nimiam mutationem inferunt, & nunquam bona. Ex omnibus eligerem *Spirit. Sulph.* hinc *Spirit. Nitri dulcem*. Ex dictis plures Formulæ in incremento & ſtatu Morbi uſurpabiles concinnari poſſunt. V.gr. ℞ *Arcan. duplicati gr.*xvi. *Antimon. diaph.*℈ß.*m.*pro doſi. *Pulvis* hic ita compoſitus nonnihil laxare obſervatur. ℞ *Nitr. antimonial.* ʒß. ad ℈ii. *Antimon. diaph.* ℈i. *m.* pro 2. Doſ. Vel ℞ *Nitr. antimonial.* ℈ß. *ad* ℈i. *Antimon. diaph.* ℈ß. *ad gr.* xv. *m.* pro Doſ. Vel ℞ *C.C. ſine igne gr.*xv. *Bezoard. miner. vel ſaturnal.*℈ß. *Camph. gr.i.m.* Vel ℞ *Ebor. ſine igne, Unicorn. foſſil. Cinnab. Antimon. an.* gr.viii. *m.* pro Doſ. Vel ℞ *Aq. Tarax. Card. Bened. flor. Acaciæ an.* ℥i. *Gelatin. C.C.* ℥i. *ad* ℥iß. *C.C. ſine igne* ℈i. *Antimon. diaphor. Antihect. Poter. an. gr.* xii. *Syrup. de Portulac.* ʒvj. *m.* Ubi magis *acrimonia ſalina* peccat, ℞ *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒiß. *Papav. albi* ʒii. c. ſ. q. *Aq. flor. Papav. errat. f. Emulſio, add. Ebor. ſine igne* ℈i. *Antimon. Diaph.* ℈ii. *Sacch. parum, miſce capiat* ſubinde hauſtum. Alias ſub *Juleporum* forma præſcribuntur, v.g. ℞ *Aq. Hord.* ℥xxx. *flor. Roſ. rubr.*℥ß. *Spir. Vitriol. q. ſ. ad grat. acid. Stent per 3. horas in loco calido, add. Syr. jujubin.* ℥iii. *m. f. Julep.* ℞ *Decoct. Hord.* ℥xx. *Aq. Cinnamom.* ℥i, *Syr. Violar. ſimpl.* ℥iiß. *Sal. prunel.* ʒi. *m.* Doſis erit hauſtus mediocris. Vel ℞ *Decoct. rad. Scorzoner cum C. C.* ℔i, *Syr. Acetoſ. de Nymph. an.* ℥i. *ad* ℥iß. *Tinct. Roſ. Viol. an.* ʒiß. *Spir. Sulph. parum. m.* Vel ℞ *Rad. Scorzoner.* ʒi. *Glycirh.* ℥ß. *fol. Ace-*

toſ. m.j. flor. Violar. Roſ. rubr. Borrag. an. p. 11. *Hord. ſelect. m.j. Raſ. C. C.* ℥i. *ad* ℥iß. *Paſſul. mund.* ℥i. *coq. inſ. q. Aq. ſimpl. ad* ℔iv. *add. Spir. Vitriol. q. ſ. ad gratum ſaporem. M.* de quo Æger ſubinde capiat. Par ratio eſt quoad methodum medendi *continuarum tertianarum*, niſi quod in his ad *exacerbationem* & *viciſſitudinem* magis reſpiciendum; adeoque ſupra laudata conveniunt, in ſpecie *Nitrum vitriolatum*, *Corallia*, *Lapid. Cancr. Antibect. Poter.* &c. Imminente paroxyſmo conſervandum corpus in diaphoreſi blanda. Eadem ferè de *Semitertianis* aliiſque *compoſitis* tenenda. Sunt autem omnes *tertianæ* periculoſæ, nunc magis nunc minus *acutæ*, & pro varietate compoſitionis cura eſt varianda, attendendo an magis *benigna* vel *maligna* fuerit. Si *Intermittenti* juncta fuerit *lenta*, pro ratione originis *Prognoſis* & *Cura* nonnihil modificanda. *In genere rigorem* & *horrorem* tollunt *abſorbentia alcalia*, &c. *æſtum* verò eadem, diaphoreſi & alvi libertate juncta. Si ſtata periodo recurrant paroxyſmi, ante *exacerbationem* remedia poſſunt propinari. *Vomitoria* in pleriſque optima; ſi cum Inflammatione juncta, *diaphoret.* & *ſudorifera*, ſi cum lentis *ſalia abſtergentia* & *incidentia*, ut ſunt *Sal ammoniacum, Arcan. duplic.* &c. proſunt. Quoad differentias *continuarum* jam recenſitas, *Cauſus* nil ſingulare in curâ obtinet, ſaltem *nitrata*, ratione *ſitis* & *æſtus*, tam in formâ *ſiccâ* quàm *liquidâ* conveniunt, v. g. ℞ *Nitr. antimon.* ℥ß. *diſſolv. in menſurâ potus ordinarii*, ita ut ℥ß. liceat in die dare, niſi liberior obſtiterit alvus. Quod ſi *Nitro* dato Æger incipiat liberalius & cum nullo ardore meiere, bonum ſignum. *Spiritum Nitri* in *Julepis* & *Potionibus* vide ſupra. In hoc paſſu *Laudanum opiat.* prudenter exhibitum omnem vim caloris refrænat. *Lipyria* periculoſa ſæpè, propter *internas* quaſdem *partes inflammatas*, curanda per *diaphoret.* tam *abſorbentia*, quàm *volatilia alcalia penetrantia* & *diſcutientia*, quæ medendi

dendi ratio infra de *Inflammatione*, in ſpecie *Pleuritide* tradentur. *Prunellam* corrigunt ac diſcutiunt *Sectio Venarum ranin. Oris lotiones* tam cum, quàm ſine gargariſatione, v.g. ℞ *Fol. Brunel. Salicis, Fragar. an. m.j. Hord. integri p.i. decoq. ex Aq. pur. ad* ℥xii. *add. Roob diamoron.* ℥i. *Lap. prunel.* ʒß. *M.* quo os ſæpius colluat & gangarizet Ægrotus. Item ℞ *Mucilag. ſem. Cydon. Aq. Rubi idæi extract.* ℥iß. *Syr. Portulac.* ʒvi. *Nitri parum. M. detineatur in ore.* Item ex *Cancr fluviatil.* cum *Aceto* contuſis fit expreſſio, cui add. *Succ. Sedi maj.* ℥iii. & hoc liquore fricanda lingua. Item ℞ *Aq. Semperviv. vulg. cum ſucc. præpar. rec. imprægn.* & in *ejus* ℔i. *diſſolv. Salis ammon.* ʒi. *qua ipſæ fauces eluantur aut humectentur.* Si autem fauces ſint ſiccæ & aridæ ſine cruſtæ pituitoſæ præſentiâ, tum ℞ *Aq. commun.* ℔iß. *Mel. comm. cochl.* ii. *ſpir. vin. rectif.* ℥ß. *vel* ℥i. *M. pro Collutione.* Si poſt tales collutiones in graviori malo mox lingua denuo areſcit optimè conducit linguam emollire *Butyro non ſalito*, fruſtulo *Lardi non ſaliti*, &c. Curam *malignarum* infra tractabimus. *Delirium*, *Agrypniam*, *Cephalalgiam* in *Febribus* curant blanda *anodyna* & *opiata* cum *appropriatis* cautè uſurpata. Quod ſi æſtus intenſior circa frontem, quàm reliquas partes obſervatur; & ratione Pathematum capitis & ratione junctæ *Prunellæ*, apertio *venarum raninarnm* ſubinde proficua exiſtit. Imminente delirio *Hirudinum applicatio* pone aures non inutilis foret. *Epithemata* tepidè applicata, ita ut tempora etiam tegant, hic locum habent, v. g. ℞ *Aq. flor. Sambuc.* ʒij. *Aq. apoplect. uſit.* ℥ß. *Philon. rom.* ʒi. *M.* Vel ℞ *Sem. papav. alb.* ʒii. *Nucl. Perſic.* ʒii. *vel* ʒiii. *Aq. Sperm. Ran.* ʒiii. *Aq. Semperviv. maj. Solan. an.* ℥iß. *Miſc. f. l. a. Emulſio, add. Camphor. gr.* 8. *vel* 10. Huic *ana ſucc. Canc. fluviat.* permiſceatur, & ita crebrius fronti applicetur. Tandem *pedum plantis* applicantur v.g. ℞ *Rutæ recent. M.* iii. *Rad. Raphan. inc. N.* iii. *Sal. com. m.* i. *Ferment. acerr. m.* ii. *c. ſ. q.*

Aceti rutac. f. Cataplaſma. Aliqui *Linum recens* cum *Aceto* miſtum, vel *Fermentum acre Aceto & Sale* ſubactum, plantis pedum applicant. Quin & ſi impetuoſior raptus ad caput metuatur, *Veſicatoria*, femoribus vel brachiis applicata, conveniunt. Quoad *Febres colliquativas*, hic acre colliquefaciens corrigatur. Ad hoc corrigendum nil magis quam *abſorbentia*, convenit, v. g. *Antimon. diaphor. Bezoardicum martiale, Terra ſigil. Unicornu foſſile*, &c. quæ eo videbuntur efficaciora, ſi ſocietate blanda *acidorum* aliqualem quaſi auſteritatem contraxerint. Hinc *Spir. Sal. dulc.* & quodvis *acre temperans*; & inter *compoſita Diaſcord. Frac.* juncto *Succo Citri*, conducit. Hæc *de continuis acutis*.

ARTIC. IV.

De Febribus continuis Lentis.

SEquuntur *Continuæ lentæ*, ita dictæ, quòd tardiori motu ſua tempora abſolvunt, quodque calore minùs intenſo & acri, & mitioribus ſymptomatis ſtipentur. Sunt quidem *Febres lentæ* minùs propriè ſic dictæ, nonnihil ad acutarum naturam accedentes, quæ graviora ſymptomata habent, & brevius tempora ſua, abſque tamen motu critico, ſucceſſivâ tantùm ſolutione percurrunt. *Lentæ* ſunt omnes *benignæ*, licèt & *petechiales* præ cæteris *malignis lentæ* eſſe videantur.

Sunt hæ *Febres lentæ* nunc *primariæ*, quæ per ſe incipiunt & ſubſiſtunt, nunc *ſecundariæ*, ab alia cauſa dependentes, v. g. à corruptione partis internæ, Febri aliâ malè tractatâ, &c. Sunt autem omnes *Febres lentæ* ferè *periodicæ*, quæ certis periodis exacerbantur, idque vel veſpertino tempore, & ſic *quotidianæ* typum repræſentant, vel ab omni paſtu *Hecticarum* ad inſtar.

Symptomata Lentarum primariarum ſunt horror levis

vis ſed diuturnus, inſequente calore non adeò intenſo, utut ſubinde mordaci, qui veſperi intenditur uſque ad medium noctis, & dein abſque ſenſili excretione ſolvitur, pulſus celer ad parvitatem declinans, appetitus nullus, ſitis intenſa, os glutinoſum, urinæ craſſæ intenſius tinctæ, quæ facilè turbantur & ſubinde multum craſſamenti ſeponunt. Adeſt ſimul laſſitudo corporis contundens & ſubinde lancinationes artuum cephalalgia tenſiva & gravativa. Ex dictis patet *lentas* ad *acutarum* naturam accedere, quod confirmatur ex eo, quod *acutæ in lentas* facilè degenerant. Hæc enim ſola eſt differentia quod in *acutis* acidum acrius ac volatilius concitatiorem impetum febrilem excitat; in *lentis* autem acidum minùs acre, aut in ſubjecto viſcidiori hærens, remiſſiorem dat impetum. Notum enim eſt, morbos lentos ex materia viſcida, acutos autem ex acriori originem ducere.

Cauſa itaque *lentarum Febrium primariarum* erit vitium digeſtionis primæ, dum ex inertia fermenti digeſtivi aut Bilis, Chylus minus volatilis & vitiosè acidus fomitem febrilem Sanguini continuò ſuppeditat. Si poterit Sanguis heterogeneum hoc concoquere & per urinam & ſudores eliminare, ſalubriter ceſſat Febris. Sin verò Chylus ille vitioſus, Lympham totius corporis æquè ac Sanguinem vitiaverit, ſanè vitium illud Lymphæ ad Gelatinæ naturam accedens Febrem fovebit & nonnulla Symptomata inducet, qualia ſunt exacerbatio veſpertina, in ſpecie caloris; notum enim eſt Affectus lymphaticos appetente nocte intendi, forſan quia uberiore tranſpiratione impeditâ, lymphæ aut copia aut acrimonia augetur, aut textura ejus vitiatur; ejuſmodi etiam eſt laſſitudo contundens & lancinans, quæ lymphæ vitia ſequi ſolent; & ſi in *acutis* obſervetur, ſemper ferè ſubeſt *Scorbutus*, adeoque Lymphæ vitium.

Refer-

Refertur huc *Epiala*, in qua interiora algent & exteriora fervent. *Lindanus* hanc fictitiam eſſe ponit, & hoc nomine nil aliud intelligit quàm Febrem continuam cum calore leni, humido ac molli, & meritò quidem. Si enim talis obſervetur *Febris* cum calore & frigore concidente, non eſt *Febris peculiaris*, ſed ſymptomata Intermittentium copulatarum, vel ſaltem Intermittentium cum Continuis junctarum, cum calori unius miſceatur horror alterius. Simile quid obſervamus in *Puerperis*, aliiſque *purpurâ* affectis, in quibus ante *purpuræ* eruptionem, urgente licet æſtu, tantilla tamen parte extra lectum prolatâ, mox horroris ſenſus in corporis peripheriâ percipitur, à particulis ſalinis jamjam excernendis, panniculum carnoſum contrahentibus. Referuntur huc *Febres ſyncopales*, licet animi deliquium in aliis Febribus etiam obſervetur: Et videtur originem ducere, vel à muco vitioſo ſuperius Ventriculi orificium irritante, vel ab humore æruginoſo in Ventriculo contento.

Prognoſis. *Continua quotidiana* magis vel minùs diuturna eſſe ſolet, difficilis hinc curatu, nec ſemper omni periculo vacat. Quo pejora ſymptomata habet, eo periculoſior eſt. Conſiderandæ hinc probè veniunt omnes circumſtantiæ. *Paroxyſmi veſpertini* ſi ſint *longi*, cum ad 16. horas aliquando extendantur, vires debiles, appetitus proſtratus, periculum ſubeſt. Salubris *hæc Febris*, niſi cautè curetur, nunc in *Cachexiam*, ſi nempe plus minus *acuta*, nunc verò in *Hecticam*, ſi *lenta* magis extiterit, degenerat. *Epiala lenis* periculo vacat, ſed *diuturna* facilè in *Hecticam* terminari poteſt.

Cura. 1. Fermentum acidum corrigendum. 2. *Fomes pituitoſa*, *cruditas acida* removenda. 3. *Symptomata* mitiganda.

Pro his ſcopis conſequendis. 1. In *Principio* & *incremento*, & ſi vires conſtent, optimè mitius Vomito-

rium

rium conducit. 2. *Diuretica*, attenuantia Maſſam ſanguineam, quæ ſi cruda excrementa circa primas vias aut aliis in locis reſtiterint, ea diſſolvunt & abſtergunt, & remotioni aptiora reddunt. Remedia itaque, hac in Febre proficua, ſunt *Sal. ammoniac. Nitr. antimon. Tart. vitriol. Antihect. Poter. Spir. Sal. dulc.* &c. verb. gr.

℞ *Sal. ammon. depur.* ℈i. *Antihect. Poter.* ℈ß. *ad gr.* xv. *M.* detur ante exacerbationem. Vel ℞ *Aq. Hyſſop. Carduib. an.* ℥iß. *Spir. theriacal. ſimpl.* ʒiii. *Spir. Sal. dulc.* ʒß. ad ʒi. *Syr. de Hyſſop.* ℥ß. *M.*

Epialæ cura facilè ab origine aut generatione derivatur. In *Syncopali* habenda ratio cauſæ. Hinc optimè *Unicornu verum* in principio paroxyſmi, tempore Syncopes, datur. Item *decoctio Tamarindorum*, ubi ſucci nidoroſi acres, &c. adſunt. Si *viſcidum* plus minus *flatulentum* in cauſa fuerit, *ſpirituoſa volatilia alcalia*, vel *ſulphurea*, ſeu *inflammabilia* ad *Syncopes* curam conveniunt. Si interdum Lipothymia præcedit Febrim, non *cardiacum*, ſed *purgans* potius eſt dandum. Si ſuſpicio ſit cruditatum pituitoſarum, aut adſit *Cephalalgia* & æſtus intenſior, ſequens conducit emeticum.

℞ *Aq. Menth.* ℥ß. *Syr. emetic.* ℥iii. *M.* detur ante exacerbationem.

℞ *Sal. ammon. Arcan. dupl. an.* ℈ß. *M. pro* 1. *doſi.* Item *Spir. Sal. ammon. bis in die ad gut.* 30.

Præter *primarias* & *ſecundariæ lentæ*, ex aliis morbis enatæ, non raró in Praxi *Medicâ* occurrunt, & frequentius *Febres continuas acutas* vel *intermittentes* inſequuntur, quando *præcipitantium* ſive *abſorbentium* abuſu nimio, fermentum acidum morboſum præmaturè figitur, & hinc copioſæ particulæ heterogeneæ in Maſsâ ſanguineâ retinentur, quæ alios humores inquinant, ut: *lympham, ſalivam, ſucc. pancreat.* &c. quibus occaſionibus *Febres lentæ continuæ* oriuntur *cum calore mediocri*, Ægro interdum *vix adeo ſenſili*, niſi ubi ſuas habeat

beat exacerbationes, eaſque *veſpertinas*, in quibus æſtus *intenſior* & *mordax* percipitur, *pulſus celer*, *mollis*, *vires* abolitæ, *appetitus proſtratus*, *os glutinoſum*, ex quo copioſa viſcida ſubinde rejiciuntur, *moleſtia præcordiorum gravativa*, *excrementa liquida & pituitoſa*, nunc cum, nunc ſine *torminibus*, *urinæ craſſæ, copioſum album craſſum ſedimentum* ſeponentes. Superveniunt hæ Febres etiam iis, qui poſt Febres ſupradictas curatas aut alios Affectus avidius alimenta ingerunt; ubi depauperata Maſſa ſanguinea ex copioſiore & crudiore chylo non ritè aſſimilabili, Febris *lenta*, & quaſi *hectica* gignitur.

Pro harum Febrium cura *acidum ſalſum peccans* eſt *corrigendum*, *viſcidum attenuandum incidendum*, & ejuſdem *excretio*, *vomitum*, *alvum* vel *ſudorem ciendo* indicatur. *V. gr.* ℞ *Sal. ammon. depur. gr.* xv. *d.* in duplo. Vel ℞ *Antihect. Poter. gr.* xvi. *Salis ammon. depur.* ℈i. *M.* pro 2. doſibus. Etiam matutinus & veſpertinus uſus *Spiritûs Salis ammon.* cum *Elix. Proprietat.* conducit, præmiſſo vomitu ſi vomituriat Æger.

Contingit etiam, ut aliquando hæc *Febris lenta* eveniat iis, quorum corpus ante mercurialium uſum non ſufficienter eſt evacuatum, & curantur jam præſcriptis. Et ſi Appetitus ſit proſtratus, poteſt præſcribi *Decoct.* ſeq. ℞ *Rad. Chinæ* ℥iß. *Raſur. Lign. ſaſſafr.* ʒvi. *Rad. liquir.* ʒvi. *Santal. rubr.* ʒiii. *Macera per noctem in Aq. comm.* ℔vi. *Incoq. Paſſul. min.* ℥iii. De *Colaturæ* ℔iv. capiat mane & meridie hauſtum largiorem, unicuique hauſtui adde *Tincturæ Antimon.* gut. 40. Si *Lenta* evenit *poſt Scabiem malè curatam*, optimæ ſunt *Pill. ex Extract. Helleb. nig. cum Mercur. dulc. Eſſentia Viperar.* &c. Pertinet huc etiam *Chloroſis* ſive *Cachexia ex cruditatibus primarum viarum viſcidis orta*, hinc *Bilis inertia cum Suppreſſione menſtruorum.*

Fuerunt hæ *Febres continuæ primariæ*; ſequuntur *ſecunda-*

cundariæ, h. e. quæ non propriè ſubſiſtunt, ſed à graviori alicujus partis Affectu originem trahunt. Dicuntur etiam *ſymptomaticæ*, quia ut ſymptomata morbum ſequuntur, & ita remoto morbo removetur hæc Febris. Sunt autem hæ *ſecundariæ* nunc *acutæ* idque crebrius, nunc lentæ, pro Affectuum, quos ſequuntur, & Partium affectarum conditionibus; dum nempe Affectus graviores vel leviores ſunt; partes verò ſenſiliores & nobiliores; aut è contrario.

Inter has *ſymptomaticas* ſe offerunt 1. Illæ, quæ *Vulnera* inſigniora ſequuntur, *ab acido in Vulnere oborto, doloris, inflammationis*, & hinc *Febris* authore. Præter externa, *internè* Miſtura ſequens eſt egregia, viz. ℞ *Aq. Hyſſopi* ℥ij. *Aq. fœnic.* ℥i. *Spir. theriacal.* ʒiii. *Aceti vini* ʒij. *ad* ℥ß. *Ocul. cancr. pp.* ʒi. *Syr. card. b.* ℥ß. *M.* Vel ℞ *Ocul. Cancr. pp.* ℈i. *Extract. theriacal. gr.* ii. *M.* quibus alia appropriata pro ratione ſymptomatum addi poſſunt.

2. *Febres*, quæ Inflammationibus gravioribus adſunt, ab acido cauſantur; ſuntque nunc *acutæ*, v. g. in *Pleuritide, Angina, Eryſipelate*; nunc *lentæ, ut in Inflammatione prope fundum Meſenterii*, &c. Curantur per *attenuantia, acidum abſorbentia, volatilia*, &c. vide Caput *de Inflammationibus*. 3. Quæ à ſanguine, intra corporis cavitatem coagulato, oriuntur ex acore putredinem antecedente. Conducunt hic grumos *reſolventia, putredini reſiſtentia*, ut *Bellis minor. Papav. rheas, Antim. diaph. & Potiones vulnerariæ*. 4. In ſuppuratione Apoſtematis ſemper adeſt *Febris*, magis tamen *lenta* quàm *acuta*, v. g. dum ex *lacte coagulato*, vel in *auribus* ſit, & tamdiu durat Febris, donec facta ſit ſuppuratio. Unde maturatio promovenda remediis ſupra indicatis. 5. *Ulcera* inſigniora interna inſequi ſolent *Febres ſymptomaticæ, lentæ*, ferè *hecticæ*, adeoque *diuturnæ*, & *ad Tabem ac Mortem* comitantes, à ſanguinis *infectione*, *à pure ſalſo, acri, viſcido*, ut in *Ulcere pulmonum*: Curantur

per

per *abſorbentia, potiones vulnerarias*, ex *Heder. terreſtr. Chærefolio, Bugul. Pulmonar. Scabioſ. Decoct. lignor.* item *Sulphur. balſamicis, flor. Sulph. Myrrh. Balſam. ſulph.* Vide de *Phthiſi.* Sanè quàm plures *Lentæ* oriuntur à latente quodam Ulcere partis cujuſdam internæ, ut *Meſenterii, Pancreatis, Renis, Hepatis, Veſicæ, Uteri*, & difficulter curabiles exiſtunt. *Febres lentæ perpetuæ Abſceſſuum latentium comites eſſe* dicuntur, & non niſi cauſis remotis curantur: item à *Fœtu mortuo, Secundinis retentis*, ut & à *Fiſtulis diuturnis*, oriuntur.

6. Præ cæteris notandæ hic *Febres catarrhales*, quæ in principio & incremento *Coryzæ, Tuſſis, Raucedinis*, &c. moleſtæ ſunt, & ex *vitio lymphæ* glandularum circa caput & pectus conſitarum oriuntur, dum nempe illa *acidior* aut *ſalſior* facta, copioſius circa dicta loca effunditur, occaſionem ſæpius ſuggerente *aëris inclementia*, aut alio ſubjecto. Talem *catarrhalem lymphæ motum comitatur Febris ex alteratione ſanguinis*, in qua cum *capitis* perturbatione, & dolore gravativo, levis horror moleſtus eſt, quem veſperi inſequitur *ardor rodens*, magis *mordax* quàm *magnus*; increſcens ferè ad medium noctis, à quo remittit; durat tamen *lentus*, ſed *obſcurus calor*, qui omni veſpera exacerbari ſolet. *Pulſus* eſt *celer* & moderatus magnitudine, ſub exacerbatione *acutus*. *Urinæ* excernuntur *intenſius tinctæ*, ſed uno alterove die elapſo *craſſeſcere, turbari* & *copioſum ſedimentum* deponere ſolent. Durant illa ſymptomata ſub *Coryza* & *Tuſſi* gravioribus ad ſtatum Morbi, dum *materia catarrhalis* cocta fuerit & glutinoſior pituita expectorari incipiat. Si enim acrimonia lymphæ ſit correcta, ceſſat *Febris*. *Catarrhales* hæ *Febres* ſubinde *epidemicæ* eſſe ſolent, ab aëris vitio communi, nunc & crebrius *benignæ*, rarò *malignæ*, & tunc ſubinde *acutæ*; quæ *malignæ* contagio ſuo Lympham inquinant. Ac ſanè *lymphæ conſtitutio & motus naturalis* præſertim glan-

glandular. conglobatar. obſervetur in *Febribus* tam *intermittentibus* quàm *continuis*, cùm diverſa ſymptomata, ut *lancinationes artuum* ſub paroxyſmis urgentes, à lymphæ vitio oriri videantur.

Catarrhales hæ *Febres*, utut ex ſe graviori periculo careant, ob inſignem tamen moleſtiam curam poſtulant. 1. *Irritatio* partim ſolidarum, indeque natus *ſpirituum impetus*, ac copioſior *lymphæ* effuſio *opiatis* ſiſtenda. 2. *Lymphæ* acrimonia corrigenda per *incraſſantia*. 3. Correcta *evacuanda*, univerſaliter per *diaphoretica* & *diuretica*, particulariter per *nares* & *os*, atque hoc ſaltem in *ſtatu*, ceſſante *Febre* & *coctâ materiâ* Verb. gr.

℞ *Aq. Serpilli, Scabioſ. an.* ℥iß. *Spir. Sal. ammon. aniſ.* ʒi. *Syr. papav. alb.* ℥i. vel loco iſtius *Laudan. opiati gr.* ii. *M.* capiat ante exacerbationem veſpertinam cochleatim. Vel

℞ *Liquor. C.C. ſuccin.* ʒii. *Eſſent. opii* ʒß. *doſis gut.* 40. *ad* 50. aliquot horis ante exacerbationem, & iterum ingruente nocte. Ubi *diureſis* intenditur, ℞ *Liquor. Terr. fol. Tartar.* ʒß. doſ. gut. 40. ad 50. bis in die.

Sufflaminatâ *Febri*, & impetu Spirit. ac Lymphæ ſedato, ſi opus fuerit, laxatio blanda inſtitui poteſt, v.g. ex *Maſſ. pill. de Ammon. Querc. deinde expectorantibus* evacuandum.

In *Catarrho epidemico* optimè hoc *ſudoriferum conducit*: ℞ *Aq. Sambuc. Card. b. an.* ℥iß. *Spir. C.C. cum Sal. volat. prop. acuat.* ʒß. *Sal. vol. Succin.* ℈ß. *Syr. Papav. rhead.* ℥ß. *M. pro* 1. *doſ.*

Pro *Tuſſi humida* conducit *Potio expectorans* ex *Aq. aſthmat. Oxymel. ſcyll.* &c. Pro *Coryza* & capitis Affectibus inunctio Verticis cum *Ol. Succin.* item *Empl. ex Cerati pro bregmate uſit.* & *de Betonica* an. p. æq. *cum Ol. Succin. malaxatum*, Vertici imponendum. Pro *Artuum affectibus* & *debilitate*, ubi dolores adſunt, conducit, v.g.

ſequens: ℞ *Aq. Fœnic. flor. Papav. rhæad. Menth. an.* ℥i. *Aq. aſthmat. Rudolph.* ʒiii. *ad* ʒvi. *Spir. Lumbric. terreſtr. per putrefact.* ʒiß. *Specif. cephal.* ʒß. *Syr. flor. Tunicæ* ℥ß. *ad* ʒvi. *M.* pro aliquot doſibus aliquoties in die capiendis.

VII. *Inſigniores* aut *diuturniores dolores quarumvis* partium, plerumque *Febrim ſymptomaticam* comitem habent, cum *pulſu celeri*, in principio *vehementi*, in progreſſu *debili* ac *parvo*, dum membranoſæ partes afficiuntur interdum *duro calore*, *lento* & *miti*; ſive *acidum* vel *acre* Maſſam ſanguineam ſimul alteret, & fermentationem præternaturalem inducat; ſive ſimpliciter ex *ſpirituum animal. concitatiore impetu*, hinc *vigiliis*, *inedia*, &c. *Febris* quaſi *Synocha ſimplex* plurium dierum concitetur. Sic v. g. *Colicas contumaces*, *Aurium dolorem*, *Odontalgiam graviorem*, *Febricula* talis ſequitur, quæ conſopito dolore evaneſcit, & blando ſudore terminatur. Pertinent huc *Febres*, quæ in principio paroxyſmor. arthriticorum uſque ad ſtatum ferè obſervantur, de quibus vide *Sylv.* Sed de *Febribus ſymptomat.* in ſpecie vide *Sennertum.*

ART. V.

De Febre Hectica.

LEntarum agmen claudit *Hectica*, quæ plerumque *ſecundaria* eſt, licèt & interdum *primaria* obſervetur. Eſt autem *Hectica* lenta admodum Febris, Ægro vix ſenſibilis, cum calore leni, & niſi diutius contineatur manus Ægri, vix perceptibili, duabus vel tribus poſt paſtum horis nonnihil acriori. Corpus inſenſibiliter emaciatur, pulſus frequentior eſt ſolito, ſed parvus & debilis, cum clandeſtinâ virium proſtratione. Ratione marcoris dividitur *Hectica* in tres gradus. 1. Quando rorida ſubſtantia, in partium nutrimentum abire

abire conſueta, abſumitur. 2. Quando ſubſtantia jam mutata & partibus plus minus aſſimilata, ſucceſſivè denuo liquefacta conſumitur. 3. Cùm abſumpto rore, ipſa ſtamina partium fibroſa manifeſtam ariditatem contrahunt. Cæterùm *Urinæ Hecticorum* in principio ſunt *ſanorum ſimiles*; ſin verò concurrat Vitium ſtomachi, ſubinde albæ, pallidæ, & tenues excernuntur. Sunt autem oleaginoſæ, *Hecticâ* ad *Maraſmum* progrediente, cui ſimile quid obſervatur in Febre ardente, in qua liquefacta corporis pinguedo cum urinâ excernitur, item in *Scorbuticis* & *Hypochondriacis*, ubi non vera pinguedo, ſed ſalia vitioſa coagulata pelliculæ inſtar urinæ ſupernatant. Hæc autem ſalia ad latus aſpecta iridis calorem exhibent, vera autem pinguedo uniformis eſt, ſine ſplendore laterali. In principio & incremento *Hecticæ* fæces ſunt duræ, poſtea verò labefactatâ Ventriculi digeſtione liquidæ & copioſæ. In ultimo *Hecticæ* gradu *Fluor alvi* ferè eſt continuus, adſunt ſudores colliquativi nocturni, & tandem Capilli defluunt.

Hectica primaria oritur vitio rerum nonnaturalium. *Secundaria* verò ſupervenit, inſtar ſymptomatis, *Febribus continuis* aut *intermittentibus contumacioribus*, aut *ineptè curatis*, Viſcerum, in ſpecie Pulmonum *Inflammationi* & hinc natis *Apoſtematibus*, *Abſceſſui Meſenterii*, *Ulceri renum*, *Lui venereæ* aut denique multitudini *Fonticulorum*, omnem humiditatem & rorem conſumentium.

Incipit ordinariò *Hectica primaria* vitio Ventriculi, reliquæ enim cauſæ naturales *Hecticam* inferre vix ſufficiunt, niſi ſubſit Stomachi vitium, & hinc alimentorum corruptela. *Cauſa* itaque *proxima* omnis *Febris hecticæ* eſt diſcraſia ſanguinis acido ſalſa & acris, cum nimia ejus & exinde lymphæ viſcoſitate. Unde vitiatur fermentatio ſanguinis in præcordiis, deficiunt e-

etiam ſpiritus, & nonnihil intenditur calor. Particulæ enim ſalinæ, acidæ & urinoſæ, in hoc caſu inertes factæ, partim in tertium ferè ſalſum coaluerunt, partim adhuc liberæ in debita fermentatione impediuntur. Augentur hæc omnia inſigniter à viſciditate ſalſa Lymphæ. Sanguis interea ſalſus & viſcidus aſperitate ſua rorem nutritium vitiat, eumque acri ac lento calore ſucceſſivè colliquat. *Poſt paſtum* fluidior alimentorum pars ſanguini infuſa iſtum diluit, & ob reſoluta magis ſalia fermentatio intenſior inſequitur, unde calor ſequitur auctus, pulſus frequentior, & color faciei plus minus roſeus. Hoc autem chyloſum ſupplementum, minus commodè ſanguini aut partibus ſolidis aſſimilatum, tempore nocturno ſub ſpecie ſudoris emanat. Ulterius propter dictam ſalivalis lymphæ viſciditatem impeditur aſſumptorum fermentatio & imminuitur Appetitus. Confirmantur dicta ex eo, quòd *cauſæ remotiores Hecticæ* diſponant ſanguinem & lympham ad acrimoniam acido ſalſam.

Prognoſis. Hectica incipiens facilè, *confirmata* verò difficilius curatur; *tertii gradus* planè incurabilis eſt. Febri putridæ ſuperveniens plerumque lethalis. In Adultis difficilius, in Senibus nullo modo curatur. Si adſit Facies hippocratica, Lienteria, Alvi profluvium, aut intumeſcant Crura, inſtat mors. Longitudo ac difficultas ex ætate corporisq; conſtitutione eſt menſuranda.

Cura. Obſervandum an ſit *ſymptomatica*, an verò *primaria*, eaque vel *ſimplex*, vel *complicata* cum *Febre* quadam *putridâ*. In genere acrimonia ſanguinis & lymphæ acido ſalſa temperetur, eorundem viſciditas corrigatur, & Ventriculi digeſtio reſtauretur. In *Hectica primaria ſimplici* nec *evacuationes* nec *Venæſectiones* inſtituendæ. Si prima regio corporis excrementis ſit referta, tuta eſt blanda purgatio. Si oriatur vitio Stomachi, quod plerumque fit, convenit *Vomitus*. Inter ſymptoma-

ptomata maximè funeſtum eſt Alvi fluxus colliquativus, adeoque refrænandus, remediis ex *Cydoneis*, *Roſ. rubr. ſicc. Lacte chalyb.* &c. Denique *dulcia ſaccharata* & *mellita* vitanda, quia viſciditatem augent. Si ſuperveniat *Febri malè curatæ*, tum utiliſſimum eſt *Sal ammon.* cum *Antihect. Poter.* præmiſſo vel omiſſo *vomitu.* Sin ab *Ulcere*, *Abſceſſu* aut ſimplici vitio dependeat, hujus cura intendatur, ut ſupra de *Febribus ſymptomaticis* inſinuatum eſt.

In *Hectica primaria* remedia *Chirurgica* nil valent. *Pharmaceutica* talia ſunt, quæ ſalſum temperant & attenuant viſcidum; inter quæ eminent *Terr. fol. Tartar.* *ejuſque Liquor ritè paratus*, *Sal ammon. Antihect. Poter.* (cum *Conſerv. Roſ.*) *Bezoard. jovial. antimon.* aliaque *diaphoretica*; Mixturæ ex *Aceto deſtill.* cum *Lapid. Cancr.* vel *Perlis.* His accenſeri ſolent *remedia* ex *Cichor. Endivia, Lactucâ, Nymphæâ*, &c. In ſpecie non datur melius nutriens quàm *pulpa Paſſularum.* Item *Decoct. Paſſul.* cum *Rad. Cichor.* vel *Rad. Chinæ* egregriè ſanguinem temperat & quaſi renovat. Hiſce ſunt qui addunt *Rorem maialem*, & ex eodem paratum *Spiritum* & *Sal eſſentiale*; quibus accedit *Phlegma Vitrioli roridum* ante ſtagma acidum erumpens, quod licet inſipidum, *Sulphure* tamen *volatil.* ſingularium virium eſt imprægnatum; id ſubinde rectificatum, & reiteratis digeſtionibus à *Vitriolo* abſtractum, egregium fit remedium ad *Hecticam* ab exacerbationibus partium internarum natam.

Cæterùm in *Hecticæ curâ* multum præſtant *Lacticinia*, ſed præmiſſis neceſſariò præmittendis, nempe primas vias mundificantibus. Cavendum autem, ne adſit Febris putrida, Capitis dolor, Hypochondriorum tenſio, & Ventriculi excrementa acria ex digeſtionis vitio nata. Convenientiſſimum eſt *Lac* ipſum *muliebre*, inprimis ſi per Ubera ſugatur. Extra hoc uſurpatur *Lac bubulum* ex beſtia ſana, vel in ſpecie *Lac ebutyratum.*

Quidam *Lac caprillum* præſcribunt, ſed præ cæteris expertum eſt *Lac aſininum*. Uſurpentur autem hujuſmodis *Lacticinia* maturè viribus adhuc utcunque conſtantibus. Deinde ſumatur lac adhuc calidum, addito tantillo *Sacchari*, ut impediatur Lactis coagulatio; & denique primarium alimentum ſit *Lac*, carne interdictâ, cæteris nonniſi levioribus & facilè digeſtibilibus, iiſque paucis, aſſumptis. Ante omnia exploret Medicus an Æger lactis uſum tolerare queat; nempe Ventricnlo leniter purgato, exhibeat Ægro initio ℥iij. vel iv. lactis, & ſi nulla inſequatur Ventriculi gravitas, nec ſingultus, vomitus aut nauſea, imò neq; calor aut pulſus intendatur, tum poteſt ℔j. mane & veſperi propinari. Poſt ſumptum *Lac* nec violentius ſe commovebit nec dormiet Æger. Optima ſunt alimenta temperata, v. g. *Pultes ex Oryza, Juſcula avenacea* & *hordeaacea, Amygdalata, nuclei Pinearum, Piſtacearum, Semina 4 frigida maj.* &c. *Oſtreæ* à quibuſdam laudantur; *Cancri* quoq; *fluviatiles* rore alcalino nutritivo turgidi, modò à ſtomacho digerantur, egregiè conveniunt, & *Succus ex his* expreſſus cum *Butyro ſalito* optimè miſcetur. Proſtant Hiſtoriæ curarum ex *Oſtreis*, item *Ranis*, aut etiam *Teſtudinibus* comeſtis, ſed in his habeatur ratio Stomachi, ejuſque quoad Appetitum dictamen, & quoad digeſtionem operatio. Si adſit *Fluvus alvi*, propinetur *Lac chalybeatum* & *Alimenta craſſa de Oryza, Pultes farinaceæ*, &c.

ARTIC. VI.

De Febre Maligna.

FEBRIS dicitur *maligna*, quando cauſa *occaſionalis* vel *materialis* à ſua natura degenerat in pejus; unde & malignitas communis affectio eſt quorumvis morborum. Symptomata itaque graviora ſunt in *Febre maligna*,

gna, quàm poſſunt ex cauſa ordinario modo conſtitutâ oriri; ſuntque hæc ſymptomata valdè multiplicia. Frequentiora autem exiſtunt virium ſubitanea & omnimoda ſine cauſa manifeſta proſtratio; pulſus in initio naturali ſimilis, & ſubito debilis & parvus evadens; interdum in principio frequens, debilis, parvus, & in progreſſu multis modis inæqualis; in genere autem pulſus parvus in Febre ardentem ſimulante, malignitatem ſemper innuit; major autem evadens bonum eſt ſignum. Sitis intenſa, ſine gravi de calore querela, malignitatis ſignum eſt; item ſi potus non proſit, ſed anxietatem pariat, linguamque ſcabram, aut aridam reddat. *Urinæ* ſanorum ſimiles ſunt, præſentibus aliis pravis ſignis. Interdum in ſtatu turbidæ fiunt, ſed tenues, ſine ſedimento, & cum colore dilutiore; adeo ut in malignis coctionis & cruditatis ratio vix tanta habeatur. Interim tamen ſalutare eſt ſignum, ſi urinæ excernantur craſſæ, & fiant turbidæ, ac ſedimentum candidum vel lateritium, ſed æquale, deponant, etiamſi peſſimè habeant *Ægri*. Cæterùm in *malignis*, etiam melioribus ſignis præſentibus, urinâ exiſtente crudâ & perſpicuâ cum ſedimento quodam flaveſcente, quod tantum chyli portiuncula eſt, quandoque intereunt Ægri. *Calor* in his *Febribus* non adeo acris eſt foris; intus verò vehemens calor pravum malignitatis ſignum eſt, partibus externis moderatè interea calentibus. Subitò perit appetitus, interdum cum nauſea & faſtidio ciborum; unde bonùm eſt ſignum ſi potum ordinarium non averſentur, & ſaporem adhuc percipiant genuinum. Adſunt utplurimum *Agrypniæ* mox in principio, eæque vel anxioſæ ex affecto ſtomacho, vel non anxioſæ ex affectis nervis & ſpiritibus. Accedit anxietas & inquietudo inſignis, non quidem ſemper in toto corpore, ſed nunc brachium, nunc pedem &c. agitando, neſciis interim Ægris quare hoc faciunt. Fre-

quentiſſimæ ſunt hæ anxietates, nunc, utut rarius, in principio, nunc frequentius in incremento & ſtatu; & ſedem habent in ſtomacho, unde etiam vomituriunt ſæpe Ægri. Hinc obſervavi, *vomitorium* in primo malignarum inſultu propinatum, quietem per integrum morbi curſum procurare, præſertim ſi à contagio ſit malum. Levantur quidem hæ anxietates per ſudores, ſed his ceſſantibus recidivant, non ſecus ac *DiarrhϾ* ex ſuppreſsâ diaphoreſi. Alvus interdum clauditur, quod melius eſt, præſertim ſi excretio cutanea expectetur; frequentius nimis fluida eſt, cum excretis liquidis fæculentis, & peſſimè olentibus. Hæc & ſimilia ſymptomata varia *malignis* in *Febribus* obſervantur, ſed ſæpè latent *Febres* tales, ut non niſi tardè Medicus illas valeat internoſcere. Verùm ſuſpicio earũ oritur 1. quod Ægri plus ſolito ſint imbecilles citra manifeſtam cauſam. 2. Quod, licèt omnes functiones ſint naturales, tamen Appetitus ſit proſtratus. 3. *Agrypnia* ſine cauſa Ægrum vexet. 4. Urinæ ſanorum ſimiles. 5. Pulſus ſit minor & debilis. 6. Sitis & aridura linguæ & faucium exiſtat citra calorem. Obſervandum autem, hæc ſymptomata non niſi ante coctionis ſigna malignitatem innuere, poſſunt enim poſt coctionem à conflictu naturæ & morbi provenire.

Quoad rationem formalem *Morborum malignorum*, aſſerunt quidam, eandem conſiſtere in ſingulari humorum corruptione, quàm tamen explicare nequeunt. *Williſius* eandem ad coagulationem ſanguinis refert; *Sylvius* autem ad acrimoniam nimiam ſalis volatilis alcali enervantis acidum lymphæ & ſanguinis. Alii denique malignitatem in verminatione conſiſtere volunt, ex eo quòd per microſcopium innumeri *vermiculi* in *Febribus*, aliiſque *malignis Morbis*, obſervati fuerint. Sed *Marcus Marci* hanc ſententiam rejicit ex eo, quòd *Vermes*

mes præcedentem corruptionem ſanguinis, tanquam rationem formalem agnoſcant. Cæterùm probabilior ſententia videtur, *malignitatem* conſiſtere in *fermento acerrimo ſpirituoſo*, fluida corporis immutante, & ſolida irritante; ita ut accedat ad *venenorum* naturam, quorum vis in acrimoniâ ſummâ, ſub minimâ mole maximè activâ, conſiſtit. *Sylvius* acrimoniam alcalinam intelligit; ſed alcalia paſſiva & acidorum ductum ſequuntur; & nervoſarum partium ſymptomata, v. g. Deliria, Vigiliæ, &c. potius ab acido acri, quàm urinoſo oriri videntur; partes item ſolidæ & fluidæ maximè ab acido volatili oppugnantur; accedit ad hoc, quòd remedia uſitatoria polleant vi acidi volatilis temperativâ, correctivâ, ac plus minus fixativâ. Hoc facit quòd *Febres continuæ*, inprimis *Cauſi*, *Variolæ*, item *Pleuritides*, ſimileſque manifeſto ex acido natæ, ſæpè *malignæ* exiſtant. Sed ſi hæc probè conſideremus, malignitas hactenus explicata, nonniſi illas *Febres* attingit, quæ ex contentis humoribus, fermento tali inquinatis, oriuntur, & mitiores ſunt; cùm graviores ex maligno afflatu, ſpiritus vitiante & quaſi ſiderante, unde contenta corporis, in ſpecie ſanguis, notabiliter corrumpuntur, primariò oriri videantur.

Sunt itaque quædam *Febres malignæ*, quæ primariò & immediatè *ſpiritus*, & deinde mediante horum prævio inquinamento *Maſſam ſanguineam* afficiunt. Harum *Symptomata* graviora ſunt nimia Virium proſtratio, pulſus parvus & debilis, urina naturali ſimilis, agrypnia, delirium, contagium citiſſimè & latiſſimè ſe diffundens; quæ omnia probant, venenum primò ſpiritus occupare, & his in ſpecie inimicum eſſe. Probè itaque diſtinguendum, an *vitales ſpiritus* una cum *Maſſâ ſanguineâ*, an verò *Animales* cum *genere nervoſo* magis vitientur. In priori caſu adſunt 1. Æſtus intenſus, cum pulſu celeri, frequenti, parvo. 2. Sitis clamoſa,

fauces aridæ, lingua ſcabra nigra & ſiſſa, 3. Æſtus moderatus cum pulſu celeri frequenti & inæquali; mox ſub ingreſſu morbi apparentes. Si verò *Animales* magis afficiantur, adſunt ardor capitis continuus circa frontem intenſior, pulſus durus citra partis membranoſæ noxam, aut pulſus laudabilis cum ſumma debilitate & ſtupore, urina parum à naturali ſtatu recedens, aut ſaltem tenuior quàm Morbi Ægrive conditio requirit, adeoque pertinaciter cruda; agrypnia pertinax ſine cauſa manifeſta, & forſan cutis arida, ſcabra, ſqualida abſque vaporoſo calore aut blando madore. Ratio, quâ *malignitas* hæc *Spiritus* peſſundet, nondum plenè innotuit. Ipſa autem imaginatio contagiorum receptionem promovens miniſterio ſpirituum, contagia in ſpiritus inprimis agere evincit. Ex dictis patet, quare æſtus & febrilis ebullitio in *Malignis* ſit remiſſior, & quævis malignitas ſanguinem adoriens ſine inſigniori Febrili ebullitione longè periculoſior ſit. Innuit enim, aut ſpiritus magis eſſe affectos, aut humores in confuſionem & texturæ inordinationem à miaſmatis malignis redigi. Sanè in *Febribus* eruptionem cutaneam moventibus, remiſſior æſtus & efferveſcentia febrilis, valdè periculoſa ſunt. Fermentum autem hoc malignum nunc in corpore generatur, præſertim in primis viis, ex Bile æruginoſa, Succoque pancreatico acriori exiſtente; nunc ad extra à contagio, aut epidemicâ aëris & alimentorum alteratione communicatur.

Tres obſervantur *malignarum Febrium* differentiæ. 1. *Malignæ ſimpliciter*, quando nempe *benignæ* ex degeneratione fermenti febrilis in *malignas* mutantur. 2. *Malignæ contagioſæ*, *v. gr. petechiales*, *epidemicæ*, &c. 3. *Peſtilentes*. Et 4. *Peſtis* ipſa.

Fundamentum *Contagii* conſiſtit in fermento maligno, ſummè acri & activo, minimâ mole contento, ob ſpirituoſitatem ſpiritibus noſtris inprimis communi-

cabili,

cabili, & mediante inteſtino motu aſſimilabili & multiplicabili; quod mediantibus effluviis ſpirituoſis aliis ſpiritibus *ſymbolyzantibus* ad diſtans ſe ſociat; unde ab Ægris maximè conſanguinei, & in *Peſte* Homines non Bruta contagio afficiuntur. Solet hoc contagium ſtomachum ſenſibiliter afficere, quatenus aër eodem imprægnatus ſalivam inquinat; unde ſemper adeſt moleſtia in orificio Ventriculi ſuperiori, imò & interdum Ventriculus alteratus, atq; eſcharâ affectus deprehenſus fuit. Generantur autem *Febres epidemicæ* (*malignis* privatis ex particulari contentorum dyſcraſia oriundis oppoſitæ) *vel vitio Atmoſpæræ*, quam inquinant effluvia, aut in ſe hoſtilia, aut mutuo halitu & aſſociatione contraria facta, aut denique ſpiritus nitro aërei alterativa ; orta ex fracedine rerum putreſcentium in caſtris, obſidionibus, &c. ex fœtore paludum, ventilato frumento per annos aliquot quieto, antris ſubterraneis, Terræ motibus, &c. *Vel generantur* hæ *Febres* vitio victûs, v. gr. poſt famem, item ex eſu carnium ſine ſale, vel carnium ægrotantium, potu aquarum putridarum; & frequentiſſimè fructuum horæorum corruptorum malignâ aurâ afflatorum. Benè autem diſtinguenda eſt *fermenti maligni* ratio formalis, ab alterationibus Maſſæ ſanguineæ aliorumque humorum, quæ potius producta ſunt morboſa, non ſecus ac *Bubones* & *Carbunculi*. Hujuſmodi ſunt *Sanguinis coagulatio*, *nimia ejus diſſolutio*, *Petechiæ*, *Purpura*, &c.

Prognoſis valdè incerta eſt, plurimi enim cum periculoſiſſimis evadunt ſignis, & alii cum ſalutaribus è medio auferuntur. Pulſus quo major & magis æqualis, eo melior; inæqualis autem, minor, & quaſi contractus, præſertim in principio, periculoſus. Urinæ ſanorum ſimiles, vel etiam perturbatæ & craſſæ, tales permanentes, malæ. Multi coctionis ſignis in urinâ apparentibus, ſed denuò recrudeſcentibus, ſublati ſunt è

medio.

medio, Urina tamen cocta, laudabile habens enæorema, per aliquot dies continuans, & in ſedimentum ſenſim abiens, ſalutem certam perpetuò pollicetur. Rarum eſt, quòd cruda Urina metaſtaſin materiæ peccantis ſive producti morboſi in *Morbis malignis* felici eventu inſinuet. Delirium poſt ſomnũ eſt periculoſum: Si copioſus adſit ſudor, & à ſomno compeſcatur delirium, non eſt metuendum. In principio ſurditas periculoſiſſima, ſed declinante morbo ſalutem portendit, ut & parotidum Tumores. Narium ſtillicidium cum agrypnia, aut ardore capitis intenſiore, & faciei rubore, peſſimum eſt ſignum; innuit enim fermentum membranoſis capitis partibus adinſtar ſpinæ infixum. Tenſiones aut titillationes in volâ manus, & motus aut ſubſultus tendinum carpi, quietis digitis, *Convulſiones* prænunciant. Muſcarum venatio, aut floccorum collectio, ferè ſemper lethalis. Judicantur plerunque hæ Febres, modo quaſi critico, per ſudores.

Cura. 1. Fermentum malignum corrigendum & ſpeciatim per ſudores evacuandum. 2. Spiritus & Humores roborandi, ut fermento reſiſtere queant. 3. Symptomata tam maligna quàm ardentia mitiganda. Appropriata hic *Remedia*, Alexipharmaca dicta, operari videntur, nunc fermentum illud acidum volatile corrigendo, quo facto natura ſponte correctum excludit; nunc balſamicâ ſuâ vi ſpiritus & humores condiendo, ut contagii vim minus ſuſcipiant; nunc denique utroque modo. Sic *Sulphur commune*, inprimis ejus ſuffitus pro aëris & potûs medicatione, inter alexipharmaca primatum ducit; item *Antimonialia fixa*, quæ abſorbent denuo febrilem malignum halitum, ſimilem illi, quem mediante Igne & Nitri vi antea dimiſerunt. *Camphora* & *Terræ pingues* balſami inſtar condiunt, & ſimul temperant. *Aceta* & *ſucci vegetabiles acidi*, inprimis ſi aromaticis infuſis balſamicam vim majorem acquirant,

quirant, conciliant firmiorem texturam contentis corporis; quo pertinent *vina generoſa acidula.* *Animalium partes duræ* abſorbent acre fermentum; & *ſalia* eorundum *volatilia* atq; *ſpiritus* craſin ſanguinis conſervant, & per diaphoreſin ac diureſin depurant; & ita ſuſceptam malignitatem evacuando conducunt. Reliqua denique *Alexipharmaca*, v. g. *aromatica, amara*, &c. conſtitutione ſuâ reſinoſo-oleosâ æſtum corporis intendunt, ſanguinis vim balſamicam & ſpirituum robur conſervant; & ſi ſocietur *Opium*, ut in *theriacalibus*, impetum Spirituum intenſiorem factum refrænant, atq; contra malignum virus defendunt, *acido* præſertim vehiculo uſurpata.

Ut autem in ſuas quaſi *claſſes* redigantur *Remedia malignis Febribus* oppoſita, ſunt ea vel *fixa* vel *volatilia*. *Fixa* ſunt vel *Mineralia*, ut: *Antim. diaphor. Bezoardica* quælibet, *Magiſter. Antim. Cinnab. Antim. Corall. Unicornu foſſile*, *flor. Sulphur. Nitrum* & *nitrata*; vel *Animalia*, ut: *CC. Ebur, Lap. bezoard, Unicornu verum, Pulveres viperini*, &c. *Volatilia* ſunt vel *macra* ſive ſalina ferè frigida, ut *Spiritus & Salia volat. urinoſa CC. Viperarum, Urinæ, Liq. CC. ſuccin. Acetum, Succus Citri, Clyſſi ſulphurei*; vel *aromatica* ſeu *oleoſa*, ut *Camphora* (omnium optima) *Zedoar. Cent. min. Card. b. Scord. Alliar. Chelid. maj. Helen. Vincetox. Calend. Crocus. Roob Junip. & Sambuc.* item *Olea deſtillata Succin. Citri, Camphor. CC. Tartar. Eſſentiæ* & *Spiritus theriacales camphorat.* vel *crocat. Acetum bezoard. Tinctur. bezoard.* &c. vel denique mediæ ſunt naturæ, ut *Gelatina CC.* & *Semina* expulſiva. Ex his varia fiunt compoſita, v.g. *Pulv. bezoard. Sennert.* vel *Mich. Rub. Pannon.* inprimis ubi adeſt Alvi fluxus; *Pulvis Saxon.* multum decantatus; *Theriaca, Mithrid. Elect. de Ovo, Conf. de Hyacinth.* & præ his temperatum magis *Diaſcordium*, inprimis illud à *Sylvio* correctum. Hæc autem propter æſtum quem inferunt cum *Aceto* propinanda.

Ut autem Remedia ſupra dictis Indicationibus ex aſſe ſatisfaciant *Obſerv*.I. Attendendum eſſe, an major ſit ſanguinis effervescentia, an verò major malignitas; ſi prius, conveniunt minùs *oleoſa*, ſed magis *abſorbentia*, aut *ſalia volatilia* blandis *acidis* temperata; ſin verò poſterius, tutius uſurpantur *generoſiora* & *theriacalia*, præſertim in principio & augmento. II. Variat *Malignarum* cura pro malignitatis gradu; ſic *Febris maligna* à contagio, magis requirit *alexipharmaca* & potentiora *ſudorifera*; illa autem ab humorum internâ degeneratione, magis *temperantia*, *abſorbentia*, & ſucceſſivâ diaphoreſi *reſolventia*. Si Spiritus & Nervi magis afficiantur, *volatiliora* & *ſubtiliora opiatis* miſta conducunt; ſin verò Maſſa ſanguinea, tum non niſi *volatiliora* aut *fixa*, *acidis blandis* ſubinde interpoſitis, conducunt. Deinde ſingulis malignitatis differentiis appropriata opponantur Remedia, ut in *Variolis*, *Petechiis*, *Dyſenteriâ epidemicâ* & *Purpurâ* fieri debet. III. In *Malignis* ex contagio externo *Vomitoria* ſunt optima in principio; inprimis ſi adſit Nauſea & Anxietas præcordiorum; imò & in privatis *malignis* optima ſunt *Emetica antimonialia* in *principio*, vi enim fermenti maligni correctivâ plus minus inſtructa ſunt. IV. Nil exitialius *Purgatione*, inprimis ſi à contagio oriatur *Febris*, aut Excretiones cutaneæ affuturæ ſint. Alvus enim laxa & Diarrhœa funeſta obſervantur. *Clyſmata* quidem temperata adhibentur, ſi obſtructæ primæ viæ neceſſariò ſint aperiendæ: ſed & hæc ipſa non niſi cautiſſimè uſurpentur, ſi excretio cutanea ſe offerat. Devictâ autem Morbi pernicie non incommoda ſunt blandè laxantia. V. *Venæſectio* nocet, ſanguinem enim & ſpiritus debilitat; inprimis in excretionibus cutaneis, ubi æſtuatio (modò non nimia) excretionem promoveret. Si autem mitior ſit malignitas, juncta Febri ardenti, in ſubjecto Juvenili, mox à principio, ſed cautè, inſtituatur.

tur. VI. *Sudorifera* igitur primatum obtinent. Si corpus facilè perſpirabile ſit, conducunt potentiora; ſin minus, cautius uſurpentur & interpoſitis blandis acidis, ne magis turbetur Maſſa ſanguinea. *Volatilia ſulphurea aromatica* non niſi in principio & incremento conveniunt, ne in ſtatu novas turbas inferant. Si *Febris intenſior* ſit, magis conveniunt *volatilia macra*, & in ſtatu *fixiora Animal.* aut *Antimonialia.* Uſurpentur hæc *volatilia macra* etiam cautè; ne nimis ſanguinem fundant aut Hæmorrhagiam inducant. Nocumentis omnibus medentur interpoſita *blandè acida*, in ſpecie ex *Citro aut Cydoniis*, item *Clyſſi minerales ſulphurei*, aut *Miſturæ* cum *Spir. Nitr. dulc.* In ſpecie *Theriacalia* cum *vehiculo acido* tutius uſurpantur. Nimia ſudoris profuſio, & virium defectus à ſudoriferorum nimio uſu inducta, *largiori potu* & *blandis acidulis* reſarciantur, v. g. *Decoct. Citr.* cum *Syr. Rub. idæi*; vel ℞ *Decoct.* CC. ℔j. *Succ. Ribium, Granat. acid. an.* ℥j. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒij. *Syr. Rub. idæi* ℥ij. *Spir. Nitr. dulc. parum.* In ipſo etiam ſudoris fluore propinari poſſet *Cochleare Aq. apoplect.* cum *ſucc. Citr.* aut *Aceto* dilutum. *Acida* etiam *Urinoſis* miſta naribus admovenda. Cæterùm inter *Sudorifera* excellit *Camphora*, quæ præter vim *Veneni* correctivam ſimul obtinet aliqualem vim ſpirituum quaſi fixativam, unde Vigilias & Deliria optimè compeſcit. Sed illi quorum caput debilius, Eruditi v.g. aut delicatiores Fœminæ, item illi, quibus alias horrida eſt, nimium ejus uſum non ferunt. VII. *Opiata* in *Febribus malignis* egregia ſunt ſudorifera, & ſimul ſpiritus quaſi coërcent atque graviora ſymptomata mitigant. Conveniunt inprimis in augmento morbi dum ad ſtatum properat, vel cum ſudoriferis propinata, ut ſic melius proliciatur ſudor, præſertim ubi anxii & inquieti ſunt Ægri; vel etiam poſt ſudores cum *Julepis* & *Miſturis*, ut quaſi roboretur & quietior fiat Æger. *Opium* etiam coërcuit

Hæ-

Hæmorrhagias in *malignis* ſubinde periculoſas. Inter Veterum compoſitiones excellit *Theriaca* cum vehiculo *acido* propinata, ne æſtum nimium excitet; ſed temperatius eſt *Diaſcordium*, in ſpecie in *Alvi* aliiſque excretionibus præternaturalibus. Uſurpant moderni *Laudan. opiat. Eſſent. Opii*, aut *Eſſent. Theriac.* VIII. Egregiè conducunt *Veſicatoria* in principio ſtatus, inprimis ubi adſunt gravia Capitis ſymptomata, item in *ſoporoſis Affectibus*, atque ubi interiora uruntur & exteriora frigent, ubi excretio per cutem facta retroceſſerit, aut adhuc facienda ſit. Applicantur cruribus ſupra vel infra genu, item brachiis prope carpos & axillas; & tandem circa nucham, in *Affectibus* nempe *ſoporoſis*, aut ubi jam aliis in partibus applicata fuerint. Conveniunt eo magis in *malignis*, quòd ſudor parcior obſervetur; & arbitror, quòd mediante ſpirituum impetu ad locum dolentem concitato in miaſmate maligno evocando ſingulare quid obtineat: unde & *Bubonibus* optimè applicantur. IX. Attendat Medicus ad hæc tria. 1. Ad oculos igneos fulgidos & aſpectum ferocem, delirium enim minantur. 2. Ad linguam & fauces, an Prunella & Faucium excoriatio immineat. 3. Ad manus, an convulſiones metuendæ ſint; talia enim ſi adfuerint, probè in curatione eſt procedendum. X. Quoad *Diætam*, ſufficiunt *juſcula* aut ſimilia; nam cum ſæpius ſummè faſtidiant alimentorum odorem, nullo modo ad eadem cogendi ſunt. Potus ſit *Cereviſia ſecundaria*, vel *Aqua*, cum tertia parte *Vini* temperata; cum *Citro* in taleolas diſſecto, vel *ſucco Citri*, vel *Gelatin. C. C.* *Vinum* generoſum *acidum* moderato uſu non nocet. Convenit etiam *fumo ſulphuris* potum medicari, aut inſtillare *Clyſſos antimoniales ſulphureos*. Imò conducit *Nitr. antimoniat.* à ʒi. ad ʒii. in *Menſ. j. potûs ordinarii* ſolutum, niſi vel Alvi liberior fluxus, vel Stomachi nauſeabundi imbecillitas obſtiterit. His præmiſſis

ſe-

ſequuntur Remediorum formulæ, v. gr. in principio & incremento;

℞ *Aq. flor. Sambuc. & Card. bened. an.* ℥iß. *Liq. C. C. ſuccinat.* ʒj. *vel hujus loco Sal. vol. Viper.* ℈i. *Syr. Card. ben.* ℥ß. *M. pro doſi*, expectando ſudorem. Ubi gravius urgent ſymptomata, adde *Laudan. opiat. gr.* ß.

℞ *Aq. Scabioſ. Aq. flor. Sambuc. an.* ℥iij. *Acet. rutac. & Theriac. an.* ʒii. *Antimon. diaphor.* ʒß. *Bezoard. miner. gr.* xv. *Syr. Rub. idæi* ʒvi. *M. pro tribus doſibus.* Si *Theriaca* minus conveniat, ſumatur ejus loco *Diaſcord.* v. g.

℞ *Aq. Scabioſ.* ℥iiß. *Succ. Citr. recent.* ʒvi. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒij. *Antim. diaph.* ʒß. *Camph. gr.* iv. *Syr. Card. bened.* ℥ß. *M. pro duabus doſibus.*

In progreſſu Morbi, & ubi *volatilia*, in ſpecie *ſulphurea*, cautius uſurpanda veniunt: ℞ *Antimon. diaph.* ℈ß. *Ebor. ſine igne par. gr.* xv. *Sal. vol. C. C. gr.* v. *M. f. Pulvis pro* 1. *doſi* cum ſeq. vehiculo.

℞ *Aq. flor. Sambuc. & Scabioſ. an.* ℥i. *Aq. Papav. alb.* ʒvi. *Syr. Card. b.* ʒiii. *M.* de quo capiatur pro lubitu.

Si *Diarrhœa* juncta ſit, ℞ *C. C. uſt.* ℈i. *Bol. Armen. ppt.* ℈ß. *M. pro una doſi.* Vel ℞ *Aq. flor. Sambuc.* ℥iii. *Spir. theriac. camph.* ʒiii. *C. C. uſt.* ʒß. *Terr. ſigill.* ℈i. *Syr. acet. Citr.* ℥ß. *M.* Poſſet & *Myrrha* addi, niſi ſapor amarus nauſeam Ægro nimiam procuraret.

Si *Convulſiones* immineant: ℞ *Sal. Card. b.* ℈ß. *Bezoar. miner. gr.* vi. *Sal. vol. C. C. gr.* iv. *M. pro doſi.* Vel ℞ *Antim. diaph.* ℈i. *Cinnab. Antimon.* ℈ß. *Camphor. gr.* v. *M. pro doſi.*

Pro ſcopo expellendi ℞ *Cort. Citr. flav. recent.* ʒii. *Sem. Citr.* ʒi. *Sem. Card. b. & Aquil. an.* ʒiß. *Myrrh. elect.* ʒß. *Amygd. dulc.* ℈i. *f. Emulſio cum ſ. q. Aq. Scord. & Scorzoneræ, & edulcoretur parum Sacchato.*

Juxta hæc *Remedia diaphoretica*, in ſudore & poſt eum ſubinde *Miſturæ blando-acido-confortativæ* adhibendæ ſunt: V. g. ℞ *Decoct. rad. Scorzoner. cum C. C.* ℔i. *Succ.*

Rub. idæi ℥ii. *Succ. Citri* ℥i. *Gelatin. C.C. recent.* ℥i. ad ℥iß. *Syr. acet. Citri q. ſ. pro grato ſapore. M.* Poſſet & *Tinctura Roſar.* extrahi cum *Decocto* & *Succo Citri.*

Si Alvus nonnihil liberanda veniat: ℞ *Decoct. Tamarind. cum Paſſulis* ℔i. *Syr. Rub. idæi & acetoſ. Citri an.* ℥i. *Spir. Nitr. dulc. parum.* Miſce & per vices pota.

ARTIC. VI.

De Petechiis & Febre petechiali.

IN *Morbis malignis* ſæpius erumpunt *Maculæ*, quæ *Febrem petechialem* conſtituunt: non tamen ſigna ſunt pathognomonica *Febris malignæ*; nam in Scorbuto & Febribus ſcorbuticis apparent, & etiamnum in *Tertianis* ante ſudorem, & poſt ſudorem evaneſcunt.

Symptomata Febrium *malignarum petechialium* ſunt laſſitudo & dolor contundens totius corporis; vires inſigniter proſtratæ, licet Febris adhuc mitis exiſtat; calor in principio mitiſſimus, ferè tamen veſperi intenſus; hinc ſuperveniunt graves & continuæ Cephalalgiæ, Agrypniæ, Anxietates & Jectigationes. In principio Ægri facilè ſudant, in progreſſu difficilius, in ſtatu ferè nunquam. Subinde Alvi fluxus variorum ſpumoſorum, utplurimum fœtidiſſimorum excretorum, ſupervenit: quæ omnia ferè aliis *malignis* communia ſunt. Tandem quarto die, vel ſæpius ſeptimo, erumpunt Maculæ circa Pectus & Scapulas, hinc Abdomen & Crura, & tandem Brachia, liberâ utplurimum Facie. Interdum non ſolùm externas partes occupant, ſed & internas; quandoque etiam Vibices apparent. In ſtatu frequentiſſimè ſuperveniunt *Deliria* & *Convulſiones*, & in Morbo ſalubri *Ptyaliſmus.* Hæ Febres ſemper ferè *continuæ* ſunt. Diſtinguuntur autem *Maculæ* à *morſibus Pulicum*, ex eo quod *Pulicum morſus* habeant in centro pun-

punctum ruberrimum, & appoſita *farina lupinorum* cum *Aceto* aut *Oxymellite* evaneſcant. Maculæ, quò magis rubicundæ eò meliores; quò magis plumbeæ aut nigræ, eò deteriores; innuunt enim ſuperficiei cutis majorem mortificationem, à virulentia malignitatis inductam, quæ in extinctione Spiritus inſiti conſiſtit. In Morbo ſalubri maculæ intenſè rubræ pedetentim palleſcunt, flaveſcunt, ſicque evaneſcunt.

Cauſa ferè eſt corruptela interna contentorum & conſequenter Maſſæ ſanguineæ ac Spirituum. Admodum contagioſæ ſunt, ſed contagium minus activum eſt, quaſi latere aliquandiu queat, antequam ſe exerat.

Prognoſis. Quo magis blanditur hæc *Febris*, eò magis nocet. Maculæ latæ, rubræ, die 7, 10, 11, 12, *&c.* præcendentibus coctionis ſignis apparentes, bonæ ſunt. Paucæ autem, Febre ingraveſcente & Urinâ crudâ exiſtente, lethales. Plumbeæ cum virium debilitate peſſimæ. Quæ ſubitò diſparent aut recurrunt, periculoſiſſimæ. Hæmorrhagia parca, aut poſt Maculas jam effloreſcentes, ſuſpecta eſt; larga verò in incremento die critico erumpens bona. Excrementa alvi nigra aut fœtida periculoſa. Hæ Febres lentiores ſunt quàm aliæ malignæ, in ſtatu enim interdum 6, 8, vel plures dies in eodem tenore perſiſtunt Ægri. Qui curam differunt, *&* aërem liberum non devitant, ſæpius ſuccumbunt. Si omnia autem ritè procedant, nec vires adeo proſtratæ ſint, ferè intra 14. dies, acutarum more ceſſant. *Solvitur* hæc Febris plerumque per ſucceſſivam diaphoreſin, nonnunquam per criticam Hæmorrhagiam narium, vel Urinam, vel metaſtaſin materiæ coctæ.

Quoad *Curam* obſervetur 1. *Vomitoria* in principio morbi anxietates graves, huic Febri familiares, optimè præcavent. *Purgatio*, niſi in primo principio, nocet, cum alias ad *Diarrhœam* facile proclives ſint *Petechiales*. 2. Venæſectio inutilis, imò nociva eſt. 3. In

principio & incremento *Sudorifera volatilia*, inprimis *Theriacalia*, tutiſſimè adhibentur: in progreſſu ac ſtatu *fixioribus* indulgendum. Si gravior ſit malignitas, ad minimum ter in 24. horis porrigenda ſunt Remedia. Ratione autem Virium, nec linteis nec ſtragulis nimis opprimendus eſt Æger. 4. Apparentibus *Petechiis*, non ſolùm *Laxantia*, ſed & *Clyſmata*, niſi urgeat neceſſitas, exulent. Si ſuperveniat Alvi fluor, non adeo ſubitò ſupprimendus, niſi copiâ exceſſerit; inprimis ſi non tam ex contagio quàm internâ contentorum corruptelâ vitium duxerit. Ita tamen regatur, ne macularum expulſio ab eodem facilè cohibeatur. 5. *Veſicatoria* pedibus & brachiis applicata egregiè conveniunt, inprimis ſi retroceſſerint *Maculæ*, aut ſuperveniant nervoſi generis Symptomata. 6. *Vini* moderatus uſus conducit. Et 7. in æquali calore naturali conſervandi ſunt Ægri. Remedia eadem ſunt, quæ in aliis *malignis*; v. g. in principio.

℞ *C.C.ſ.igne, Antim.diaph.an.* ℈i. *Sal.vol.C.C.gr.* xii. *M.f.Pulvis pro* 2 *doſ.* Vel

℞ *Aq.flor.Sambuc.* ℥iii. *vel* iv. *Acet.Sambuc.* ℥ß. *Theriac.* ʒii. *Antim.diaph.* ℈ii. *Syr.Card.b.* ʒii. *M.* detur pro aliquot doſibus.

Præmiſſo *Vomitorio*, præſcripſi olim *Theriac.* ʒi. *Antim. diaphor.* ʒß. *Sal.Abſinth.* ℈i. *cum ſ.q. Syr.acetoſ.Citr.f. Bolus* pro 2. doſ. quarum unaquæque capiatur in cochleari *Aceti vini*, unde copioſus emanavit ſudor. Poſtmodum præſcripſi *ſeq. Elect.* de quo die noctèque capiebat Æger. ℞ *Conſerv.Pulp.Citr.* ℥iß. *Diaſcord. Fracaſt.* ℥ß. *Antim.diaph.* ʒiß. *cum ſ.q. Succi citr.f.Electuar. Doſ.* ℈ij.

In *ſtatu* & prope eum uſurpentur ſequentia. ℞ *Aq.flor. Sambuc.* ℥iii. *Aq.Ceraſ.nigr.* ℥i. *Spir.Vin.camph.* ʒiii. C.C. *ſ.igne* ℈ii. *Bezoar.min.* ℈i. *Sal.vol.Succin.gr.* ix. *Syr.flor. Tunic.* ʒvi. *Miſc.Capiatur cochleatim.* Item, ℞ *Decoct. Lign. Saſſafras* ℔iß. *Succ.Citr.* ℥iii. *Diaſcord.* ʒiii. *Antim.*

*tinr.diaph.*ʒiß. *Bezoar.min.*ʒß. *Syr.flor.Tunic.*℥iß. *M. capiatur ſæpius pro lubitu.*

In *ſtatu*, dum ſumma urſerit Virium proſtratio, poteſt uſurpari ſequens Potio. ℞ *Aq.Scab.*℥iß. *Aq.* Cord. *Herc. Saxon.* ʒvi. *Aq.* Cinnam.ʒiii. *Conf.Alkerm.*ʒi. *Bezoard.ſolar.*℈i. *Syr.Rub. Id.*℥ß.*M. capiatur pro lubitu.*

Si Stomachi urgeant Symptomata, externè applicetur *ſcutum ſtomachale* ex *Gum. Tacamah. Cerat. ſtomach.* & *Theriac. Androm. Epithemata* Fronti & præcordiis malè applicantur, quia facilè refrigerantur & poros claudendo Petechiarum eruptionem impediunt. Commodè autem inunguntur Scrobiculo Cordis & Pulſui *Linimenta* ex *Oleis deſtillatis* cum *Ol. Nuc. moſch. expr.* Solebant veteres *Petechiarum* eruptionem promovere per frictiones & inunctiones totius corporis, in ſpecie dorſi cum *nitratis* v. g. ℞ *Ol. Amygd. amar.*℥ii. *Vin. Rhen.*ʒvi. *Aq.* Chamom.℥ß. *Nitr.*ʒii. *Bulliant ad aquæ conſumptionem, & affricetur* Colatura.

ARTIC. VII.

De Variolis & Morbillis.

V*Ariolæ* & *Morbilli* ſunt tantùm *Symptomata* Febris *continuæ* nunc *benignæ* nunc *malignæ. Earum Hiſtoria* ſic ſe habet. Prægreſſo horrore plus minus ſenſili inſequitur æſtus intenſus, gravitas totius corporis, Cephalalgia inſignis, dorſi inprimis lumborum Dolor, cum pulſatione in ſpina, Oculi tumidi ſubrubentes & quaſi lachrymantes, Tuſſis ſicca, Raucedo, faucium Dolor, Pulſus celer, vehemens, frequens, durus, Urina ſanorum non diſſimilis, naturâ nempe ad ambitum corporis ſerum propellente, ſubinde tamen turbida, ſi magna ſit contentorum ebullitio, & interdum alba cum ſedimento furfuraceo. Reſpiratio nonnihil diffi-

cilis, Vomitus* vel ſaltem inanis vomendi conatus, ſubinde Hæmorrhagia narium, occaſione ſanguinis nimium ferventis, quæ in principio morbum levem, in ſtatu funeſtum prænunciat. Adſunt etiam Inquietudo, Agrypnia, Deliria; quandoq; Convulſiones epilepticæ aut Diarrhœa, interdum Diabetes, aut Mictus cruentus. Tertio vel quarto die erumpunt maculæ rubræ, & ſi ritè procedant, prædicta Symptomata mitigantur. Si Maculæ hæ ſint ſimpliciter tales & ita maneant, donec poſt aliquot dies ſenſim evaneſcant, *Morbilli* appellantur. Si verò ſucceſſivè in Puſtulas rubras eleventur, hæq; albeſcant pedetentim in centro, cum circulo ambiente purpureo livido, atq; in medio ſui in pus abeant, hinc in cruſtas & ſquamas mutentur, & tandem decidant, *Variolæ* dicuntur. Maculæ tales potiſſimùm Artus *&* Faciem occupant, quæ hinc valde intumeſcunt. Nullus eſt morbus, qui tot mala poſt ſe trahat, ac *Variolæ* non benè judicatæ; Ulcera enim gravia, oſſa Carie affecta, *&* mille mala exinde originem ducunt. Præter *Variolas & Morbillos* refert *Schenckius* tertium *Puſtularum genus cryſtallinum*, quæ nunc ſolitariæ, nunc Petechiis ſociatę ſunt, nunc poſt *Variolas* prodeunt. Afficiuntur in *Variolis & Morbillis* non ſolùm partes *externæ*, ſed *& internæ*, præcipuè Pulmones, unde qui ex hoc morbo intereunt, aut ſuffocantur, aut ex Convulſionibus aut Dyſenteriâ interimuntur.

Febris *Variolarum* ac *Morbillorum*, nunc *benigna* eſt, nunc, idque ſæpius, *maligna*. Eſtque nil aliud, quàm ſanguinis deſpumatio, mediante fermentatione febrili, quâ ſanguis ſe à recrementis lactis materni vitiati aut ab acido corrupti depurat. Unde talia recrementa unà cum ſanguine ab iiſdem inquinato, per fermentationis modum præcipitantur intra cutem, ubi acrimoniâ ſuâ Inflammationes & tandem harum ſuppurationes inferunt. Differunt itaque *Variolæ* & *Morbilli* tantùm ſecun-

cundùm magis & minus. Et peccat inprimis acidum in ſanguine, à cujus acrimoniâ oriuntur Convulſiones nervoſarum partium, Dolores lancinantes dorſi, Dyſenteriæ, Urinæ cruentæ, Ulcera, oſſium Caries, & Phthiſis pulmonalis, non rarò poſt Variolas relicta. Inquinatur etiam lympha ab hoc acido, unde Tuſſes ſiccæ, Raucedines, Oculi lachrymantes, &c.

Acidum illud ita ex ſanguine ſecretum, ac in Puſtulas intercutaneas congeſtum, ſanguinem in parvis, quas acrimoniâ ſuâ excitant, Inflammatiunculis in pus mutat, per præcipitationem ſulphuris ſanguinis ab acido. Idem illud acre rodit Cutem, Pruritum infert, & fibris ejus profundius eroſis Cicatrices efficit; & ſi volatilius atque acrius exiſtat, malignitatem comitem habet.

Cùm omnes ferè homines *Variolis* & *Morbillis* afficiantur, idque ferè ſemel, probabile eſt, earum *cauſam occaſionalem* altius in ſanguine radicari, non quidem *ex vitio ſanguinis menſtrui*, ſed *ex acidi lactis nutritivi corrupti reliquiis*. Hinc earum cum *Achoribus* & *Favis* convenientia: hinc conſanguinei longè diſtantes eodem tempore iiſdem ſimul corripiuntur; hinc Gravidæ aut Variolis correptæ, aut Liberis ægrotantibus ex *Variolis* ſedulo aſſidentes, Fœtum ènituntur ſimiliter iiſdem correptum. Seminarium autem hoc nonniſi accedente causâ externâ, ſpeciatim certâ Aëris alteratione, in actum deducitur, unde ſæpius *Epidemicæ* exiſtunt. Non quod actu præexiſtant tot ſordes, quot eliminari videmus; ſed acidum fermentando ſe multiplicat. Unde illi, quorum ſanguis eſt cacochymicus aut magis alterabilis, copioſioribus iiſdem afficiuntur. Licet eſſentiâ *Variolæ* & *Morbilli* conveniant, differunt tamen pro ætatum, nationum, aliarumque rerum non naturalium varietate. Unde in *Hiſpania*, *Gallia*, *Germania*, *Islandia*, *Japonia*, *Æthiopia*, *&c.* diverſimodè ſe habent. Et Adulti gravius laborant quàm Pueri, quia

denſior illorum cutis & firmior ejus textura diſpoſitioni materiæ non adeo apta eſt, & ſub ſuppuratione ſenſibilius dolet. *Variolæ maligniores* frequenter vermes junctos habent, per ſudorem aut urinam nonnunquam rejectos. Curioſum eſt, quod quidam altera corporis parte *Variolis*, altera verò *Morbillis* affectus fuit.

Prognoſis. *Variolæ* citò & confertim erumpentes, bonæ, quia materiæ obedientiam & naturæ robur oſtendunt. Si poſt eruptionem *Febris* & *Symptomata* non remittant, res periculoſa eſt; aut enim inſufficientem expulſionem aut defectum virium oſtendit. Gravius laborant, quorum Parentes Morbo gallico affecti ſunt. *Variolæ meliores* citò albeſcunt cum circulo rubro; ſunt & magnæ, molles, acuminatæ, rotundæ, diſtinctæ, & ſine continuitate propinquæ; quæ loca externa & ignobiliora occupant, & facilè matureſcunt ac decidunt. *Malæ* ſunt *Variolæ* diſcolores ad livorem declinantes, aut quæ habent circulum lividum, violaceum aut nigricantem; item duræ & Verrucis ſimiles, ut & depreſſæ; item ſi antea acuminatæ ſubſideant & in medio ſui foveolam acquirere incipiant; his adde duplices, tardius erumpentes & maturantes, ac illas, in quorum medio nigra apparet macula. Convulſiones ante eruptionem non metuendæ; ſed ſi continuent aut redeant poſt expulſionem, ſæpè lethales ſunt. Si ſanguis largius è naribus effluat in principio, pauciores & leviores ſunt *Variolæ*; Hæmorrhagia verò aut Alvi fluxus eruptioni ſuperveniens, malum, aut enim puſtulas retrocedere faciunt, aut inquinamenti humorum inſignis, ab iſtis puſtulis inducti, indicium ſunt. Unde Hæmorrhagia ſalutaris debet eſſe, 1. In principio & incremento. 2. Sufficiens & moderatè copioſa. 3. Continua, non interrupta. 4. Per Anaſtomoſin. Urina ſanguinea, & ſanguinis ſinceri ſuprà aut infrà excretiones, ſunt lethales. Tenſio & Meteoriſmus ventris

cum

cum anxietate mortem prænunciat, præcipuè ſi adſit dolor. Si Febris ex pulſu & urinâ levior appareat, & inſolita adſit virium proſtratio cum magno dorſi dolore, quarto ſubinde die lethalis eſt. Si promptè recteque agatur reſpiratio,& vox facilè ſequatur ſine raucedine, admodum ſalutare ſignum eſt. Sed ſi difficulter trahatur ſpiritus, aut conciderint vires, aut in ſepto tranſverſo adſit *Phlegmone*; ſi Ægri vehementer ſitiant, intus continenter angantur, promptè refrigeſcant bullæ, detumeſcantque Variolæ glauco livore palleſcentes, inſtat Mors; hoc enim caloris nativi extincti argumentum eſt. Si puſtulæ hæ malè curentur, aut partem nobiliorem gravius læſerint, diuturna vel lethalia poſt ſe relinquunt Symptomata.

In *Cura* 1. Fermentum acre acidum temperandum. 2. Correctum per diaphoreſin, naturâ monſtrante viam, ejiciendum. 3. Symptomata urgentia mitiganda. 4. Læſio partium vel imminens præcavenda vel facta reſtituenda.

Pro his ſcopis ritè obtinendis *obſerva* 1. Diſtinguendum eſſe *tempus ebullitionis*, quando efferveſcentia febrilis Maſſæ ſanguineæ depuratoria viget, & *tempus expulſionis*, quando excretio cutanea incipit. Prius primis quatuor diebus abſolvitur; poſterius à quarto ad undecimum protrahitur, adeo ut circa 13. diem curatio utplurimum abſoluta ſit: licèt pro circumſtantiarum varietate interdum utrumque ulterius protrahatur. His autem temporibus ritè diſtinctis, in principio dum Puſtularum elementa nondum apparent, haud protinus ad *expellentia* dilabendum, ſed naturæ conatus ita expectandus, ut interim primordia fermenti mitigentur, & ulteriori ſanguinis corruptioni obviam eatur. Dum verò erumpunt, vel jam eruperint *Variolæ*, Symptomatibus urgentibus pro re nata proſpiciat Æger; cautè tamen, ne fortè turbetur naturæ opus

magna pharmacorum moleſtia. 2. Semper poſt diſpulſas *Variolas* corpus purgandum, ſanguiſque purificandus, ne hinc inde hærentes reliquiæ acido ſalſæ mille mala inferant. Pro quo ſcopo excellit *Mercur. dulcis.* Sub primo etiam principio, ſi corpus ſit cacochymicum aut primæ viæ ſordibus obſeſſæ, ne ſupervenientia exinde Symptomata naturæ motum turbent, conducit nonnunquam blandum laxans paſſulatum, vel, quod magis appropriatum, *Mercurius dulc.* parcâ doſi: cautè autem & ſub primo ſolùm principio hoc fiat. Nam in progreſſu Morbi, ubi puſtulæ plus minus eruperint, à quolibet alvum ſtimulante, etiam leviſſimo Clyſmate, niſi ſummâ urgente neceſſitate, ſtudiosè abſtinendum. 3. In noſtro climate Venæſectio multum nocet; præcipuè ſi jam appareant *Variolæ.* Interim tamen in aliis regionibus hæc regula non obtinet. Imò & hic loci in Adultis plethoricis aut habitioribus, vena aperta haud adeo nocere ſolet, ſed in primo fiat principio. 4. *Opiata* debitis cum cautelis adhibita perquam proficua ſunt; ſymptomata enim urgentiora mitigant, Alvi fluxum ſiſtunt, nervoſi generis ſymptomata præcavent, & intumeſcentiam faciei ac manuum, quam inſignem in hoc morbo natura habet, ad debitum terminum pertrahunt; in ſpecie *Theriaca* Infantibus, & *Laud.opiatum* Adultis, veſperi exhibita. 5. Peractâ curâ interrogetur Æger, an in pectore, abdomine aut aliis partibus ſymptomata ſentiat, & tum parti læſæ maturè ſuccurratur: Phthiſis enim, aut Pleuritis, aut periculoſus Alvi fluxus, Variolas ſufficienter expulſas ſequuntur. 6. Aër intemperatus ſtudioſiſſimè vitandus, ſed inſimul cavendum à nimio calore, nimiiſque ſtragulis. Si nempe tempore ebullitionis excedat æſtus febrilis, nullo modo per integumenta aliiſve modis intendendus eſt; contrà ſi eſt debilior & materiæ expellendæ vix ſufficit, omnino augendus eſt.

eſt. Sin verò medius ſit æſtus, in mediocri calore detineantur Ægri. Quoad *Diætam* tenuis ſit, præſertim ebullitionis tempore. *Lentium decoctum* nil valet, utcunque adeo à Mulierculis commendetur: *Vinum* ſemper nocet.

Remedia ſunt vel *generalia* vel *ſpecifica*. *Generalia* ſunt *abſorbentia* & *volatilia*: illa acre temperant, & potius conducunt, ubi circa primas vias urgent ſymptomata: hæc potius ſudorem & urinas movent, & magis conveniunt, ubi volatilius peccat acidum, cum inquietudine, convulſionibus, &c. Illa magis tempore ebullitionis, hæc excretionis, inprimis ubi Pectoris aut Pulmonum metuuntur mala, conducunt. Illa ſunt *Unicornu foſſile*, *Antim. diaphor. Cinnab. Antim. Corall. C. C. ſine igne*, & *Semina expulſiva* dicta. Hæc ſunt *Sal. volat. C.C. Viperar.&c.* atq; in Infantum Variolis nunquam ſatis laudatus *Liquor C. C. ſuccinat.* His ſociari poſſunt *Opiata* quovis morbi tempore pro ſymptomatum ratione.

Specifica remedia ſunt *Myrrha, Caſtoreum, ſem. Aquileg.* quæ balſamicâ vi alterationem à fermento maligno inhibent; item horum *Eſſentiæ* cum *Spiritu vini tartariſato* paratæ, *Eſſentia ex Caſtor.* & *Asâ fœtidâ cum Tincturâ Tart.* parata. *Crocus* mirè expellit, dolorem ſedat, & venenoſitati reſiſtit. Scopis omnibus optimè ſatisfacit *Stercus equinum*, in forma noduli Potui infuſum, aut etiam cum *Cereviſiâ calidâ* ejus *Succus expreſſus*; & in ſpecie ab *Angina*, *Pleuritide* & cognatis *Variolarum* morbis præſervat. Laudatur *Stercus ovillum* ad *Variolas*, ſicut & *caprinum* ad *Morbillos*. *Ficuum decoctum* multum laudatur ad expellendas puſtulas & temperandam acrimoniam; ſed ne alvum laxet, præſtaret *Decoct. Milii* cum *Ficubus* parare. *Succinum* pro externo uſu multum deprædicatur, *brachialia* nempe carpo circumpoſita. Ex his variæ fiunt formulæ V. g.

℞ C. C.

℞ *C. C. ſine igne* ℈i. *Myrrh. gr.* vi. *Theriac. gr.* ii. *M. pro doſ. Infantibus*, præmiſſo inprimis uſu *Mercurii dulcis, dandâ.*

℞ *Aq. Scabioſ. Scorzoner. an.* ℥iß. *Antim. diaphor.* ʒß. *C. C. ſine igne* ℈j. *Sal. vol. Viper. gr.* xv. *Syr. flor. Calend.* ℥j. *M. pro* tribus doſibus.

℞ *Sem. Napi, Aquileg. Card. b. an.* ʒi. *cum ſ. q. Aq. Scabioſ. f. Emulſio. Adde Bezoard. miner.* C. C. *ſ. igne, Unicorn. foſſ. an. gr.* xv. *Edulcoretur parum*, & hauriatur.

℞ *Aq. Scabioſ.* ℥iiß. *Eſſent. Myrrh.* ʒi. C. C. *ſ. igne* ℈j. *Bezoard. min.* ℈ß. *Laud. Op. ferment. gr.* i. *Syr. Card. b.* ʒiii. *M.* detur unà vel duabus doſibus.

℞ *Antim. diaph. Bezoardic. martial.* aa. gr. ix. *M. Caſtor. Myrrh. aa. gr.* iv. *Camph. gr.* i. *Miſc.* Profuit puero 10. annorum, cum inciperent *Variolæ* evaneſcere ſine ſuppuratione, cum Alvi fluxu.

℞ *Tinctur. Tart. acris, Eſſent. Myrrh. an.* ʒij. *M. dentur Adulto gutt.* 40. *Infanti* 10. *ter in die, circa ſtatum, dum remittunt ſymptomata, & copioſæ jam puſtulæ effloreſcunt.*

℞ *Aq. Menth. Aq. flor. Sambuc. an.* ℥ii. *Gelat.* C.C. ʒvi. *Succ. Cydon.* ℥ß. *Terr. ſigill.* ℈i. *Antimon. diaphor.* ℈ß. *Syr. de toto Citro* ℥ß. *M. pro Infantibus in Morbillorum curſu Diarrhœâ affectis.*

Symptomata in his Morbis mitiganda ſunt, vel *ante eruptionem*, vel *poſt eruptionem. Ante eruptionem* ſunt. 1. *Anxietates præcordiorum* & *jectigationes*, quas quando vel Vomitus ſpontaneus præceſſit, vel medicamenta nauſeoſa provocârunt, optimè curat *Liq.* C.C. *ſuccin.* præſertim in Infantibus; cui *Extr. Theriac.* vel *Laud. Op.* in parva doſi addi poteſt. 2. *Vomitus* in principio non ſtatim ſupprimendus eſt; ſi nimius fuerit, curatur *Extr. theriac. Syr. Papav. alb. Laud. opiat.* unà cum *abſorbentibus.* 3. *Diarrhœa*, curanda per *pulv. Terr. ſigill.* largiter agitatum cum *Cereviſia*; item C.C. *uſtum* & *theria-*

theriacalia. 4. *Vigiliæ*, *Deliria*, inprimis *Convulſiones epilepticæ*, quæ Infantes in principio Morbi cum Abdominis duritie affligunt, optimè curabiles *Liq. C. C. ſuccin. Cinnab. Antim.* & ſi neceſſarium videatur, in Morbi principio, *Clyſmatibus levibus.* 5. *Hæmorrhagia Narium* moderata ſinenda; præſtat ut plus fluat ſanguis quàm minus. Quod ſi non ſufficienter procedat, potius promovenda venit, vellicando nares cum ſetâ porcinâ, aut crebrius & fortius eaſdem emungendo. Quod ſi excedat, optimè curant *Bufones* appenſi aut ſub axillis agitati. Si oriatur ex nimia ſanguinis ebullitione, conveniunt *opiata* cum *abſorbentibus*, vitando tunc *volatilia.* 6. *Tuſſis*, curanda in principio ope *incraſſantium*, v. g. *Syr. Viol. Papav. Jujub. Diacod.* in *Aq. Scabioſ. Tuſſilag. &c.* in ſtatu verò per *Incidentia*, nempe *Syr. de Nicot. Eryſim.* cum *Aq. Menth. Hyſſop.* Omni autem tempore Remedia ex *Scabioſa* ſpecificè præſervant & curant partes Reſpirationi dicatas. 7. *Virium proſtratio*, corrigitur à *Tinctura Corall.* cum *Spir.* C. C. item hauſtu *Vini Rhenani*, ſpeciatim quando proſternuntur Vires à nimio ſudore.

Poſt eruptionem ſymptomata ſunt 1. *Retroceſſus*, in quo caſu nil melius quàm *Veſicatoria.* 2. *Suppuratio*, pro qua promovenda, ac ne lædantur, præſertim partes internæ, optimè conveniunt *Lapid. Cancr.* ℨß. *Myrrh. gr.* xv. C. C. *ſ. igne* ℈i. *Sal. Card. b. gr.* v. *M. pro* 3. *doſ.* Vel veſperi ad promovendam ſuppurationem & levandum ejus dolorem in Adulto, ℞ *Aq. Scabioſ.* ℥vi. *Oc. cancr. præp.* ℈i. *Myrrh. gr.* vi. *Laud. op. gr.* ß. *Syr. de Succo Scabioſ.* ℥iij. *M.* 3. *Cicatrices* & *Foveæ* ab eroſione per acidum acre ſalſum. Pro levando hoc Symptomate mitigetur pus illinendo *Oleum Amygd. d. rec. expr.* calidè cum pennâ, quando jam maturaverint. Vel applicando ſæpius *pinguedinem è lardo incenſo* diſtillantem. *Spiritus Vin. aromaticus* cum *Salibus vol.* leviter acuatus, ſubinde

de calidè *Variolis* applicatus valdoperè mitigat; item *Sp. Vin. myrrhatus* ſub eruptione *Variolarum* calidè per duos dies illitus. Poteſt etiam *Emplaſt. de Sperm. Ran.* cum *Sach. Saturn.* imponi faciei, ſed cautè talia fiant, ne repulſis *Variolis* superveniat mors. Ne autem facies tot *Variolis* obſideatur, imponunt dorſo vel ſcapulis *Veſicatoria*; alii *Vaporem* ex *decocto Herb. emoll.* pedibus ſuſcipiunt, vel pedes *Lacti calido* immergunt. Sanè in pruritu Manuum & plantarum Pedum, dum erumpunt puſtulæ, multum confert, ſi ponantur dicta membra aſſiduè in *Aquâ calidâ*. Sed habeatur tunc pedum ratio, ne à copia *Variolarum* dolores diuturni aliaque mala concilientur. Nævos tollunt inprimis *Sperma Ran.* ut & *Aq. flor. Fab.* cum *Ol. Tart. per del.* temperata, cum *Coſmetico Clavii* & paucâ *Tutiâ*. Applicatur etiam Faciei per noctem *Cataplaſma* ex *farin. Fabar.* & *Lupin.* cum *Urina Bovis*: & mane abluitur Facies cum *Aq. flor. Fabar.* miro cum ſucceſſu. Si verò ſuperſint *Cicatrices* mediante nutritione, replentur illinendo *Axungiam Aſciæ piſcis* & *Pinguedinem Anguill.* 4. *Ptyaliſmus*; de cujus tractatione vide *Sydenhamum*.

Supereſt adhuc *quarta* indicatio, inquâ, læſionis partium habenda eſt ratio. Si oculi affligantur, imponatur tepidè fruſtulum crudum *Carnis rec. vitulinæ*, quod ſalſam humiditatem abſorbebit; renovando tamen poſt quadrantem horæ. In principio defenduntur Oculi à puſtulis inſtillando ſæpius ſeq. *Collyrium*; ℞ *Aq. Plantag. Solan. & Roſ. an.* ℥i. *in quibus ebulliant Seminis Sumach* ʒi. *Sem. Plantag.* ʒß. Coletur. Si humor jam ad partem appulerit, detractis *Aq. Solan. & Semine Sumach Malicorium* ſumi poteſt, v.g. ℞ *Cort. Granat.* ʒiii. *Infundo in ſ. q. Aq. Roſ. & Plantag. ſtent. in Infuſo in loco calido, poſtea filtretur, & add. Margar. præp. gr.* ix. *Croc. orient. gr.* iii. *M.* Aut pro *Collyrio* extemperaneo inſtilla *Aq. Plantag. cum Sperm. Ran.* & tantillo *Sacch. Saturni*;

Saturni; vel adhibeatur *Sacch. Sat.* vel *Tutia præp.* cum pauco *Vitriol. alb.* Si nihilominus Oculi intumeſcant vel inviſcentur, ita ut aperiri nequeant, aperiantur *Decocto ſem. Lin. Fænugr. Cydon. & Malv.* vel fotu ex *Malvâ* & *Sem. Cydon.* in *Aqua* coctis. *Nebulæ* poſtmodum apparentes deterguntur inflando *Sacch. Saturni*, vel idem cum *Aq. Roſ.* adhibendo. Si his non obſtantibus remaneat *Visûs obſcuratio*, proficua eſt *Aq. opthalm. Ruland.* vel *Aq. opthalm. ex Croco Metallorum.*

Si *Nares* defendendæ ſint, admoveatur crebriùs *Nodulus* ex *flor. Roſ. rub.* ʒiii. & *Camph. gr.* viii. *Aceto Roſ.* intinctus. Si cruſtæ hactenus concretæ ſpiritum intercipiant, inungantur *Butyro rec. non ſalito* cum *Aq. Roſ.* ſæpius loto.

Si *Auditus* læſus fuerit, applicanda *Veſicatoria* pone aures; hinc immittatur auribus *Eſſent. Cardui ben.* aut *Caſtor.* cum *bombace.* Vel per tritorium immittatur ſuffitus ex *Caſtor. Myrrh. Colocynth. ſem. Fœnic. & pauco Croc.* in *vino* coctis.

Pro præſervandis Faucibus ℞ *Aq. Prunel. Scabioſ. an.* ℥ii. *Mucilag. ſem. Cydon. & Fænugr. an.* ℥i. *Nitr. dep.* ℥i. *M.* & abluantur *Fauces*; in quem finem & *Stercus equin.* cum *ſucco Canc. fluv.* & *Aq. Sempervi v. maj.* optimè fauces & linguam præſervat. Si nihilominus obſideantur fauces & lingua cum magno dolore & calore, optimè gargariſatur tepidè cum *Lacte caprino* & *Aq. Plantag.* aut ſaltem detineantur in ore, ſæpius expuendo & repetendo. Item gargariſatur cum *Decocto Hord. Paſſul. min.* & ſimilium temperantium, ad faciliorem maturationem; cui verò, ſi jam jam ſe aperiant *Puſtulæ*, additur *Mel. roſ.* cum pauxillo *Alum.* ad meliorem *Ulcerum* purificationem. Si *Lingua* exulceretur: ℞ *Fol. Malv. arbor.* ℥ß. *Balauſt.* ʒii. *Myrrh. elect.* ʒi. *Alum.* ʒß. *cum ſ. q. Mellis deſpumati f. Linimentum molle. Si Labia* obdurentur & doleant, inungantur *Mucilag. ſem. Cydon.*

Si

Si adſit vel ſequatur *Dyſenteria*, conveniunt *internè* quidem *Diaſcordium*, C.C. *uſt. Ter. ſigil. Torment.* &c. *Externè*, ſi ferat conditio Morbi, uſurpetur *Clyſter* ex *Lacte* cum *Rad. Symphyti.* In *Mictu cruento* remedia ex *Plantag.* ſunt optima. *Ulcera* poſt *Variolas* cautè & non adeo vulgari modo tractanda ſunt. *Vide Salmuth. Cent.* 2. *Obſ.* 50. De *Paralyſi* poſt *Variolas conſule M.* A.N.C. *Decur.* 1. *An.* 4. *p.* 13. De *Aphonia* vide *Hild. Cent.* 6. *Obſ.* 14. De *Gangræna* vide *M.* A. *N.* C. *Decur.* 1. *An.* 4. *p.* 50. Et de *Articulorum Tumoribus* & *Ulceribus* ibid. An. 6. p. 139.

ARTIC. X.

De Febre purpurata & Morbo Hungarico.

F*Ebris purpurata* quoſvis adoritur, Mares & Fœminas, Infantes & Adultos, præſertim Puerperas, quibus & malignior & funeſtior exiſtit, forſan Menſium retentorum occaſione. *Acidum* ſui generis *malignum* eſt ejus fomes. Hoc enim ubi ſecretum fuerit, & ad loca intercutanea propulſum, horum ardor, pruritus & inflammatio excitatur. Subinde *acutus*, non rarò *præceps* eſt Affectus, qui dum maximè videtur blandiri, etiam ex leviſſimo horrore, ſubitò jugulat. In *Cura* conveniunt *Volatilia*, *Myrrha*, *Roob Sambuc.* cum C. C. inprimis *Liq.* C.C. *ſuccin.* & in genere eadem quæ in *Malignis* uſurpantur.

Morbus Hungaricus Febres alias malignas ſuperat, 1. Gravi *Cardialgia* & *Anxietate*. 2. Intolerabili *Cephalalgia* & graviſſimis *Deliriis*. 3. Graviori *Prunella*; quibus & *Dolor* ſeu *Laſſitudo Artuum oſtocopos*, & ſubinde *Alvi fluor* ſe ſolent ſociare. Cura eadem eſt ac ſupra inſinuatur. Valent in ſpecie *Vomitoria*, quæ in Morbi principio admodum ſunt neceſſaria. Hinc enim *Venarum ranin.*

ſectio

ſectio, reſpectu nempe *Prunellæ*; loco quarum Venam frontis quidam ſecant, ratione *Cephalalgiæ* & *Delirii*. Pro *Julepo* commodè inſervit *Decoctum* C.C. *cum* Citro; pro *Diaphoreticis*, *Spir. Theriacal. camphor. Diaſcord. Fracaſt. Pulv. rub. Pannon.* quibus *Nitrum antim.* in potu additur. Pro Faucium *Gargariſmate* ℞ *Aq. Semperv. maj.* ℔i. *Succi ejuſdem* ℥ii. *Sal. armon.* ʒi. *M.*

ART. XI.

De Peſte.

PEſtis ſupremum denotat malignitatis gradum, qui omnibus ferè Morbis, v. g. *Phrenitidi*, *Dyſenteriæ*, *Anginæ*, &c. jungi poteſt. Propriè tamen *Peſtis* eſt illa peculiaris Morbi ſpecies, quam *Bubones* aut *Carbunculi*, ſubinde & *Petechiæ* inſequuntur. Adeo ut per *Peſtem* in genere nil aliud intelligatur, quam *morbus maximè contagioſus & epidemicus, qui ortum ducit ex miaſmate venenato, ab aëre primum ſuſcepto, & hinc per contagium propagato, qui occultè & latenter homines aggreſſus in ſummum vitæ periculum conjicit, & ferè Bubones*, Car*bunculos, nonnunquam & Petechias comites ſecum trahit.* Miaſma iſtud ſummè ſubtile eſt, quod non tantùm per immediatum contactum, ſed per intermedia quæcunque, veſtes, nummos, literas, ſe propagat. In ſpecie aërem inquinando, quaſi in diſtans multiplicetur, ſeſe diffundit, cujus medio fermentum illud peſtilens inſpiratum ſpiritus vitales afficit, & cruorem inquinat, unde tam promptè vitæ periculum, hinc & ſpiritus metu percuſſi tam facilè contagium ſuſcipiunt. Natura miaſmatis hujus nondum debitè explicata eſt.

Cauſæ remotæ ſunt inprimis *Terræ motus*, quo in caſu merito culpantur effluvia mineralia; item fames, hominum ſtrages, & cadavera putredine reſoluta, ra-

tione mumialis conſociationis cum hominibus. Accedunt & aliæ plures aëris alterationes.

Symptomata. Nunc adeſt Febris, qui motus eſt naturæ irritatæ; nunc abeſt, quo in caſu ſpiritus quaſi ſiderati ſunt & majus ſubeſt periculum. Ægrum autem *Peſte* correptum eſſe oſtendit nauſea ſine manifeſta cauſa, ex contagio nempe ſuſcepto. *Lindanus* dicit certum eſſe ſignum ſi Ægri ſentiant in locis Bubonum, i.e. Inguinibus, ſub Axillis, vel Parotidibus puncticulas, plures vel pauciores, vel etiam unam quaſi candente acu factam; quæ ipſa confirmantur, ſi præceſſerit metus, & conjungatur capitis dolor inſignior, vel ſimilis præternaturalis ſubitanea corporis alteratio.

Prognoſis. Scabies tempore *Peſtis* ſalutaris. Lue venereâ infecti & ulceroſi rarò corripiuntur; aliàs libenter Lui venereæ ſe ſociat *Peſtis.* Bubones & Tumores citò erumpentes, cum remiſſione ſymptomatum, boni ſunt. *Bubonaria Peſtis* mitiſſima, illa cum *Anthracibus* media, *petechialis* peſſima. Bubones plures & boni coloris ſalutares; Carbunculi quo plures, eo periculoſiores. Si per ſudores largiores materia diſcutitur, bonum; ſi ſudor ſit frigidus, vel ſi extrema frigeant, in ſpecie nares, malum. Narium ſtillicidium lethale. Tumores deliteſcentes periculum portendunt. Eminentibus Exanthematibus vel Bubonibus ſuperveniens ſingultus eſt lethale ſignum. Super Bubonem erumpens Anthrax ſive Carbũculus æquæ funeſtus. Anthraces in digitis propter multos tendines periculoſi ſunt. Tumores ante Febrim erumpentes, minùs periculoſi ſunt illis, qui poſt Febrem apparent: tumores aliquantiſper inflammati, non adeò; ſed cùm circulo juncti ſunt livido, valdè periculoſi. Si Cantharides applicatæ Veſicas non excitent, inſtat mors. Si poſt Veſicatorium applicatum & apertum, vel Cauterium actuale, intra 12 vel 14 horas Anthracis progreſſus ad vicina non poteſt inhiberi, Æger interibit.

Idque

Idque etiam fit, quando poſt cauterium ſive potentiale ſive actuale applicatum, locus aridus permanet: ſin verò applicato cauterio erumpat veſicula, quo major eo melior, & poſtmodum laudabilis materia in illa generetur, Æger erit extra periculum. Anthrax cum Vibice communiter flavo aut rubeo eſt admodum periculoſus. Quod ſi Vibex albeſcat citra Febris decrementum pauca ſalutis ſpes ſupereſt. Si Bubones in collo aut prope aures inducant dolores gutturis, & deglutitio citra inſignem internam Inflammationem impediatur, Patiens vix ultra 12 vel 15 horas ſupervivet. Febris inſignis citra anxietates Cordis, minus periculoſa eſt, quàm Anxietates Cordis citra inſignem Febrim. Si oriantur Anthraces in oculis, manibus, ſtomacho, *&c.* intereunt, idque cum ſummis Torminibus, non ſecus atque ſi in Veſica urinaria labes fuerit oborta.

Cura eſt vel *præſervatoria* vel *curatoria*. Genuina præſervatio conſiſtit in cauſæ averruncatione, & ſpirituum roboratione. Hinc ſanguis quaſi balſamo condiendus ad minuendam mumialem ſymboliſationem cum contagio. Peſtis, ſicut & Febris omnis, jejunòs facilè affligit, unde ante egreſſum ex ædibus comedenda eſt *bucella panis*, ſumendo hauſtum *Vini abſinthit.* cui immiſſa fuerit *Camphora*, quantitate piſi leviter accenſa, ut ſupernatando comburatur. Sin extinguatur, denuo accendatur. Egregium præſervativum eſt *Vinum acidum generoſum*, ex eo ſaltem, quòd animoſos reddat homines; quod & medicatum reddi poteſt ex infuſione *Vegetabilium alexipharmacorum*, nunquam omittendo *Myrrham* & *Camphoram*. Purgantia ad præſervationem ſint rara, parca, & non vehementia, V.g.

℞ *Rhei elect.* ʒiß. *Fol. Sen.mund.* ʒiij. *Cremor. Tartar.* ʒi. *Rad. Scorzoner.* ℥ß. *Coq. ex Aqua Card. ben. Colatur.*

℥iij. *add. Syr. de Cich. cum Rhab.* ʒvi. *Spir. Salis parum*; *Conf. Alkerm.* ℈i. *M. F. Hauſtulus.*

Theriacalia, & Aquæ ſpirituoſæ oleoſæ, in præſervatione non conveniunt, niſi acidis miſta. Optimè præſervant *Fonticuli* corpori inuſti, unde qui ignari accedunt ad Infectos, ſentiunt punctiones in Fonticulis. In *præſervatione* ſolemus *aërem medicari* per *Sulphur* accenſum addito *Nitro*; inprimis per accenſum *Pulverem pyrium* & crebriores Tormentorum bellicorum in Civitatibus exploſiones. Addi poſſunt *Succinum, Thus, Myrrha, Camphora, Baccæ Junip.* Præterea *Spir. Vitriol.* & *Nitri* lateribus calefactis affuſi; item *Acetum nitratum* cum *Camphora*, vel *Acet. rut.* cum *Nitro* & *Camphora* pro ſuffitu egregiè convenit. Non ineptè *Lac calefactum* in conclavi ſuſpecto reponatur, ut infectio lacti ſe inſinuet, adeo ut cruſta viridiuſcula ſupernatare appareat. Formantur *Trochiſci* efficaces & ſuaviores ex *Nitr.* ℔i. *Sulph.* ℥iii. *Benzoe, Styrac. ſimul liquat. an. q. ſ.* carbonibus ardentibus injiciendi.

Poſt *Aëris medicationem*, inſtituitur *præſervatio* per *corporis medicationem*; in quem finem *interna Remedia* ſunt *acida*, & hinc *ſulphurea*. Inter *acida* excellit *Acetum theriacale*, vel *bezoardicum*, vel *Acet. Calendulæ*, vel potius *Acetum medicatum* per infuſionem *Rut. Pimpinell. Beton. Nuc. Jugland. Allii, Bacc. Junip.* addita *Camphorâ* aut ejus vice *Spodio cervino.* Digerantur hæc ſpacio 40. horar. ad Solem vel intra Hypocauſtum. Percolatum detur ad cochleare 1. jejuno ſtomacho; Naribus etiam, Temporibus & Pulſibus illinatur, pro antidoto certiſſimo. Mirus dein fuit ſucceſſus *Aceti theriacalis Tymæi.* Sanè ipſum *Acetum*, in quâ *Theriaca* ſoluta eſt, additâ *Myrrhâ*, & *Camphorâ* in *S. Vini* ſolut. (nam in Aceto non ſolvitur) quotidie uſurpatum cum bucella panis optimè præſervat; ſed ipſe Spir. Vin. ſæpè noxius obſervatur. Laudantur etiam *Elix. propriet.*

Spir.

Spir. Sulph. aut *Salis*, aut *Vitrioli*, ex pauca *Cereviſia* aut *Vino* aſſumendus, Fructus acidi, ut *Citra*, *Granata*,&c. *Aceti aromatici* ſpongiâ excepti odor : adeo ut in *Peſtis* præcautione, acida ſemper probentur. Quibus acida meraca ſunt moleſta, temperentur *Spiritu Vini* ; hinc *Spir. Salis*, ſæpius cum eodem cohobando, aciditatem amitttit. ------ Poſt *acida* ſunt *ſulphurea*, tam *mineralia* quàm *vegetabilia* , balſamicâ vi corpus defendentia. Hinc omnis potus *ſulphurandus* ; & uſurpentur *Flores Sulph.*cum *Myrrhâ*. Juxta *Sulphur* habentur *Succinum*, *Myrrha*, & quæ omnibus palmam præripit *Camphora*. Laudatur *Elix.propr.Spiritu Sulph.*acidulatum. His addendum eſt *Opium*, quod ſpiritus figendo & animi pathemata nonnihil coercendo, inter *præſervativa* non ultimum meretur locum. Hinc *Theriaca*, *Mithrid.Diaſcord.* cum *Aceto* commodè uſurpantur. Item ℞ *Flor. Sulph.*ʒiij. *Myrrh.*ʒii. *Aloes* ʒi. *Croci*, *Camphor. an.*ʒß.*M. f. Pulvis*,ex quo cum *Conſ.Pulp.Citri f. Electuarium*, aut agitando cum *Aceto*, *Acetum præſervativum*. Hæc quoad *interna præſervativa* ; inter *Externa* convenit *ſpongia Aceto* imprægnata , naribus admota, omnibus *Pomambris* præferenda; cui addi poſſunt *Camphora* & *Myrrha* in pyxide perforatâ.*Rad. Zedoar.*& *Zinzib.* in *Aceto* maceratæ & crebrius maſticatæ; aut *Trochiſci* ex *Myrrha* & *Camphora* cum *Mucilag. Gum. Tragacanth.* in ore continuò voluti. Illinuntur & tempora, carpi, & præcordia *Balſamo*, v. g. ℞ *Ol.deſt. Junip.*℥ii. *Ol.ſtill. Citr. Succin. an.* ʒi. *Ol.ſtill.Camph. gut.* xxiv. *M. pro dicto uſu*. *Trochiſci* ex *Magnet.arſenicali Ang.Salæ* cum *ſ.q.Benzoes*, ſyndone rubro obducti & circa regionem Cordis appenſi egregium ſunt *Amuletum* : item illud ex *Merc.* per fumum *Saturni* coagulato & appenſo ; item *Bufo* per caput perforatus, & ita appenſus; vel *Trochiſci* ex *Bufon.* & eorum *Vermiculis* in patellâ cereâ rejectis, ſimiliter appenſi. *Hæc de præſervatione.*

Curationis totius cardo in eo vertitur, ut *Venenum* ſuſceptum potenti *ſudorifero alexipharmaco* foras educatur, additâ ſemper *Camphorâ* ob penetrantiam ſummam. Fundamentum ſuggerit natura venenum ſponte deponens. Sed obſervetur I. *Alexipharmacum* ſingulis 8. horis eſſe repetendum, diuque continuandum: nec metuenda virium proſtratio, melius enim ſe habent Ægri, dum ſudant. Interim ratio habeatur texturæ raræ vel denſæ, virium infirmarum vel validarum, & malignitatis majoris vel minoris. II. Sudans à ſomno arceatur, admovendo nempe naribus ſpongiam *Aceto vini* nonnihil *camphorato* imbutam; nam ſomnus *Veneni* expulſionem impedit. III. Dum ſudat Æger, applicetur umbilico *panis parvus* à furno *calens*, cujus cavitas *Theriacæ* ℥ii. repleta ſit, detractâ cruſtâ inferiori. Simili modo Pani *ſecalino* infunditur *Spir. vini camphor.* & applicatur Umbilico, ita ut foramen ei reſpondeat. Sic Æger incipiet ſudare, licèt nihil intus ſumpſerit, & Venenum pani ſe inſinuabit, qui propterea defodiendus eſt. IV. Si adſit *Agrypnia*, *Delirium*, aut *Inquietudo*, *ſudoriferis* addantur *opiata*, præſertim in principio, ut coërceantur Symptomata, & poſt ſudorem, linteis calefactis, Sulphure, Succino, Thure & Myrrhâ probè ſuffumigatis abſterſum, ut blandus denuo Sudor ſequatur. V. Si adſit *Febris ardens* & efferveſcentia inſignis, *theriacalia* niſi *acidis* temperata non conveniunt. Uſurpantur itaque *Diaſcord. fixa antimonialia*, & *Salia lixivialia*. Sin verò *Febris mitis* aut nulla ſit, *theriacalia aromatica* conducunt debitæ ſanguinis æſtuationi reſtituendæ. VI. *Acida* nunquam omittenda, ſemper tamen *ſudoriferis* miſcenda; conveniunt inprimis poſt ſudorem, ut reficiatur Æger & ſimul malignitati reſiſtatur. VII. Sicut *Fonticuli* in præſervatione, ſic *Veſicatoria* in curatione Vertebris colli, verſus Humerum aut carpum, Cruribus & Suris internis, applicata, conducunt.

cunt. Talia enim à partibus nobilioribus revellunt; à vicinis derivant; vaſa calefaciunt, liquores reddunt magis obſequaces, & cum ſeroſa colluvie noxios humores educunt. Sed acerrima eſſe debent, & pars prius ad ruborem fovenda, quo vis *Emplaſtri veſicatorii* potentius ſe exerat; & excitata Ulcera diu aperta relinquenda *Emplaſtro de Meliloto*, pulverem *Cantharidum* iterum atque iterum inſpergendo, hinc Inflammationibus dolorificis opportunè ſuccurrendo *foliis Braſſicæ* Ulceribus ſuperimpoſitis. Interea hujuſmodi *epiſpaſticis* ſemper addatur aliquid de *Magnete arſenicali*. Sed tamen ſi urgeat *Urinæ ardor* & *Incontinentia*, *Sphincteris Veſicæ Inflammatio* vel *Ulceratio*, *Mictus cruentus*; ſi *Mulier utero gerat*, vel inſtet *Fluxus menſtruus*, vel nimia ſit *Virium proſtratio*, non ſunt admovenda. VIII. A *Venæſectione* ſemper abſtineatur; idque eò magis, ubi alvus ſimul fluere cœpit, vel *Bubones*, *Carbunculi* aut *Petechiæ* ſe manifeſtant. IX. In principio morbi, dum venenum in primis viis hærere teſtatur Nauſea, commodè adhibentur *Vomitoria*, addendo ea, quæ vim habent *alexipharmacam*. Ubi mox apparent *Bubones* & *Anthraces*, & neceſſitas vomitorium propinare ſuadet, applicetur *Buboni* & *Anthraci* attractivum remedium, ne, dum *Vomitorium* datur, recedat Tumor. X. Si vomitus adeo vexet Ægros, ut nihil retineant, ſolo integumentorum pondere ſudor provocandus, ſuperinducendo vultui linteaminis partem ad halitus colligendos. Sic enim *Vomitus* & *Alvi profluvium* ſedantur, & aſſumpta deinceps *medicamenta* probè retinentur.

Inter Remedia, pro curatione *Peſtis*, excellit *Camphora*; unde *Heinſii Oleum peſtilentiale* ex *Ol. ſtil. Succin. Citr. & Camph.* compoſitum, *ad gut.* x. *vel* xv. multum præſtitit. Habetur etiam *Liquor* ex *Camphoræ* ℥i. *&* *Album. Ov.* ℥vi. *deſtillatis per retortam*, qui cum *Spiritu Vini* cohobatus egregium eſt *alexipharmacum*. *Camphora*

etiam ad ℈ß. cum *Croco* in *Aquæ Theriac.* ℥i. ſoluta; vel cum *Florib. Sulph.* & *Theriacâ* miſta, egregiè ſudorem prolicit. Juxta *Camphoram* laudatur *Spir.C.C.* ritè paratus & *ſale volat.* probè acuatus, ad ℈ß. *Baccæ Hederæ arboreæ* ad ℈i. in *Vino* vel *Aq. Card. ben.* item *Baccæ Junip.* multum laudantur. *Allii capita* contuſa cum *Vino* vel *Aceto* ſumpta; & remedia ex *Cervis* & *Viperis* notiſſima ſunt. Egregii etiam ſunt *Bufones vivi* in *Spiritu Vini* ſuffocati, unde hic *alexipharmacus* redditur; ut & *Spiritus* & *Sal. vol.* ex iiſdem ita maceratis & per retortam deſtillatis. Imò ipſi *Bufones* ab interioribus purgati, exſiccati, pulveriſati, & cum *Hepate* proprio ſimiliter exſiccato, in forma *pulveris* ad ʒß vel ʒi. commodè propinantur. *Stercus humanum* cum *Urinâ propriâ* hauſtum eſt egregium; quod & externè *Bubones peſtilentiales* optimè curat. Inter *mineralia* eminet *ſulphur*, tam *commune* ad ʒii. cum Aceto & *Camphora*; quàm ex *Antimonio* ritè paratum. Inde & Potus quilibet in *Peſte* ſulphurandus eſt. De *Potionibus theriacalibus* aliiſque ſufficiant, quæ circa *malignas Febres* monita fuerunt. Ex dictis facile eſt parare formulas. V. g.

℞ *Theriac. Andr.* ʒi. *Bezoard. min.* ʒß. *Camph. gr.* vi. *Acet. Bezoard. q. ſ. Miſc. cum Sacch. F. Bolus unâ vice ſumendus, expectando ſudorem.*

℞ *Antimon. diaph. Flor. Sulph. an.* ʒß. *Sal. volat. Viper.* ℈i. *Camph. gr.* viii. *vel* x. *M. Divide in* 2. *partes æquales pro ſudorifero.*

℞ *Aquæ Card. b.* ℥iij. *Liq. CC. ſuccin.* ʒiß. *Camph. gr.* v. *Syr. de Scord.* ℥ß. *M. pro hauſtu.*

℞ *Roob Junip.* ℥iii. *Elect. de Ovo, Mithridat. an.* ℥iß. *Theriac.* ʒiii. *Flor. Sulph.* ℥j. *Myrrh.* ʒiii. *Camph.* ʒii. *Croc. orient.* ʒß. *Succ. Citr. q. ſ. Miſc. f. Elect. Doſ.* ʒi. *in Aqua Card. b. & Acetoſ. an.* ℥i.

℞ *Viridis æris benè calefacti* ℔i. *Irrora cum Spir. Acet.* ℥iiij. *Deſtilla per Retortam vitream in igne arenæ intenſiori.*

ſiori. Jam ℞ *hujus Spir. part.* iß. *Spir. Tart. rectif.* p. iii. *Miſtis his, adde ſingulis unciis Camph.* ʒi. *ponantur vitro bene obturato in digeſtionem, donec Camphora uniatur Liquori. Si cum aliqua particula Opii digeratur & filtretur, dat Elixir antiloimicum egregium.*

Symptomata frequentiſſima *Peſtis* ſunt *Bubo* & *Anthrax. Bubo* crudus non aperiendus, niſi ejus livor aut nigredo Gangrænam minetur; adeoque *maturatio* quædam eſt expectanda. Inconſultum autem videtur diſcuſſioni Bubonum operam dare, niſi ſimul ſudor provocetur. In Bubone itaque curando applicantur externè 1. *Attractiva.* 2. *Maturantia.* 3. *Mundificativa* & *Conſolidantia.* Sic pro attrahendo Veneno & maturando Tumore applicant quidam *Cepas coctas*, cum *Pulv. ſem. Sinapi*, aut ſi dolor intenſius urgeat, cum *Theriaca* contuſas. Huc faciunt *Bufones* exſiccati, in *Vino* macerati, dum molleſcant, & Buboni impoſiti; vel horum *pulvis* cum *Aq. Scorzoner.* in forma *Cataplaſmatis*, vel *Emplaſtrum magnet. arſenicale Angeli Salæ*, reliquis *Emplaſtris* præferendum. *Buboni* nempe applicatur *veſicatorium*, etiamſi tumor non ſit magnitudinis inſignis; intermiſſis *Cucurbitulis*, quæ bonos æquè ac malos humores alliciunt, ſanguinem alterant, & *Dolorem* atque *Febrim* excitant; Veſicæ poſt horas 8. vel plures excitatæ, hinc diſſectæ applicatur *Emplaſtrum*, cujus formula talis eſt. ℞ *Antim. crud. Sulph. flav. Arſen. alb. an.* ℥ij. ſubtiliſſimè pulveriſata ſepeliantur in phiala in Igne arenæ, donec rubeſcant: vaſe refrigerato, eximitur *Magnes arſenicalis*, non venenatus. Deinde ℞ *Gum. Serap. Ammon. Galban. an.* ℥ß. *Ol. Succin.* ʒii. *Terr. Vitriol. dulc.* ℥i. *Gummata diſſolvantur in Aceto forti; & per parvum linteum expreſſa, ad conſiſtentiam priorem bullita, miſceantur cum Ol. Succin. Terra Vitr. & Magnete arſenicali.* Sic habetur *Emplaſtrum* egregiè attractivum, quod tamen in corporibus robuſtioribus, vel ſi

profundius lateat *Bubo*, niſi ope *veſicatorii*, *Eſcharam* non producet. *Eſchara* autem veneni extracti vera ſedes eſt, & mediocriter craſſa reperitur, cute tantum ſuperficialiter corroſâ, unde multo citius & minore cum dolore ſeparatur, quàm aliæ *Cruſtæ artificiales*. Saltem ejus ſeparatio promovetur *ſeq. Unguento*: ℞ *Mell. virg. Axung. Anat. an.* ℥i. *Fulig. Camin.* ʒvi. *Terebinth.* ℥i. *Vitel. Ov. no.* ii. *Theriac.* ʒiii. *Ol. Scorpion. q. ſ.* Si *Tumor*, cruſtâ primâ ablatâ, ſufficienter non ſit imminutus, *Emplaſtro* prædicto *magnetico* ſecundam vel tertiam excitabis. Tandem Ulcus *conſolidandum Emplaſtro de Minio*, vel *albo cocto*, vel *Diapomphol.* ſed lentè ad conſolidationem feſtinandum, ne lateat adhuc virus.

Verzacha, *Medicus* ille *Baſilienſis*, Bubones curavit applicando *veſicatorium* inferiori parti, deinde imponendo veſicæ *Fol. Betæ* aut *Braſſicæ rubræ*, *Oleo Rapar.* inunctum; ſecundo die applicuit Cataplaſma ſeq. ℞ *Mic. Pan. tritic. alb.* ℥ii. *Farin. Alth. Lil. alb. an.* ℥i. *Herb. Malv. Scabioſ. Scord. Rut. flor. Chamom. Melilot. an.* ʒi. *Farin. ſem. Lin.* ℥ß. *Fænugr.* ʒii. *Ficuum recent. n.* vi. *Cep. n.* iii. *Pulv. & coq. in Aq. font. ad formam Pultis*, *ſub finem addendo Ol. Scorp. Unguent. reſump. an.* ℥ß. *Theriac. Androm.* ʒii. *Pulv. Croc.* ʒiß. *Vitel. Ov. n.* iii. *M. F. Cataplaſma*. Quia tamen prædictum Cataplaſma facilè corrumpitur, ejus loco ſubſtitui poteſt ſequens: ℞ *Emplaſt. Melil. Diach. cum Gum. an.* ℥i. *Ol. Scorp. q. ſ. M.* Si verò propter cutis denſitatem *Bubones* iſtis medicamentis non rumpantur, aperuit Lanſettâ, & Ulcus mundificavit *Linimento* ex *Ung. Apoſt.* ʒiii. *Terebinth. Venet. Mell. roſ. aa.* ʒii. *Theriac. Andr. Ol. Scorp. an.* ʒi. *Vitel. Ov. n.* i. *M.*--------Alii præmiſſo vel omiſſo *veſicatorio*, *Bubonem* mitigant applicando *Herb. Parid.* aut *Cataplaſma* ex *Fermento* cum *Scrophularia* & *Bacc. Herb. Parid.* aut Cataplaſma ſequ. ℞ *Rad. Lil. alb. & Alth. an.* ℥ii. *Fic. ping. n.* iii. *Coq. in ſ. q. Ol. Lib. alb. ad conſiſt. Cataplaſm. adde Fulig. ſplend.* ℥i. *Sapon.*

pon.Venet.℥vi. *Ol.Rın.*℥ii. *Miſc.* quo facto aperiendus eſt *ſcalpello* aut *cauterio potentiali*, ne ſuppurationis mora vires proſternat, aut virus repellat. Solebat quidam *Hodges* chirurgicæ manus vicem ſupplere *Emplaſtro* ex *Oxycroc.*℥iii. *Galban. colat. Gum. Caran. an.*℥i. *Pic. nav.* ℥ii. *liquatis cum Ol. Chamom.* Apertio tamen artificialis ipſi auſpicatior habetur, aperto autem *Buboni* applicandus eſt *Balſam. Sulph. aniſ. vel terebinth.* cum *Ung. baſil.* & *Theriaca*, imponendo deſuper *Emplaſtr. Diapomph.* pro mundificatione & conſolidatione, obſervando tamen, ut diutiſſimè apertum ſervetur. De cætero probè attendendum, ne *Acetum*, *opiata*, *ſaturnina*, vel *mercurialia* Bubonibus applicentur. ------- *Parotides* eodem modo tractandæ ſunt ac *Bubones.*

Quoad *Carbunculos* & *Anthraces*, *Carbunculus* emergit cum calore purpureo & puniceo, & circulo circumcirca vel rubicundo, qui melior, vel livido, qui deterior; & Gangrænæ inſtar partes vicinas inficit. Interdum puſtula alba apparet, materiam quaſi coctam continens, quæ aperta aut compreſſa, ſicca ac profunda in partibus carnoſis radicata apparet. Subinde puſtulæ plures emergunt, ſub quibus durities inflammatoria apparet. In Cura, cùm nil aliud ſit, quàm incipiens partis mortificatio, 1. ejus progreſſus inhibendus. 2. pars mortificata ſeparanda. 3. Ulcus relictum mundificandum. Pro primo ſcopo ducatur circulus *Sapphiro* in cute circa *Carbunculum*: dein illinatur apex ejus *Butyro Antimonii*, hæc enim non ſolùm progreſſum mortificationis inhibent, ſed & totum mortificatum ſeparant. Denique applicetur *Empl. de Fulig.* vel *Magnet. Angel. Sal.* quo non datur melius. Alii non ineptè mox applicant *Cauterium actuale*, & *Eſcharam* ruptorio ex *Ol. Lin.* & *Chamom.* cum *Croco* ſucceſſivè ſeparant. His factis, ubi ſubſtantia ſeparata probè educta eſt, uſurpetur *Balſ. Sulph. aniſ.* aut *Ung. Baſil.* cum *Empl.* *tetra-*

tetrapharm. & *Theriac.* Si adſit ardor ſummus, vitentur *oleoſa* & *pinguia*, metu ſphaceliſmi.

Æſtus in genere mitigatur uſu *Nitr. antim.* ad ʒi. in *Menſ.* ß. potûs ordinarii; item *Arcan. duplic. Spir. Nitr. d.* &c. *Externè* lintea intincta *ſucco Semperv. maj.* & *Acet. roſ.* in quo ſolutum *Nitrum*, applicantur pulſibus, fronti & temporibus. Sed in Febribus cum excretione cutanea junctis, calor non facilè ſufflaminandus eſt, niſi modum exceſſerit.

In *Dolore capitis* & *Vigiliis* notandum, quòd nunc à Stomacho & Præcordiis affectis proveniant, & Vomitorio in principio morbi dato, vel Clyſmatibus præcaveantur aut leventur: nunc capitis malè ſe habentis pediſſequæ ſint, & tunc intenſior eſt incaleſcentia circa frontem, oculi ſunt fulgidi, & minor eſt inquietudo ſeu jectigatio. Si hæc ſymptomata diutius durent, Delirium poſt ſe trahunt, cujus comites tandem ſunt Convulſiones. Dolor Capitis in principio curandus venit, ſed ſi prope judicationem ſuperveniat, nil tentandum, quia interdum Vomitum vel Hæmorrhagiam præſagit. *Vigiliæ* pariter circa criſin minus tutò *anodynis* tractantur. *Internè* Mala hæc curant *Opiata* & *Emulſiones*; *externè* illinitur temporibus *Ung. alabaſtr.* cum *Ol. Semin. Papav. alb.* aut *Hyoſc. expreſſ.* item *Epithema* fronti applicatur ex *Emulſ. nucl. Perſic. & ſem. Papav. alb.* in *Aq. flor. Sambuc.* aut *Verben.* aut *Solan.* cum *Camphora.* Applicantur etiam Plantis pedum *Cataplaſmata* ex *Fol. Rut. Rad. Raphan.* & *Sal. comm.* cum *Fermento.* Dein ſubinde admoventur Fronti lintea tincta in *aquâ* ſolutionis *Nitri.* Notandum autem, Epithemata humida minùs convenire, quia refrigerata poros ſtringunt; item dolorem in parte capitis anteriori à Febre oriri, in poſteriori verò à proprio capitis affectu. *Medulla* etiam *crurum Vituli* recens, temporibus crebrius illita, veſpertino tempore ſomnum adfert. *Barbette* temera-

merarium *Opii* uſum diſſuadet, primis nempe tribus vel quatuor diebus; item impuro exiſtente ventriculo, Ægriſque nimis debilibus; & tandem diu deficiente ſomno non niſi *alexipharmacis* junctis concedit. Quin & priuſquam ad *Laud. Op.* uſum accedat, capitis dolorem ſedat applicando plantis pedum & volis manuum Cataplaſma ex *fol. Rut. Ferment. acri, Fimo columb. Sal. com.* & *Acet. Sambuc.* Vel ex *Bol. armen. Terr. ſigil. Cret. alb.* & *Acet. calend.*

Si adiit profundior ſomnus, applicetur naribus *ſuccus Rutæ* cum *Aceto*, aut *Caſtor.* cum *Acet. rutac.* Adhibeantur *Veſicatoria* cervici, item carpis aut malleolis: & Fronti imponantur *Thus, Bac. Laur.* & *Piper nigr.* cum *Albumine ovi* ſubacta. *Internè* vitentur *Theriacalia* & quæ de *Opio* participant, & propinentur *acida*.

Hæmorrhagia narium critica non ſiſtenda: *Symptomatica* ſiſtitur ſanguinis fluxum prohibendo per interna refrigerantia, nempe *papaverina*, *Aq. Papav. errat.* cum *ſucco Portul.* aut *ſucc. Cydon. Rib. Syr. Portulac.* denique *Terr. ſigill. Lap. Hæmat. Corall. Bezoard. martial.* aut *Antim. diaph. mart.* ex quibus fieri poſſunt Mixturæ cum *Aquis Symph. Plantag. Roſ.* &c. addito *Nitro, Spir. Vitriol.* aut *Salis*, *Aceto* &c. *Externè Bufo* vivus ſub alis applicatus, vel exſiccatus ſimili ratione detentus, vel pugno compreſſus, ut probè incaleſcat potenter *Hæmorrhagias* ſiſtit; abluantur etiam manus, pedes & collum *Aceto*; vel applicetur temporibus *Creta* aut *Bolus* cum *Aceto*. Sedatâ *Hæmorrhagiâ* laxatio alvi inſtituenda eſt, ſi alia non impediant, idque *rhabarbarino* quodam.

Sitis Febrium levatur per *Nitr. antimon.* in potu ſolutum, vel *Serum lactis ſucco Citri acidulatum*, vel *Aquam comm. acidulatam* cum *Spir. Sal.* & *Syr. Citr.* quæ optimè levat, & ſudorem ſimul movet. Si alvus quoque aperienda veniat, conveniens eſt *Tamarind. Pulp.*

&

& *Decoct.* Notandum autem, nec nimiâ quantitate nec ſæpius frigidam bibendam eſſe, alias Flatus, Alvi fluxus, Cordis anxietates & ſymptomata alia exinde metuenda eſſe ſcribit *Barbette*, quem *vide de Peſte*, p.615.

In *Cardialgia* & *Vomitu* conducit *Sal. Abſinth.* ad ℈i. item *Conſ. Menth.* & *Extract. Torment.* In *Peſte* exhibuit *Barbette* miſturam ex *Aq. Menth. Prophyl.* & *Cinnamom.* cum *Conf. Hyacinth. Sal. Coral.* & *Syr. Myrtin.* inunxit dein Ventriculum ter vel quater quotidie *Unguento* ex *Ol. N. moſch. expr.* ℥iß. *Ol. Mac. ſtill.* ʒß. *Ol. Abſinth.* ʒi. Interea parcior potus conceditur, & ſedato Vomitu exhibetur ſudoriferum. Notandum autem, mala hæc non adeo facilè profligari, ſi ex internis *Carbunculis* oriantur, quas Ventriculum & Inteſtina ſubinde occupare teſtatur Cadaverum ſectio.

Alvi fluxus & *Tormina abdominis* curat *Diaſcord.* ad ℈i. in miſturis propinatum; item *Eſſent. Theriac.* ad *gut.* 30 vel 40. item *Extract. theriac.* ad gr.iii. vel 4. *Anodyna* autem & *opiata abſorbentibus* miſta optima ſunt. Abſtineat Æger ab omnibus ſalſis & acidis, alias in *Peſte* uſitatis, item à largiore potu. Applicentur externè *Olea ſtillatitia Maſtich. Abſinth. Aneth.* &c. cum *Theriaca* & *adſtringentibus.*

Sudores, corpore adhuc pleno, non ſunt eliciendi quia facilè translatio fieri poteſt ad Caput. Interdum poſt *Febres continuas* remanent crebri ſudores nocturni, ex ſanguine depauperato & nutrimentum non aſſimilante nati, qui curantur per *Emulſ. temperantes*, vel *abſorbentia coralliata*, interdum *martialia* cum *aromaticis*, ſubjunctis *amaris*, *v. g. Abſinth.*

Urinæ ſuppreſſio prægreſſo ſudori ſuperveniens imminentis criſeos per ſudorem interdum indicium eſt. Interdum in ſtatu ſine criſeos indiciis delirantibus vel alio modo affectis ſupervenit, & in talibus illinenda ve-

venit Regio pubis *Ung. de Alth.* ℥ß. cum *Ol. Scorpion. ſimpl.* ℥i. Et omittenda ſunt *Veſicatoria.*

Deliquia animi, *Palpitatio cordis*, & *Anxietas* à Ventriculo orta, curantur *abſorbentibus*. Si procedant à ſanguine grumoſo aut Spirituum motu convulſivo, proſunt *Conſ. Alckerm. Caſtor. C. C. Spir. Sal. ammon. Externè* convenit faciem & tempora irrorare *Mixturis cephalicis* cum *Caſtor.* & *Acet. Roſ.* junctis.

Si adſit *Prunella*, aut *Angina*, & incipiens *Oris putredo*, collo applicetur *Sacculus* interpaſſatus calidus ex *Croco, flor. Sambuc.* & *Sal. Petr.* & fiat *Gargariſma* adſtringens ex ſpeciebus in *Aqua Hord.* decoctis, addito *Nitro* & *Sale ammoniaco.*

Interdum *Maculæ*, pulicum morſus referentes, Dorſum, Brachia & Crura criticis diebus occupant; interdum apparent *Vibices* longiores à guttarum ſanguinis ſiderati diſperſione ortæ. In hoc caſu continuanda ſunt ſudorifera, inprimis *Aq. Galeg. Myrrha, Caſtor. Camphora*, & *Salia vol.* Sedulò frigus vitandum, & corpus quotidie fricandum ſacculo *Sale comm.* vel *Sale petræ* repleto; & *Cucurbitæ ſiccæ*, paſſim in Dorſo, Brachiis & Cruribus calidè affigendæ & ſæpius detrahendæ.

SECT. XVI.

De Nutritione Læſa.

ART. I.

De Phthiſi & Tabe.

SAnguis ex ſiniſtro Cordis ventriculo ebulliens diſtribuitur ad omnes partes, ut corpus nutriatur. Læditur hæc nutritio 1. Quando redundat vel universè in *Corpulentia*, vel particulatim ſecundùm par-

partium nonnullarum & Viſcerum parenchymata, ut in *magno Hepate, Liene*, &c. 2. Quando deficit in *Atrophia* & *Tabe*. 3. Quando depravatur in *Cachexia*, *Anaſarca*, *Ictero*, &c.

In *Atrophia* deficit nutritio, vel ratione pinguedinis & *Macies* dicitur, vel ratione carnis muſculoſæ & *Tabes* appellatur. Cartilagines autem, Oſſa, Parenchymata, Membranæ, & partes fibroſæ non abſumuntur, utut ſubinde exſiccentur plùs minus & areſcant. Si unum vel alterum membrum tantùm tabeſcat, *Aridura* dicitur, & rarior eſt *Atrophiâ univerſali*. Cujus *cauſa efficiens* ſunt deficientes ſpiritus animales influi, qui cum ſpiritu inſito confermentati nutritionem alias efficiunt. Deficiunt hi vel quando non generantur ob varia ſanguinis vitiâ & cerebri intexturam; vel quando geniti abſumuntur labore, venere nimiâ, intenſioribus meditationibus, mœrore, &c. Subinde Cauſa *Atrophiæ* eſt in *objecto* (& non in *efficiente*) nempe *alimento*, vel quando deficit nutrimentum, vel quando vitioſum eſt. Deficit autem 1. In inedia, aut quando alimenta parum nutrientia aſſumuntur. 2. Quando chylus genitus non diſtribuitur ad vaſa ſanguiflua, idque vitio vel vaſorum lacteorum, vel glandularum Meſenterii obſtructarum. 3. Quando Chylus ſanguini aſſimilatus nimis cum eo evacuatur, in *nimia Hæmorrhagia*, *æſtu* ſuccum nutritium liquefaciente, *nimio motu* & *ſudore*, *Fluxu alvi*, *Fluore albo*, *Ulceribus fiſtuloſis* in artubus, nimiâ *Venere*, quam ſequitur *Tabes dorſalis*, i. e. ſucceſſiva in dorſo extenuatio, & ſpinæ prominentia, cum ſenſu vermiculationis ſubitò per medium dorſum decurrente. Hujus autem *Tabis* duplex eſt *Hippocrati* ſpecies, vel à diſtillatione in ſpinam, vel à genituræ copioſiori excretione. *Vitioſum* denique eſt *nutrimentum*, vel propter malam in Stomacho digeſtionem, vel propter vitioſam nutrimenti geniti in Maſsâ ſanguin. antea plus nimis vitiatâ

cor-

corruptionem. Sanè multæ ſunt *Tabes* ex vitio Ventriculi, quando aut lympha ſalivalis aut fermentum Stomachi, aut etiam ſucci in primis viis ita vitiantur, ut alimentum immutent in *Chylum acido ſalſum*, aut aſperum, aut plus minus viſcidum & ſeroſum. Deinde & *vitio ſanguinis* frequentes ſunt *Atrophiæ*, quando nempe in craſi ſua vitiatur, unde etiam corrũpitur *Chylus* diſtributus, v. g. in *Hecticis* poſt Febres malè curatas, in *Scorbuto* & *hypochondriaco Malo*, ubi acrimonia ſalis ſcorbutici nutrimentum corporis inquinat, in *Menſibus*, *Lochiis* aut *Hæmorrhoidibus* retentis maleve ſanatis; vel denique in vitio partis ſolidæ nobilioris, ratione cujus Maſſa ſanguinea ad dyſcraſiam degenerat.

Atque talis ex Viſceris cujuſdam vitio inſigniori, ac ſpeciatim exulceratione, nata *Tabes*, ſingulari nomine vocari ſolet *Phthiſis*. Et quoniam pulmo præ omnibus partibus internis maximè expoſitus eſt injuriis externis, & ſimul talem ſortitus eſt texturam, quæ facillimè ſanguinis recrementa ſuſcipit, & frequentiſſimè vitiatur, propterea κατ᾽ ἐξοχὴν ii *Phthiſici* dicuntur, qui *Ulcere pulmonum* laborant. Cæterùm in *Phthiſi* quacunque ſemper adeſt *Febris hectica*; & ſi Viſcus nobile ſuppuratum eſt, ſequitur *ſordidum Ulcus*, quod magis magiſque ſanguinem inquinando *Tabem* admodum exaſperat. Differt *Phthiſis pulmonalis* à *Vomica Pulmonum* in eo, quòd prior ſit *Ulcus* ſordidum cum ſanie & pure degenerato; poſterior verò ſit *Abſceſſus* cum pure puro, albo, lævi & æquali. Licèt autem Pulmonum exulceratio frequentior ſit *Phthiſeos pulmonalis* cauſa; quævis tamen alia eorum labes inſignior ſanguinem ad *Phthiſin* diſponit. Adeo ut *Phthiſis pulmonalis* ſit *Contabeſcentia corporis ex vitio pulmonum nata*, non ex ſola *exulceratione*, ſed etiam ex *corrugatione*, peregrino aliquo corpore in aſperam arteriam aut pulmonem illapſo, &c. ſicut contrà obſervati ſunt Pulmones exulcerati ſine *Phthiſi*,

Cauſæ autem *remotæ* frequentioris *Phthiſeos pulmonalis*, nempe *exulcerationis*, ſunt vel *internæ*, inprimis ſanguinis & lymphæ acrimonia & ſalſedo muriatica, cujus origo prima in digeſtione Ventriculi vitiatâ poſita eſt: vel *externæ*, v.g. *Vulnus* aut *Caſus*, indeque ſanguis grumoſus in thorace, halitus acidi & corroſivi mineralium; inſpiratio odoris Aquæ fortis, Gypſi aut Calcis; Acidulæ & omnia vitriolata; potus Vini acidi, vel frigidæ poſt æſtum corporis; fumus Nicotianæ copioſius hauſtus. Pleuritides etiam & Peripneumoniæ malè judicatæ, ſanguinis Sputum, & Variolæ, frequentiſſimè *Phthiſeos* autores ſunt. *Phthiſis pulmonalis* hæreditarium malum eſt, quod ex traduce propagatur: ſi *Ulcus* confirmatum ſit, fermentum ejus corruptum aut per halitum exſpiratum, aut per ſaniem expectoratum, Conjugem, Medicumve ſputa olfacientem, alioſque inficit; quin & veſtes *Phthiſicorum* poſt biennium contagium propagârunt; nec mirum, cùm teſte *Panarolo* ſputum excretum malignitate ſuâ Muſcas inſtar Arſenici interimat.

Diagnoſis. *Tabes* aut *Atrophia* à vitio externo, ex cauſarum antecedentium examine & ſymptomatum ſyndrome facilè patet. In *Tabe* ex vitio interno præcognoſcendâ reſpiciendum ad tres cauſarum fontes, 1. An ſit à vitio Stomachi, quod præcedentes coctionis læſiones ſuſpectum reddunt. 2. An ex vitio ſanguinis, cujus ſuſpicio ſubeſt, ſi macilenti ſint Ægri, horum enim ſanguis aſperior, ſalſior, minuſque dulcis & chyloſus, quàm Obeſorum, eſſe ſolet: item ſi præceſſerit *Ulcus* in quodam loco ſanatum, fermentum enim *Ulceris*, cum ſanguine mixtum, malum infert. 3. An ex corruptela ulceroſa alicujus partis, inprimis Pulmonum, *Phthiſis* enim *pulmonalis* frequentiſſima eſt, circa quam inquirendum, an à cauſa externa, *v.g.* inſpiratis, an ab interna oriatur? An affectus ſit ſecundarius, quo in caſu pri-

ſui primarii Affectûs, *Pleuritidis v.g.* habenda eſt ratio; an verò primarius, cujus radix eſt in ventriculo malè digerente, progreſſus in ſanguine aut lympha exinde acido ſalſis factis, unde Pulmonum veſiculas & cellulas erodunt, & in loco poroſo ſupervenit *Ulcus*, cujus ſanies acris nutrimentum proximum corrumpit, unde ſordium ſaniei ac puris generatio, ac mediante Tuſſi ſucceſſiva excretio, donec vel ab illis ſordibus ſuffocentur Ægri, vel eroſis & aſſumptis maximam partem Pulmonibus ſanguis debita in craſi deficiens, nunc mediante Diarrhœá colliquativâ, nunc mediantibus pedum Tumoribus œdematoſis mortem inferat. Hæc *Phthiſis* Catarrho à capite defluenti falsò adſcripta, ita ſe habet: Ægri nunc cum, nunc ſine manifeſta cauſa de virium labefactatione conqueri incipiunt, cum appetitu plus minus dejecto, aut ſaltem carnes horrente; ſentiunt flacceſcentiam ſubſtantiæ carnoſæ in artubus, tuſſiunt ſed inaniter, ſaporem in ore percipiunt ſalſum præſertim mane, & malo magis progreſſo putridum cinereum, item ſaporem piſcium & carnium putridarum. Tuſſis ſucceſſivè intenditur, præſertim veſperi, aut poſt lecti introitum: ſupervenit Febricula lenta ferè inſenſibilis, ſaltem levis calor poſt paſtum cum ſenſu gravationis circa præcordia, & pulſus ſemper celer, frequens & plus minus parvus. Interea Tuſſis veſpertina exaſperatur, Reſpiratio fit difficilis, *&* expuunt alba nonnihil viſcida: tandem augetur hectica Tuſſis, & calor poſt paſtum, superveniunt quoque ſudores nocturni, *&* evacuatur veſperi parcior, mane copioſior materia albida viſcida, quæ ſucceſſivè flaveſcere, interdum liveſcere, tandem nonnihil fœtere, ac purulenta ferè evadere ſolet. Ad finem omnia ſymptomata augentur, ſimul ac oculos claudunt Ægri, ſudore diffluunt, capilli defluunt, *&* aut ſuffocantur, aut Diarrhœa vel pedum Tumor mortem proximè præcedit. Ob-

ſervandum autem, non rarum eſſe, ſurculos venarum & arteriarum expectoratione rejici; item *Tuſſim* Phthiſicorum non ſtatim *pulmonalem*, ſed in principio ferè *ſtomachalem* eſſe; quin & inſignes reperiri Pulmonis eroſiones & exulcerationes citra inſigniorem Tuſſim: & contrà copioſum pus rejectum fuiſſe, ubi Pulmo ſanus, Hepar verò exulceratum inventum eſt.

Prognoſis. Phthiſis imminens facilè curatur; *incipiens* difficilius, ſaltem neceſſe eſt, ut cautiſſimè & rigorosè Ægri obſervent omnia; *confirmata* nunquam. Quo ſanior Stomachus, eò melius. Qui ex Pulmonum *Ulcere* vult evadere, debet habere ſex *Hippocratis* ſigna, de quibus *Vid. Sennert. & Sylv. de Phthiſi.*

Cura. Cauſæ removendæ, ſymptomata mitiganda, alimenta uſurpanda, quæ chylum alcali probè divitem ſuggerunt, & ſuccos corporis temperatos reddunt. Quoad *Cauſas* 1. ratione Stomachi conveniunt *Vomitus*, hinc acida *blanda*, ut *Spir. Sal. dulcis, Liq. Terr. fol. Tart. Elix. propr. ſ. ac. Oc. Cancr.* cum *Aceto*. Ratione acrimoniæ ſanguinis & lymphæ prorſunt *Sulphur. Succin. Myrrha, Antimon. diaph. Antih. Poterii, Papavèrina & Opiata, Tragacanth. Amygd. Paſſul.* item *Decoct. Lignorum*, inprimis *Guajaci* cum *Paſſulis*, quod obtinet reſinoſam ſubſtantiam ſulphuream, acre temperantem, ſordes impactas reſolventem, & dyſcraſiam ſanguinis emendantem. 3. Ratione cujuſdam Viſceris læſi proſunt *Vulneraria*, in ſpecie *Veron. Scabioſ. Hedera terr. Chærefol.* item *Sulphura antimonialia, Balſ. ſulph. tereb. Peruvianus, &c.* quæ ſubſtantiam puris, ejuſque proventum corrigunt.

Quoad *primam indicationem*, convenit *Vomitorium* in *Phthiſi* vel *Atrophia incipiente* ex vitio Stomachi & acrimoniâ Maſſæ ſanguin. Item in *Ulcere* Pulmonum confirmato, ubi reſpiratio aut materiæ excretio difficilis eſt, dum vires conſtant; cavendo interim, ne metus adſit Sputi ſanguinis, nam potenter & copiosè ſaniosos

nioſos ex Pulmonibus evacuat Vomitus. *Purgantia* multum nocent; à leniſſimo enim purgante copioſiſſimè evacuantur cum inſigni virium jacturâ, & exacerbatione Tuſſis veſpertinæ. Venæſectio noxia eſt, niſi ſuppreſſa ſanguinis evacuatio in cauſa ſit. *Fonticuli* nil proſunt, cùm catarrhus, quem incuſant, nullus ſit. Inter *acida* præſtant blandiora, nocent enim *Vitriolata & Acidulæ. Dulcia ſaccharata, & mellita* Stomacho & Viſceri eroſo inimica ſunt, adeoque ſyrupi ante uſurpandi. Huc facit *Pulv. Conerdingii* ex *Sal. armon. pur. Nitr. depur. an.* ℥ß. *Liquir. Irid. flor. an.* ℥i. *M.* Doſ. mane & veſperi quantum cuſpis cultelli capit.

Quoad *ſecundam indicationem*, inprimis laudabiles ſunt *Paſſulæ*, quæ omnium optimè temperant, benè nutriunt & pinguefaciunt: hinc convenit harum decoctum cum *Hordeo*, vel cum *Rad. Helen.* temperant etiam *Liquir. Beton. Tuſſilag. Amygd. Sulphur*, ac alia *Sulphurea* mirè conveniunt: inprimis in exulceratione Viſceris *Balſ. Sulphuris* tam *tereb.* quàm *aniſ.* ad gut. xii. in *Decocto pectorali* vel *lignorum*: ſed ſi *Hectica* adſit, corrigenda eſt ejus ignea vis *Saccharo Saturni*: unde in hoc paſſu uſitata eſt *Tinct. antiphthiſ.* ex *Sacch. Sat.* & *Vitr. Mart.* cum *Spir. Vin.* & *Aceto deſt.* parata; & perquam egregium eſt *Antihect. Poter.* cum *Conſerv. Roſ.* His accenſendi ſunt *Pulveres pectorales* ex *Rad. Ireos flor. Oc. Cancr. Antihect. Poter. Sulphure, Croco*, &c. In Morbo confirmato abſque excretione ſanguinolentâ exhibuit *Cnöphelius* Pilulas ex *Aloë, Myrrh.* & *Croc.* cum *Balſ. ſulph. aniſ.* ad ʒß. ante ſomnum; dein poſt octo dies ter in die 7. vel 8. *Rotulas ex Spec. diair. diatrag. frig. an.* ʒii. *Antim. fix. diaph.* ʒvi. *fl. Sulph.* ℥ß. *Sacch. alb. in Aq. Tuſſilag. ſolut.* ℥vi. *Ol. aniſ. gutt. xii. f. Tabulæ.* Sumuntur pulveres tales in Decocto *Hederæ terr.* vel *Lignorum*. In principio & incremento *Phthiſeos* largas *Opii* doſes ſine noxâ ferunt; adeoque diu continuari debent, opti-

mè enim *Tuſſim* ſiſtit, puris proventum & ſudores nocturnos coërcet, & materiam magis coctam facilius exſpuere facit. Sed ſi difficilior ſit anhelitus, & multa viſcida expectoranda ſint, cautè uſurpentur, ne ſiſtatur excretio. Convenit autem in ſpecie, quando Tuſſis plus minus ſicca nocturna urget. Craſin ſanguinis & lymphæ egregiè corrigunt *Decocta lignorum*, in incipiente præſertim *Phthiſi pulmonali*, additis inſimul *vulnerariis*, quæ fermentum ulcerationis inchoatæ corruptivum corrigunt. Præ cæteris conveniunt *Rad. Chinæ* & *Lign. Saſſafras.* Huc facit *Conſerva Roſ.* tantopere decantata, pluribus ſcopis ad acrimoniam ſuccorum corrigendam & Viſcerum tonum conſervandum inſerviens: ſed *Saccharum* junctum quibuſdam nocivum eſt. Singulariter laudantur *Pulv. Fung. ſalicis, menſe Majo collect. & in Sole exſic. ad* ʒß. cum *hac conſerva* uſurpatus. Huc pertinet *Electuarium* illud *antiphthiſicum Wincleri*, viz.

℞ *Rad. Symph. maj. Tuſſil. Enul. mundat. an.* ℥iii. *coq. in ſ. q. Aq. ad mollitiem: tunde & trajice per ſetaceum.* ℞ *Paſſul. maj. & min. an.* ℔ß. *coq. in brodio reſiduo à radicibus, & extrahatur pulpa eodem modo.* ℞ *Salv. acut. Beton. Hyſſop. Veron. Heder. terr. Pulmonar. macul. aa. m.* j. *coq. ad mollitiem in brodio à Paſſulis relicto. Decocto colato adde Sacch. canar.* ℔i. *coq.* ad *conſiſtent Syrup. Colaturæ adde pulv. Radicum & paſſul. Amygd. d. exc. Pinear. rec. probe piſtarum an.* ℥iii. *Cinamom.* ʒii. *Croc.* ℈i. *M. f. Electuarium*, quo ſolo non rarò curabatur *Phthiſis.*

℞ *Conſerv. Roſ. Heder. terr. an.* ℥i. *flor. Sulph. Antihect. Poter. an.* ʒi. *Lap. Cancr. præp.* ℥i. *Laud. op. gr.* xvi. *cum ſ. q. Diacod. Mont. f. Elect. capiatur bihorio ante cœnam magnitudine nuciſtæ.*

℞ *Antihect. Poter.* ℈i. *Sacch. Sat.* ℈ß. *Extr. Croc. gr.* v. *Laud. opiat. gr.* iii. *Balſ. Peruv. q. ſ. M. f. Pilulæ pro* 2. *doſ. quarum unaquæque* 2. *horis ante cœnam aſſumpta, ſudorem nocturnum aliaque ſymptomata in perfectè Phthiſico inhibebat.*

℞ *Rad.*

℞ *Rad. Chin. in taleolas inciſ.* ℥iii. *flor. Pap. rhœad. Beton. Scabioſ. an. M.* ß. *Paſſul. maj. enucl. & min. an.* ℥i. *coq. in ſ. q. Aq. Decoctum colatum edulcoretur tantillo ſyr. Pap. rhœad.*

℞ *Raſ. Lign. Saſſaphr.* ℥i. *Macer. in aq. com Menſ.* ij. *adde Herb. Hed. terr. Scabioſ. Pulmonar. an. M.* ii. *Sem. Aniſ. Fœnic. an.* ℥ß. *Rad. Liquir.* ʒiii. *Paſſul. min. conquaſſ.* ℥i. *coq. ad tertias. Colaturam dedi cum ſucceſſu in Tuſſi pulmonali Phthiſin minitante.*

℞ *Lign. Guaiac.* ℥iii. *Cort. ejuſd.* ℥i. *Rad. Chin. inciſ.* ℥ß. *Rad. Bardan. Helen. an.* ℥ii. *Bacc. Junip.* ʒiii. *Herb. Veron. m.* ii. *Hed. terr. m.* i. *Inciſa macerentur in Aq. ſimpl.* ℔. xii. *per* 24. *horas, coq. ad medias addendo in fine Sem. Aniſ. Fœnic. an.* ℥ß. *Rad. Liquir.* ℥i. *Colaturæ ſumpſit perfecte Phthiſicus bonum hauſtum omni mane in lecto, addeno ſimul gr.* xii. *Balſ. Sulph. tereb. unicuique dhauſtui.*

Pro *tertia* denique *Indicatione*, quæ læſionem partis reſpicit, præſertim ulceratæ, conveniunt *vulneraria*, quorum Alcali pluribus uſibus in Phthiſi curanda inſervit, ſi Ventriculi & primarum viarum habeatur ratio. Hinc admodum laudant *Decoctum Bugulæ*, item *Decoct. Symph.* & *Prunel.* cum *Chin.* & *Guaiac.* aſſumendo in quolibet hauſtu doſin *Antimon. diaphoretici.* Hinc & *Sanic. Veron. Plantag. Vinc. pervinc. Equiſet. flor. Roſ.* &c. tam in Decoctis quàm Pulveribus & Elect. in uſu ſunt. Pertinent huc *Electuaria*, inprimis ſcreationi dicata, ex *Pulv. Scord. Salv. Rad. Helen.* &c. cum *Melle.* Sed cum his *vulnerariis* ſimul uſurpanda ſunt *Balſamica*, quantum *Hectica* plus minus juncta uſum eorum ferre poteſt: adeoque in incipiente Phthiſi aut præſervatione ejus conducunt *Balſ. peruv.* cum *Saccharo* in *pillulas* redactum, aut *Vitello Ovi ſorbilis* ſolutum: item *Pill. River.* ex *M. P. Ruff.* ℥i. *Antimon. diaph. Gum. Guaiac. an.* ℥ß. *Balſ. Peruv. q. ſ. f. Pill. doſ.* ℈i. *capiend. per menſem inte-*

Nn 4

grum. Item *Terebinth*. in *Vitello Ovi* ſoluta cum modico *flor. Sulph.* Item *Aloë*, *Myrrha*, *Balſ. Sulph. tereb. &c.*

℞ *Herb. Alchym. Pulmonar. Sanic. Centaur. min. Veron. Auric. mur. Vinc. perving. Hepatic. nob. an. m.* 1. *Coq. in Cereviſia benè defæcatâ : de colatura bibebat Chirurgus Steinenſis Phthiſi laborans ter de die, & eâdem per multos annos ſe ſuſtentavit.*

℞ *Herb. Hed. ter. Chæref. Veron. an. m.* i. *Rad. Helen.* ℥iß. *Rad. Jr. flor.* ℥i. *Sem. Aniſ.* ʒiii. *ſem. Fœnic.* ʒii. *Fic. ping. n.* iv. *Paſſul. min.* ℥iß. *Rad. Liquir.* ʒvi. *Infunde, coque in aqua, & bibe in Phthiſi pulmonali nondum inveteratâ.*

℞ *Viſc. Pyror. Salv. an.* ℥i. *Pulmon. Veron. Flor. Farfar. an.* ℥ß. *rad. Enul.* ʒii. *Sacch. cand. alb.* ℥ii. *M. f. Pulvis, doſis* ʒi. Pulvis eſt antiphthiſicus *Erpenii.*

Quoad Symptomata : Tuſſim, præſertim *ferinam*, & *Sudores nocturnos* optimè mitigant *Opiata*. *Screatum* egregiè promovent *remedia* ex *Tabaco*, inprimis Syrupus ex ſucco ritè paratus. Si ſputum multum ac fœtidum fuerit, *Mel* & *Myrrha* ſcreatum promoventibus ſemper addenda erunt. *Diarrhœam colliquativam* inhibent *abſorbentia*, *Ter. ſigil. C. C. uſt. &c.* vitando *mellita*. De *Suffitibus* nil attinet dicere.

Quoad *Diætam*. Virtutis digeſtivæ, & hinc dictaminis Appetitus habenda eſt ratio. Hinc conveniunt alimenta copioſum alcali acre temperantia & ſuccum non facilè exhalabilem, ſed roridum ſuggerentia, *v. g. Cancri*, *Oſtrea*, & præ cæteris *Lac*, modò colluvies Viſcerum & vitia Stomachi correcta fuerint, aliàs enim in Ventriculo corrumpetur. Convenit inprimis in Tabe ex acrimonia humorum, item Ulcere pulmonali; nam abſtergit parte ſeroſâ, conglutinat caſeoſâ, nutrit & temperat butyroſâ. Addi debet *Saccharum*, ne coaguletur, & poſt aſſumptionem corpus moderatè moveri debet, ut facilius diſtribuatur. Optimum eſt *muliebre* & *Butyrum* ex eo paratum: huic proximum eſt *aſininum*,

ſeroſi-

ſeroſitate qua gaudet Ulcus detergens, dein *caprillum*, optimum in *ſcorbutica Phthiſi*, addito *ſpir. Cochlear.* aut *ſpir. Sal. armon.* Debet Lac ter in die ſumi, & vix ullus alius cibus concedi, ſaltem *Paſſulæ* aut *Ova ſorbilia*, quæ egregiè nutriunt.

ART. II.

De Atrophia particulari ſeu Aridura.

A*Trophia Membri particularis* ſequitur, quando tam ſanguis quàm chylus non rectè affluit in partem nutriendam, propter arteriæ ad eam tendentis læſionem & compreſſionem, ex Luxatione, Fracturâ, Tumore duro, & ſimilibus: item quando pars adeo debilitatur, ut alimentum, licèt conveniens, recipere, retinere & commodè agglutinare nequeat. Debilitas hæc pendet à vitio Spiritus inſiti, qui habet ſe ut agens in nutritione. Debilitatur autem Spiritus inſitus, quando ex Vulnere copioſus effluit nutrimentum aut Synovia articuli, vel quando per Ulcera in ſaniem & pus muratur, & ſic cum ſucco nutritio influo ſimul abſumitur *ſpiritus influus*, à quo *inſiti* vigor dependet. Hinc licèt Vulnus aut Ulcus ſanatum fuerit, pertinax tamen *Aridura* ſequitur, quia fibræ convenienti nutrimento antea deſtitutæ, exſiccatæ & contractæ poros partis magis connivere faciunt, ipſo interim ſpiritu inſito labefactato, & nutrimenti agglutinationi impari. Quin & debilitata dicto modo pars, minus robuſta exiſtens aliâ ipſi reſpondente, facilius objectorum externorum impreſſiones recipit, adeoque aeris mutationes præſentit. *Debilitatur & ſpiritus influus* per Paralyſes, Convulſiones articulorum, compreſſiones & diſtorſiones nervorum atq; tendinum, item horum dislocationes: licèt enim hæ læſiones apparētér parvi momenti ſint, & ſine conti-

nui læſione, impediunt tamen plus minus radioſum influxum ſpiritus animalis influi, unde pars ſucceſſivè debilior cùm ſenſu ſtuporis & formicationis, tandem flaccidior & plus minus tabida quaſi redditur. Diſponitur etiam pars ſucceſſivè ad *Atrophiam* ex decubitu Lymphæ catarrhalis in quandam partem, ejuſq; articulationem, & inde fibrarum ac tendinum reſolutionem cum ſenſu doloris obtuſo, ut in *Arthritide* crebriori. Omnes hæ *Ariduræ* difficiles ſunt curatu, idq́ue eo magis, quo magis confirmatæ ac inveteratæ.

Cura. Promoveatur Spir. animalium & Maſſæ ſanguineæ ad partem influxus. Si Aridura inducta fuerit cum ſolutione continui, & effluxu nutrimenti ſpirituoſi, conveniunt magis *temperata* in calore, probè *humectantia*, & humore roſcido oleoſo partem perfundentia; hinc *calefacientia* & ſenſibilius *ſtimulantia*, ut Spirituum uberior radius, & humorum copioſior affluxus in parte conſervetur. Sin fuerit cum ſola læſione abſque continui ſolutione, cum *internis* & *ſudoriferis*, *externa diſcutientia* & *reſolventia* uſurpentur. Catholicum remedium eſt *Arcanum Aluminis Felic. Wurz.* cum *Linimentis* & *Pinguedinibus* appropriatis applicatum. In ſpecie ſi fuerit *Aridura* cum affluxu nutrimenti in *Vulneribus*, &c. conveniunt *Fotus* cum *Decoct. emoll.* v. g. *Capit. ped. Pulmon.* & *Hepat. Ovis* & *Agni.* Poſtea f. *Unguentum* ex *Pingued. Ardearum, Ran. an.* ℥ii. *Porcell.* ℥iii. Facto litu applicetur *Emplaſtrum* è *Pinguedin. porcin.* Si è *Paralyſi, Contuſione*, &c. procedat *Aridura*, poſt frictiones partium deorſum inſtitutas F. *Ung.* ex *Alum. plum. Pulv. Sabin. Ol. laurin.* vel *Junip.* vel fiat *Aqua* cum *Vino* deſtillata ex *Sem. cort.* & *rad. Armorac.* & *ſimilibus*, cum pannis calidis probè affricanda, præſertim ubi adeſt ſenſus formicationis aut ſtuporis. Si ex defluxu catarrhali doloroſo *Aridura* ſuperveniat, præter ſudores internis remediis concitatos, optimi ſunt *Spir. Formic.* & *Lumbr. terr.* cum

cum pauco *Sp. Vini*, addito *Alcali fixo* per retort. deſtil. & rectif. item *Aq. Articular. ad extra* cum pauco *Spir. ſal. armon. cum Calce viva*; inprimis *Liquor. Lumbr. terr. per deliquium in clibano paratus.*

ART. III.

De Cachexia, Anaſarca, & Leucophlegmatia.

DEpravata Corporis *Nutritio* vocatur in genere *Cachexia*, in qua nativus cutis color, inprimis Faciei, langueſcit, mutaturque in varium, pallidum, luteum, vireſcentem. Dependet ab effuſione humoris vitioſi, loco nutrimenti, hinc inde diſtributi in habitum corporis: & ſi humor iſte eſt *albus*, dicitur in ſpecie *Cachexia*, ſin flavus appellabitur *Icterus*, &c. Licet igitur in genere *Cachexia*, quamcunq; corporis & partium ſubcutanearum mutationem à ſtatu naturali innuat, in ſpecie tamen iſtud tantùm vitium *Cachexia* appellatur, quando corpus à nativo colore in pallidum & humidum, ſubtumidum & flaccidum degenerat, & à ſanguificationis defectu in ſpecie dependet. *Cachexia* talis junctam ſimul ſolet habere *Diſpnœam*, præſertim ſub adſcenſu corporis ad altum, cum *Cordis palpitatione* & *Arteriarum* circa Jugulum & Tempora *pulſatione*. Accedit Crurum laſſitudo; non raro compreſſivus & anxioſus Præcordiorum dolor, poſt paſtum intendens; Febris lenta, ferè quotidiana periodica; pulſus inæqualis parvus, frequens & debilis; urina cruda aquea, ſubinde turbida cum copioſo ſedimento albo: tandem ſupervenit *Leucophlegmatia*, *Anaſarca*, & *Hydrops*. Fœminas frequentius afficit ob vitam ſedentariam & menſtruationis vitia; nulli ætati parcit, & ſæpe comitem habet *Affectum ſcorbuticum* vel *hypochondriacum*.

Cauſa proxima eſt nimia cruditas Maſſæ ſanguineæ, indeque deficiens fermentatio; unde chylus non ritè aſſimilatus, cum crudo ſanguine circulatus, corpus

non

non debitè nutrit. *Remota* reſpicit *Cachexiam* vel *primariam* vel *ſecundariam*. *Primariæ cauſa remota* eſt deficiens chyloſis, dum alimenta in pituitam acidam degenerant: adeo ut in cauſa ſit acidum quaſi fixum in primis viis, quod fovet Bilis inertia ſeu deficiens acrimonia ſalino volatilis. Exinde Maſſæ ſanguineæ particulæ fermentativæ, ſucco iſto crudo obrutæ, Chylum non aſſimilant, hinc maſſa cruda, viſcida & occultè acida, de facili ſtagnat in pręcordiis & dum levi corporis motu celerius movetur ad Pulmones & Cor, *Dyſpnœam* & *Anxietates* infert. Si ulterius ſerpat malum, & habitus corporis tumidus ſit, adeo ut fibrarum, muſculoſarum & nervoſarũ tonus relaxetur, dicetur *Leucophlegmatia*, ſum̃us *Cachexiæ* gradus. -------Cum *Cachectici* non aut difficillimè ſudent, & parum mingant, ſanguis exinde fit ſeroſior, & glandulæ partium muſculoſarum, aut vaſa lymphatica obſtruuntur, quod vitium *Anaſarca* dicitur. Et ſi humorum iſtorum decubitus fiat ad Crura, Scrotum, ac tandem Abdomen, *Hydrops* audit. Adeo ut *Anaſarca* & *Leucophlegmatia* differant in eo, quod prior ſit habitus ſeroſus crudus cum ſplendore & nitore cutis, & veſtigia digito cuti impreſſa brevi in illâ diſpareant: hæc verò ſit habitus pituitoſus, i. e. crudus chyloſus, cum nitore minore quàm deberet eſſe, & diu durantibus veſtigiis à digito impreſſis. *Cachexiæ ſecundariæ cauſæ remotæ* ſunt Menſes ſuppreſſi. Febres chronicæ, quæ fermentum digeſtivum alterando, mediatè ſanguinem alterant; Hæmorrhagiæ nimiæ, & Gonorrhœa, quæ ſpiritus diſſipando fermentationem ſtomachi lædunt, Lues venerea, Urina ſuppreſſa, Viſcera abdominis affecta, Fœtus mortuus; Secundinæ retentæ, quæ ſanguinem inquinando debitam ejus ſpirituaſcentiam impediunt.

Prognoſis. Inveterata difficilis eſt curatu & ſæpè in Hydropem degenerat. Si ſuperveniat Mulieribus, quibus Menſes ordine naturæ deficiunt; aut ſi ſequatur Febrem

brem acutam vel intermittentem, malè à Medico, vel à crebriori ab Ægro potu, tractatam, difficulter curatur. Si occurrat Scirrhus Hepatis aut Lienis confirmatus, vix curabitur.

Cura. In *Cachexia primaria* acidum primarum viarum abſorbendum, viſcidum incidendum, Bilis inertia acuenda aromaticis, præſertim amaris, cruditates primarum viarum evacuandæ, vomitu, ſeceſſu, diureſi, &c. In *Secundaria* morbus primarius curandus, & læſiones ab illo inductæ eliminandæ, obſervando ſemper primæ digeſtionis negotium. In Genere, quo lenius tractantur Cachectici, eo citius curantur. Regimen diætæ, præprimis motus corporis conveniunt. Præmiſſis una alterave vice *abſorbentibus*, *v.g. Sal. digeſt. hypoch. Crem. Tart. Lap. Cancr. Sal. Abſinth. Sal. ammon.* &c. propinetur *Vomitorium*, aut ſi hoc minùs conveniat, *Potio lenitiva* cum *Gum. ammon.* vel ℞ *Extr. panchym. Croll. gr.* xv. *Extr. Mart. cum Suc. Pom. gr.* vii. *Extr. Troch. alhand. gr.* iß. *cum ſ.q. Eſſent. Mart. f. Pill. pro doſi.* In *Anaſarca* convenit *Succus Ireos rec.* per reſidentiam depuratus cum pauca *Manna*. His præmiſſis uſurpetur *Solutio Mart. cum Succ. Pom. Liq. Mart. ſolaris*, vel *Sal Mart. comp.* item *Tinct. Vitrioli Mart.* & *Vina martial.* obſervando conditionem Ventriculi, qui facilius aut difficilius talia ferre poteſt. Sub uſu *martial.* alvus ſervetur aperta, omni ſeptimana ſemel purgando. His aliquandiu continuatis fiat progreſſus ad *aromatica*, inprimis amara; item *Spir.* & *Salia volat. Roob Juniperi*, quod egregium, vel ſolum, vel cum *Rhabarb.* quod non tantùm laxat, ſed etiam acidum corrigit, Bilem acuit, Urinam movet, & atoniam Hepatis corrigit. *Paſſulæ* mirè ſanguinem temperant, ejus fermentationem reſtituunt, & Bilem compeſcunt. Sanè in Cachecticis adeſſe ſolet Intemperies frigida, quam omnia aromatica amara reſinoſa optimè corrigunt, in ſpecie *Elix Propr. ſ. ac. Eſſent. Menth. Eſſent.*

Cent.

Cent. min. Spir. Sal. armon. Spir. carmin. de tribus, Tinct. nephrit. Liq. C. C. ſuccin. Elix. Menth. & Spir. Bacc. Junip. ad aliquot guttas ter in die uſurpata.

℞ *Herb. Abſinth. Menth. an. m. i. Rad. Helen.* ℥i. *Gentian.* ℥ß. *Rhabarb. el.* ʒvi. *Fol. ſen. ſ. ſtip.* ℥i. *Rad. Helleb. nig. non præp.* ʒvi. *Cort. Eſul. præp.* ʒiii. *Sal. Tart.* ℥ß. *Indantur nodulo, Vino infundendo, pro ſcopo alterativo.*

℞ *Herb. Roriſm. Salv. an. m.* ß. *Abſinth. m.* i. *Summit. Cent. min. p.* iv. *Flor. Geniſt. p.* iii. *Rhab.* ℥iß. *Cinam. Galang. Z. Z. an.* ℥ii. *Lim. Mart. rec.* ℥ß. *Includantur nodulo ut prius.*

℞ *Pulp.* Paſſul. ℥vi. *Extr. Mart. cum Suc.* Pom. ʒvi. *Rhabarb.* ʒii. *Cinnam.* ʒi. *M. f. Elect.*

℞ *Elix.* Prop. *ſ. ac.* ʒi. *Eſſent.* Abſinth. *Cent. min. an.* ʒii. *M. Doſ. gt.* 50. *ter de die.*

In *Anaſarca* & *Leucophlegmatia* eadem conveniunt, ſed validiora, additis *ſudoriferis* & *diureticis* pro habitu corporis ſimul emendando. Sudorifera inter eminet *Decoct. Saſſafr.* & *Guaic.* hinc *Decoct. gran. Junip. Rad. Vincetox. Helen. Fruct. Cynosb. cum arill.* Pro ſcopo diuretico egregium eſt *Lixivium* ex *Ciner. Abſinth.* & *Geniſt.* cum *Vino albo* paratum *Vinum abſinth.* aut *Enul.* pro potu, & quælibet *amara poſt martialia* utramque in his Affectibus faciunt paginam. In *Anaſarca*, ab Obſtructione Menſium egregium eſt *Decoctum forte Aſari*, addit. *Cinnam. Sabin. Bacc. Junip.* & *Rad. Rubiæ.* Sequens etiam decoctum in *Anaſarca* proficuum obſervavi:

℞ *Rad. Bryon. rec.* ℥i. *Rad. Aſar.* ℥ß. *Salis Tart.* ʒiii. *Infund. in ſ. q.* Aq. *in loco tepido per noctem. Mane adde Rad. Vincetox.* ʒvi. *Comar. Abſinth. m.* i. *Flor. Bell. m.* ß. *Bacc. Junip.* ʒiii. *Inciſa & contuſa infundantur & commiſceantur ſimul in* Aq. *ſimpl. Colat.* ℥xv. *adde Spir. Sal. ammon. Tinct. nephrit.* | *an.* ʒii. *Syr. de Hyſſop.* ʒiii. *M.* capiat hinc ter quotidie bonum ejus hauſtum.

ARTIC. IV
De Hydrope.

H*Ydrops* eſt collectio præternaturalis humorum ſeroſorum, cum tumore, diſtentione, mollitie, & non raro fluctuatione partis. Si univerſalis ſit, dicitur *Anaſarca :* ſi particularis, varia ſortitur nomina, v.g. in abdomine *Aſcites*, in capite *Hydrocephalus*, &c. Fit & hæc collectio ſubinde in burſa Omenti, duplicaturâ Peritonæi, Pericardio, Utero, Teſtibus, &c. *Tympanites* à flatibus orta impropriè ad *Hydropes* refertur. Frequentiſſima eſt *Anaſarca* partium inferiorum, viz. *Scroti*, P*edum*, & A*bdominis*, quæ nec *Aſcites* eſt ratione Tumoris pedum & ſcroti, nec *Anaſarca* univerſalis, ſed *Hydrops*.

Cauſa Hydropis non eſt *Hepatis* vitium, magis quàm aliorum viſcerum: etenim ſæpè generatur *Hydrops* viſceribus penitus illæſis. Pro cauſa itaque eruenda conſiderandum, quod *Hydrops* ſit nunc *Morbus ſecundarius* nunc *primarius*. Oritur nempe 1. *Ex Febribus intermit.* ſpeciatim *quartanis* malè tractatis, præcipuè quando Ægri in paroxyſmo nimis bibunt. 2. Ex *Aſthmate* tam humoroſo quàm convulſivo, & aliis pectoris Affectibus, v. g. *Empyemate*, P*hthiſi*, *ſanguinis Sputo*. 3. Ex *Renibus obſtructis*, debilitatis, ulceratis, aut ullo modo affectis; idque frequentiſſimè. 4. Ex *vitio Viſceris* cujuſdam nobilioris in Abdomine, Hepatis nempe, Lienis, Uteri, & inprimis glandularum Meſenterii. 5. Ex *Ictero & quibuſvis Cachexiæ* ſpeciebus: in ſpecie ex *Scorbuto* ſequitur *Hydrops* ſui generis. 6. A ſanguine vel præternaturaliter excreto in Hæmorrhagiâ nimiâ, Vomitu aut Sputo Sanguinis, *&c.* vel eo retento in ſuppreſſis Hæmorrhoidibus aut Menſtruis. 7. Ex *nimio Alvi fluore*, vel *purgantium* uſu, *Dyſenteriâ*, P*tyaliſmo* diuturno & quavis nimia excretione. 8. Ex *crebriori*

aut

aut *intempeſtivo potu*, inprimis nocturno frigidæ poſt æſtum, aut in paroxyſmis Febrium. Quo facit *Sp. Vini* & *potuum aromaticorum* abuſus. Juxta has *cauſas* magis *particulares* obſervandum eſt, *urinæ* & *tranſpirationis* defectum in Hydropicis ferè ſemper adeſſe. Primam autem occaſionem Hydropi ſuggerunt plerunque *Renes*, adeo ut optima Hydropis cura in Urinæ provocatione conſiſtat, & hac fluente ſubitò evadant Ægri. Serum enim, quod aliàs ſub formâ Urinæ emittendum erat, in abdomine coacervatur, ſed nullas habet Urinæ proprietates, nec ſaporem, nec odorem, nec colorem, ceſſante nempe *Renum* functione. Quoad *inſenſibilem Tranſpirationem*, ejus penuria colligitur ex eo, quòd Hydropici & omnes Cachectici difficillimè ſudent vel in ipſis Balneis, inprimis ſi Jecur aut Lien obduruerit; unde ſi Sudor ſupervenerit, adeo ut Æger ſe alleviari ſentiat, bonum eſt.

Symptomata Hydropis vel *præſentis* vel *imminentis* ita ſe habent. Incipit Tumor œdematoſus plus minus ſeroſus circa talos pedum, impreſſa digiti veſtigia aliquamdiu retinens, qui noctu & matutino tempore imminuitur, interdiu augetur, & veſperi multo major videtur. Tranſit hic Tumor paulatim ad Ventrem, deinde utplurimum ad Scotum, & tunc ſimul intumeſcunt Teſtes, Præputium & Colis. Dum Æger de latere in latus vertitur, murmur & fluctuatio aquæ quaſi ſentitur; quin & moto corpore, ejus impetus conſpici poteſt. Venter nunc ſenſim, nunc ſubitò & brevi intervallo; modò in uno tantum latere, modò in utroque intumeſcit: nunc quaſi in duas partes diviſus eſt, nũc æqualiter diſtenditur ab Hypochondriis ad Pubem, & erecto corpore ſentitur pondus in regione Inguinum. Plerumque tumidus manet venter poſt mortem. Dum autem ſic inferiores corporis partes accreſcunt, Jugulum, Cervix & pectus emaciantur; quibuſdam tamen facies præ-

ſertim

ſertim matutino tempore à ſomno intumeſcit, interdum & ad extremum manus inflantur, colore faciei pallido plus minus ac livido. Adeſt plerumque pruritus & interdum Scabies; Abſceſſus quoque & Maculæ in cruribus ſæpius lethales. Jungitur etiam utplurimum Febris continua lenta, circa veſperam manifeſtior; pulſus parvus crebrior, ſubdurus, cum quadam tenſione; ſitis intenſa indulgendo creſcens; inappetentia, quæ (utut rariſſimè) cum minore ſiti juncta, melius eſt ſignum, magna anguſtia circa præcordia, & ſpirandi difficultas, maximè cum loca alta ſcandunt, quæ etiam imminentem Hydropem præſagit; Dyſpnæa nocturna; & plerumque Tuſſis ſicca inanis mali ominis. Nonnunquam Epilepſia aut Apoplexia, utplurimum lethales *Aſciti* ſuperveniunt. Alvus nunc clauſa eſt, nunc cum euphoria ſubitò liberior. Hydropicæ & Gravidæ diſcernuntur invicem, 1. Ex harum colore faciei vivido. 2. In his Tumor inæqualis ad præcordia, in illis verò Tumor æqualis & quaſi œdematoſus ad inferiora vergit, & Mammæ detumeſcunt; ut nil dicam de motu Fœtus. 3. In illis ſentitur aquarum fluctuatio, cum ſiti; & quo ſe vertunt, labitur aqua: in geſtione nil tale. 4. In illis perit oculorum nitor, in his vivacitas oculorum geſtationem ſignificat. 5. Hydrops membrum gravat, Fœtus non. 6. Illis fluunt ſæpè Menſes, his non. 7. In his Urina utplurimum craſſa, intensè tincta & perquam lixivialis, pauca tamen excernitur: eſtque ſemper parcior quàm aſſumptorum fert ratio; utut in quibuſdam pallida, tenuis, cruda, ſed & pauca prodeat. In geſtatione hæc non occurrunt. Contentum autem fluidum plerumque pallidum & citrinum eſt; interdum luteum, viride, flavum in nigrum vergens, vel loturæ carnium ſimile. Leni igne in Gelatinam, nunc albam nunc viridem abire obſervatur. Acre eſt & acido ſalſum, adeo ut aquæ permi-

ſtum inſtar ſaponis ſpumam excitet, & ſubinde interanea, crura, Inteſtina, præſertim rectum, dum per Alvum excernitur, rodat & exulceret. Aceſcentiam hanc confirmant Tumorem diſcutientia, tam interna quàm externa, ad alcalium naturam accedentia, & Sudor hydropicus lac coagulans. Hinc colligitur, Tumorem quidem eſſe à contento liquore, ſed tenſionem & inflationem eſſe ab ejus fermentatione ſeu turgeſcentia, vel in ſe, vel cum ſucco partis nutritio concitata: Item acre hoc vellicans fibras partium, (adeo ut obrigeſcant, quo ipſo anguſtantur pori & quivis cæteri meatus,) tam Tranſpirationem & Sudorem, quàm Urinæ excretionem, propter fibras & membranas renales eodem modo tenſas, impedire. Ex hujus etiam acrimonia irritante oriri videtur, quòd tanta ſit anxietas præcordiorum, cum inſigni tenſione & quaſi cingulo conſtrictorio non ſolùm circa Pectus, ſed ferè maximam partem circa Hypochondria; quæ in Fœminis gravidis, utut ventre maximè tumido, non deprehenduntur.

His præmiſſis conſtat *cauſa proxima* Aſcitis pedum, Scroti & Abdominis, cujus differentia ab *Aſcite* propriè ſic dicto, i.e. Abdominis particulari, in *Obſervationum monumentis* probè attendenda. Suppono enim, humorem contentum maximâ ex parte *Serum* eſſe, ſeu commune recrementi & alimenti vehiculum, quod in corpore ad *Hydropem* diſpoſito *coacervatur* propter imminutam Tranſpirationem & Urinam; generatur autem ex inſigni in Hæmatoſi vitio (adeoque hoc hujus Hydropis cauſa erit proxima) ratione cujus Chylus non debitè aſſimilatur, ſed alteratus, magis magiſque attenuatus, & reſolutus, certis in locis decumbit, & extra vaſa cum vehiculo ſeroſo ſubſiſtens talem infert *Tumorem*. *Remotæ cauſæ* ſunt omnia ad *Cachexiam* diſponentia, ferè ſemper læſa in primis viis digeſtio; item Partium ſolidarum & Sanguinis alteratio à Morbis antea

tea recenſitis. Adeoque pro cauſarum remotarum diverſitate, tanta naſcitur diverſitas humoris in corpore Hydropici, ut nunc chyloſus, nunc pituitoſus, nunc cruentus, nunc alio modo affectus deprehendatur. Extravaſatur autem ſerum illud multiforme, non lacteorum aut lymphaticorum vaſorum vitio, niſi per accidens, & in partialibus Hydropis ſpeciebus; ſed ex vaſis arterioſis, ex virium æquali defectu & Maſſæ ſanguineæ ſeroſioris difficiliori circulo : movetur enim Sanguis non proprio ſed Cordis impetu; hoc itaque debilitato difficilius movetur & magis deorſum fertur ſanguis; & ſpiſſior ſanguinis pars debilem cordis impetum facilius recipit ac tandem in Venulas & Arterias protruditur, dum fluidius ſerum quâ datâ portâ à ſanguine ſecedit, proprio pondere ad inferiora & ubi notabilius langueſcit cordis impetus, delatum. Hinc eſt, quòd magis veſperi & ſtantibus, quàm mane & jacentibus, tumor increſcat, quò facit etiam fibrarum ſtrictura; item quod ſuperveniens febrilis impetus, adeoque ſanguinis rapidior circulus, Tumorem imminuat, ſcilicet ſeroſitates extravaſatas in vaſa retrudendo. Conſiderandum enim, ſerum facilè à Sanguine ſeparari, ut in Sanguine venâ ſectâ emiſſo conſtat; idque potiori jure in Hydropicis quorum Sanguinis textura & miſtio vitiata eſt. Ex impedito autem Sanguinis arterioſi in Venas tranſitu, ſeparationem & extravaſationem Seri facilè contingere, patet ex *Loveri* experimentis, ubi ligatâ Venâ cavâ infra Cor, ſequebatur Abdominis *Tumor ſeroſus*; & ligatis jugularibus, quaſi *Hydrocephalus*; item ex eo, quòd geſtatio oneris gravioris, aut compreſſio circa Os Stomachi, *Hydropem* induxerint. In *Anaſarca* autem partium inferiorum, ſeu *Aſcite*, debilius eſt Cordis robur, unde contenta ex parte ſpontaneo ſui motu deorſum magis feruntur. Hæc de *Hydrope ordinario*. *Extraordinariè* quidem obſervatum eſt, Abdomen re-

pletum à liquefactâ Pinguedine aliiſque humoribus colliquatis, in Diabeticis, Hecticis, Feb.acûtis,&c.quo in caſu colliquationis primaria ratio habenda eſt.

Prognoſis. Si adſit Scirrhus Viſceris cujuſdam inſignioris, ferè nunquam curatur Hydrops;ſed utcunque curatus facilè recidivat & tunc lethalis eſt. Si naſcitur poſt Febrem, minus eſt periculi, quàm ſi à ſeipſo incepiſſet. Hydrops ex perverſo purgantium uſu admodum periculoſus. In Hydrope,Cachexiâ,aliiſque morbis diuturnis ſimilibus, dejectio nigra, non à medicamentis, lethalis eſt. Quò minus Urinæ redditur, eò pejus. Tuſſis malum. *Vid.Hip.l.2.Prædiction.*

Cura. 1. Humorum colluvies removenda. 2. Eorum Scaturigo ſiſtenda. Pro his ſcopis ritè obtinendis. obſerv. 1. In principio *Purgantia* ſint lenia, ut diſponantur primæ viæ ad ſubſecuturas fortes purgationes; deinde dari debent vehementer *Purgantia*, inprimis in *Aſcite*, obſervando ut operentur, aliàs contenta corporis colliquando, aſt non evacuando, malum augent. Propinari debent Lunâ decreſcente, tum enim ipſum malum decreſcere ſolet, adeoque adjuvat natura. Crebra utique purgatio nociva eſt, quia utiles ſuccos ſimul colliquat, & ita Vires ac Viſcera debilitat. 2. Ubi adeſt vomendi conatus aut gravior Dyſpnœa, commodè inſtitui poteſt *Vomitus*, ſed largâ doſi, aliàs non movebitur *Hydropicus*, idque aut ob Ventriculi atoniam, aut ob remediorum à contentis ſeroſitatibus acido ſalſis alterationem & quaſi fixationem. 3. *Diuretica* vera ſunt *Hydragoga*, naturâ viam monſtrante: ſed *præmittenda* ſunt *univerſalia*, ex intempeſtivo enim eorum abuſu potius impeditur quàm promovetur Urinæ fluxus. Aliàs his inprimis inſiſtendum, nam incidunt, penetrant, abſtergunt, reſolvunt, &c. 4. *Opiata* in omnibus morbis Chronicis vires ulterius dejiciunt & viſcerum tonum magis labefactant. Imò poſt acu-

tos

tos Morbos, ſi languent adhuc Ægri, ex uſu Opii Hydropici evadunt. Per accidens quidem fibras irritatas demulcendo, & ſpirituum impetum nonnihil refrænando, Sudorem & Urinam promovet, & ſic prodeſſe obſervata fuerunt: ſed cautiſſimè hoc pro exemplo habendum.

Priori ſcopo ſatisfaciunt *Evacuantia*, tam *interna*, *purgantia* nempe & *Diuretica*, quàm *externa*, *Paracenteſis*, *Veſicatoria*, *Eſcharotica*, &c.

Inter *Purgantia* ſelectiora eſt *Sambucus & Ebulus*, & horum *Corticis mediani ſuccus* cum *Oxymel. ſquill.* propinatus. Purgat validè & ſimul acerrimo ſapore ſpecificè alterat *Rad. Ireos noſtrat. flore cæruleo*, nempe ejus *ſuccus* per reſidentiam depuratus ad ʒvi. vel ℥i. item *Radix* inciſa in *Vino* vel *ſero Lactis* infuſa. Ne acrimoniâ ſuá noceat ſuccus, jungatur *Syr. Viol.* vel *Rad. rec.* bulliat in *Juſculo pulli*, quod propinetur debilioribus ſucceſſivè. *Jalapa* ad ʒß. aut ejus *Reſin. ad gr.* xv. cum *vitello Ovi* ſoluta in forma *Emulſionis*, aut *Eſſent.* ejus *citrata*, conducunt. *Gummi guttæ* cautus ſit uſus, quia facilè *Pulmones* exulcerat. *Elaterio* verò aut ejus *Eſſent.* aut *Extract.* vix datur præſtantius remedium. *Radix Bryon. correcta* & purgat & ſingulariter alterat, in ſpecie in *Hydrope Uteri.* In *Regno minerali*, mirè aquam evacuant *Cryſtalli* ex *Luna* cum *Spir. Vitriol.* paratæ, ſapore amariſſimæ, quos optimè deſcripſit *Boyle in Uſu Philoſ. exper.* dantur *gr.* ii. vel iii. cum *mica Panis* in *Pilulas* redacta. Perquam conveniens eſt *Merc. dulc.* cum *Merc. Vit.* miſtus ut evadat per inferiora purgans.

℞ *Tart. Vitriol. gr.* xii. *Reſ. Jalap.* gr. xv. *Extr. Troch. alb. gr.* vi. *Ol. deſt. Mac. gt.* ii. *M.* fiant Pilulæ n. xxiv. *Inaur. d. ad Scat. pro* 5. *vel* 6. *doſibus.*

℞ *Extr. Elater.* ℈i. *Reſ. Jalap. gr.* ii. *Extr. Troch. alb. gr.* i. *cum Eſſent. Abſinth. f. Pilul. num.* xvi. *pro* 2. *vel* 3. *doſibus.*

℞ *Conſerv. flor. Perſic.* ℥i. *Merc. vit. cum Merc. d. miſt.* gr. v. *Extr. Elat.* gr. ii. *cum ſ. q. ſyr. flor. Perſic. vel de ſpin. Cervin. f. Bolus pro doſi.*

Diuretica inter excellit *Decoct. Lign. Junip.* (longè magis appropriatum in *Anaſarca*, quàm *decoct. Guajac. & Saſſafr.*) *Decoct. Bacc. Junip.* in *Vino*, *Roob. Junip.* item *Malvat. Junip.* cum *Tinctur. nephrit.* quæ tam ſudorem quàm urinam movent. *In Anaſarca* conveniunt magis *diuretica fixa*, viz. *Salia lixivialia*, *ſarment. Vitium. Junip. Geniſt. ſtip. Fab. Abſinth. Fim. columb.* &c. in *Vino* diluta, & ſub forma *Lixivii* exhibita; additis interdum *Aromatibus*, ut melius firmetur tonus Stomachi. In ſpecie *Sal Betul. arbor.* in *Vino malvatico* per urinam Hydropem pellit. In *Aſcite* verò, aut ubi Urina craſſa intenſa tincta & lixivialis apparet, conveniunt magis *Diuretica Volatilia*, ut *Spir. ſal. Tartar. Spir. carminativus*, *Tinct. nephrit. Spir. urin. per putrefact.* cum ſuo *Sale vol. rectif.* & cum ana *Spir. Vin. rectif.* addito pauco *Ambræ* & *Moſchi* circulatus, laudatur multum ad ʒß. *pro doſi.* Optima ſunt *Lumbricalia*, ut *Decoct. Lumbr.* in *Vino*; item *Spir. Lumbr. per putrefact.* junctus. *Malvat. Junip.* aut *Spiritus Urin. volat.* vel in *Vino decoctionis Rad. fœnic.* & *Bacc. Junip.* Egregius eſt *Liquor. Lumbr. terr.* in *clibano* paratus. Eadem de *Aſellis* valent. *Pulv. Bufon.* in Umbrâ exſicc. ſine *Capit.* & *Inteſtin.* ad ℈i. ſingulare quid obtinuit. Potes dare tribus vel quatuor vicibus, ita tamen ut 3 vel 4 dies poſt aſſumptionem intermittantur, ne debilitetur Æger. Aliàs & *Bufones vivi* lumbis applicati per copioſum Urinæ profluvium *Hydropem* ſolvere dicuntur. *Opercula Cochlear.* benè depurata & pulveriſ. in larga doſi, vel cum *Spir. Sal.* ſoluta, egregiè per Urinæ profluvium *Hydropem* ſolvunt. *Præmiſſis diureticis*, conveniunt *Diaphoretica*, in ſpecie *Decocta Juniperina*, *Lignorum*, *Milii*, &c. ſed magis in *Anaſarca* quàm in *Aſcite*. Forſan & *Salivatio mercurialis* interdum cum fructu inſtitui poteſt.

Exter-

Externorum uſum docuit *Natura*, nunc Umbilicum aperiens, nunc veſicas in Cruribus, nunc foramina in Pollice pedis excitans, & ſic colluviem evacuans. *Naturam* imitatur *Ars* in *Paracenteſi*, pertundendo Abdomen acu argenteâ perforatâ. Locus convenientiſſimus eſt Umbilici dilatati prominentia, hinc à latere Umbilici aliquot digitorum tranſverſorum latitudine, notando ſimul membranam Peritonæi in *Hydrope* valdè craſſeſcere. Emittitur Aqua ſucceſſivè ad ℥vi. vii. vel x. pro virium ratione, nam ex ſubitanea extractione ſubinde Mors ſequitur. Operatio eſt tutiſſima & efficaciſſima, idque magis in *Aſcite* quàm *Anaſarca*; modò non nimis tardè adhibeatur; ſi enim jam acceſſerit Scirrhus aut Vitium nobilioris Viſceris, palliativum duntaxat eſt levamen. Fit & *Scroti tumidi* apertio *ferro* vel *cauterio*, admotâ dein ſpongiâ, ut evacuetur aqua. Sed colluvies per aperturam deſtillans *Gangrænam* inferre poteſt, adeoque ſedulo defendendus eſt locus apertus, non communibus *defenſivis*, ſed additis in ſpecie *balſamicis*, *reſinoſis*, *amaris*. Hinc *Emplaſtro de Minio* addatur *Empl. Diaſulp. Rulandi*. Solent & leniter *ſcarificari Crurum* loca carnoſa circa ſuras, ita ut inciſiones à ſe invicem diſtent, *defenſiva* ſupra & infra applicando, & propter *Gangrænæ* metum fovendo loca vicina cum *Spirit. Vin. theriacal.* aut *Crocat.* & vulnuſcula *Sp. Vin. camphorato*. *Serum* linteolo molli citra frictionem, vel appoſitâ ſpongiâ excipiendum. Subinde evacuatur *Aqua Veſicis ſpontaneis* in *Cruribus*, quibus applicanda *fol. Braſſicæ*; quæ multum ſeri extrahunt. Hinc uſurpantur *Veſicatoria*, in partibus carnoſis Femorum vel Crurum, in quibus Gangræna minùs metuenda, quàm in nervoſis; vel *cauteria*, tam *actualia* quàm *potentialia*, quæ ſucceſſivè, non confertim, ut *veſicatoria*, aquas educunt, adeoque cum minori Gangrænæ metu. Præcavetur autem Gangrænæ metus *fotu*

aromatico, *balſamicâ* vi *Picis Burgundicæ*. His accedunt *punctura cum acubus*, & profundior paulo Inguinum abſciſſio, quâ occaſione aqua ſucceſſivè deſtillat.

Quoad *ſecundam Indicationem* in uſu ſunt *Alterantia*, inprimis *Mars & Abſinthium*. Optimum eſt *Vinum martiale*, mane & veſperi uſurpatum per 4 aut 5 ſeptimanas; item *martialia quævis aperitiva*, *Pulveres & Extracta anticachectica*, præſertim cum *Tartaro* parata aut ſociata. *Abſinthii* ſolius uſu plures *Hydropici* curati fuerunt. *Vincetoxici* decoctum ſpecificè per ſudorem & urinam Hydropicis confert. Huc facit *Deſtillatum Paracelſi* ex *Tart. rub.* ℔i. *Hirundinar.* ℔ß. *Colcoth.* ℥viii. *Vin. ard. q. ſ. pro incorporatione*: ſed continuato uſu opus eſt, cum poſt aliquot dies ſaltem operari ſoleat. *Rhabarbarum* nobile eſt ſpecificum ; inprimis in *Elect.* cum *Roob Juniperi*, quod diureticâ ac diaphoreticâ vi multa præſtat. His accenſetur *Succus Allii virid.* cum *Jure Vervecis*, vel *decoctum Allii* in *Lacte*, vel ipſum *Allium* comeſtum, egregiè diureticum. In *Hydrope* poſt *Icterum* *Chelid. maj. & Marrub.* ſpecifica ſunt. Nobile eſt decoctum *Hederæ terr.* quæ & externè locis tumentibus cum fructu imponitur. Ex *Tartaro*, *Tinct. acris*, *Terra fol. Tart. Tinct. Mart. tartariſ. Tinct. vitriol. Mart. Spir. Tart. probè rectificatus*, *Sal Tartari*, *&c.* polychreſta ſunt, & tanquam *digeſtiva* purgantibus præmittenda optimè conveniunt. Fit & *ſpecificum* ex *Lap. ceraun.* cum aqua quadam appropr. in *Alcohol. redact. p. iv. & Exuv. Serpent. p. i.* invicem miſtis. *Sequuntur formulæ.*

℞ *Roob Junip.* ℥iß. *Extr. Mart. c. ſucc. pom.* ℨvi. *Pulv. Rhab. el.* ℨiii. *cum ſ. q. Aq. Cinnam. f. Electuarium, de quo ſæpè magnitudo Nuciſtæ capiatur.*

℞ *Spir. Carmin. de tribus*, *Spir. Sal. armon. an.* ℥ß. *M. Doſ.* ℨß. *in vehic. conven. aliquoties in die.*

℞ *Sal. Fimi columb.* ℨi. *Pulv. Buſon.* ℈ii. *M. pro 2 doſ.*

℞ *Rad. Cichor.* ℨiii. *Rad. Gram.* ℨii. *Rad. Gentian. Helen.*

len. Cort. Cappar. an. ℥i. *Cort. Lign. Saſſafr.* ℈ii. *Comar. Abſinth. vulg. & pont. Flor. Card. b. ſummit. Centaur. min. an. p. i. Flaved. Cort. Citr.* ℥ii. *Ex inciſis f. Nodulus, cui affundatur dimidia menſ. Vin. malv. ſtent in loco tepido per diem & noctem. Hinc bibatur mane hauſtulus. Continuando mirè urinam pellit.*

℞ *Rad. Vincetox.* ℥iß. *Herb. Chelid. maj. Marrub. Abſinth. an. m. i. Cort. Citr. Aurant. an.* ʒvi. *Sem. Frax. Fœnic. an.* ʒiii. *Galang. Caryoph. ZZ. an.* ʒi. *Sal. Tart.* ʒvi. *Inciſ. & Contuſ. infunde in Vino. Idem facile poteſt fieri purgans addendo Rhab. Helleb. nig. Rad. Ireos noſtr. &c.*

Præter hæc *Interna* etiam *Clyſmata* multis uſibus inſerviunt, inprimis ex *Urina pueri*, ſi flatus adſint, cum *Sem. Aniſ. Dauc. Cumin. Carv. Fœnic. Ferment. com.* & *Ol. Terebinth.* item ex *Urina* cum *Terebinth.* Vel ſi urgeant Pectoris & Capitis ſymptomata, ℞ *Cort. inter. Frang. Sambuc. an. m. i. Rad. Bryon.* ℥i. *Rad. Ireos noſtr.* ʒvi. *Bac. Junip.* ℥ß. *Sem. Cumin. Fœnic. an.* ʒii. *coq. in ſ. q. Urin. puer. vel Seri lactis. In Colat.* ℔i. *diſſolve Elect. Hier. p. cum Agar.* ℥ß. *Vitel. Ov. N.* ii. *F. Clyſm. pro* 2. *doſ.* Abdomini verò, ut & Scroto vel Labiis Vulvæ nimium tumefactis applicatur *Stercus caprillum* cum *Urinâ propriâ* ſubactum: laudatur & *Stercus columbinum*, item *humanum* quod tamen nares nimis ferit. Hiſce ſuccedit *Spongia* ebria *Aq. Calc. viv.* Singulare quid obtinent *Cochleæ* cum ſuis *teſtis* contuſæ, cum ſiccæ fuerint renovandæ; item *vegetabilia aromatica attenuantia* vel *ſalina reſolventia*, v. g. *Cataplaſm.* ex *Bacc. Junip. & Laur. Melle* exceptis; vel ex *Fol. Rut.* & *Abſinth.* cum *Melle*: item *Spir. Junip.* cum *Ol. Carv. Bufon. Scorpion. Laurin.* &c. pro inunctione.

℞ *Fol. Sambuc. fl. Chamom. an. m.* ii. *Sterc. caprill.* ℔ii. *Rad. Bryon.* ℥ii. *Coq. in ſ. q. Urin. puer. ad conſiſt. Cataplaſm. Abdomini applicandi.*

℞ *Flor. Chamom. m.* ii. *Farin. Fab.* ʒvi. *Cochlear. cum*

teſt. contuſ. ℥iv. *Sterc. capr.* ℨii. *Pulv. ſem. Cumin.* ℥i. *coq. in Aquæ & Aceti ana. & applicat Pedibus vel Scroto tumenti.*

℞ *Ung. de Arthan.* ℥i. *Ung. Agrip. Dialth. an.* ℥ß. *Ol. Scorp. ſimpl.* ℨii. *Ol. Chamom. Aneth. an.* ℥ß. *M. f. Ung. crebrò tepidè Abdomini illinendum.*

ARTI. V.

De Ictero, ſeu Cachexiâ ictericâ.

C*Achexia* cum colore flavo cutim & inprimis Oculorum album minutiſſimis arteriolis intertextum tingente, *Icterus flavus* dicitur; in quo non ſolùm partes externæ, ſed & Viſcera, inprimis Hepar, & Inteſtina flavent. Quòd ſi flavedo iſta ad viriditatem, cæruleitatem, aut obſcurum livorem inclinet, vocatur *Icterus niger.* Adeſt in omnibus *Ictericis* à principio inenarrabilis anguſtia & dolor compreſſivus Præcordiorum & Stomachi, Laſſitudo omninum membrorum, Dolores gravativi lumborũ, ſubinde ſpirandi Difficultas; Urina ferè ſemper paſſa, i. e. craſſa, tincta rutilante colore, linteum immerſum flaviſſimo colore, inſtar Croci tingens, quod aliæ Urinæ coloratiſſimæ non faciunt; interdum ex viridi, aut ex flavo & rubro nigricans; quod ſi ſubſederint, ſedimentum eſt argillaceum. In confirmatis, non omnibus, ſapor oris amaricans eſt, aut varius, cum Siti clamoſa, & Cereviſiæ horrore: Alvus nunc fluida cum Diarrhœâ quaſi bilioſâ, nunc, quando ductus fellei obſtructi ſunt, pertinaciter clauſa, excrementis prodeuntibus albicantibus. Febris nunc abeſt, nunc præceſſit. In quibuſdam percipitur dolor obtuſus in Hypochondrio dextro.

Icterus nunc eſt *ſecundarius*, ſuperveniens Febribus, Venenis, inprimis morſui Aranearum, Viperæ vel Canis

nis rabidi; manducationi Staphiſagriæ; Affectibus convulſivis Inteſtinorum inprimis tenuium, ut Colicæ, Partui laborioſo, Paſſioni hyſtericæ, Capitis Vulneribus gravioribus, per conſenſum: nunc *primarius*, cujus *Cauſæ Remotæ* ſunt triſtitia, ira, obſtructiones ductus fellei à lapillis vel pituita, unde calculoſi ſæpè fiunt *Icterici* (licet frequentes etiam ſint Icteri abſque ulla obſtructione ductus fellei) Ulcera crurum occluſa, Menſes inſtantes non prodeuntes, hepar induratum, inflammatum aut ſcirrhoſum; vulnus ſclopeti ventriculum perforans, &c.------- His præmiſſis, *Icteri* tot ſunt ſpecies, quot colorum varietates, v. g. viridis, flavus, niger, &c. ſed omnes unam agnoſcunt cauſam, impuritatem Maſſæ ſanguineæ, recrementa heterogenea ad ſuperficiem deponentem. Falsò enim exiſtimatur, Bilem in Hepate obſtructam *flavum*, melancholiam autem in Liene obſtructo *nigrum* inducere, nam datur & *flavus* citra Bilis impeditum motum, viz. ex Ferarum morſu, &c. quin & obſtructus reperitur ductus felleus ſine Ictero; pariter & *niger* ſine liene obſtructo, & lien obſtructus ſine *nigro* deprehenduntur.

Quoad *Cauſam proximam Icteri*, certum eſt, peccare auſterum acidum in primis viis, quod digeſtionem vitiat, unde geniti ſordes nidoroſi in corpus diſtributi, *Icterum* illum inferunt, qui Febribus ſupervenit; item qui Spiritus Vini abuſum ſequitur. Videmus enim quod crapula, item lac, fructus horæi, pinguia, &c. in ſtomacho corrupta, vomitus flaveſcentes & nidorem croceum inferunt. Sed datur & alius *Icterus* à *Bile naturali* ortus; eâque vel *vitiata*, quod frequentius, ab acido illo primarum viarum, quod eam incraſſat & coagulat, adeo ut nec debitè ſecerni in Hepate, nec ſecreta excerni poſſit; vel ſolùm in *debita diſtributione* impedita, indeque orta ejus cum ſanguine commixtione, quando nempe ductus hepatici quavis ex cauſa obſtruuntur,

untur, aut orificium ductus fellei conſtringitur à Spaſmis Inteſtinorum tenuium, in *Partu laborioſo*, *Paſſione hyſterica*, &c. Hinc eſt quod excrementa hodie pallida, cras flava reddantur, ſuperveniente ſcilicet ſpaſmo inteſtinali. Si *acidum* illud primarum viarum in mixtione cum *Bile* præpolleat, fit *Icterus viridis*, *plumbeus* vel *niger*; ſin verò *Bilis* præpolleat, *flavus* eſt. Peccare autem ferè ſemper *acidum* in ſtomacho ſuadent Cardialgiæ, Anxietates, Reſpirandi difficultas, aliaque ſymptomata; item *Cauſæ remotæ*, viz. *Triſtitia* quæ humores incraſſat, & acidum fixum auget, *Ira*, quæ humores acido volatili acriores reddit, &c. accedunt *juvantia*, *vomitus*, *martialia*, aliaque *acidum* corrigentia.

Prognoſis. Si adſit Hepatis vitium confirmatum, ferè lethalis eſt, cum Hydropis ſuperventu. *Icterus* ex calculo in folliculo felleo difficillimè curatur, ſaltem recidivat. Facillimus eſt *flavus*, inprimis poſt Febrem criticus, & juxta hunc, qui ex impedito Bilis motu oritur: *niger* autem poſt Quartanas contumacior eſt.

Cura. Fermentum acidum corrigendum per *abſorbentia*. Bilis vitia emendanda per amara plus minus reſinoſa & volatilia; quæ verò emendari nequit per urinas & ſudores evacuanda. Diſtributio Bilis promovenda per incidentia & fibras Hepatis firmantia. *Venæſectio* nil juvat. *Purgatio* nociva eſt in principio, niſi lenis ſit, aut adſit tantummodo lenis obſtructio meatus fellei in Inteſtinis, quæ vel unicâ *purgatione* tolli poteſt. In progreſſu verò Morbi, *appropriatis* inprimis præmiſſis, *purgationes* conveniunt; ſicuti in declinatione, *Diuretica & Sudorifera*.

Præmittantur itaque *Vomitoria*, *hinc Abſorbentia martialia*, inprimis in *Ictero nigro* vel *plumbeo*, vel ex vitio Menſium v.g. *Hæmat. pulveris.* item *Limat. Mart. pulveriſ. & Ol. deſtill. ſaſſafr.* irrorata; item *Vina martialia*, vel *Infuſum chalybis* cum *Carbonibus de Quercu* in *Vino*.

Huc

Huc pertinent *Acidulæ*, quæ dyſcraſiam Humorum & Viſcerum atoniam, ex diuturno malo, optimè reſtituunt. Succedant *ſpecifica*, inprimis *Chelid. maj.* ejus ſuccus expreſſus, vel decoctum aut Infuſum in Vino, præſertim in vitiato Bilis motu. Juxta *Chelidonium* eſt *Marrubium*, item *Centaurium min. Tarax. Flor. Chamom.* Infantibus Ictericis optimum eſt *decoctum Fragar.* cum *Paſſul.* in *Aq.* item ſitientibus pro potu ordinario, vel, ſi amaror moleſtus ſit, ſolum *Decoct. Paſſul.* hæ enim multum in receſſu habent, & *Elect.* ex *Paſſul.* cum *Rhabasb.* ſanè in quovis *Ictero* egregium eſt. *Vincetoxicum* in declinatione Morbi, in Vino coctum, urinam & ſudorem commodè movet. Nec negligendum *Abſinth.* aut *Flor. Hyperic. Geniſt.* & *Calend.* Bonum ſpecificum eſt *Semen Aquilegiæ* vel in *Emulſ.* cum *Aq.Chelid.maj.* vel in Pulvere cum *Croco* & *Tartaro vitriolato.* Accedit *rad. Curcum.* vel ſola, vel cum *Antim. diaph. martial.* & *Sal. vol.* CC. in Calculis folliculi Fellis egregia. Laudatur ab omnibus *Pulv. Lumbr. terr.* blandè exſiccatus ad ℥i. vel eorum *Spir.* per *putrefact.* propter *Sal. vol. nitroſum* egregiè abſtergens, incidens, &c. Quibus vix cedit *Spir. Tart. rectif. Spir. carminat. de tribus*, *Spir. Salis armon. Spir. Urin. human.* quin & ipſa *Urina* cum *ſucco Abſinth.* & *Marrub.* euporiſton eſt probatum. Ratione *Salis vol. nitroſi* tantopere laudatur *Stercus Anſerum junior. Chelidonio & Anſerinâ nutritorum*, item *Stercus Canis oſſa rodentis*, item *Sterc. alborum. pullor.* ad ℥i. Quidam laudant *Sterc. capr.* cum *lacte.* His annumerandi veniunt *Lapides* in *Felle Bovis* vel *Porci* reperti, *Lapis. Bez. occident.* item *Lap. Ceraun. ad* ℥ß.

Remedia primas vias evacuantia, dictis ſubjungenda aut permiſcenda, ſemper ſint moderata & blanda. Appropriatè laxant *Flor. Perſic.* in *potu ordinario* vel *Vino* infuſi; hinc *Infuſum Fol. Sen.* cum *Sale Tart.* in ſpecie

Rhabarb.

Rhabarb. pulvis *Extractis* præferendus, qui tam alterans quàm purgans eſt. In *Ictero nigro* confert *Infuſ.Helleb. nig.* in *Sero lactis*, aut *Pill.* ex *Extract. Helleb. nig.* His ſocietur *Gummi ammon.* optimum muci viſcidi inciſivum.--------*Externa* ſunt *Centaur.min.* item *Rad.Chelid. maj.* atque *Hypericum* plantis pedum ſuppoſitum. Optimæ ſunt frictiones corporis cum *ſacculis* repletis *Farinâ Hordei* & *Fab. Aquæ calidæ* intinctis; vel *Balnea* ex *Saponar. Chamom. Parietar. Aneth.* &c. pro delenda penitus tinctura, licet jam ſani ſint Ægri. Gravidis aut imbecillioribus, quibus non æquè conducunt *interna*, applicetur plantis pedum *Cataplaſma Joelis* ex *Fol. Marrubii vir. Radice. Chelid. maj. & Viſco querc. an. m.* ii. cum *Aceto* & *Vino* ſubactis.

℞ *Rad. Tarax.* ℥ii. *Rad. Chelid. maj.* ℥i. *Herb. Cichor. m.* ii. *Fragar. m.* ß. *Marrub. m.* ß. *Tart. alb.* ʒvi. *Fol. Sen.* ʒvi. *Coq. in ſ. q. Aq. & Vin. in vaſe clauſo. Sumat omni mane duos hauſtus, addendo ſingulis hauſtibus* ʒß. *Spiritûs Tart. rectif. cavendo tamen, ne ſint ſeceſſus plures, quàm bis vel ter quotidie.*

℞ *Comar. Abſinth. Fl. Roſ. Prun. ſylv. an. part.* viii. *Croc. p.* ß. *coque in Vino* diuretico *& exprime pro uſu.*

℞ *Extract. Chelid. maj. gummoſ.* ʒi. *Lap. Bezoar. occid. Antim. diaph. martial. an. gr.* xv. *m. f. Bolus diluendus in hauſtu Vini.*

℞ *Aq. Tarax.* ℥i. *Extr. Chelid. maj.* ʒß. *Sal. vol. CC. gr.* viii. *Syr. Card. b.* ʒii. *Miſce pro doſi.*

ART. VI.

De Malo hypochondriaco & Scorbuto.

MALUM *hypochondriacum* ab *Hypochondriis*, ubi fortius urgent ſymptomata, nomen ſortitur. *Symptomata* autem ita ſe habent: adeſt appetentia intenſa,

ſa, ſubinde canina, ſed cum quadam apepſiâ, ita ut poſt aliquot horas à paſtu percipiantur dolores graviſſimi convulſivi in Stomacho: appetunt acida, quæ inſigniter lædunt; ejiciunt ructus ab omni paſtu, nunc acidos qui meliores, nunc inſipidos qui deteriores, idque ſubinde cum Stomachi inflatione, flatulentis tumoribus & borborygmis in Abdomine, inprimis in regione hypochondriacá ſiniſtrâ, remittente Tumore admotam manum retrudente. Jejuni acidos ejiciunt ructus. Accedit pertinax Alvi adſtrictio, & quæ ejiciunt, ſunt pauca, interrupta, globulorum formâ indurata, nigricantia, adeo ut copiosè à laxantibus, parum & cum noxa à purgantibus evacuentur. Quæ evomunt ſunt aquea plus minus pituitoſa, aciditate ſua dentibus ſtuporem, & vaſis orichalceis æruginem inducentia; utut ſubinde tantillum Bilis amarorem importent. Sæpius adſunt Cardialgiæ, idque in Spinâ dorſi, ubi ſitum eſt ſiniſtrum Stomachi orificium; phlogoſis vaga in ſpecie in facie poſt paſtum, eo citius ſi hauſtum Vini aſſumant; dolores lancinantes Abdominis cum contorſionis ſenſu, à Spaſmis Inteſtinorum oriundo, Iliaci & Colici convulſivi Dolores, à Pituitâ vitrea in cellulis Coli, in ſiniſtro latere, rariûs in dextro, unde Vomitus; difficilis Reſpiratio ab omni cœnâ; item matutino tempore, ratione crudæ remanentiæ ex cœnâ veſpertinâ, cum expuitione copiosâ mucoſorum & tenacium humorum. Confirmatis accedunt Aſthmata ſicca, tumores Viſcerum duri, pulſationes circa Hypochondria & Lumbos ſuperiores ubi diſperſi ſunt rami Arteriæ cæliacæ. Jejunis ſupervenit Vertigo, comeſtá panis bucellâ remittens; tandem ingenii Torpor, Memoriæque lapſus. Poſt paſtum ſunt quaſi ebrii, anxii, timidi, melancholici, & in graviori paroxyſmo patiuntur ſymptomata hyſterica, ubi Urina eſt pallida aquea, licèt extra paroxyſmum ſanorum ſimilis.

Cauſa

Cauſa proxima eſt *Stomachi Cruditas acida.* Ex Chylo enim acido depravatur Sanguinis craſis, hinc deficit ejus ſpirituaſcentia, aceſcit lympha, hebetatur Bilis, irritaturque genus nervoſum. Vitium hæret in fermento digeſtivo, minùs volatili, ſed nimis acido, unde quæ optimè appetuntur & diſſolvuntur alimenta, degenerant in paſtam acidam plus minus viſcidam, à cujus concurſu cum Bile oriuntur phlogoſes, flatus, borborygmi, lancinationes, &c. Coagulantur fæces ab acido auſtero, unde alvi ſegnities. Coagulatur & ſanguis ab acido, unde grumoſus exiſtens circa auriculas Cordis ſubſiſtit, & Palpitationem ejus infert; craſſus etiam minus ſpirituaſcit, unde anxietas, triſtitia, &c. Acidum hypochondria & membranas capitis circa tempora irritans, ibidem dolores infert tenſivos. *Cauſæ remotæ* ſunt 1. *Aſſumpta acida*, & difficulter digeſtibilia, v. g. ſale condita & fumo indurata, de ſpiritu acido ſalis & fulig. non parum gaudentia, potus aceſcens, aut non ritè defæcatus. 2. Deficiens motus digeſtionem non promovens cruditates colligit. 3. Curæ, & ſtudia inprimis nocturna, ſpiritus abſumunt, quorum defectu acidi ſucci inſigniter accreſcunt.

In gradu ſublimiori acidum in Hypochondriis peccans ſucceſſivè exaltatur & volatiliſatur, unde naſcitur *Scorbutus*, malum illud contagioſum, Glandulas & Lympham præcipuè afficiens, & graviora quàm Malum hypochondriacum in intimis pathemata inferens.

Symptomata Scorbuti hæc ſunt: Laxitas & varia nunc excreſcentia & intumeſcentia, nunc exulceratio gingivarum: fricatæ Gingivæ nunc ſanguinem ſtillant intensè ſalſum, nunc ſerum: Saliva eſt admodum ſalſa, præſertim matutino tempore. Accedunt tumores artuum, nunc protuberantes nunc evaneſcentes; pruritus corporis, & ſi ſe ſcalpant Ægri loci intumeſcentia & rubor breviori tempore evaneſcens; ſubinde in loco

loco quem ſcalpunt, Ulcera ſerum acerrimum plorantia, & ad Gangrænam facilè degenerantia. Si conſtantes ſint Tumores, occupant glandulas artuum. Obnoxii ſunt catarrhis circa caput, exulcerationi & excoriationi faucium & regionum glandulis magis obſitarum; doloribus incipientibus in dorſo, & pergendo ad umbilicum partes abdominis convellentibus, ad modum Nephritidis nothæ; abdominis tumori & duritiei, propter ſpaſmum membranarum; doloribus artuum, nunc levioribus, cum ſenſu vermiculationis in extermitate artuum, nunc gravioribus lacerativis & lancinantibus; nunc vagis, nunc fixis & graviſſimis dentes & extremitates artuum occupantibus, inprimis tempore nocturno, adeo ut Luem veneream perquam ſimillimè referant. Accedunt frequentiſſimi partium internarum ſpaſmi; urina flamea, cum copioſis arenulis rubris facilè friabilibus, & ſupernatante pingui pellicula, quæ ad latus aſpecta variatur inſtar caudæ Pavonis: Arenulæ illæ & pellicula, nil aliud ſunt quàm ſalia coagulata, certiſſima tamen Scorbuti ſigna. Tandem obnoxii ſunt Hæmorrhagiis variis, Sputo cruento, Hæmorrhagiæ Inteſtinorum & frequenter Atrophiæ & Tabi.

Cauſa Scorbuti proxima eſt acidum corruptum, exacerbatum ab aere, effluviis ſalinis acidis prædito, qualis eſt marinus, & noſter aquilonaris loca paludoſa perflans. Quoad *Signa*, Pathemata capitis & Stomachi ſola *Malum hypochondriacum* monſtrant. *Latens* autem *Scorbutus* dignoſcitur ex memoratis urinæ ſignis, item ſi in aliis morbis dolores adſint ultra naturam morbi, aut dolor lancinans in lumbis abſque Nephritide; ſi doleant gingivæ, dentes; ſi maculæ majores, inprimis in Cruribus appareant; item ſi adſit pruritus, unde prurigino-ſa purpura certiſſimum eſt ſignum Scorbuti latentis.

Prognoſis. Malum Hypochondriacum incipiens facilè, ſc. ſolo corporis motu ritè inſtituto, curatur; confir-

matum verò difficillimè, poſtulat enim continuatum medicamentorum uſum, quorum tædium percipiunt Ægri. Hæmorrhoides, Urinæ fluxus, aut Hæmorrhagia periodica inſigniter levant. Pulſus Hypochondriacorum intermittens; aut Scorbuticorum parvus & debilis, ſi non alia adſint ſymptomata, non eſt metuendus. Maculæ bonum ſunt ſignum; ſed quo magis rubræ & grandes, eo meliores; cæruleæ aut lividæ, deteriores. Inveteratus Scorbutus ordinariò terminatur in Atrophiam & Tabem. In Scorbuto continua eſt Symptomatum mutatio, nunc dolores vagi tranſeunt in Parheſin Aſthma convulſivum, ſubinde Epilepſiam, nũc Dolores artuum atrociſſimi in Lethargum mutantur. Quo fixior eſt Scorbutus eò difficilius curatur. Præ cæteris Gingivarum habenda eſt ratio, quæ ſubinde in Gangrænam & peſſimas exulcerationes abeunt.

Cura. Acidum corrigendum; correctum per ſudorem & urinam evacuandum; Stomachi digeſtio promovenda; & ſanguinis craſis emendanda. Pro his ſcopis obtinendis obſ. I. *Venæſectionem* per ſe non convenire, utut indirectè quandoque juvet, v. g. Ven. S. brachii in Dolore crurum vel Cephalalgia ſcorbutica incipiente. *Fonticuli* nil conferunt, niſi per acidens, ſi crebriores affligant Catarrhi. II. *Diuretica* ſalina vol. non terrea nec acida, in Malo hypochondriaco, & *Sudorifera* in Scorbuto partes externas gravius affligentia, convenire. III. Neceſſarium eſſe Vomitum, nam ſine ejus præmiſſione reliqua remedia parum operantur. IV. Purgantia ſemper nocere; facilè enim pathemata excitant doloroſa, & Dyſenteriam. V. Symptomata melancholica, Capitis perturbationem ac Dolorem Artuum & Abdominis, inſigniter exaſperari, niſi alvus ſervetur fluida per *paſſulata*, & *laxantia* infuſa in *ſucco Pom. borſdorf.* qui optimus *Paſſulæ*, licet dulces, temperatæ ſunt; præcipuè Viris, non Mulieribus conducunt.

ducunt. *Vinum infuſ. flor. Acac.* alvum ſervat apertam. Accedunt *Clyſmata* ex *urina Puer.* in Flatibus hypochondriacis optima. In contumaciori malo, craſſum mucum in Inteſtinis optimè abſtergunt *Clyſmata* ex *Lixiviis* addito *Melle depur.* In Dolore Abdom. conveniunt *Clyſmata* ex *Lacte*, cum *tantillo ſacch.* vel incoctis *Plant. carminativis*, per integram noctem retenta. In Doloribus nephriticis *Clyſmata* ex *Lacte* & *Terebinth.* conferunt. VI. *Malum hypochondriacum* ſine antiſcorbuticis vix curari poſſe: ſed horum habendus eſt delectus. In ſubjectis enim bilioſis, ubi acidum eſt volatilius & acrius, *acria* & *volatilia*, niſi temperantibus & acidis miſta, propter phlogoſes & effervescentias nociva ſunt. VII. Præſtare utique ut *fixa* ſc. *martialia* acidum primarum viarum deſtruentia *volatilibus* præmittantur. VIII. Præmiſſis univerſalibus & acidum corrigentibus, Lac omni mane & veſperi hauſtum, craſin ſanguinis ſcorbuticam egregiè corrigere, inprimis ubi nimium ſudant & ad Tabem inclinant. IX. Abſtinendum eſſe à *mercurialibus*, quia Faucium ſymptomata, Dolores nocturnos, Phlogoſes, Æſtuationes & Anguſtias corporis in Scorbuticis, excitant.

Quoad *Remedia* in *Malo hypochondriaco* præmittantur *digeſtiva* plus minus *diuretica*, viz. *Tartarus vitriol. Sal. digeſt. Hypochond. Liq. ter. fol. Tart. Tinct. Mart. Sal Martis comp. Tinct. Antim.* ex Scoriis *Regul. Pulv. Mart. &c.* bis quotidie bona doſi aſſumendus. His præmiſſis uſurpantur Vomitòria reiterata: poſt hæc *noduli* ex blandis laxantibus & *alterantibus* parati, v. g. ℞ *Rad. Helen. Raph. ruſt. & Polyp. an.* ℥vi. *Herb. Abſinth. Agrim. Centaur. min. an. m. i. Fl. Anth. Geniſt. an. p.* iii. *Cort. Tamar. Frax. an.* ℥ß. *Rad. Helleb. nig.* ʒii. *Zedoar. ZZ. Cinnam. an.* ʒiß. *inciſa & contuſa noduloq; incluſa infundantur* in vino *de quo omni mane & veſperi capiatur ut relaxetur, alvus. Aloe* ra-

tione *Reſinæ* nocet, nam uno die laxat, altero obſtruit. Confert quidem *Extract. gummoſ.* cum *aqua* ad gr. iii. in *Pill.* omnibus 3. vel 4. ſeptimanis. Uſurpantur *martialia* nunc *cruda*, nun in ſtomacho debiliori *præparata*. Quibus nimis ſenſilis eſt Stomachus, ſufficit *Extr. Mart.* cum *ſucco Pomorum Borſdorf.* vel cum *Decoct. Tamarind.* vel *Tinct. Vitriol. mart. Zwelf.* Hæc aliquamdiu continuentur, & poſt eorum uſum blandus inſtituatur motus, alvuſque ſervetur aperta. Poſt *martialia* fiat acceſſus ad *volatilia diuretica* & *ſudorifera*. Inter hæc optimus eſt *Spiritus forti igne per retort. deſtill.* ex mixtur. *Calc. viv.* cum *Sale armon.* addito *Sp. Vin. aromatico*; *Doſ. gt. xxx.* Hypochondriacos mirè levat. *Spir. carmin. de tribus. doſ. gt. xl.* Ut hæc volatilia fiant diuretica, optimè conſultum eſt *Spir. Salis armon.* cum *Liq. Terræ fol. Tart.* miſcere. Juxta hæc *volatilia* non omittantur *fixa*, inter quæ nobiliſſimum eſt *Arcan. dupl. Mynſ.* inprimis in phlogoſibus ſcorbuticis. Dein ſimul conferunt *ſalia fixa* ex plantis *ſpleneticis* & *hepaticis* elicita. Atque his ac ſimilibus accedente motu fere curari ſolet *Malum hypochondriacum*.

In *Scorbuto* etiam præter dicta, habeantur *ſpecifica*, poſt *martialia* uſurpânda. Hæc ſunt in duplici differentia, nempe vel 1. reſpiciunt dyſcraſiam ſanguinis & inde derivatos ſuccos, ſuntque *volatilia* plus minus *acria*; viz. *Cochlear. Naſturt. Chelid. majus & min. Trifol. aquat. Piperit. Flammula Jov. Rad. Raph. Gentian. Sem. Sinap. Erucæ, &c.* Inter quæ excellunt *Cochlear. Flam. Jov.* & *Trifol. aquat.* ſed in bilioſis ſubjectis temperanda ſunt per *Acetoſellam* & *Citrata*. Vel 2. reſpiciunt noxam illatam ſyſtemati nervoſo & partibus continentibus; ſuntque *oleoſa ſulphurea*, quaſi *balſamica*; in ſpecie *Pinus*, & ejus *Strobili*, item *Lign. Saſſafr.* & *Rad. Chin.* *Priora* uſurpantur vel *cruda* vel *temperata*. *Cruda* vel infunduntur in *Vino*, vel in ſubjectis bilioſis in *ſero*

Lactis:

ctis: aut confunduntur & conquaſſantur cum *ſero* eodem & exprimitur ſuccus blando tepore depurandus, cujus *℥æ aliquot* in *ſero Lactis* vel *Vino* propinentur cum ana *ſucc. Acetoſellæ,* quæ quacunque ratione continuata eſt egregia. Hi ſucci delicatulis aut ad effervefcentiam pronis minus conveniunt, ſaltem temperentur cum *Succ. Citr.* qui in *Scorbuto* egregium eſt medicamentum. Ex his *ſuccis* cum *limaturâ Mart.* parari poſſunt *Eſſentiæ*, aut *Extracta*, unde *Tinctaræ Mart. ſcorbut.* eliciendæ. Delicatulis loco *ſuccorum* exhibentur *Aq. deſt. Spir. Eſſent.* &c. ſic ex *Flam. Jov. contusâ,* affuſo *Vino*, elicitur *Phlegma ſpirituoſum antiſcorbut. Spiritus antiſcorbutici,* per fermentationem parati, patiuntur jacturam aliquam ſalis volatilis, licèt non omnem. Proinde ut integra habeatur *craſis antiſcorbutica*, paretur *ſpiritus per fermentat.* ex *antiſcorbuticis quibuſdam.* Hunc *cohoba* cum *ſpeciebus rec.* & *rectifica*: dein affundatur *Extract. antiſcorb.* & extrahatur *Tinctura* nobilis, *doſ. gt. xxx. ad* ℈i. in *vehiculo conven.* His addantur *oleoſa volatilia*, in ſpecie *Ol. Cochlear.* in forma *Elæoſacchari*; item *volatilia artificialia*, inprimis *Spir. Lumbr. terr. Spir. deſtillatus è mixturâ Calcis viv.* & *Salis armon.* affuſo *Spir. Cochlear.* vel *antiſcorbutico* quodam *comp.* item *Eſſent. Myrrh.* & *Elix. Propr.* cum dicto *Spir. Salis armon. comp.* paratæ.

Antiſcorbutica ſulphurea balſamica ſunt, inprimis *Strobili Abietis alb.* collecti *menſe martio*, tum enim tactu ſunt pingues & reſinoſi. Infunduntur nempe vel *recent.* vel *exiccati ad* ℥ii. in *Menſ.* iß. *Cerevisiæ*, quæ bulliant ad tertiæ part. conſumptionem, addendo in fine *Paſſulas min.* Propinetur *Colatura* calidè ſemel vel bis de die expectando ſudorem. Addi poſſunt *Bac. Junip. rec.* item *Summit. Abiet. conciſ.* Inſpiſſatur etiam *Decoctum Strobil.* ad *Extracti* conſiſt. unde cum *Spir. antiſcorb.* extrahatur *Eſſentia*, quæ *doſ. gtt.* 50. optima

eſt. Item ex *Strobil.* contuſis & affuſa *Aqua* cum pauco *Fæcum Cereviſ.* fermentatis, deſtillando prodit *Spir.* ſuaviſſimus, qui pro uſu aſſervetur. Sed de *Remediis* ex *Pino* obſerva 1. Quod eadem non conveniant omnibus, quia nonnihil lædunt appetitum. 2. Quod Junioribus & ferventibus propter oleum vol. non ſunt propinanda. His ſubſtitui poſſunt *Decocta lign.* cum *ſpecif. antiſcorb.* inprimis quando adſunt pathemata catarrhalia. Præ omnibus aliis ſcorbuticis convenit *Diæta lactis*, inprimis *caprill.* cum tantillo *Sacchari*. Cui incoqui poſſunt *Raſura Radic. Chin.* & *Herba Fumar.* & inſtillari *aliquot. guttæ Spir. Cochlear.* In *Febricitantibus*, aut *borborygmis* & *phlogoſi vagæ* obnoxiis, uſurpatur *Serum lactis.*

Inter *Scorbuti Symptomata urgentia* occurrit 1. *Gingivarum laxitas, intumeſcentia, cruentatio, putredo,* & ſubinde *caries Dentium*. Origo eſt ex ſaliva ſale ſcorbutico inquinatâ, quæ texturam fibrarum gingivarum laxat & rodit. Remedia ſunt *collutiones Oris Decocto Salv. Roris mar. Flor. Aquileg. Balauſt.* additis *ſpecificis adſtringentibus*; item *Lacca*, *Myrrh. Alum.* & *ſpir. Sal.* quæ utramque faciunt paginam; hinc conducit *Decoct. Salv. Naſturt. Florum Malv. hort.* & *Rad. Polyp.* in *Aq.* addito *Melle Roſ. Alum. uſt.* & *Lap. prun.* Item *Decoct. ſummit. Pin.* & *Naſturtii,* in *Vino*, vel, ſi *Vinum* acrius ſit, in *Sero lactis* vel ipſo *Lactei* Præ cæteris optimum eſt *Sal. mirabile Glaub. in ſ. q. Spiritus ſolut.* Poſt *Collutionem*, ſunt *Tincturæ* dentibus affricandæ, inprimis *Tinctura* ſeq. ℞. *Lap. medicamentoſ. Crol.* ℥i. ſolve in *Aq. Sedimin.* & *Cochl.* poſt blandam ebullitionem filtretur ſolutio; infundantur *Lacc. Flor.* ℥ii. *Myrrh. Alum. uſt. an.* ℥i. & extrahatur *Tinctura* linteis imbutis affricanda. Item ex *Cremoris Tart.* ℥iii. *Gum. lac.* ℥i. & *Vitriol. Cypr. gr.* vi. cum *ſ. q. Aq. Roſ.* & *Salv.* fieri poteſt *Tinctura*. Poſt *Tincturas* ſunt *Pulveres*

veres v. g. *Biſtort. Alum. uſt. Flor. Roſ. & Balauſt.* irrorati *Spir. Cochlear.* vel aliquot *Gutt. Olei Caryoph.* vitando *Lapides* & *tartarea*, quæ gingivas lædunt. In *Exulceratione* & *Fœtore* conveniunt *Linimenta* ex *Alum. crud.* ℥iß. *Fol. Salv.* ℥iii. *Rad. Irreos flor.* ℥iß. *Myrrh.* ℥ß. *Melle exceptis.* In graviori malo fiat progreſſus ad *Aq. virid. Hartman.* & *Plater.* item *Ung. ægypt. Melle dilutum.*

2. *Dolores Abdominis, & circa vertebras dorſi, cum Umbilici retractione, Urinæ ſuppreſſione, & ſymptomatibus hyſtericis.* Sunt hi dolores *Spaſmi* inteſtinorum & meſenterii, quorum fundamentum in plexu meſenterico nerveo & glandulis ibi conſitis exiſtit. Quoad *Curam* 1. Inteſtina leviter ſunt abſtergenda ſumendo *Serum lactis* & *Ol. exp. Amygd. d.* vel *Decoct. Radicis Alth.* aut *Parietar.* Purgantia enim ſymptomata exaſperant. Externè injiciuntur *Clyſmata* ex *lacte* cum *Tereb.* diu retinendo, vel ex *Sero lactis* in quo *Caſtor. ad* ℈i. ſit ſubactum, add. *Syrup Papav. alb.* ℥ii. 2. Impetus convulſivi ſiſtendi, per *Salia volat. oleoſa opiatis miſta*; inprimis remedium ex *Caſtor. Coohlear.* & *Cort. aurant.* cum *Spir. Sal. armon.* & *Laud. hyſter.* item *Spir. carminat. & de tribus* in *vehiculo antiſcorb.* item *Spir. Tart. vol.* cum *Spir. Lumbr. in Sero lactis.* Externè convenit *Empl. Poterii*; item ratione dolorum cum Nephritide nothâ conjunct. *Ceratum Lumbis* applicandum, ex *Pic. Nav.* ℥iv. *Tereb. vulg. Flor. Sulph. an.* ℥ß. *Succin. Maſtich. an.* ℥ii. Illinatur abdomini calidè *Galbanet. Paracelſi* ſeu *Ol. deſt.* ex *Galban.* & *Terebint.* *imponendo deſuper Laterem calefactum.*

3. *Dolores ſcorbutici vagi* ſeu *Arthritis vaga, Rheumatiſmis* ſive *Defluxionibus* ordinario tributa. Differt ab *Athritide* propriè dicta, ſeu fixâ in eo, quòd *vaga* ſit nunc in unò nunc in altero artuum; quòd tophos poſt ſe non relinquat, ſiquidẽ non materia contenta ſed contracturę

ſpaſmodicæ tumorem inferunt; quod denique partes muſculoſas arctius affligat, & nocturno tempore ingraveſcat. Solvitur nunc per ſudores & urinam, nunc per excretiones cutaneas, ſubinde purpuram cum maximo cutis pruritu. Affligit in ſpecie, dum recrudeſcit Paroxyſmus, cum graviſſimis anxietatibus præcordiorum. Oritur à ſale ſcorbutico vellicante fibras nerveas motrices carneas, magis tamen partes tendinoſas in Articulis. In *Cura*. 1. Impetus ſalis ſcorbutici refrænetur, vitando volatilia in principio Paroxyſmi. Eminent hic *Bezoardicum ſolare*, & interdum *ſalia alcalia fixa*. Poſtmodum acceſſus fiat ad *volatilia, ſcorbuticis* miſta, inprimis *lumbricalia*, ſc. vel *Infuſum Lumbr. conquaſſ.* in *Vino*, aut, ſi adſit *Febris* vel *Phlogoſis*, in *lacte*; vel *Spir. Lumbr. per putref.* ex quo & *Spir.* CC. *ſale proprio* ſaturatus, affuſis *Plant. nerv.* & *arthriticis exſic.* egregia fit *Eſſentia*; vel *Liquor piſtorius Lumbr.* in vaſe *Maſſæ panis* incluſo paratus, qui datur ad ℥ß. Quibus inprimis *volatilia tartarea* addenda. Declinante Paroxyſmo conveniunt Remedia ex *Pino*, item ex *Bacc. Junip.* quarum vis balſamica multum confert, *Roob. Junip. antiſcorbuticis* junctum, *Decocta Helen. Abſinth.* &c. expectando ſudorem. Quoad *externa*, malè applicantur *Linimenta oleoſa* & *pinguia*, quia tranſpirationem inhibent, ut & *fomenta* aut *cataplaſmata* ex *ſimpl.* in *Lacte* coctis, quia frigeſiunt & cum humida ſint poros ſtringunt. Præſtant itaque *Fotus ſicci*, vel *Suffitus ex Decoct. Lumbr.* & *Formic.* calidè excepti, ita ut membrum ſudet, & ſudor linteis calidis abſtergatur. Tepidè etiam illinatur *Spir.* aut *Liq. Lumbr.* item *Spir. Formic.* cum *Calce viva* deſt. cum *S. V.* vel *ſpir. Sal. ammon.* cum *Spirit. Bac. Junip.* miſtus. Si ardor, rubor, & quaſi *Eryſipelas* in parte excitetur, ſolvatur *Camphora* in *dictis Spirit.* Hiſce adde *Cataplaſma* ex *Sterc. vacc. rec.* cum *Lumbr. contuſ.* item *Tinct. balſamicam Dekeri in Comm. ad Prax. Barbeti.*

4. *Con-*

4. *Contracturæ artuum paralyticæ*, deficiente motu, & ſuperſtite ſenſu, nunc doloroſo, nunc formicante, nunc lancinante, nunc ex lancinante & oſtocopo compoſito. In formicationis ſenſu vigil ſit Medicus, ut poſſit præcavere *Paralyſin.* In Cura, præmiſſis *Vomitoriis*, modo ſanum ſit abdomen, aliàs dolores ejus excitabunt; item *Martialibus*, ſi levius ſit malum, ſufficit *Lac* vel *Serum lactis antiſcorbuticis* medicatum. In graviori malo, juxta vel una cum *Lacte* remedia ex *Pino*, *Junipero* & *Rore mar.* per ſudores evacuantia conferunt. Inprimis ad *Paralyſin ſcorbuticam* valent *Spir. Tartar.* & omnia *tartarea volatilia*, tam internè, quàm externè fricando prius membra. Externè etiam convenit *Galbanetum Paracelſi*, tepidè illinendum à radice membri ad poſteriora verſus, & inprimis *Balneum ſiccum vinaceorum*, aut ſponte aut injecta *Calce vivâ* incaleſcentium, inſedendo uſque ad regionem iliacam. Idem hic de Externis dicendum, quod in *Arthritide vaga.*

5. *Convulſio ſcorbutica*, dum corrugantur fibræ muſculorum tendinoſæ à ſale ſcorbutico. Curatur ferè ut *Arthritis vaga* & *Paralyſis*, inprimis per *Lac* in quo ſubactus ſit *Sapo venetus*, item *Tinct. Caſtor.* cum *Spir. Sal. ammon. concinn.* Laudant nonnulli contra *Paralyſin ſcorbuticam Oleum deſt. ex Ol. Lin.* cum *Calce viva*; quod penetrantiſſimum eſt, nulli forſan *Oleo* cedens.

VI. Maculæ in cute propellendæ uſu *Cochleariæ*, & *Tinct. Coral. antiſcorb.* Qui nitori ſtudent, aut exulcerationem metuunt, hanc removeant, affricando 3 vel 4 de die *Sem. Sinap.* tritum cum *Aceto deſtill.* aut, ſi acrius fuerit, miſtum cum *Oleo Amygdal. rec.* & *ſucco Citri.*

SECT. XVII.

De Sanguinis ex partibus Refluxu vitiato.

ARTIC. I.

De Inflammatione in genere.

SAnguinis ex corde in totum corpus diſtributus redit per venas circulari motu. Vitiatur hic motus circularis quando ſtagnat aut effunditur ſanguis. Si ſanguis ſtagnet fit Inflammatio, in qua propter impeditum ſanguinis refluxum pars *tumet*, *rubet*, *dolet*, & à ſanguine effervеſcente intensè *calet*. *Dolor inflammatorius* triplex obſervatur, 1. *Tenſivus*, à fibris partis inflammatæ convulſis adeoque tenſis. 2. *Pulſativus* à fibrarum, membranas arteriarum conſtituentium, renitentiâ convulſivâ. 3. *Punctorius*, ſuperveniens ab acribus acido-ſalſis particulis pungentibus, inprimis quando ſanguis ſtagnans ſenſim corrumpitur, & in ſuppurationem abit. Præter hæc ſuperveniunt & alia ſymptomata ratione partis affectæ, v. g. in *Anginâ Deglutitio læſa*; in *Pleuritide Reſpiratio difficilis*; in *Viſceribus inflammatis gravativus dolor*. Fiunt hæc quando ſanguis ex parte tantum refluit. Si enim nil omnino refluat, adeoque nec reciprocus ſpiritûs influi motus, ſuſtentatur inſitus, pars moritur & *Gangrænâ* corripitur.

Cauſa efficiens interna eſt vel 1. in ſanguine fluente, quando nimis craſſus eſt propter ſeri defectum, aut chyli crudioris ſive pituitæ viſcidæ congeſtionem; aut ab acido coagulationem; vel 2. In parte recipiente, ſi nempe ejus pori & meatus anguſtentur, vel occa-

ſione

ſione alicujus heterogenei moleſtiæ ſenſum creantis. Hinc quicunque dolores, puncturæ, &c. *inflammationes* inferunt. *Prior Cauſa* rarior eſt, aliàs danda foret ratio, quare non univerſalis ſit *Inflammatio*. *Cauſæ externæ remotæ*, ſunt ſubitaneum frigus poſt nimiam incaleſcentiam, & inde ſanguinis ad facilem ſui coagulationem diſpoſitio; contuſiones, ligaturæ fortes, luxationes & fracturæ.

Sanguis extravaſatus aut ſtagnans *volat. balſamicis Spiritibus* mox depauperatur, unde ad ſui corruptionem & acorem vitioſum tendit. Hoc acidum primitus quidem ſanguinem coagulat, ſed poſtmodum, ſale volatili ſanguinis magis emergente, fermentationem ciet & effervescentiam cum intenſo calore & turgeſcentiâ, donec ſalia iſta ex mutua pugna in tertium ſalſum ex acido & urinoſo conflatum, abeant; quod album eſt, ex Sulph. ſanguinis ſub effervescentiæ motu & alcali ſoluto & per acidum præcipitato venit, diciturque *Pus laudabile*. Quo concitatior eſt motus hujus acidi volatilis, eo major *ardor*, *roſio*, *punctio*, &c. Eſt illud *acidum* cauſa *febris acutæ* internas, & *lentæ* externas *Inflammationes* comitantis. Quod autem *acidum* hoc cauſa ſit omnium Inflammationis ſymptomatum, patet 1. Ex ſanguine pleuritico extracto, ſemigrumoſo. 2. Quia grumos diſſolventia & acidum corrigentia decantata ſunt hic remedia. 3. Quia externæ *Inflammationes*, in ſpecie *Eryſipelaceæ*, per acidum abſorbentia tollantur.

Conſideranda venit cauſa recidivæ crebrioris *Inflammationis*. Quædam partes promptius *Inflammationem* ſuſcipiunt, *nerveæ* v. g. idque propter nimiam ſenſibilitatem & irritabilitatem. *Inflammatio* etiam ſemel in parte ulla facta, facilimè recurrit, idque 1. Quia debilitatur ſpiritus inſitus, ob denegatum liberius cum influo commercium, inprimis ſi *Inflammatio* ſuppurata fuit. 2. Quia partis fibræ laxatæ & pori transformati reſti-

reſtitant, unde facilè ſanguis in legitimo motu impeditùr. 3. Quia relicta fuit ſpina ſeu aciditas fermentalis occulta, inprimis ſi *Inflammatio* ſuppurata non ritè mundificata fuit. Reſiduum enim acidum partim ſenſiles partes irritat, ſi vel animi paſſionibus vel diætæ erroribus excitetur, partim ſanguinem alluentem ſuo contagio diſponit ad faciliorem coagulationem.

Dignoſcitur *Inflammatio*, ſanguinis in *quanto* peccantis vitio, ſi adſit plethora aut intermiſſio conſuetæ evacuationis ſanguinis: huic enim ſæpiſſimè ſuperveniunt *Inflammationes*. Si ſanguis *qualitate* peccat, dicitur *Inflammatio illegitima*; ſin verò benè conſtitutus *Inflammationem* inferat, *legitima* audit.

Prognoſis. *Inflammatio*, vel ſubitò in venas abſorbetur, vel *diſcutitur* operante & prædominante alcali ſanguinem diſſolvente, vel *ſuppuratur* ex æquali vigore acidi & alcali; vel in *Scirrhum* contumacem *coagulatur* prædominante acido; vel denique ex omnimodo ſpirituum & ſanguinis in parte motu impedito, in *Gangrænam*, omnium peſſimam, abit.

Cura. Cauſæ ſtagnationis removendæ ſunt, ſanguinis tenuitatem conciliando per *ſudorifera alcalina* tàm *fixa*, acidum coagulans abſorbentia, quàm *volatilia* ſanguinem coagulatum poſitivè attenuantia: & fermentum vitioſum in parte affecta corrigendo, *internè* per *fixa abſorbentia*, & *volatilia* ſudorem procurantia; atque externè per *ſaturnina* & *alcalìa* acidum abſorbentia, *aromatica alcalina* ſanguinem diſſolventia, & tandem *temperantia* mutuam ſalium efferveſcentiam, pro ſuppuratione nempe promovendâ, quo facto *Abſceſſus* aperiendus, exactiſſimè mundificandus & tandem conſolidandus. Pro his ſcopis *Venæſectio ventilatoria* habita ratione climatis omnibus concedenda eſt, ſecundum *revulſionis*, *averſionis*, & *diverſionis* leges; licèt ſubinde repetiti ſudores per *appropriata*, quibuſvis ſanguinis de-

tractio-

tractionibus præferendi ſint. *Repellentia* ſunt ridicula & nociva. *Purgantia* nil conferunt, utut blanda *laxantia* ratione *Febris* proficua eſſe ſoleant. Inter *Diaphoretica* conveniunt omnia *Volatilia ſalina urinoſa*, ut *Spir. Tart. Sal armon. urin.* & *C. Cerv.* item *Animalium Partes duræ*, ſalibus hujuſmodi turgidæ, v. g. *Mandib. Luc. Piſc. Lap. Cancr. Dens Apri*, *Ebur*, *Unicorn.* item *Sperma Ceti*, *Antimon. diaph. Bezoard. miner.* ac ratione Febris junctæ omnia *nitrata*, in ſpecie *Nitr. antimon.* & *Spir. Nitr. dulc.* Quibus pro circumſtantiarum ratione addenda *Opiata*, quæ figendo Spirituum impetum & hinc fibrarum nervearum ſolvendo ſtricturam, multum promovent ſudorem. Si *Inflammatio* ſit *Eryſipelacea*, appropriatiſſimum eſt *Roob. Sambuc.* Externa ſunt vel *diſcutientia* vel *ſuppurontia*: quæ vide in *Chirurgia.* Ex dictis variæ fiunt *formulæ.* V. g.

℞ *Aq. Scabioſ. & fl. Sambuc. an.* ℥iß. *Spir. theriac. camph.* ʒiii. *Dent. Apr. præp.* ʒi. *Sal. Vol. C. C.* ℈i. *Syr. Scabioſ.* ʒvi. *M. detur in 2 vel 3 doſ. in principio, addi poſſunt Laud. Op. gr. ii vel iii.*

℞ *Aq. fl. Sambuc. Chæref. & Pap. rhæad. an.* ℥i. *Acet. Sambuc.* ℥ß. *Lap. Cancr. præp.* ʒi. *Mand. Luc. piſc.* ℈i. *Syr. Pap. rhæad.* ℥i. *M. pro 2 vel. 3 doſ. in incremento.* Si *Febris* urgeat, addatur *Spir. Nitr. dulcis.*

ARTIC. II.

De Angina & Tonſillarum Inflammationibus.

PArtes in Faucium iſthmo inflammatæ *Anginam* conſtituunt. Afficiuntur tam *Pharynx*, quam *Larynx*, earumque muſculi nunc interni nunc externi, & hinc glandulæ; modò una pars magis, altera minus. Affecti *Pharyngis* muſculi interni, *Synanche*, externi autem *Paraynanche*, dicuntur; ſicut interni *Laryngis* inflammat

mati, *Cynanche*, & externi *Paracynanche* audiunt. Præter generalia Inflammationum ſymptomata, adſunt difficilis colli motus abſque dolore, difficilis item Reſpiratio, inprimis in *Cynanche*, ubi ſuffocatio quaſi imminet; Deglutitio impedita, ita ut liquor, ſi ad gulam penetret, propter anguſtiam & Laryngis irritationem, per nares ſurſum regurgitet; dolor in faucibus ardens; lingua rubet, tumet, in motu nonnihil impeditur; & copioſo muco viſcido continuè obducitur. Pulſus tenſus & rarus; Febris *acuta* ſi *exacta* ſit *angina*, i. e. ex ſolo ſanguine, *lenta* verò, ſi *notha* ſit, i. e. tumor tantum œdematoſus occaſione lymphæ vitioſæ ſtagnantis, rodentis, excoriantis, & ſanguinis circulum plus minus impedientis. Interdum obſervata fuit *Angina epidemica, contagioſa*, cum *Febre continua maligna conjuncta*.

Tonſillarum Inflammatio fit, cum fauces quidem rubent ſed minùs inflammatæ ſunt; *tonſillæ* verò tumidæ inſigniter prominent cum maximo & conſpicuo hiatu foraminis (quod in fauces apertum naturaliter habent) in ſummitate ſui, adeo ut imperitis chirurgis pro Ulcere habeatur; ex quo materia viſcida glutinoſa excernitur, & linguam fauceſquc tenacis inſtar pelliculæ incruſtat; adeſt inſimul Febris continua magis lenta *Cauſa* eſt lympha vitiata ſpiſſior & acido-acrior.

Cauſæ Anginæ, præter *Inflammationem* generales, ſunt vel *internæ* vel *externæ*. *Internæ* ſunt ſanguinis evacuatio ſuppreſſa, prægreſſa partium harum debilitatione, v. g. *Dyſenteria* pravè curata, menſium Suppreſſio, &c. Item lympha vel glutinoſa glandulas infarciens, vel nimis acris eaſdem rodendo & excoriando irritans, adeo ut ſanguinis circulus per & circa glandulas impediatur. *Externæ Cauſæ* ſunt res ineptæ deglutitæ, vel nimia mole fauces anguſtantes, vel acrimoniâ fibras ad contracturam irritantes, v. g. ſpina piſcis, fruſtulum vitri, in faucibus hærens; potus *Aquæ fortis*

&

& Liquorum corroſivorum miaſmata inſpirata, ſubitaneum frigus, & potus nimis frigidus, immediatè has partes lædentia, & ſanguinem in his circulantem alterantia; quo pertinet in caſu epidemico miaſma inſpiratum acrimoniâ occultâ fauces in tranſitu lædens & ſanguinem certo modo alterans. Huc facit uſus *Mercurii* & ipſum Luis venereæ virus, lympham glandularum ſpeciatim inficiens. Malè inter *Cauſas Anginæ* refertur *Luxatio vetebrarum Colli*, occaſione *Aph. 35. ſect. 4. Hippocrat.* exinde enim non *Angina*, ſed Convulſio *emproſtotono* ſimilis & lethalis ſequitur.

Prognoſis. Qui hic moriuntur, ſuffocati intereunt. Suppurata tonſillarum Inflammatio fit Ulcus diuturnum difficiliter ſanabile. Rarum eſt, quod *Cynanche* fluxu menſium critico curetur. Si tumor & rubor externus ſubitò evanuerit, citra criticam diſcuſſionem, Inflammatio ad interiora recurrens, aut ſuffocationem, aut periculoſiores alio in loco Inflammationes, *v. g.* in cerebro, pulmonibus, corde, &c. infert. Suppuratâ *Cynanche* contingit nonnunquam dum tunica Arteriam aſperam cingens ex materiæ turgeſcentia & pravitate rumpitur, ut metaſtaſis materiæ fiat in pulmones, unde aut ex *Peripneumonia* intra 7. dies intereunt, aut pulmone ſuppurato fit *Empyema*. Atque hic eſt ſenſus *Aph. 10. ſect. 5. Hipp.* Febris *Anginæ* juncta ſæpius eſt continens, interdum typum tertianæ continuæ repræſentans, interdum eſt Tertiana continua producta, ſeu cujus paroxyſmi 36. horas durant, & hæc *Angina* utplurimum eſt lethalis. Tnmor minus ſe oculis ſiſtens, Inflammatio magis interna, paucis tuta eſt. Sanè in *Cynanche*, ubi ſuffocatio quaſi imminet, videtur ſimul affici pulmo. Spuma circa os cum inſigni reſpirationis anguſtia, ſignum eſt lethale. Dolor in hypochondriis vel cruribus, non ſolutâ *Anginâ*, morbi augmentum innuit.

In *Cura* obſ. 1. Eadem interna hic convenire, quæ

in

in aliis *Inflammationibus*, inprimis *Pleuritide*, uſurpantur, acidum nempe infringentia, ſanguinem diſſolventia, & mediante ſudore partes abſtergentia; in ſpecie *Succ. Sterc.equini* exſpect. ſudorem & *Pulvis Sterc. can.* 2. Confert V. S. mox in ſaphæna, poſtea in brachio alterutro vel utroque *&* in ſtatu ſub linguâ; interdum repetenda pro varietate circumſtantiarum. Sed ſolivenæ ſectioni non fidendum, quoniam ſæpius ægri, quando videntur meliores, ſubitò intereunt. Periculoſa & non niſi ab experto Chirurgo peragenda eſt Venarum jugul. ſectio. Dum ſentitur *Anginæ* principium, in corpore non plethorico abſque nimia effervescentia febrili, inciſione *Venarum raninarum* maturè malum removetur; alias non niſi in ſtatu ſecantur, quando jam Inflammatio nullum amplius capit augmentum. Si apertæ parum aut nihil ſtillent ſanguinis lethale eſt ſignum. 3. Præter quæ in genere de Inflammationibus obſervantur, ſemper lymphæ graſſæ & vitiatæ habenda ratio per *Succinata*, *Myrrh.* item *volatilia* & *abſorbentia*. 4. In *Angina maligna* vix locum habent V. S. niſi cautiſſimè, nec *purgationes* niſi in ſummo principio: quin potius præmiſſo clyſmate, ſolis *diaphoreticis*, junctis *opiatis*, inſiſtendum. Caveant autem ſibi Medici ab halitu ejuſmodi Ægrotorum, qui maximè contagioſus eſſe ſolet. 5. In cura *Anginæ* duo ſunt tempora, in quibus optimè conveniunt *vomitoria*, nempe aut principium aut periculoſiſſimus ſtatus. In *Principio*, inprimis ſi contagioſa ſit, ſi gravitas in hypochondriis ſentiatur, item ſi Æger ſentiat ſaporem æruginoſum acrem rancidum, & titillationem ſeu quaſi eroſionem [fit enim ſæpè, ut æruginoſa Bilis in primis viis, effluviis ſtimulantibus ad fauces miſſis, *Anginam* inferat] tunc optimè malum tollit *Aqua benedict. Ruland.* tam *Sudorifera* quàm *Vomitiva*. *Status eſt periculoſus*, quando tumor ſuppuratus commodè aperiri nequit, ſed ſuffocationem minatur,

natur, aut, ſi aperiatur ſponte, metus eſt ne in Pulmones irruat & ſuffocet Ægrum. In hoc caſu vomitorium hauſtum, aut in Deglutitione abolitâ, pluma illo imbuta & Linguæ applicata, *Abſceſſum* concutit, maturatum rumpit; eoque rupto pus per ſuperiora evacuat. 6. In recurrentibus Tonſillarum Inflammationibus ex lymphæ vitio habituali, v. g. in *Scorbuto*, &c. convenientiſſimus eſt *Fonticulus* in brachio. *Inflammatio* enim ſemel ſuppurata, fermentum aliquod in parte relinquit, quod in corpore cacochymico facillimè recrudeſcit. 7. Diſtinguendæ ſunt faucium Inflammationes à *Prunellâ*, Febrium ſymptomate; remedia enim huic dicata, in ſpecie ex *ſuc. Semperv. maj. Brunellæ, Mucilag. Sem. Cyd. Sal. armon. Butyr. Lard. &c.* niſi aliis temperata, in *Anginis* non conveniunt. 8. *Remedia externa* debent eſſe *blanda incidentia*, & ſtagnantem ſanguinem reſolventia; vel, ſi hoc fieri nequeat, *ſuppurantia*, dein *aperientia*, *mundificantia*, *conſolidantia*, & tandem tonum partis firmantia. Malo itaque conſilio adhibentur *adſtringentia* in principio, aut una cum *diſcutientibus*, nam impoſſibile eſt *Inflammationem* repellere, ac præterea periculum eſt, ne hujuſmodi *adſtringentibus* ſuperiora ſaltem loca proximè ſtringantur, *Inflammatio* autem partium inferiorum & internarum ſic augeatur. In progreſſu morbi *Gargariſatio* moleſtiam & dolorem intendit, propter luctam aëris cum aqua; adeoque præſtat *Gargariſma* in ore tenere ſine agitatione, & ſic per cavum oris refundere reſupinato corpore.

Remedia itaque pro *Gargariſmis* ſunt primò *Reſolventia* & *Diſcutientia*, v. g. *Decoct. Rap.* cui parum *Salis armon.* aut in gravi ardore *Nitri*, additum ſit; *Decoct. ſem. Sinapi*, ubi viſcidior eſt mucus, præſertim in Tonſillis inflammatis, ſi acrius ſit, Saccharo aut Melle temperandum: item *fl. Sambuc. Chamom. Menth. Salv. Veron. Origan. Hyſſop. Scabioſ. ſem. Lin. Fænugr. farin. Fa-*

bar. Aneth. Cumin. Rad. Liquir. Croç. Paſſul. Jujub. Cep. Sanè *Spir. vin. uſt.* maximè confert, ut & *Salia volatilia* Gargariſmis addita, in quantum ferè poſſunt partes dolentes; quin & ipſa Ægri *urina* calidè gargariſata, & *caligæ* ſudoribus & vaporibus pedum *ſale volatili* repletis ſcatentes, & glandulis appoſitæ, optimè proſunt. Pro hoc ſcopo etiam externè Tumori illinitur *Ol. Amygd. d.* cum *Spir. Sal. armon.* vel *Terebinth.* cum *Sal. vol. urin.* malax. vel *Ung. dialth.* cum *Ol. Chamom.* & *Philoſ.* vel applicatur *Emplaſtr. de Melilot.* in *Ol. Succin.* malax. Quin & egregium eſt *Cataplaſma* ex *Abſinthio* contuſo, & cum *Pinguedine porcina* miſto.

℞ *Aq. Plantag.* ℔.ß. *Acet. vin.* ℥i. *Sacch. alb.* ℥i. *Pulv. ſem. Sinap.* ʒi. *M. Quo calidè gargariſetur os.*

℞ *Herb. Hyſſop. fl. Samb. & Chamom. herb. Melil. an. m. i. Paſſul. min.* ʒiv. *Coq. in ſ. q. aq. Colat.* ℔i. *add. Spir. Vin.* ℥i. *vel Spir. Sal. armon.* ʒi. *M. pro Gargar.*

Sequuntur *Suppurantia* & *Emollientia*, quibus ſemper aſperitatem Faucium & dolorem mitigantia ſocientur. Qualia, ſunt *Althæa, Malva, Caric. Mucilagines ſeminum & radicum* Lac, *Ol. Amygd. d. Pinguedines, Vitel. ovor.* Optimè tam ſuppurationi quàm diſcuſſioni inſervit *Cataplaſma*, ex *Nido Hirund.* & *Albo græco* in *Vino* vel *Lacte coctis.* In *Inflammatione* à ſanguine non puro ſed pituitoſo, optimè diſſolvunt *Cepæ ſub cineribus coctæ N. ii.* cum *Nid. Hirund. N.* 1. *Flor. Sambuc. m.* 1. coquendo ſimul in *Cereviſia tenui*, coctiſque addendo *Alb. græc.* ℥ß. *Ol. lib. alb. q. ſ.* ut f. *Cataplaſma.*

℞ *Rad. Glycirrh.* ℥ß. *Herb. Malv. m. i. Flor. Chamom. Melil. an. m.* ß. *Fic. ping. inciſ. num.* ii. *Alb. græc.* ℥ß. *coq. in ſ. q. Aq. ſimpl. vel Seri lactis, ubi minor adeſt æſtus, vel ubi nimius eſt dolor, in ipſo* lacte *cum* aqua *miſto.*

℞ *Nidor. Hirund. N.* i. *Herb. Malv. Alth. an. m.* i. *Flor. Cham. Samb. an. m.* ii. *farin. Hord. Fab. an.* ℥i°. *Croc.* ʒi. *Ol. Cham.* ℥ß. *m. Calefiant ut inſtar Cataplcſmatis applicentur.*

Abſceſ-

Abſceſſus maturatus aperiendus venit, dein illinendum *Mel* cum *Alb. græc.* vel cum *Ciner. Hirund.* addito tantillo *Sal. armon.* Laudatur pro hoc ſcopo *Decoct. ſem. Sinap.* ʒj. *in Hydromel.* ℔i. accedente Screatu, Tuſſi, &c. in Suffocationis diſcrimine. Si hæc non ſufficiant, incidatur ſcalpello; aut ſi commodè attingi nequeat, fiat acceſſus ad *vomitoria* & in extremo caſu *Laryngotomiam*, auxilium ferè tutum. *Aperto Abſceſſu mundificetur decoct. Hord.* cum *Mel. Roſ.* vel *Decoct. Veron.* aut *Plantag. & fol. Querc.* cum *Melle*, addendo in contumaciori Ulcere parum *Spirit. Vitriol.* Sæpiùs in obſtinato & ſordido Tonſillarum Ulcere ſubeſt *Lues venerea.* Si *Scorbutus* adſit, optimè impraegnatur *Mel Roſ.* cum *Spir. Sal. benè rectif. q. ſ.* ad ſuavem aceſcentiam. Si ſordidiora ſint Ulcera, attingantur penicillo, imbuto *Aqua virid. Plater.* aut *Hartman.* cum *Melle Roſar.* vel *Unguento Ægypt. Melli Roſ.* ſubacto. Poſt *Mundificationem*, conſolidentur *decoct. Veron.* cum *Mel.* & *Alum.* Si neceſſarium fuerit, roborentur partes *Gargariſmate adſtring.* ex *Brunell. Plantag.* & *Flor. Roſ. in Vino* coctis. Interea toto morbi decurſu potui ſemper addatur *Nitr. depur.* aut *antimoniat.* optimum Febricitantium & ſitientium auxilium.

℞ *Brunell. Veron. Salv. rad. aa. mi. Polyp. q. & Liquir. an.* ʒii. *Alum. crud.* ʒi. *Mel. Roſ.* ℥i. *Coq. in ſ. q. Aq. ſimpl. pro Gargariſmate undificante.*

℞ *Rad. Ir. flor.* ʒiii. *Myrrh.* ʒß. *Alum. uſt.* ℈j. *Mellis Roſ.* ℥ij. *m. f. Linimentum Ulcera mundificata conſolidans.*

In *Angina notha* lentor viſcidus, Linguam obſidens, abſtergatur cum *Aceto*, vel *ſucc. Semperviv. rec.* acuato cum *Sale armon.* & fiat poſtea *Gargariſatio* cum *Decoct. flor. Liguſt.* in *Aqu.* cum pauco *Aceto* & *Sale armon.* Purificatum os inungatur Roob *Nuc.* vel *Diamor.* ſubacto cum pauco *Melle roſaceo.*

ART. III.

De Aphthis & Affectibus Uvulæ.

APHTHÆ ſunt excoriatio & levis exulceratio partium oris, ſubinde Oeſophagi & Ventriculi, interdum cum rejectione ſquamularum & levis quaſi cruſtæ. Superveniunt *Febribus* ingentibus, in iis qui crudo ſunt Ventriculo, aut æruginoſis ſeu porraceis recrementis referti, inprimis ſi Medicus evacuare in tempore neglexerit; & tales in imis Faucibus obſervantur, atque peſſimæ ſunt. Subinde tamen, Ventriculo exiſtente puro, oriuntur à ſalivâ à ſalſo & acri humore, & tales Linguam incruſtant, quæ tunc arida, pallida, viſcoſa & varia evadit. Infantes patiuntur *Aphthas* à corruptione lactis. Optimæ ſunt *albæ, flavæ, fungoſæ, molles*; pejores *glabræ, viſcidæ, ſubſidentes, compactæ*, item *rubræ*; ſed peſſimæ ſunt *lividæ, virides* & *nigræ*. Si intra triduum veniant & abeant, ſuccedunt novæ, & longus fit morbus. Malum eſt, ſi longo tempore ſiccæ, aridæ, compactæ maneant. *Aphthæ* futuræ cognoſcuntur ex ſapore, &, ſi ex Ventriculo ſunt, ſingultu. Qui toto morbi decurſu non dormiverunt, in ſoporem incidunt & hinc Aphthæ prodeunt.

Cura. Nil pejus, quàm ſæpè purgare eo tempore, quo *Aphthæ* ſunt. Quando Lingua incipit exaſperari, quod præcedit *Aphthas*, humectetur impoſito *Folio Sedi mai.* in *Aq. Roſ. macer.* detractâ prius pelliculâ; vel *fol. Portulac.* aut *Mucilag. ſem. Cydon.* cum *Aq. Portulac.* extracta. Cùm jam adſunt *Aphthæ*, optimè abſtergit *Succ. expr. Rapar.* linguæ impoſitus, addito tantillo *Nitri* ratione ardoris; item ℞ *Herb. Bellid. c. tot. m. i. Fic. ping. Nom. ii. coque in Aq. com.* addito *Sal. Prunel.* pro humectatione Faucium & Linguæ. In maxima ſiccitate teneatur

neatur in ore *Bolus* ex *Butyr. rec. inſulſo* cum *Saccharo cand. rubr.* addito tantillo *Sal. Prunell.* Si ulterius progrediantnr *Aphthæ*, degenerant in *Ulcera* ſucceſſivè depaſcentia, quibus confert *Decoct. Veron.* & *Plantag. cum Melle*; item *Phlegma Vitrioli* cum *Aqua Plantag. & Brunellæ.*

Uvula exulcerata eadem methodo curatur, in ſpecie *Gargariſma Hartman.* ex *Malv. hort. m. i. Flor. Roſ. r. Brunel. Veron. Salv. an. m.* ß. *Rad. Polyp. q. coctis in Aq. Portul.* ℔iv. *Acet. vin.* ℥vi. uſque ad caſum tranſverſi pollicis; colaturâ leniter expreſsâ. —— *Uvulæ Prolapſum rec.* curat *Ferment.* cum *Spir. Vini*, Vertici impoſitum; *Sal. decrep.* vel *Sal arm.* cum *Piper.* Uvulæ applicatum; *& Gargariſma* ex *decoct. Fl. Liguſt. cum Nitro & Sale Prunel.* Quidam laudant *Spir. Alum.* Uvulæ applicatum. —— In *Inflammatione Uvulæ* optimum eſt *decoct. Tarax.* item *Suffitus Succin.* ore exceptus; item *Gargariſma* ex *Rad. Torment. & Uvular.* in *Cereviſ. ſecundaria coctis* add. *Melle*, vel quod optimum, ex *Sem. cannabin. in poſcâ parùm cocto.* Ratione doloris interdum addatur *Diacod. Montan.* Uvula nempe glandula eſt, cujus lympha viſcidior aut in motu impedita, diſtendit & relaxat membranam, in qua pendet tanquam in ſacco. Non enim hâc tegitur, ſed præter hanc, propriam membranam ſuam obtinet.

ARTIC. IV.

De Inflammatione Ventriculi, Inteſtinorum & Ani.

I*Nflammatur* Ventriculus, rariſſimè integer, ſaltem unum ejus orificium, cum junctâ *Febri ardente*, Tumore aliquali admodum dolente ſub Coſtis nothis, æſtu ejuſdem loci, ſiti inexplebili, jectigationibus & vigiliis. *Cauſæ* ſunt eædem cum aliis Inflamma-

tionibus, in ſpecie, aſſumpta acria aut vitioſa, v. g. deglutita acidula, &c. Nonnunquam ſuccedunt Deliria, interdum Convulſiones. Cùm nauſeant Ægri & aſſumpta ferè evomunt, peracutum eſt malum: ſi autem ſuppuretur & intra Ventriculum aperiatur, per inferiora excernitur pus. Sin extra Peritonæum aperiatur, metus eſt infectionis partium *& Gangrænæ.* Diſtinguitur ab *Inflammatione* lobi *Hepatis* ex ſitu Ventriculi, *&* ex eo, quòd tumor Hepatis tactui magis pateat, *&* magis circumſcriptus gravioribus Symptomatis ſtipetur.

Cura eſt eadem cum reliquis *Inflammationibus.* Cautè fiat *V. S.* ſolet enim Affectum hunc Syncope propter vehementem dolorem inſequi. In principio *purgatio* Ventriculum magis exaſperat; conveniunt autem *Clyſmata.* In principio *&* incremento optima ſunt *nitrata*, item *Papav. rh. & Card. ben. Sacch. Saturn. Antihect. Poter.* Pro potu egregium eſt *decoct. Liquir. raſ.* in *Aq.* Si in *Abſceſſum* degeneret, convenit *Terebinth.* cum *Aq. Abſinth.* lota; *&* omnia ex *Scabioſ.* parata; item *Mixtura ex Aq. Scabioſ.* ℥ii. *Syr. de ſuc. Scabioſ.* ℥iß. *Spir. Tart. rectif. vel carmin. de tribus*, ʒi. *Miſce.* Aperto *Abſceſſu* uſurpetur *decoct. Hyſſop.* cum *Melle;* item *Serum lactis, Lac chalyb. decoct. rad. Chin.* cum *Scabioſ. CC. uſt. Terr. ſigill. Bol. armen. &c.* In *Cultrivoro* expertum fuit *Balſam maſtich.* cum *Ol. Hyper.* Si acria corroſiva in culpâ fuerint, præmiſſo in principio *Vomitu*, convenit *Lac;* item *Tragacanth. in Aq. fl. Roriſm.* ſolutum.

Externa pro *diſcuſſione* ſint *Fotus* ex *Chamom. & Roſ. r.* in *Vino* coctis. Pro ſuppuratione fiat Cataplaſma primò *emolliens*, *&* tandem, ut citius maturetur *Abſceſſus*, ℞ *Sem. Fœnu gr.* ℥iii. *Ferment.* ℥i. *Sterc. columb.* ℥ii. *Ol. Chamom.* ℥iß. *Mellis* ℥i. *M. pro Cataplaſmate.*

Inflammantur nonnunquam *Inteſtina*, cum dolore indicibili fixo, diſtendente, ſubinde pulſatorio, tumore rotundo chordæ inſtar renitente, intenſo ardore,

Febre

Febre *Lipyria*, alvi Adſtrictione, ſubinde Podicis introrſum retractione, adeo ut ſtercus & clyſteres immiſſi per os ejiciantur; interdum cum urinæ ſuppreſſione, ventris inflatione, reſpiratione difficili, virium languore, &c. Si afficiantur *Inteſtina tenuia*, quod fit frequentius, ſymptomata graviora medium occupant ventrem, ad ſuperiora magis vergunt, cum Stomachi diſtenſione, ſpiritûs anguſtia & vomitu aſſiduo. Sin verò *craſſa*, lumborum adeſt gravitas, dolor ad hypochondria magis vergit, & ſymptomata, inprimis vomitus, remiſſiora ſunt. Acutiſſimum eſt malum, cui, ſi ſubito ceſſet dolor, ſuccedit *Gangræna*. Sæpius etiam ſine *Gangræna* in *Ileum* terminatur. *Cauſæ*, præter communes, ſunt Ileus, Hernia, Dyſenteria immediatè ſuppreſſa, externæ læſiones, &c.

In *Cura* tractentur leniter. Fiat *V. S. revulſoria* in brachio, eaque repetita. Si alvus non aperta ſit, injiciatur *Enema extemporaneum*, v.g. ex *Decoct. Hord.* cum *Mel.* aut *Sacch.* aut *Succ. Plantag.* vel ex *Decoct. Cancr. fluv.* Externè Abdomini calidiſſimè imponatur *Omentum vervecinum* animali vivo extractum, ſi dolor non ceſſet, aliud imponendo, imò tertium. Internè dentur *Anodyna* & mixturæ contra *Ileum*. Si poſt anodyna ſomnus ſuccedat, bonum; ſin delirium, mors certa.

In *Ano inflammato* adeſt dolor pulſatorius propter arterias hæmorrhoidales, tumor & dolor, nunc omninò externus, nunc magis in occulto; retrahitur podex, adſtringitur alvus, & accedit Febris. Sæpè fit Abſceſſus, & hinc Fiſtula interdum in Veſicam penetrans. *Cauſa interna* eſt Hæmorrhoidum ſuppreſſio; *externa*, concuſſio nimia, equitatio, piperata admota, &c. In *Cura* fiat *V. S. revulſoria* in brachio, & ante omnia ſolvatur Alvus, licèt cum dolore, injiciendo leniter & cum ſuſpenſa manu *Clyſma emolliens*, cui, ſi fæces in-

duratæ ſint, neceſſe eſt *Sal.gemm.* addere.' Si hæc non aperiant Alvum, propinentur *paſſulata*, fugiendo acriter ſtimulantia. Foveatur *Anus decoct. Agrim.*& *Menth.* in *Vino* vel *Aq. calc.* item *Decoct. fl. Verbaſc.* & *Fol. Solan.* & *Portul.* in *Aqua*; additis(ſed cautè) *Fol.Hyoſciami*, ſi dolor urgeat. Utilis eſt *Mucilago Sem. Pſyl.* aut *Cydon.* cum *Aq. Semperv.* extract. addito *Sacch. Sat.* & applicata. Poſt contactum piperatorum & ſimilium optimè admovetur *Lac* cum *Album. ovi* agitatum. Si fiat *Abſceſſus*, curetur promptè *Balſ.Sulph.Rulandi*,ſc.ex *Sulph.* cum *Ol. Papav.* item *Ung.Nicodemi.*In *Fiſtula*, optimum eſt *Ol. dulc.Mercurii.*

ARTIC. V.

De Inflammatione Meſenterii, Pancreatis & Omenti.

MEſenterium frequentiſſimas *Inflammationes*, alioſque Tumores patitur. Varias habet glandulas & multiplicem nervorum texturam, adeo ut diverſimodè affectum varia inferat ſymptomata, inprimis in Abdomine, & per conſenſum in aliis partibus. Affectus, quos inferunt ejus Tumores & Abſceſſus occulti, ſunt varii, lenti tamen omnes & chronici, quorum cura eadem cum *Affectibus chronicis*, *hypochondriacis* & *cachecticis*.

Inflammatio Meſenterii haud adeo frequens eſt, propter obſcuriorem ejus ſenſum, utut copioſis vaſis ſanguifluis ſit inſtructum. Sæpius eam comitatur *Inteſtinorum Inflammatio*. *Cauſæ*, præter communes, ſunt Dyſenteria malè curata, Hernia Meſenterium cum Inteſtinis tenuibus in Scrotum detrahens, adeoque comprimens. Interdum *Febres ardentes* metaſtaſi criticâ in *Abſceſſus* Meſenterii terminantur. *Abſceſſus* utique aut *Inflammatio Meſenterii* Febribus, aliiſque morbis juncta,

juncta, eos magis moleſtos reddit. *Signa* Inflammationis hujus, ſunt pondus in Abdomine, dum Æger ſe volvit, ardor ſubinde præcordiorum aut circa Umbilicum, dolor pulſatorius in profundo Abdominis cum leni ardoris ſenſu, & ſenſu tenſivo citra vehementem duritiem. Si profundum Meſenterii afficiatur, Febris adeſt continua, languida, veſperi exacerbata; ſin verò pars exterior, quâ reliquis viſceribus jungitur, acuta eſt & non raro *Semitertiana*. Dum ſuppuratio fit, intenduntur omnia ſymptomata; cùm verò rumpitur Apoſtema, adeſt horror inſignis, interdum rigor, ſuperveniente æſtu quandoque inſigni, cum puris præſertim per alvum excretione ſucceſſivâ. Cùm in profundo ſitum ſit Meſenterium, ſæpè confunduntur ejus dolores cum uterinis, colicis, aut nephriticis pathematibus, præcipuè dum nauſea & vomitus ſubinde accedunt; item cum aliarum Abdominis partium Inflammationibus, quæ hanc non raro comitantur, inprimis *Umbilici* circa *Muſculos internos*, ubi Abſceſſu facto Pus per Umbilicum evacuatur.

In *Prognoſi*. Aut in *Abſceſſum* aut in *Scirrhum* degenerat. Suppuratio eſt lenta & tardiſſima. Si Pus non per alvum, ſed per locum excretioni inidoneum erumpat, Affectus eſt *Colicæ* ſimilis: Si in Abdominis cavum effluat, membra vicina Gangrænâ afficit: optimè autem per alvum, & urinam expurgatur. Diſtinguitur ejus Pus, ab excretione purulenta in Ulcere Inteſtinorum, ex eo, quod illud ſubitò, copiosè & cum ſanguine permiſto effluat, hæc autem tardè, parcè, cum Torminibus, & ſucceſſivè fiat. Malum diuturnum ad *Cachexiam* aut *Tabem* & *Hecticam* diſponit.

Cura. Venæſectio haud ita neceſſaria eſt, cùm morbus minus ſit acutus. Sed ſummo cum fructu aperiuntur *Vaſa hæmorrhoidalia*, præſertim per *Hirudines*. *Purgantia propria* nocent. *Clyſmata lenientia, emollientia,*

anodyna & abſtergentia, inprimis quando per alvum purgari incipit Abſceſſus, utiliſſima ſunt. *Interna remedia* ſunt *reſolventia*, præſertim *tartarea & martialia*, item *amara*. *Externè* applicetur *Empl. ex Cicut. cum Ammon.* Quod ſi citra dolorem emolliat, benè ſe habet; ſin verò dolorem exacerbet, certum eſt, factam jam eſſe Inflammationem & Abſceſſum. Conducunt etiam *Catapl.* & *Empl.* ex *Beton. Agrim. Chamom. Verbaſc. Melil. Abſinth.* &c. Si adſit Febricula lenta, addantur internis *Lap. Cancr. Antihect. Poter.* cum Pauco *Sal. armon.* Si fiat *Suppuratio*, excernitur pus per alvum in principio confertim, poſtea ſucceſſivè, intermittendo per aliquot dies & denuo recurrendo; ſupervenit ſæpe Urinæ profluvium cum copioſo ſedimento, quod nil aliud eſt, quàm liquamentum corporis contabeſcentis. Conveniunt itaque *mundificantia* & *conſolidantia* interna in *Phthiſi* laudata, inprimis *Terebinthina*, & ni intenſior Febris obſtiterit *Balſ. Sulph. tereb.* aut *Succin.* hinc *Balſ. Peruv.* Conveniunt *Potiones vulner.* præcipuè ex *Perſic. Agrim.* & *Hyperico*. Inſigniter conveniunt *Decoct. Lign. ſanct.* & *Saſſafr.* cum *Scorzon. Fic.* & *Rad. Liquir.* item *Decoct. Rad. Chin.* cum *Liquirit.* & *Paſſul.* Egregiè abſtergit *Serum Lactis*, vel ſolum vel *decoctum* cum *Rad. Cichor.* & *Liquir.* Nec negligendum *Rhabarb.* pro ſcopo tam *abſterſivo* quàm *adstrictorio* & quaſi *vulnerario*. Hiſce add. blandiora *martialia*, præſertim *liquida*, & *Acidularum* uſum.

Eadem de *Pancreate* monenda ſunt, cujus *Tumores ſcirrhoſi*, *Abſceſſus* & *Obſtructiones*, plurium difficilium Morborum ſubinde origo ſunt. Nec omittendum hic *Omentum*, in quo collecti, tanquam in burſa, humores & flatus, item Glandulæ ſcirrhoſæ factæ varia pathemata inferunt.

A R T.

ARTIC. VI.

De Pleuritide & Peripneumonia.

SI inflammetur *Pleura*, inflammatur ſimul altera Pulmonum medietas, ſubinde membranæ humeri & juguli, & ferè ſemper muſculi intercoſtales interni; diciturque *Pleuritis*, *Inflammatio* utriuſque pulmonum partis dicitur *Peripneumonia*. Loco *Pleuræ* interdum cum *Pulmonibus* inflammatur *Mediaſtinum*, interdum *Diaphragma*, cui ſupervenire ſolet delirium, *Paraphrenitis* dictum.

Symptomata, omnibus his Affectibus *communia*, ſunt reſpiratio difficilis & frequens; Febris acuta, interdum tertiana, cum inſigni ardore; pulſus frequens, celer, in progreſſu parvus; Tuſſis primò ſicca, dein cum ſanie tenui variè tincta, hinc ſputum fit cruentum, & tandem album, craſſum, coctum; caput dolet cum agrypniis & ſiti.——Quoad *Symptomata ſpecialia*; In *Peripneumoniâ* primis diebus vomunt, *Pleuritici* non item; maxima eſt ſpirandi difficultas, adeo ut ſubinde nec edere, nec bibere, nec ſpirare, niſi erecti, poſſint; dolor adeſt pectoris gravativus quaſi ſpinam attingens, multo intenſior ſi ſimul inflammetur membrana Pulmones cingens; facies rubet inſigniter.——In *Pleuritide* minus urget ſpirandi difficultas, adeſt dolor lateris ſeu Pleuræ punctorius, inprimis dum inſpirant, rarò enim ſine dolore punctorio obſervata fuit; pulſus durus propter arteriæ convulſivam tenſionem; rubor in malis lateri Pulmonum Effecto reſpondet, & cætera ſymptomata in uno magis latere obſervantur. Notabile eſt, quòd Pleura in regione dorſi inflammata, ab incautis pro Nephritide habeatur.——In *Diaphragmate inflammato*, adeſt dolor exiguus non punctorius

circa

circaCoſtas & juxta Sternum, reſpiratio inæqualis, tuſſis non adeo humida, delirium, & ſubinde convulſiones. Eadem ferè obtinent in *Mediaſtino inflammato Symptomata*. Diſtinguitur *Pleuritis* ab *Inflammatione Hepatis* in eo, quòd hujus dolor ſit in latere dextro, non punctorius ſed gravativus, plus minus tenſivus, ad jugulum aſcendens, cum pulſu undoſo non duro, Tuſſi ſiccâ non adeo frequenti, nec cum tanta reſpirandi difficultate junctus. *Suppurationem* harum *Inflammationum* incipientem monſtrat rigor, & ſymptomatum ingraveſcentia; jam factam monſtrant dolor minor, Febris remiſſior, inſpiratio liberior, vires non adeo debiles. Utut inſtante ruptione, cum horrore denuo febricitant & difficilius reſpirant.

Cauſa proxima eſt acidum ſanguinem coagulans, & dictas partes membranaceas ad contracturas ſtimulans. Hinc ſanguis emiſſus ſemigrumoſus apparet, cum pelliculâ tenaci, albâ viſcidâ. *Cauſæ remotæ* ſunt Aër vel Potus frigidus poſt corporis æſtum, cantatio Clerici benè potati, ſuppreſſa ſanguinis evacuatio, inprimis menſtrua; item Dyſenteria, Febres continuæ aut præcedentes aut comitantes, Aër contagioſus in epidemicis Affectibus; Scabies retropulſa; Contuſiones externæ, Riſus & Sternutatio ſimultanea, &c. Interdum *Pleuritis* malè curata periodicè recidivat.

Differentiæ. *Pleuritis* dividitur I. In *aſcendentem*, ſitam in duobus ſpatiis trium Coſtarum ſuperiorum, quæ vaſa à truncis ſupra Cor recipiunt; & *deſcendentem* in 4 ſpatiis Coſtarum inferiorum, quæ vaſa à truncis infra Cor recipiunt. II. In *veram*, quæ eſt Inflammatio medietatis Pulmonum & Pleuræ iſtius lateris juncta cum Febri acutâ; & *notham* quæ triplex eſt. 1. *Inflammatio muſculorum Thoracis* externorum & internorum cum Febri lenta aut nullâ, Tuſſi rarâ, Dolore pulſante, non pungente, ſed contactu extremæ manûs exa-

exaſperabili, & pulſu minus duro. 2. *Dolor Punctorius* in latere, ſine ſiti, Febre aut Tuſſi (niſi forſan catarrhali) cum pulſu ferè laudabili; ortus ab acido in vehiculo lymphæ ſine ſanguinis ſtagnatione, ut in Scorbuto, Lue venerea, &c. Dolor hic exaſperatur decubitu in latus affectum; vera autem Pleuritis decubitu in latus oppoſitum, quia ſic pars inflammata pondere ſuo divellitur. 3. Dolor quaſi pleuriticus cum ſpirandi difficultate, Febre, &c. ortus ab acribus vaporibus ex inferioribus in Pectoris regionem ſublatis, acrimoniâ ſuâ pleuram inflammantibus. Sæpè hic in cauſa ſunt Vermes & Corruptio in primis viis, adeo ut *Vomitoria* mirè conferant.

Prognoſis. Peripneumonia Pleuritide periculoſior eſt; & adhuc periculoſior *Diaphragmatis* aut *Mediaſtini Inflammatio.* Pleuriticorum pulſus intermittens non adeo metuendus. Terminatur *Pleuritis*, ut & *Peripneumonia* nunc diſcuſſione vel ſpontaneâ vel medicâ; nunc per *Sudores*, *Hæmorrhagiam*, *Menſium fluxum*, *Sanguinis mictum*, interdum *Diarrhœam*; nunc *copioſâ ſputi excretione*; nunc *ſuppuratione ac Empyemate*; nunc humoris metaſtaſi in *Phrenit. Ulcer. Tibiar. Morb. articular.* &c. *Diarrhœa* ſuperveniens malum. *Peripneumonia Pleuritidi* ſuperveniens lethale. Pulſus perdurus frequentiſſimus, periculoſus. Si in *Pleuritide* vel *Pleuroperipneumoniâ* 4to die ſputum appareat album, læve æquale, ſeptimo terminabitur; ſi ſeptimo die appareat cum aliis ſignis bonis, morbus ultra quatuordecim dies non extendetur. Niſi 14. dierum ſpatio repurgetur, in *Empyema* mutatur. Si *Peripneumonia* in *Anginam* tranſeat, Ægri intra 7. dies moriuntur, aut ſi hos effugiunt, purulenti evadunt. Vomitus copioſus & bilioſus in principio *Pleuritidis* ſalutem prænunciat. Si pleuriticorum, dolore levato, facies ſit triſtis, & oculi perturbati, lethalis fit metaſtaſis in Cerebrum. *Pleuritis*

molli-

molliter incipiens, ſexto die primum acerbata, difficilis eſt. *Delirium Pleuritidi* mitiori, & dolori Thoracis intermittenti ſuperveniens, metaſtaſin in Caput minatur; aliàs negligitur tanquam ordinarium Symptoma. In his Affectibus coctionis ſigna ex ſputis petenda ſunt, non ex Urinis.

Cura. Sanguis ſtagnans ſolvendus; & exſcreatio aut ſuppuratio promovenda. Pro his ſcopis obſerv. I. quòd niſi urgeant Symptomata, Venæſectio non ſit in noſtro climate adeo neceſſaria. Urgente tamen neceſſitate repetenda venit multis vicibus & intervallis, non in magna quantitate, idque in principio, *revulſionis* ergo, in *pede* ſi eſt *aſcendens* Pleuritis; in *brachio* verò, ſi eſt *deſcendens*. In *Peripneumonia* nulla datur *revulſio*, *averſio*, &c. adeoque fit *V. S.* in brachio. In P*leuritide maligna* Venæſect. multum nocet; in *Epidemica* non uſq adeo. II. P*urgatio* ante declinationem mali pernicioſa eſt, ne *Diarrhœa* accidat, & ſic ſputum non coquatur. Vomitoria nocent, niſi factus ſit Abſceſſus, quem rumperent, aut niſi æruginoſa cruditas in Ventriculo vitiet ſanguinem adeo, ut impetum faciat in Pulmonem. III. Ex omnibus auxiliis primarium eſt *Sudor*; provocatus inprimis per *Antimon. diaphor.* IV. *Expectorantia* mox in principio mala, quia concuſſionem inferunt Pulmonum ac Pleuræ. Inter hæc autem præſtant *Decocta Syrupis* ac *Saccharo*, dulcia enim in Stomacho aceſcendo multum nocent. *Liquiritia* & P*aſſulæ* nobiliſſima ſunt expectorantia, ſed cavendum ne *Liquir.* uratur, tunc enim prava & acris fit. V. In principio & incremento *Opiatum* pathemata doloroſa utiliter ſiſtit, & materiam incraſſat; ſed in ſtatu vitandum, ne impediat expectorationem. Solum P*apaver rheas*, ejuſque *flores*, ceu optimum ſpecificum, in toto Morbi decurſu locum habent. VI. Omnia quæ bibunt Ægri, ſint calida; adeoque pro potu ſit *Decoct. Hord.* & *Li-*

quir.

quir. Decoct. Pap. *rh.* cum *Syr. Cap. Ven.* in contagioſâ *Decoct. Raſ. C. C. crud.* cum *Sarſapar.* *Frigidus* autem *potus Tuſſim* provocat, *Inflammationem* & *reſpirationis Difficultatem* intendit, coctionem & excretionem remoratur.

Remedia ſpecifica eadem ſunt, quæ in *Dyſenteria* locum habent. Talia ſunt *Papav. rh. Card. ben.* & *mar.* (hæc tria optima) *Bellis fl. rub. Chæref. Aquæ flor. Acac. Pap. rh. & flor. Chamom. Emulſ. ex Sem. Card. ben.* & *mar.* nec non *Pap. alb. Succ. Tarax. depuratus.* Laudatur *Pulv. rad. Bardan.* in umbroſo loco ſiccatæ ad *cochl.* 1. in vitro *Vini generoſi*; vel ejus *Decoctum*; item *Pulv. priapi Ceti, Tauri* vel *Cervi* (qui optimus) *ad* ℥i. Aut ex iis paratum *decoctum.* Accedunt *partes* Animal. *duræ*, & ex his parata *Salia vol. & ſpir. urinoſi*; ſpeciatim *Dens Apri, Maxil. Luc. piſc. Lap. Carpion.* & Perc. *Sanguis Hirci*, beneficio abſciſſionis teſtium parat. ad ℥i. repetendo multum juvat; item *Sang. Leporis* à Canibus in venatione capti. Exquiſitiſſimum eſt *Succ. Sterc. equin. maſc.* in principio, & quo citius eo melius. *Pulv. Sterc. columb. ad* ʒß. Magnatum ſecretum eſt. *Lindanus* laudat *Sterc. ovill.* cum *Aq. Pap. errat.* ſubactum. Huc pertinet ratione Salis volat. *Fuligo Furni* in *Aq. Flor. Sambuci* lavata, exſiccata, & ad ℥i. in *Infuſ. Papav. rhæ.* propinata. In Regno minerali excellit *Spir. Nitr. à ſpeciebus antipleuriticis* cohobatus, vel *Tinctura bezoard.* ſimiliter cohobata; hinc *Sulphur*, ejuſque *flores*; *Pulv. pyrius* ad ℈i. Quælibet *Sulphura fixa*, inprimis *Cinnab. Antim. Antimon. diaph. Bezoard. minerale, martial.* & *ſolare.* Tandem *Sperma Ceti* tam in principio quàm in incremento Morbi conducit.

Hiſce Remediis ſubinde reiteratis, ſi per diaphoreſin Morbus non ſolvatur, promovenda eſt materiæ coctio & hinc expectoratio, primo per *incraſſantia*, ut *Decoct. Hord.* cum *Mel. roſ.* Inprimis coctionem juvat *Ol.*

Sem.

Sem. Lini rec. ad ℥iii. crebrius propinatum. *Tackenius ſpir. Tin. camphor.* & *crocat.* cum *Ol. Lini* datum, rarò fallere aſſerit. Laudatur *Pomum* excavatum, repletum *Thur.* & *fl. Sulph. an.* ʒß. & ad ignem coctum. Proſunt alias *Decocta pectoralia*, inprimis de *Jujubis*, quæ temperant acres ſuccos, & expectorationem blandè promovent. Quod ſi facta coctione fortius expectorandum ſit, addantur dictis *Rad. Helen. Mel Roſ. Syr. Nicot.* & ſimilia. Princeps remedium eſt *Aqua mulſa* cum *ſpecificis* incoctis; item *Spir. Vitriol. dulc.* moderatâ doſi.

Quod ſi nec per expectorationem deſinat *Inflammatio*, promoveatur *ſuppuratio*, internè per *Syr. Nicotian. Hed. terr.* & *Symphyti Fernelii*; externè per *Empl.* ex *Lacte, Cremore Hord. Malvâ*, &c. Fit *Apoſtema* hoc frequentius in *Pleuritide*, idque vel intra Pleuram, vel, quod rarius, ex parte intra Pulmones. *Pleuritis ſuppurata* intra Pleuram, nunc rupto Abſceſſu in cavum Thoracis fluit, & *Empyema* producit; nunc colligitur intra ſaccum ex dilatata Pleuræ membrana, in quo caſu *Paracenteſis* fruſtranea eſt. Factâ ſuppuratione rumpitur Abſceſſus *vomitu*, aut *ſternutatione*, aut *alto clamore* de latere in latus ſe volvendo. Apertionem jam factam cognoſcimus ex ſpuitione puris cum ichore plus minus cruento. Si locus, in quo continetur *Abſceſſus*, exactè cognoſci poſſit ex pondere, dolore & calore, optimè & ſecurè perforari poſſunt ſpatia intercoſtalia ad illum locum; non autem locum ſectionis ordinariæ in *Empyemate*. Sanè Vomicam ſuppuratorum optimè rumpit *Decoctum Tabac.* miſtum cum *Sapa*; & *Fumus ex Fol. Tabac.* in cineribus adhuc ignitis repoſitis, per embolum aſſumptus. Factâ eruptione puris in Thoracem, præter remedia pus *expectorantia*, ſimul *Abſceſſum mundificantia* & *conſolidantia* ex *Nicot. Chærefol.* & omnibus præferendo *Succo, Syr. Decoct. aut* Pulv. *Hederæ terr.* aliaque in *Ulcere pulmonum* & *Empyemate* laudata, conveniunt.

Ratio-

Ratione doloris, in *Pleuritide* moleſtiſſimi, externè applicari poteſt in principio *Sperma Ran.* item *Spir. Vini camph.* aut *crocat.* vel *Unguentum* ex *Ung. dialth.* ℥i. & *Ol. Amygd. d.* ℥ß. additâ *Camph.* aut ejus *Oleo*, ſingulis bihoriis illinendum. Laudatur etiam *Ping. Muris montani*, cui ſubſtitui poteſt *Pinguedo hircina*, item *Empl. de Meliloto.*

℞ *Aq. Papav. rhead. & Card. b. an.* ℥ji. *Mand. Luc. piſc. præp.* ʒi. *Salis vol. Viper. gr. vi.* *Dentis apr. præp. gr.* xiii. *Laud. Op. ferment. gr.* ii. *Syr. Scabioſ.* ℥i. *M. Capiatur cochleatim in principio.*

℞ *Aquæ Scabioſ. Hyſſop. an.* ℥iß. *Spir. Sal. armon. aniſ.* ʒiß. *Syr. Scabioſ. & Viol. an.* ℥ß. *Miſce*, capiatur cochleatim pro expectoratione promovenda: expurgando dein reliquias *Succo Raphani cum Saccharo.*

℞ *Sem. Card. b. & mar. & ſem. Pap. alb. an.* ʒii. *cum Aqua fl. Pap. rhead. f. Emulſio. Adde Dentis Apror. præp. Mandib. Luc. piſc. præp. Antimon. diaph. an.* ℈i. *Miſc.* Edulceretur parum pro diſcuſſione.

℞ *Succ. Tarax. depur.* ℥i. *Aqu. Plantag. Roſ. an.* ʒii. *Aq. prophylact.* ℥ß. *Ocul. Cancr. crud. contuſ.* ʒß. *Syr. Papav. err.* ℥ßß. *M.* pro ſolutione Morbi per diſcuſſionem.

℞ *Pingued. Mur. mont.* ℥i. *Ol. Chamom. Roſ. an.* ʒii. *Ol. Amygd. d.* ʒi. *M. f. Unguentum* ad mitigationem *Doloris.*

℞ *Pic. nav.* ℥iß. *Sulph. trit.* ℥ß. *Cer. flav.* ʒvi. *Tereb. clar.* ℥ß. *Ol. Chamom. q. ſ. M. f. Emplaſtrum.*

Si in declinatione Morbi ſuperſit *Tuſſis* aut *Phthiſeos metus*, propinetur mane & veſperi *Decoct. Chæref.* & *Hed. terr.* Si remaneant Sudores nocturni, confert *Antihect. Poter.* cum *Laud. opiato aliquoties datum.*

Quoad *Pleuritides nothas*, prima curatur *internis diaphoreticis*, uſitatis in Inflammationibus, & *externis ſacculis* ac *fomentis diſcutientibus.* Secunda per *Salia vol.* cum *opiatis* miſta, in ſpecie *Spir. Salis arm. aniſ.* cum

Eſſent.Opii, expectando ſudorem. Tertia, quæ *verminoſa* dicitur, per *Aquam Card.b.* in quâ bullierit parum, aut benè vel diu agitatus fuerit *Mercurius vivus.*

ARTIC. VII.
De Inflammatione Hepatis & Lienis.

INflammatur nonnunquam *Hepar*, unde *Abſceſſus*, *Ulcera maligna*, & interdum *Gangræna lethalis*. *Cauſæ externæ* ſunt contuſio, caſus, Unguenta nimis calida, &c. Inter *Symptomata Febris*, æſtus, &c. Non ſunt adeo intenſa, quia Hepar parvam habet arteriolam; & arterioſus ſanguis magis quàm venoſus ſymptomata intendit. Adeſt Hepatis dolor gravativus, obſcurus, tenſivus, ſub ſuppuratione plus minus punctorius; Febris magis lenta, Tuſſis ſicca per intervalla, difficilis Reſpiratio, pulſus celer, frequens, inæqualis, Sitis intenſa, Anorexia, Lingua arida, calor mordax totius corporis, difficilis decubitus in utrovis latere, adeo ut ferè ſupini jaceant Ægri. In graviori Malo, dum Æger inſpirat, dolor ad jugulum aſcendit, propter pondus Hepatis inflammati, Diaphragmati juxta connexionem hujus cum Corde alligati: exſpiratio verò facilis; cùm tota reſpiratio difficilis ſit in *Pleuritide*, de cujus differentiis ab *Hepatitide* dictum hactenus. Si *Inflammatio* fuerit in gibbâ Hepatis parte, adeſt dolor acris circa cor, decubitus in dextrum latus ex preſſurâ difficilior, Tumor manifeſtior, partes ad jugulum dextrum deorſum tractæ, & alia Thoracis ſymptomata; ſin verò in cavâ fuerit, adeſt Singultus, Vomitus & interdum Diarrhœa, item Dolores ventris. Differt *Hepatitis* ab Inflammatione muſculorum Abdominis in eo, quòd in hac adſit dolor pulſatorius inſignis, Tumor magis ſenſilis & circumſcriptus, nec adeo profundè ſitus, & abſint pectoris ſymptomata.

mata. Interim obſervandum, Tumorem inflammati Hepatis nonnunquam ad medium ventris extendi. In *Prognoſi*, plerumque lethale eſt hoc Malum; in *gibba* parte gravius eſt, & thoracem inſigniter affligit; in *cava* autem Ventriculum & Inteſtina. Superveniens *Singultus* malus. Si duret cum Febre ultra 21. dies, Tumore non ſubſiſtente, in ſuppurationem fertur. Si ſuppuretur, ſupervenit plerumque *Hæmorrhagia* primis ſeptem diebus, paucis die duodecimo. Certiſſima *Inflammationis* ſigna ſunt Febris ardens, ſitis inexhauſta, Ligna ſcabra, & Lipyria. Morti proximis Venter intumeſcit, & rupto Abſceſſu frigidum ſudant circa collum & faciem, atque animo linquunt.

C*ura* eadem eſt, quæ in Pleuritide obtinet. Exulent *purgantia* & *vomitoria*. Præmiſsâ Venæſect. conveniunt *diaphoretica* cum *nitratis* & *Antihect.Poter.Externa diſcutientia* ſunt *Spir. Vini* blandè *camph.* cum *Aq. Hyoſcyami, Nymph. Plantag.* & *Nitr. depur.* Item ℞ *Flor. Cham. Melil. Roſ. r. an. pugill. ij. Sem. Aniſ. Fœnic. Lin. an.* ʒiß. *Santal. rub.* ʒi. *Coq. in Aq. Colat. add. Acet. opt.* ℥i. *Aq. Endiv.* ℥ß. *M. pro Epithemate* calidè applicando. Si *Suppuratio* immineat, cujus ſigna ſunt ſymptomata ingraveſcentia, & rigores, quos ſequitur caloris exacerbatio, atq; tandem confecto pure, omnia mitiora, vires tamen debiliores, pulſus frequens languidus & interdum Animi deliquium, tunc promovenda eſt *ſuppuratio* per *Cataplaſm. emoll.* & *diſcut.* addito *Croco* & *Abſinth.* Dein apertio promoveatur, ut pus nunc per alvum, nunc per urinam, nunc per vomitum evacuetur. Si in *cava* parte, rejicitur pus plerumque per Inteſtina, cujus acrimonia per *Hydromel medicatum* temperanda, & excretio per *Clyſmata abſtergentia* promovenda. Si per Renes mediante ſanguinis circulo evacuetur, inprimis ex parte *gibba*, convenit *Serum lactis medicatum*; dictum *Hydromel, Emulſ. ſem. Viol.* & ſi Febris mitior. ſit, *Decoct. Rad. Ap. Petroſ.*

Agrim. & *Bacc. Junip.* in *Hydromelite.* Si vomitu rejiciatur, dentur *pinguia, Ol. amygd. d. Cereviſia butyrata*, &c. Si erodat Hepatis membranam, & in cavum corporis effundatur, inſtituitur inciſio Abdominis, ſecundùm *Aph. 43. Sect. 7. Hipp.* Ubi & obſervatum erat, pus eroſis denuo Inteſtinis per alvum excretum fuiſſe. In evacuatione utique ſequatur Medicus ductum naturæ, atq; ſimul Ulcus *mundificet* & *conſolidet* per *Decocta vulneraria*, inprimis ex *Agrim.* item *Chin.* & *Sarſap.* item *Serum lactis* cum *vulnerariis* incoctis, & *Balſ. ſulph. terebinth.*

In *inflammato Liene* adſunt fervor atque tumor cum pondere gravante in profundo Hypochondrii ſiniſtri, dolor magis pulſatorius quàm in Inflammato Rene vicino, *Febris continua*, & propter Diaphragma per conſenſum affectum *difficilis Reſpiratio*. Morbus vel *Hæmorrhagiâ narium*, aut *Urinæ profluvio*, aut *Alvi ſolutione* ſanatur, vel ſuppuratur, vel facilè ſcirrheſcit. *Inflammatio Hepatis* in *Lienem* converſa melior eſt, quàm ſi *Lienis* in *Hepar* vertatur. In *Cura* Remedia nota ſunt, inprimis *ſaturnina*. Externè *Empl. de Cicut.* cum *Ol. Camph.* vel *Theriaca* cum *Sacch. Saturni* proſunt.

ARTIC. VIII.

De Inflammatione & Ulcere Renum.

I*Nflammationis Renum Symptomata* ſunt dolor *gravativus* ſi in media Renum ſubſtantia contingat, *pulſatorius*, ſi in circumferentia, ubi arteriæ terminantur; *extendens*, ſecundùm ductum Ureterum ad Veſicam, & ſurſum verſus coſtas nothas; Stupor cruris è regione inflammati Renis; Febris vehemens, nonnunquam Vomitus bilioſus; Urina pauca, ardens & adurens. Interdum uno Rene inflammato, alter intactus in officio ceſ-

ſat

ſat, unde *Iſchuria.* Diſtinguitur à *Calculo* in eo, quòd in *Calculo* abſit ferè Febris, dolor ſit periodicus & gravativus, ſine Iſchuria, niſi firmiter Ureteribus ſit impactus. In *Prognoſi* Hæmorrhoidum fluxus ſalutaris; Febris acuta cum delirio lethalis, Urina alba tenuis ac purulenta, abſque Febris ac ſymptomatum remiſſione, & crurum ac femorum extenuatione mortem portendit.

Cura. Inſtituenda mox eſt Venæſectio *revulſoria* in pede; aut applicentur *Hirudines Hæmorrhoidib. Purgantia* nocent; item *diuretica*, niſi in declinatione pro reliquiarum abſterſione. Proſunt *Clyſmata* ex *Lacte* cum *Nitr. antimon.* item *terebinthinata.* Egregiè convenit *Succus Aſtac.* ſeu *Cancr. fluv.* cum *Decoct. Nymph.* & alia in *Pleuritide* laudata. *Externa diſcutientia* ſunt *Camph.* in *Ol. Papav.* aut *Ol. Roſ.* ſoluta; *Succus Nymph. Semperv.* & *Portulac.* cum *Succo Cancr. fluv.* & *Opio*; *Linimentum* ex *Succo Semperv.* & *Cancr. fluv.* ad phlegmatis evaporationem ebullitis, & in mortario plumbeo diu agitatis. Si diſcuti nequeat, promoveatur ſuppuratio. Si muſculi dorſi circa ſpinam ſimul afficiantur, externè inſtituatur apertio. Aliàs ad interiora vergit, & fit *Ulcus Renum.*

Ulcus Renum, præter *Inflammationem*, pro *cauſis* agnoſcit ſaniem acrem ex aliis locis fluentem, Luem veneream, Gonorrhœam inconſulto ſuppreſſam. *Symptomata* ſunt Urina purulenta cum carunculis & pilis, Dolor lumborum gravativus; Si *Ulcus* ſit ab *Inflammatione* multum puris albi cum lotio mingitur, quod deponitur cùm ſteterit. Si ſit à *Calculo*, urina eſt alba inſtar lactis ebutyrati, ſtatim ſubſidet & cinereum colorem atq; conſiſtentiam refert, minore etiam cum gravitate excernitur. Si à *Sero acri*, dolor lumborum morſicans & rodens eſt. Faciliora ſunt *Ulcera* ab *Inflammatione*, illa autem è *Calculo* aut *eroſione* periculoſiora.

Interdum Renem conſumunt, interdum in Fiſtulam degenerant. In *Curâ*, laudatur *vomitus*, item *Mercur. dulc. Serum Lact.* vel *Hydromel* copioſè potum; *Decoct. Fragar. Rad. Petroſel. Chærefol.* & inprimis *Hyperici pro mundificatione. Conſolidantia* ſunt *decoct. Lign.* cum *Agrim. Hyper.* & *Chæref. Elect.* ex *Conſ. Roſ.* cum *ſem. Hyper.* item *ſeq. Decoct.* ℞ *Herb. Agrim. fl. Hyper. an. m. j. Rad. Symph.* ℥ß. *Lign. Maſtich.* ʒiiiß. *Sem. Hyper.* ʒiii. *Inciſa & contuſa coq. in Aquæ & Vini q. ſ.* De colaturâ mane ac veſp. cyathus exhauriatur plenus. Optima eſt *Terebinth. à* ʒii. *ad* ℥ß. Item *Pulv. Canc. fluv.* in vaſe terreo ad os furni, ne crementur, exſicc. & in mortario lapid. contuſorum. Nil melius *Troch. de Alkekengi.* Nec negligendæ *Acidulæ.* Tandem *vulneraria* & *abſorbentia* conducunt.

ARTIC. IX.

De Inflammatione & Ulcere Veſicæ.

I*Nflammationem Veſicæ* inferunt externè contuſio aut violentus ictus, ſectio calculi, & Cantharidum uſus tam intern. quàm externus. Adſunt tenſio, durities, ardor & dolor in regione Veſicæ & pubis, Urinam reddendi impotentia, Teneſmus, interdum Alvi ſuppreſſio, Febris, Vigiliæ, Delirium, atque hæc quidem ſymptomata eo graviora ſi partem membranaceam, mitiora ſi collum Veſicæ carnoſum affecerint. Plerumque lethalis eſt, idque quarto, ad ſummum ſeptimo die. *Colli Inflammatio* interdum ſuppuratur & rumpitur nunc intra Veſicam, unde pus cum Urina effluit; nunc externè in cavum Abdominis, atque tunc ſubinde Abſceſſus in Inguinibus ſupervenit. In *Cura* internè à *purgantibus* & *diureticis* abſtinendum. Externè tollatur Alvi ſuppreſſio per *Clyſmata* ex *Lacte* cum *Nitro*: dein removeatur Urinæ

Urinæ ſuppreſſio per *Inſeſſus* in *decoctis emoll.* aut *Fomenta* ex iiſdem; inungendo hinc pectinem *Oleo Roſ.* aut *Nymph.* in quo *Camphora* ſit ſoluta. Si metuatur *Gangræna*, applicetur *Catapl.* ex *Farinâ Fab.* & *Lupin.* in *Vino* coct. addendo ſimul *Aloen*, *Myrrham.* & *Spir. vini camphor.* Si diſcuti nequeat, promoveatur ſuppuratio *emollientibus* & *temperantibus*.

Ulcus Veſicæ præter Inflammationem ſuppuratam pro cauſis habet Calculum aſperum, Cantharides, acria acida cum vehiculo Urinæ ad Veſicam delata. Adeſt in incipiente ſanguinis, in perfecto autem puris cum ſquamis & ramentis excretio, & in caſu conſummato fœtor gravis in Urinâ. Accedit Urinæ difficultas, Dolor gravis in pectore & pede, quoties Ægri mingunt, ſæpè etiam Teneſmus & Membri virilis erectio. Diſtinguitur ab *Ulcere meatus urinarii* in eo, quòd in hoc pus & ſanies Urinam præcedant, aut ſine Urinâ effluant, & inter meiendum præcipuè dolor percipiatur. In *Cura acrem Urinam temperant Decoct. Chamæp.* in *Lacte*; hinc *Althæa Liquir. Paſſul. Viol. Sem. 4. frig.* ut & injectio ſingulis horis ſequentis Decocti: ℞ *Herb. Agrim. Plantag. Equiſet. an. m.* ß. *Liquir. mund.* ʒii. *coq.* in *ana* Aq. *Plantag. & Beton. ad conſumpt. tertiæ partis*, *in* Colat. ℔ß. *diſſolve Mell. roſac.* ℥iß. Mundificant *Terebinthina*, *Decocta vulner.* cum *Melle*, *Balſ. Sulph. tereb. & ſuccinat. Merc. dulc. Troch. de* Alkek. item *de* Carabe *& Troch. Gordonii.* Conſolidant *Decocta Lign.* cum *vulnerar.* ut *Agrim. Hyper. Plantag. quibus addantur* Corall. *Terra ſigil. Bolus armen. Succin. Tinct. Sulph. vitriol.* &c. Dolorem leniunt *opiata*, *papaverina*, *Lacticinia*, in ſpecie ſi à Cantharid. fuerit malum. Nec ſunt negligendæ *Acidulæ* in mundificando *Ulcere deſperato.* Quin & *Thermarum* uſus confert. Ex dictis variæ fiunt formulæ. *v. g.*

℞ *Rad. Liquir.* ℥i. *Alth.* ℥ß. *Saxifr.* ʒiii. *Herb.*

Agrim. Plantag. Portul. Heder. terr. an. m. j. fl. Malv. arbor. Nymph. an. m. ß. *florum Viol. p.* ii. *ſem. Alth. Papav. alb. & Portul. an.* ʒiij. *fruct. Alkekengi N.* vi. *Cicer. rub.* ʒii. *Hord mund. non excort. m.* ß. *Coq. in Aq. Colaturæ* ℔ii. *add. Syr.* ex *multiplici infuſ. Viol. Syr. ex ſucc. Agrim. Syr. Capill. Ven. & Mell. roſ. an.* ℥i. *M. Capiat bonum hauſtum, bis vel ter quotidie, pro temperandis humoribus.*

℞ *Terebinth.* ℥ß. *Vitell. Ov. N.* I. *Mellis* ℥ii. *Agita in mortar. invicem donec albeſcant, adde Vini alb. Aq. Pariet. & fl. Fab. an.* ℥iß. *Syr. Limon.* ℥i. *M.* & *cochleatim ſæpius ſume.*

℞ *Raſur. Lign. ſanct.* ℥iii. *Rad. Sarſæp. & Liquir. Cort. rad. Eryng. an.* ℥i. *florum Roſ. Violar. ana p.* iii. *Herb. Agrimoniæ, Veron. Hed. terr. an. m.* ß. *Paſſul. maj.* ℥iß. *Coque in Aqu. font. ſ. q. ad* ℔ii. Capitur crebrius de Colaturâ cyathus plenus unciarum trium.

℞ *Radic. Liq.* ℥ii. *Cicer. rubr. p.* i. *Cort. Sabin.* ℥i. *Fol. Plantag. m.* i. *Coq. in Aq. adde parum Lixivii, & in Decocti* ℔i. *diſſolve Terebinth. in Melle ſolut.* ℥ii. *M. pro injectione abſterſiva.* In graviori malo poteſt addi *Ung. Ægypt.* Alias uſurpantur pro Injectione *Lac. rec. Serum Lact. Mulſa, Succ. Equiſet.* |*vel Plantag. Aqua ferrata*, in qua *Rad. Symph.* modicè bullierint, *Aq. Calc. viv.* cum *Sief alb Rhaſ. &* ad Ulcus in Collo Veſicæ *Vitriol. rom.* ʒi. *in* ℔i. *Aquæ fontan. ſolut.*

℞ *Equiſet. Plantag. Sem. Hyper. an. m. i. Rad. Biſtort. Conſol. Lil. alb. an.* ℥i. *Cort. Granat.* ʒii. *Coq. in Aq. ferrat.* ℔i. *& diſſolve Troch. alb. Rhaſ. ſeu Opii* ℥ß. *Bol. armen.* ℥i. *Miſce* pro *Injectione conſolidativa.*

ARTIC. X.

De Inflammatione Cerebri.

INflammatio membranarum *Cerebri* dicebatur à Veteribus *Sphaceliſmus*, quod vocabulum à Modernis malo

malo conſilio pro *necroſi* uſurpatur. Malè itaque Inflammatio hæc *Phrenitis* dicitur, cùm per *Phrenes* intelligatur *Diaphragma*, & omnia vocabula græcorum medica in *tis* terminantia ſemper ſignificent Inflammationem partis,cujus acceperunt denominationem; v. g. *Nephritis, Hepatitis, Phrenitis*, &c. Symptomata *Inflammationis Cerebri* ſunt Dolor acerbiſſimus, propter ſenſilem duram matrem à ſanguine ſtagnante diſtentam, adeo ut capillos avellant Ægri, & præ furore caput inaniter concutiant; Deliria, pulſatio Capitis, in Gangrænam,Convulſiones & Mortem tendens. Moderno abuſu *Phrenitis* dicitur: Veterum autem *Phrenitis* ſeu *Diaphragmatis Inflammatio* rarus eſt affectus, quem intra duos vel tres dies mors ſequitur.

Cauſæ internæ ſunt ſuppreſſa Lochia, Hæmorrhoides, &c. metaſtaſis Peripneumoniæ, Pleuritidis, aliarumque Inflammationum. In *Prognoſi*, plerumque hominem jugulat 3tio, ad ſummum 7mo die. Dejectiones Alvi albicantes & Urinæ cruentæ,pallidæ, albæ peſſimæ ſunt. Deſipientia obſcura ſomnolenta cum variis Inſomniis periculoſior eſt illâ, quæ fit cum tumultu, vociferationibus, Artuum contorſionibus & ſimilibus. *Curam vide in Sect. de Deliriis.*

ARTIC. XI.

De Oculorum Inflammatione, ſeu Ophthalmia. Item de Epiphora.

Ophthalmiæ duæ ſunt ſpecies, prior *ſanguinea* ſeu Inflammatio tunicæ adnatæ cum lacrymis profluentibus: poſterior *ſeroſa*, *Epiphora* dicta, ſeu copioſa & continua lachrymarum deſtillatio, cum quodam oculorum dolore, morſu, ardore, rubore; &c. *Ophthalmia* eſt etiam vel *vera*, quæ eſt Inflammatio modò dicta,

& tres habet gradus, quorum 1. conſiſtit in incipiente humiditate Oculi cum rubore, calore & levi dolore. 2. In majori Inflammationis progreſſu. 3. In tanto ejuſdem gradu, ut Palpebræ ſimul affectæ claudi nequeant, albumque ſupra nigrum oculi intumeſcat. Vel eſt *notha*, in qua Lachrymæ vix ſtillant, ſed adeſt vel pruritus & dolor levis cum exigua fluxione ſalſa & acri, vel durities & aſperitas Palpebrarum. *Ophthalmia* datur etiam *epidemica*, interdum *contagioſa*, ſubinde *periodica*. Si Lachrymæ ſint acres & corroſivæ, cum ardore quaſi eryſipelaceo, dicitur *Ophthalmia bilioſa*: ſi magis craſſæ ſint, ſubdulces, & palpebras inviſcantes, meliores ſunt quàm tenues. Hinc in *Ophthalmia* quatuor diſtinguuntur *tempora*, viz. *principium* quando humor eſt tenuis; *incrementum*, quando fit craſſior aucto dolore; *ſtatus*, quando coctus & craſſus Palpebras conglutinat; & *declinatio*, cùm ſigna remittunt. Si ſanguis ſtagnet in vaſis Oculi exterioribus, percipitur tumor, dolor, pulſus in fronte & temporibus; ſi in interioribus, dolor profundior & vehementior in palato ac naribus ſentitur cum frequenti ſternutatione.

Pars affecta eſt membrana adnata, cui intertexta ſunt vaſcula copioſiſſima, ex ſanguinis ſtagnatione diſtenta, & magis conſpicua. Connectitur hæc cum ſclerotide tunicâ, à durâ matre ortâ, unde in *gravi Ophthalmia* percipitur Capitis dolor, ſi non pulſatorius, tamen contractivus: & vice verſa contuſionibus Cerebri & læſionibus membranarum ejus ſupervenit quandoque *Ophthalmia*, quæ certum inflammati Cerebri & imminentis Gangrænæ ſignum eſt.

Cauſa eſt quodcunque hoſtile, acidum aut acre, doloroſam fibrarum ſtricturam inducens; externè quidem contuſio, læſio, pulveres acres, fumi metallici: Internè acidum Variolarum, acre quidvis ex Tineâ non ritè curatâ, fluxionibus Aurium purulentis ceſſantibus, ſup-

ſuppreſſis Menſibus, ortum. *Cauſa Ophthalmiæ nothæ* eſt ſubtilis, ſalſa, vel acris lympha, Oculos naturaliter humectans, & alterans. In *Prognoſi*, Ophthalmia per conſenſum à dura & pia matre ſævior & difficilior eſt. Dolor diu durans, materiæ aut corrodentis, aut diſtendentis, aut ſuppurantis peſſimum eſt ſignum. In Ophthalmia crebriori membranæ incraſſantur & humores evadunt impuri, unde Viſus hebetudo. *Si* ſuppuretur, perit Oculus, aut alias ſupervenit Gangræna Cerebri. *Opthalmia notha* chronica quidem, ſed non adeo periculoſa eſt, quàm *vera*. Opthalmiâ laboranti ſuperveniens Alvi profluvium, hominem à Malo liberat.

Cura. Cauſæ removendæ, & ſanguis ſtagnans reſolvendus. In leviori Malo ſufficiunt *pharmaceutica externa*: in graviori neceſſaria ſunt *interna*, & *chirurgica*, inprimis *Venæſect. revulſoria* in pede, *averſoria* in brachio, & his præmiſſis *derivatoria* in Vena frontis, modo tundi poſſit ſine conſtrictione Colli & vaſorum jugularium, quæ Inflammationem augeret. Benè avertunt *Veſicatoria* ponè *Aures*, præcipuè in *Nucha*, ubi Arteria ſe dividit in partem interiorem ad Oculum tendentem, & exteriorem circa Nucham diſtributam, majorem enim copiam ſanguinis in exteriorem trahunt: his ſubſtituuntur *Setacea*, quia diutius ſervantur aperta. Loco *Setacei* in Nuchâ per quam moleſti, licèt maximæ ſit utilitatis, eſt *Setaceum auriculare* ex *fibrilla Rad. Thymelææ arboreſc.* item *Mezerei* in *Lixivio* ex *Vitium cineribus* macerata, & Auri perforatæ immiſſa. Perforatur nempe Auris filo butyro pingui trajecto, & facta ſuppuratione, 3. vel 4. die, imponitur fibula, ſed præparata, alias corrodit & inflammat. Singulis diebus recens immittitur, & confert etiam in aliis malis Viſum hebetantibus. Mirum eſt, quantum *Fonticuli* in Infantibus, in Brachio ejuſdem lateris inuſti, conferant. Interdum etiam *Arteriotomia temporalis* pro-

ficua

ficua eſſe poterit. Si ſubſit Lymphæ dyſcraſia, ſæpius recidivat *Ophthalmia*, quo in caſu præter purgationem cum *Jalappa*, optima ſunt *decocta Lignorum* & omnia *Juniperina*. Opthalmia ex fumis metallicis per *interna mineralia* curatur; interdum à geſtione in Utero orta, *ſternutatoriis* & Venæſect. curata fuit. Obſervandum utiq; *Cinnamomum* jejuno ſtomacho comeſtum fluxiones in Oculum promovere.

Inter *Externa* peſſimo uſu applicatur *Lac*, v.g. *muliebre*, aut *Opium*, prius enim ſi non recens ſit, acore ſuo nocet, ſi verò recens fuerit, unctuoſitate poros claudit & ſordidos facit: *Opium* etiam ad *Gangrænam* diſponit. Conveniunt autem *Sperma Ran. Aq. deſt.* è *Cancr. fluv.* cum putreſcere incipiunt; *Liquor. fl. Cichor. Hieracii, Tragopogonis*, & *Cyan.* paratus in vitro craſſo & craſſiore cruſtâ farinaceâ obducto, ſiccatâ prius maſsâ in aëre, ne diſrumpatur, nobile ſanè remedium. Optimæ ſunt *Aq. ophthalmicæ* ex *Infuſ. Vitr. Antim.* item *Albumen Ovi* cum *Alum.* in *patinâ ſtanneâ* agitatum, cum pauca *Aqua Fœnic.* tepidè ſupra linteum extenſ. & applicatum, inprimis ſi Malum ſit ex ictu Apis. Item *Mucilag. ſem. Pſyl.* aut *Cydon.* cum *Aq. appropr. extract.* addito *Sacch. Saturn.* & *Camph.* Sanè *Saccharum candi* in ſcutellâ ſtanneâ novâ cum novo cochleari ſtanneo diutiſſimè tritum, donec liveſcat, optimum eſt *ophthalmicum.* In *ſtatu* mirè conducunt *Collyria vitriolacea.* Sed in *principio*, urgente dolore, rubore, fervore, & lachymarum acrium fluxu, conveniunt magis *abſorbentia*, in *ſpecie Tutia præp. Mater perlar. Lap. calamin. exactiſſ. præp.* & hinc *flores Cyani*, acre corrigentes. In *Ophthalmia incipiente*, ex rebus externis in Oculos illapſis, convenit *fruſtum vitulin.* vel *bovin. Carn. crud.* tempore decubitus admotum. Quod ſi malum ſit occaſione aëris inclementioris, *Mucilagines* ſupra citatæ ſunt optimæ. Si dolor ſit intenſiſſimus, nil melius *Catapl.* ex *Pomis*

dulc.

dulc. bene odoratis, ſub Cineribus coctis, donec probè molleſcant, P*ulp. per Setac. traject.* add. *Sacch. Jovial.* ℥ij. *Croc. gr. v. Camph. gr. ii.* & tepidè cum linteis multipl. applicentur. Ad *Ophthalmias nothas* ſeu *ſiccas* eadem ferè conveniunt, præcipuè tamen *Aq. Cancr. mucilag. Alum.* cum *Album ov.* item *Decoct. Litharg. aur.* in *Acet. deſt.* Ex dictis variæ fieri poſſunt formulæ, v. g.

℞ *Aq. Plantag. Roſ. & Fœnic. an.* ℥iß. *Sacch. cand. Jov.* ℥iß. *Tut. præp.* ʒß. *Croc. or. gr.* iii. *M. f. Collyr. de quo 3 vel 4. in die gutta una vel altera in Oculum inſtilletur.*

℞ *Aquæ Roſ. Plantag. an.* ℥ii. *Aq. Solan.* ℥i. *Vitriol. alb.* ℈i. *M. Filtrationi adde Tut. præp.* ʒj. Cum linteo imbuto *&* expreſſo applicatum, eſt egregium.

Epiphora affectus eſt catarrhalis, adeoque ad Glandulas ſive in Oculorum angulis, ſive Palpebris, reſpiciendum. Si Lachrymæ ſint acres cum ardore, morſu, &c. *Catarrhus* dicitur *calidus*; ſin ſiccus, *frigidus* audit. *Cauſa* eſt nunc *externa*, v. g. *Perſicorum eſus*; nunc *interna*, eſtque triplex. 1. Lympha vitioſa acrior aut acido ſalſior Oculos vellicans. 2. Glandulæ Oculor. relaxatæ aut alias irritatæ. 3. Glandula lachrymalis in majori Oculi cantho exeſa, abſciſſa aut reſoluta, unde ſordium proventus, quas vicinæ glandulæ irritatæ plorant. Quoad *Prognoſin*, in Infantibus *diætâ & ætatis curſu* curatur; in Adultis verò contumacior, facilè Fiſtulam lachrymalem inferre poteſt. Peſſima eſt *Epiphora* ex defectu Carunculæ lachrymalis, facilior tamen, quæ ab ejus eroſione quàm exciſione producta eſt. In *Cura* convenit *Aq. Tim.* viz. ℞ *Torment. groſſo modo pulv.* ʒi. *Alum. gr. v. Aq. Roſ. & Plantag. an.* ℥i. *Stent in loco calido per 24 horas & filtrentur pro uſu.* Item *Liq. fl. Cyan. decoct. Cort. Granat. atque Cydon. illæſorum primo vere collect. Album. ov. conquaſſat.* cum *Succ. Semperv. & fl. Fab.* impoſitum. In genere removenda eſt Cauſa. Lymphæ acrimonia internis & externis corrigenda, & Glandularum tonus adſtringentibus firmandus.

ART.

ARTIC. XII.

De Inflammatione & Ulcere Aurium.

INterdum inflammatur *Auris interna*, cum ardore, dolore pulſatili vehementiſſimo, Febri, ſubinde Delirio & Convulſionibus. Si ad exteriora vergat Inflammatio, tum adeſt inſignis Auris externæ rubor, ad Malas & Tempora ſe extendens. Si ſuppuretur, Cerebrum ejuſque membranæ periculoſiſſimè afficiuntur. Si pus interiora magis occupaverit, tum Tympanum interdum putredine abſumitur.

In Inflammatione hac diſcutiendâ, *univerſalia* probè ſunt præmittenda, *actu frigida* & *repellentia* cautiſſimè vitanda. Convenit inprimis *Ol. vitel. Ov. Oleum coct. Lumbr. terr.* vel *Aſel.* tepidè inſtillatum. Item *Ol. Scorp.* vel *Canc. fluv. Oleo* incoctorum; aut *Decoct. Abſint. Centaur. min.* & aliorum *aromatic.* Ad extra Auribus applicetur *Balſ. ſulph.* cum *micâ panis calidâ.* Pro ſuppuratione promovendâ & Abſceſſu rumpendo conducit *Catapl.* & *Medul. Pan. alb.* cocta in *Lacte capr.* addit. *Vitell. Ov. Ol. roſ. Croc.* & *Cepæ*, aut *Capita Alliorum ſub cin. coctorum.*

Ulcera Aurium vera, ex Inflammatione vel acriori lymphâ orta, facilè in Fiſtulam degenerant, aut *Hyperſarcoma* Auditum obturans inferunt; in quibus pus album æquale melius eſt inæquali, fœtente, ſanioſo, &c. Sunt & *Ulcera apparentia*, quando ſanies multiformis effluit cum levamine plurium malorum, & fluxu ceſſante varia Capitis & Cerebri ſuperveniunt ſymptomata. In *Cura* horum duntaxat mundus ſervetur meatus auditorius mediante *Urinâ humanâ*; cavendum enim ne nimis citò ſanentur, præſertim in Infantibus. In *Veris* autem, præmiſſis internis v. g. *purgantibus* & *ſudoriferis* ex *Lignis*, mundificandum eſt per *Urinam*, in quâ maduerit

rit *Raſ. Lign. Guaiac.* vel *Phlegma Spir. Urin.* vel leve decoctum *Vini albi* & *Urinæ* cum *media p. Mellis*, tepidè inſtillat. aut cum turundâ ebriâ immiſſum. Item *Jucc. Abſinth.* aut *Marrub.* cum *Melle*; *Succ. Cep.* cum *Rhodomel.* item *Syr. Nicot.* & pro exſiccatione *Alumen uſt.* cum *Vino.* *Antiquum* & *ſordidum Ulcus* mundificetur *Urina pueri* cum pauco *Ung. ægypt.* Effluente minore ſordium & puris quantitate, dictis adde *Tutiam* & *Pomphol.* pro conſolidatione.

ARTIC. XIII.

De Empyemate.

SAnguis ſuppuratus, & extra ſua vaſa effuſus in quandã corporis cavitatem, *Empyema* dicitur; quod κατ' ἐξοχὴν collectioni puris in cavitate Thoracis attribuitur. Differt apud Modernos à *Vomica*, quæ eſt collectio puris in Viſcere aliquo, inprimis verò Pulmonibus. Sanguis utique in cavo collectus à vitali conſortio orbatus aceſcit & grumeſcit inſtar Lactis; deinde ex fermentatione acidi coagulantis cum Alcali vol. in tertium ſalſum, *Pus*, mutatur; quod album eſt à præcipitatione Sulphuris ſoluti ab alcali, factâ per acidum.

Cauſæ ſunt inprimis *externæ*, nempe Contuſio vel Vulnus, interiora occupans. *Symptomata* ita ſe habent; Sanguinem congrumatum in *Abdomine* inſinuat Abdominis tumor levior, durities, & reniſus, non tam ex repletione quàm tenſione; accedunt Virium proſtrationes, Lipothymiæ, impedita Reſpiratio. In *pectore* collectum ſanguinem comitantur inſignis læſio Reſpirationis, Tuſſis, Dolor pectoris, Gravitas circa coſtas nothas, extremorum frigus, Febris plus minus acuta. In *Capite* collectum Sanguinem grumoſum monſtrant gravativus ejus dolor, inſignis pulſatio, Oculi

non-

nonnihil lachrymantes, rubor Faciei , ſymptomata Stomachi ſupervenientia, ſanguis per Os, Nares, aut Aures exitum moliens, interdum Stupiditas ſuperveniens. Sanguinem in dicta loca effuſum ad *ſuppurationem* tendere, monſtrant Febris ingraveſcens cum rigore, ardore in parte ſuppuraturâ , inſignes præcordiorum Anxietates, Vigiliæ & Deliria; interdum Abſceſſus externus, v. g. in Inguine, ſi colligatur ſanguis in Abdomine. Pure facto ſymptomata remittunt, & fluctuatio puris percipitur. In ſpecie *Empyema thoracis* ſequitur Tuſſis continua quaſi è profundo, & ſonus obſcurus, à Diaphragmatis per materiam gravati actione; inter tuſſiendum concuſſio in cavo pectoris , materiæ nempe Diaphragmati incumbentis ſublatæ & recedentis. In progreſſu aliquid purulenti , tandem ſanioſi excernitur; Febris lentior, quaſi hectica evadit, & veſperi exacerbari ſolet. Reſpiratio fit difficilis cum ſenſu gravativo, quando ſtant aut ſedent Ægri; dum verò decumbunt, facilis. Si pondus incumbens Diaphragmati introrſum vertatur, v. g. dum Calceos ſolvunt, videntur ſuffocari: ſuperveniunt Sudores colliquativi nocturni, Palpitatio Cordis, ſubinde evaporatio ad Os inſtar Aquæ ferventis , Mala è regione partis affectæ ſubinde rubens; pulſus lateris affecti creberrimè intermittens; & moleſtia dum in oppoſito latere decumbunt. Si Pleuritis ſuppurata intra 14 dies ſputo non rejiciatur , in *Empyema* mutatur , quod rumpitur circa 30. aut 40. diem, ſuperveniente Rigore & Febre intenſiore. Sanguis in capite collectus utplurimum mortem infert; ſicut *Empyema pectoris* Phthiſin & Tabem. Superveniunt interdum Febres periculoſæ, interdum Ulcera, non rarò Gangræna internarum partium.

Cura ſanguinis grumoſi. Si ſit à Vulnere aut Caſu, ſanguis grumoſus reſolvendus, aut ejus ſuppuratio promovenda : Sanguis aut pus evacuandum per vias, ad quas

quas vergit natura, Urinam nempe, Sudorem aut Alvum, vel quas docet Ars in Paracentheſi Abdominis aut Thoracis, Trepanatione calvariæ; quæ optima ſunt auxilia, modò nè tardè nimis inſtituantur. In principio fiat *Venæſect. revulſoria*; hinc ſanguis grumoſus reſolvatur per *Rub. Tinctor. Torment. Symph. maj. Abſinth. Hyper. Bell. Cheref. Card. ben. Fœnic.* item *Rhabarb. Rad. Vincetox. Pimpin.* in ſpecie *Lap. Canc. Oſteocoll.* cum *Aceto Vini deſt.* propinata: hinc *Sanguis Hirci* legitimè collect. *Bol. armen. Succin.* inprimis *Sperma Cet. ad* ℈i. in vehiculo calido, *Carbon. Til.* in *Aqua Cherefol. Pinguedo humana ad* ℈i. in potu *Cereviſiæ*, & quælibet *antimonialia fixa*: addendo ſemper talia, quæ ſanguinem reſolutum, inprimis in Pectore viciniſque locis, per vias urinarias amandant. Si in vaſis majoribus remotis hæreat, ſudor provocandus. Si per alvum educere velis conveniunt *Rhabarb.* & *Sena*. Sanè præſtat à *diureticis* incipere, inter quæ Polychreſta eſt miſtura ex *Ocul. Canc.* cum *Acet. deſtill.* & in fine *ſudoriferum* ſubnectere.

Cura Empyematis. I. Pus evacuandum per vias, quas docet natura in ſuis conatibus, nempe Urinam, Sudores, Alvum, Sputum. Si rupto Abſceſſu pectoris, natura nil moliatur, convenit inprimis Vomitus dum vires conſtant. Hinc Sputum promovendum, præcipuè per *Nicotianam*; habendo ſimul rationem materiæ purulentæ, addendo nempe *temperantia* ſi acrior ac tenuior, *incidentia* ſi craſſior fuerit. In ſpecie *Mel, Hydromel, Oxymel. ſquill.* inter *expectorantia* primatum ducunt; incoquuntur v. g. in *Mulsâ Hyſſopus Scabioſ. Parietar. Helen. Iris, Marrub. Liquir. Jujub. Paſſul.* pro indicantium varietate. Vel ℞ *Aq. Hyſſop.* ℥iii. *Aqua aſthmat.* ℥iii. *Oxym. ſquill.* ʒvi. *Syr. Nicot.* ℥ß. *Syr. emet.* ℥iß. *Miſce, cap. pro lubitu.* Si natura *Empyema* non expurget, ſtatim inſtituenda *Paracentheſis*, ne pus in ſaniem vertatur, vires frangantur, ac Pulmo à ſanie corrumpatur. II. Acri-

monia puris corrigenda per *ſulphurea* & *antimonialia fixa.* III. Pars læſa reſtituenda per *vulneraria*, præ cæteris *Hed. terr. Scabioſ. Chæref.* item *Lignorum* & *Rad.* decoctum. Semper tamen acrimoniam corrigentia his jungantur, & cavendum ne *Febris* intendatur. Hinc egregium eſt *Antimon. diaph. ad* ʒi. *in Decoct. rad. Chin.* (vel *Guaiac.*) *Hed. terr. Tuſſilag. Conſol. mai.* &, ſi viſcidi aliquid adeſt, *Hyſſop.* Optimè etiam conferunt *flor. Sulph.* item *Balſ. Sulph. tereb.* vel *ſuccin.* temperando hujus igneam vim *Sacch. Sat.* vel *Antihect. Poter.* Præ cæteris vulnerariis excellit *Hederæ terr. Decoct. Succ. Syr.* aut *Pulvis* cum *Antim. diaph.* propinatus. Egregium eſt *Decoct. Braſſ. capit. rub.* cum *tantillo Sacch.* temperatum; ut & *Lac capr.* cum *Sacch. roſ.* hæc enim ſimul *diuretica* ſunt.

℞ *Chæref. m. i. Rhabarb.* ʒii. *fol. Sen.* ʒiß. *Sal. Tart.* ℈i. *Ebull. leniter. in ſ. q. Aquæ; Colat. add. Lap. Canc. præp.* ℈ii. *Pulv. contra caſ. Auguſt.* ʒß. *Syr. Scabioſ. q. ſ. M. pro aliquot doſibus, ubi ſanguinem grumoſum per alvum educere animus eſt.*

℞ *Lap. Canc. præp.* ʒi. *Rhabarb. Sperma Ceti, Mum. Sang. Hirc. legit. præp. an.* ʒß. *M. doſ.* ʒi. *in Decoct. Chærefol. pro ſanguine grumoſo reſolvendo.*

℞ *Raſ. Lign. Guai.* ℥i. *Raſ. Lig. Saſſafr.* ℥ß. *Coq. in* ℔vii. *Aquæ ad. conſumpt.* ℔iß. *adde Hed. terr. Comar. fl. Hyper. Herb. Veron. an. m i. ad m. ii. Rad. Liquir.* ℥ß. *ſem. Fœnic.* ʒvi. *Paſſul. min. conquaſſ.* ℥iii. *Coq. ad reman.* ℔iv. *De colaturâ ter in die capiat hauſtum vulneratus Empyematicus.*

℞ *Suc. Hed. terr.* ℥iiii. *ſuc. Marrub.* ℥ii. *Thur. Myrrh. an.* ʒi. *Sacchari parum, redige ad conſiſt. Syrupi & ſubinde uſurpetur.*

ARTIC. XIV.

De Hæmorrhagia in genere.

SAnguis extra corpus effuſus *Hæmorrhagia* dicitur. Cujus cauſa eſt vel *anaſtomoſis* ſeu apertio oſculorum in venis & arteriis, vel vaſorum læſio per violentiam externam aut humores corrodentes. Sanguinis autem tenuitas per ſe per vaſorum tunicas viam parare nequit. Vaſa per quæ ſanguis emanat, ſunt inprimis *arteriolæ*, unde ſtillatim effluit, ex ſucceſſivo & remittente cordis impulſu. Quoad *Cauſas remotas*, fit *Anaſtomoſis vitio ſanguinis* propter plethoram, nimiam ejus turgeſcentiam in Febricantibus, vini Potatoribus, iiſque quibus ſuppreſſa eſt evacuatio ordinaria: ſanguinis ſeroſitatem & aquoſitatem, concurrente fibrarum & partium laxitate, & ſanguinis acrimoniâ occultè roſivâ. Vitio vaſorum fit *Anaſtomoſis* ob ſpaſmum, vel vaſorum ſanguifluorum vel partium vaſa recipientium, unde impeditur æqualis vel per arterias diſtributio, vel ex arteriis ad venas tranſitus: cujuſmodi ſunt *Hæmorrhagiæ ſplenetica* & *ſcorbuticæ*. Adeo ut *Anaſtomoſeos* cauſa utplurimum ſit acidum, nunc ſanguinem ad orgaſmum præternaturalem concitans, nunc vaſorum & partium vicinarum fibras vellicans. Si effluat ſanguis floridus, rubicundus, copioſus, *anaſtomoſin* innuit, propter ſanguinis abundantiam aut turgeſcentiam: ſi effluat tenuis, loturæ carnium ſimilis, *aquoſitatem ſanguinis* ſequitur. Si fiat Hæmorrhagia cum forti regionis vicinæ pulſatione, vitiatum ferè circulum innuit. Si vaſa erodantur ab *acribus humoribus*, ſanguis effluens acris ſalſus guſtari ſolet. In *Prognoſi* Hæmorrhagia nimia ad Cachexias diſponit; moderata conſueta & periodica ſalubris eſt & non ſiſtenda; curatu difficillima, qua ex ero-

ſione vaſorum à ſuccis acribus oritur.

Cura. Hæmorrhagia ſpontanea, quæ opus eſt naturæ exonerantis corpus, item *critica*, non eſt curanda, niſi ſit nimia. Aliâs in genere ſanguis nimius imminuendus, turgeſcens compeſcendus, ſeroſus incraſſandus, acris temperandus, acidum ſpaſmos inducens corrigendum, & vaſa conſolidanda. Pro his ſcopis obtinendis obſerva I. In abundantia aut turgeſcentia ſanguinis conducere *Venæſectionem*, obſervatis *revulſionis* & *derivationis* regulis. In aliis caſibus minimè convenire, nam ſtultum eſt evacuare quod non abundat. II. *Purgatio* ridicula eſt, niſi in nimia ſanguinis ſeroſitate, in quo caſu conducit; ubi conferunt etiam *ſudorifera*, non volatilia, ſed additis opiatis, inprimis ſi adſit Febris, licèt enim primò ſanguinem fundant, poſtmodum tamen hic ſero depauperatus ſpiſſeſcit, & ſalibus heterogeneis liberatus dulceſcit. III. Conveniunt *Opiata* in omni *Hæmorrhagia*.

Ex dictis patet, *Remedia* eſſe *vulneraria*, *adſtringentia* & *abſorbentia*. Ex *Regno Vegetabili* ſunt *Succus Urticæ mai.* ad aliquot uncias internè aſſumpt. *Uſnea Cran. human. ad* ℈i. *Paſſulæ* inprimis in vitio ſanguinis acrioris, ſeroſioris, acido ſalſioris, &c. *Rhabarb.* in ſeroſiore ſanguine; *Camphora* ſpiritus refrænans, & fermenta acida mirè corrigens. Accedunt *Portulaca, Plantago, Millefol. fol. Querc. Roſ. r. Cort. Gran. Balauſt. Burſ. paſtor. Sanic. Pyrol. Bell. min. Hed. terr. Rad. Urtic. Symph. mai. Torment. Sanguiſorb. Biſtort. fructus Myrtilli*, item *Papaver, Hyoſcyamus, Opium* & quælibet *anodyna*. Ex *Regno animali* partes duræ *abſorbentes*, viz. *Ebur ſ. igne*, *Unicornu ver. Dens Hippopot.* &c. *Bufo* in ſyndone rubro appenſus, vel *recens contuſus*, ſub axillis applicatus; & *Pulv. Ran. vir. exſicc.* in *Vino rubro* propinatus, *Sperma Ceti* cum *Aceto roſ.* applicatum, & hinc *Sperniola Crollii* ad gr. xv. nobile eſt remedium, inprimis cum *Lapis Hæmat.*

℈ß. & *Laud.op.gr. ii.* miſc. His accedunt tam *Pulvis*, quàm *ſucc. expreſſ. Sterc. aſinin. ſuilli* aut *canini*; *Pulv. Sanguinis effluentis exſicc.* ad ʒi. in conven. vehiculo. Tandem *Lac* Hæmorrhagias ex acrimonia ſalſa & fluxus ſcorbuticos corrigit. In *Regno minerali* eminent *martialia* in habitualibus Hypochondriacorum & Scorbuticorum Hæmorrhagiis ſtupenda. *Acidularum potus*, aut *Liquor mart. ſol.* egregiè & fluxum nimium ſiſtit, & naturalem calorem deficientem reſtituit. In Hæmorrhagiis ex nimia ſanguinis turgeſcentia nil melius *Nitro depurato.* Ex dictis variæ fiunt *formulæ*, *v.g.*

℞ *Aquæ Plantag. & Semperv. mai. an.* ℥iß. *Syr. Papav. alb.* ℥i. *Tinctura fl. Bellid. cum Spir. Vitriol. q.ſ. ad gratam acid. M.* Cap. *cochleatim in turgeſcente nimis ſanguine.*

℞ *Extract. flor. (id eſt, ex flor. Roſ. p. ii. fl. Papav. rh. & Bell. rub. an. p.i. per multiplicem infuſionem in Aqua expreſſ. & inſpiſſ.)* ℥iii. *Ebor. ſ. igne, Dent. Hippopot. an.* ʒß. *Coral. r. præp.* ʒi. *Lap. Hæmat. præp.* ℈ii. *Cum ſ.q. Syr. Roſ. r. & Papav. rh. f. Elect. in Hæmorrhagiis habitualibus ab acido vol. v.g. in vini Potatoribus, &c. maximè conveniens, cujus doſis m. ac v. eſt magnitudo Nuciſtæ.*

℞ *Pulp. Paſſul. min.* ℔ß. *Rhabarb. elect.* ʒiii. *Tartar. vitriol. Tacken.* ʒi. *Syr. Pomor. q.ſ. f. Elect. in ſanguinis tenuitate ſeroſâ utillimum.*

℞ C.C. *uſt.* ʒi. *Terr. ſigill.* ʒß. *Laud. op. gr.* iii. *Miſce Pro* 2. *doſ. cum ſudore in ſanguinis tenuitate ſeroſa.*

℞ *Aq. Plantag.* ℥iii. *Aq.* Cinnam. ʒiii. *Acet. Vin.* ʒii. *Coral. r. præp.* ℈ii. *Terr. ſigill.* ℈i. *Laud. op. gr.* iii. *Syr. myrtin.* ʒiii. *Capiat. cochleatim in fluxu ex acriori ſanguine aut lympha.*

ARTIC. XV.

De Hæmorrhagia Narium , & Gingivarum.

PRopagines rami arterialis à Carotide interna plures interſurculos tranſmittunt per os cribroſum ad membranam Narium glanduloſam, quorum orificia aperta *Hæmorrhagiam* excitant. Præter *Cauſas communes*, accedunt ſternutatoria fortiora, & inſpirata acria. Imminentem *Hæmorrhagiam narium* oſtendit motus ſanguinis ſurſum, unde dolor tenſivus Capitis & Colli, & Temporum pulſans, Oculorum caligo vel ſplendor & pruritus, lachrymæ involuntariæ, rubor malarum, titillatio narium; &, ſi vitio ſit vaſorum, pulſus durus quaſi vibrans in carpo. In *Prognoſi*, lachrymæ involuntariæ, in *Febribus acutis*, hanc portendunt. Largior fluxus Syncopen, Cachexias, Singultus & Convulſiones infert. Stillicidium ſanguinis in Morbo acuto malum, niſi cauſa ſubſit externa. Fluxus è Nare, Liene aut Hepate affectis, malum. Si Aures in Febri obſurduerint, Febrim ſolvit Hæmorrhagia narium.

Cura. 1. *Avocatur ſanguinis impetus*, per *ligaturas* extremorum dolorificantes, non ſecus ac per *Venæſectionem*, obſervatis *revulſionis & derivationis* regulis; per *Cucurbitulas cum ſcarif.* nuchæ, aut *ſine ſcarif.* ſupra pedes admotas; ſubinde quidem Hepatis & Lienis regioni applicantur, ſed cavendum ne ſequatur Inflammatio viſceris ſub Cucurbitulâ ſiti; per *adſtringentia & refrigerantia* externa, v.g. *Catapl. ex Acet. & Argil. furn. piſtor.* fronti & temporibus ac nuchæ applicatum; *Bolum* aut *Gypſum* cum *Aceto*, Virorum teſtibus & Mulierum mammis admotum; item *Epithema* ex *Aceto* cum *ſuc. Semperv. maj.* & *Sale* cum tantillo *Camph.* iiſdem locis & regioni Hepatis applicatum; item *Sperma*

Ran.

Ran. cum pauco *Alum.* aut *Fulig.* cum *Album Ov.* & *Acet.* fronti & temporibus cum linteis applicat. Accedunt *frontalia* ex *Croc. mart. Bol. armen.* & *Opio*; item *Terrores*, aut *Lipothymiæ* inductæ, & *Dolores* graviores in partibus remotioribus, v. g. incurvatio minimi digiti, *Cauteria actualia* plantis pedum applicata. Inter *ſpecifica* eminet *Bufo*, de quo ſupra. *Lignum ſympatheticum* ex *Fraxino* certo tempore deciſum & naribus admotum, *Hæmatites* ritè electus in manu detentus, item *Jaſpis* argento cinctus, cujus rubedo venulis herbaceis eſt diſtincta, in manu detentus. Denique Æger nunc in aëre frigido, nunc in calido eſt ſervandus. 11. *Orificia Vaſorum occludenda*, applicando cum turundâ in aq. humectatâ *Pulv. Al.* aut *Vitr. ad albedinem calc.* cum *Laccâ Pictor.* aut *Solutionem Alum.* vel *Vitrioli* intrudendo. *Vitriolum* baſis eſt *Liq. ſtipt. gallici*, qui optimus. Hinc laudatur goſſypium *atramento* infectum intruſum. Immittitur etiam *Tinct. ſulph. Vitrioli*, vel *Phlegma ſpir. Vitriol. acidulum*. *Fuligo* ex fundo cacaborum æneorum collecta, acidum poſſidet terreis particulis miſtum, & hinc adſtrictorium, unde optimè cum *Album ovi*, cum *Sanguine patientis* miſta, turundarum forma naribus immittitur. Nec omittendus *Pulv. Sterc. aſinin.* & *ſuill.* inſufflatus; vel turgentes eorum ſuccis turundæ immiſſæ.

Hæmorrhagia Gingivarum oritur vel à laxitate ſcorbuticâ, junctâ cum ſalivâ vaſcula corrodente, vel ab ineptâ dentis evulſione. *Critica* aut *periodica* non eſt ſedanda, niſi ſuccedanea ſubſtituatur evacuatio. *Præternaturalis*, ſi ſit à Scorbuto, curatur per *Tincturam Lacc. Mynſ.* item *Decoct. rad. Torment.* cum *Alum.* Si à dente evulſo, per *Tinct. ſulph. Vitriol.* vel *ſolutionem Vitriol.* cum bombace applicat; vel *Gum. arab.* impoſitum; vel *Gargariſma* ex *rad. Torment. Biſtort, an.* ℥iij. *Gall. contuſ.* ℥ß. *Sem. Papav. alb.* ℥ij. *Coct. in ſ. q. Aquæ Plant.. add. Bol.*

armon. ℨii. *Opii parum.* Aliis irritis *Cauterium actuale* admoveri poteſt.

ARTIC. XVI.

De Sputo Sanguinis.

SAnguis ex reſpirationis organis per os ejectus *Hæmoptyſin* conſtituit. Si afficiantur Pulmo aut profundiores Trachææ rami, cum Tuſſi fit excretio; ſi ſuperior Trachæa ſola afficiatur, fit cum levi ſaltem ſcreatu. Sanguis autem expuitione levi rejectus, frequentiſſimè ex partibus palatinis & faucibus procedit; qui Laryngem irritans etiam Tuſſim, illæſo Thorace, inferre poteſt. Tuſſis autem profunda cum conatu reiterata malum ex Thorace eſſe ſignificat. Sanguis hic ex Arteriis pectoris manans, & vehiculo reciprocantis aëris rejectus, floridus eſt, tenuis ac ſpumoſus; varius quidem in pulmone aut loco vicino hæret, hinc non nigreſcit aut quaſi grumeſcit. Dantur *Hæmoptyſes inveteratæ periodicæ* innocuæ, imò & cum euphoriâ Ægri.

Cauſæ ſunt vel ruptio Vaſorum à clamore, tuſſi, aut riſu immodico, onere, &c. vel eroſio Pulmonum ab acribus inſpiratis aut lympha acri ſalſa, anaſtomoſis ex ſuppreſſione Menſium, rarus Thermarum uſus.------In *Prognoſi*, *Hæmoptyſis pulmonalis* ab eroſione ſæpius Tabem & Phthiſin poſt ſe trahit. Morbus *ſecundarius* item *periodicus* ſine Pulmonum noxa, minus periculoſus primario aut cum Pulmonum vitio juncto.

Cura. In *Paroxyſmo* impetus ſanguinis ſiſtendus; extra *illum* cauſa ex toto removenda & pars læſa ſananda. Pro his ſcopis obtinendis, in abundantia aut turgeſcentia ſanguinis confert *V. S. revulſoria.* v. g. in pede, ſuppreſſis Menſibus; in brachio, ſuppreſsâ conſuetâ narium

rium Hæmorrhagiâ. Sed in eroſione partium inepta eſt. Vitentur autem *Purgantia*, copioſiſſimè enim à levi purgante, non ſine noxa, purgantur Hæmoptyci. Optima ſunt Diuretica; & inprimis *opiata;* præcipuè *Sem. Hyoſc.* ſi malum eſt ab acrimonia corrodente. Cætera *Remedia ſpecialia* acrimoniam, vaſa erodentem, ut cauſam frequentiſſimam reſpiciunt. Inprimis *Portulacæ ſuccus* aut *Syrup. Opiatis* ſociatus: *decoct. Portulac.* aut *Plantag.* cum *Rad. Symph.* & *Herb. Brunel.* in *Vino rubro. Syrupus, Decoctum* & *Conſerva Hed. terr.* polychreſta ſunt inprimis poſt paroxyſmum. Egregia *ſpecifica* ſunt *Conſ. Roſ. antiq. Pulv ſummitat.* & *piloſar. excreſcent. Cynosb.* & *Ol. Lini* cochleatim uſurpatum. Optimus eſt *Spir. Vitrioli*, modò nulla ſit ſuſpicio Ulceris in Pulmone. Nobile remed. eſt *Cochl. i. vel ii.* ter vel quater in die *Succi expreſſ.* ex *Cydon.* in lamellas conciſ. & in *Aq. com.* in diplomate ad mollitiem coctis. Pro *Potu* confert *Decoct. Pom.* per reſident clarif. vel *Decoct. Hord.* cum *Paſſul. Corinth.* Laudatur ʒi. *Sterc. Mur.* cum *Suc. Plantag.* propinat. mane & veſperi, inprimis ſi ruptum ſit Pulmonum vas. *Martialia* aliaque ſupra nominata huc referantur. In graviori malo ex cauſis externis ſæpius recidivante egregia ſunt *Decocta pectoralia* ex *Lignis.* Ex dictis variæ fiunt *formulæ* v. g.

℞ *Sem. Hyoſcy. Papav. alb. an.* ʒx. *Ter. ſigil. Coral. rub. an.* ʒv. *Sacch. roſ. antiq. q. ſ. M. Capiatur crebrius.*

℞ *Conſerv. Roſ. & Hed. terr. an.* ℥ii. *Lap. Hæmat. præp.* ʒii. *Coral. rub. præp.* ʒi. *Ter. ſigil.* ℈ii. *Syr. Papav. alb. q. ſ. f. Elect. cap. pro lubitu.*

℞ *Aq. Chærefol.* ℥iii. *Acet. Vin.* ʒiii. *Lap. Canc. præp.* ʒi. *Antim. diaph. gr.* xv. *Syr. Scabioſ.* ℥ß. *M. pro reliquiis grumoſis diſſolvendis poſt paroxyſmum.*

℞ *Raſ. Santal. rub.* ℥i. *Raſ. Lig. Saſſaf.* ℥ß. *macera & coq. in* ℔viii. *Aq. com. ad conſumpt.* ℔iß. *add. Hed. terr. Comar. Hyper. & Veron. an. M.* ii. *Sem. Fœnic.* ʒvi. *Rad. Li-*

quir. ℥iii. *Paſſular. min. conquaſſ.* ℥ii. *Coq. ad remanent.* ℔iv. *Cap. colat. bonum hauſtum ter de die.*

SECT. XVIII.

De Urinæ in Renibus Secretione læſa.

ARTIC. I.

De Iſchuria Renali.

SAnguis in totum corpus ex corde diſtributus, in ſingulis Viſceribus aliquid patitur. Inprimis in *Liene, Hepate,* & *Renibus*. De *Hepatis* & *Lienis vitiis* dictum aliàs. Occurrunt jam *Renes*, quorum officium eſt Urinam, ſeu laticem aquoſum ſale vol. ſalſo oleoſo impræ-gnatum, ſecernere & ſimul certo modo alterare. Hæc ſecretio abolita *Iſchuria renalis* dicitur, cujus ſigna ſunt ceſſans Urinæ excretio, cum nullo Veſicæ tumore aut tenſione, nullo pubis dolore aut perinæi gravitate, & nullo levamine ex immiſſo cathetere aut facta ſuctione ex veſica.

Cauſæ in ipſo ſanguine ſunt compages ſanguinis nimis ſerrata & firma, quæ ſæpè in Scirrho Hepatis & Lienis contingit, oriturque ferè ab acido ſui generis intimiùs M. S. cogente; item tanta ſanguinis abundantia ut in vaſis emulgentibus nil è Renibus admittat. *Cauſa in ipſis Renibus*, ſunt 1. Meatus renales infarcti à calculo, ſanguine grumoſo aut pure, vel ibidem genitis, vel ex aliis partibus illuc translatis; humoribus craſſis & viſcidis, quorum notitia habeatur ex ſordibus in primis viis, aut urinâ antea turbidâ redditâ cum ſedimento mucilaginoſo copioſo. 2. Atonia ſeu reſolutio fibra-

rum

rum fiſtuloſarum & nervorum, adeo ut deficiente ſpiritu influo flacceſcant, eorumque orificia conniveant, orta ex vertebrarum aut ſpinalis medullæ læſione, nimiâ Renum refrigeratione, defectu Spirituum lethali in Morbis acutis, &c. Huc referatur & fibrarum ſpaſmodica contractura à calculo aliove irritante. 3. Defectus aut inertia fermenti renalis, urinæ alterationem & tranſcolationem non promovens, ut in Hydropicis.

Prognoſis. Iſchuria *renalis* periculoſior eſt *veſicali*; & illa ſine dolore pejor doloroſâ. Superveniunt ſymptomata varia propter ſerum urinarium in varias partes translatum, v.g. Anxietas præcord. Torpor ſenſuum, Pathemata epileptica, Aſcites, Tumores œdematoſi; Vomitus, Sudores ac Halitus plus minus fœtidi & urinoſi. Urinoſus ſapor & odor indicium eſt, alterationem quandam factam eſſe à fermento renali, ſed intercluſum tranſitum in pelvi. Si hæc adſint ſymptomata, intra ſeptem dies utplurimum intereunt, licèt denuo meiant, propter M. S. infectam & vitium partibus affrictum: utut, ſi ſudor copioſus ſeu vomitus crebrior, aliave in alio loco excretio copioſa contingat, diutius ſupervivere poſſint. Si oriatur à calculis Renum majoribus, eſt utplurimum lethalis. Si à Reſolutione fibrarum ſine dolore, inſtat mors.

Cura. Vitia ſanguinis corrigenda nunc *V. S.* nunc *alterantibus Affectui primario appropriatis.* Renum diſpoſitio p. n. removenda, præmiſſis *laxativis* cum *Tart. vitriol.* & *Clyſmat. Terebinthinatis.* Obſtructio à Sang. grumo curatur per *diuretica, grumos diſſolventia*, viz. *Rub. Tinctor. Hed. terr. Chærefol. Hyper. Sperma Ceti, ſuccinata, Lap. canc.* cum *Aceto*, &c. Sin à pure obſtruente ſit malum, curatur per *abſtergentia diuretica*, viz. *Terebinth. Suc.* aut *Syr. Hed. terr. Eſſent. & Extr. Hyper. Agrimon. &c.* Sin à muco tenaci ſit malum, ſedulò præmittenda ſunt *Laxantia*, ne copioſior cruditatum ad Re-

nes

nes fiat delatio ex intempeſtivo uſu *incidentium diureticorum*, quæ hic conveniunt, *viz. Tartar. vitriol. Tinct. tartar. Spiritus urinoſi, Salia vol. Succus vel infuſum Armorac. in Vino, Oxym. ſquill. Spir. ſal in decocto rad. Petroſel. & Cicer. rub. Succus Parietar. cum Oxymel.* inprimis *Spir. Vitriol. philoſ. Succus Limon. à* ℥ii. *ad* iv. In atoniâ Renum conveniunt *terebinthinata, Juniperina, ſuccinata,* in & externè: item externè *Ol. Scorp.* & *Petrol.* In Contracturâ ſpaſmodicâ fibrarum *opiata*, Cinnab. *Antimon.* cum *Sal. vol. Succin.* & forſan *Mithridat.* in *Decocto diuretico.* Ea denique, quæ fermentum renale reſpiciunt, magiſque appropriata, ſunt *Emulſ.* ex *Sem. Viol. Succus Parietar. nitroſæ* in antiquis muris repertæ; *Fl. Cyan.* & *Calcatr.* in *Vino* cocti; *Succus Raphani*, vel *Infuſum Rad. Armoraciæ* in *Vino*; *Capita Allii* conciſa cum *Vino* vel *Spir. junip.* propinata; *Pulv. Sem. Eryſ. ad* ℥i. in *Vino albo*; *Liquor Betulæ, Potiones Plateri terebinthinatæ*, cavendo, ne *Mellis* ſocietas in Mulieribus hyſterica pathemata excitet. Accedunt *Folia Rib. nig.* Urinæ odorem ſpirantia; & *Succus Paſtinacæ lut.* in ſpecie in Pueris. Nobile remedium eſt *Sal. vol. Succin.* ut & *Spir.* & *Sal vol. Urin.* aut *Salis armon.* Spir. *Tartar. Tinctura nephrit. Amelung. Spir. Carminat. de tribus.* Perquam diuretica ſunt *Lumbr. terr. Aſelli* in *Vino* infuſ. & expreſſ. & illorum *Spir. per putrefact.* item *Cantharides* ritè infuſ. Præter *volatilia* accedunt *Salia fixa*, viz. *Teſtæ Ovor. calcin. ad* ℥i. inprimis *Teſt. Ovor. Struthiocameli* in *Spir. Salis* ſolut. item *Sal ſtip. Fab.* & *Geniſt.* non perfectè alcaliſatum, ſed potiùs ſalſum, *Sal prunellæ*, &c. Accedit *Fimus columbinus* aut *equinus vino* infuſus.

℞ *Sem. Viol. purp.* ℥iii. *Sem. Lithoſperm.* ℥i. *cum ſ. q. Aq. Petroſel. f. Emulſio, add. Teſt. Ovor. Struthion.* ℥i. *edulcoretur parum, & detur pro doſi.*

℞ *Terebinth. Venet. Mellis ana* ℥ß. *Vitel. Ov. N.* 1. *Suc. Limon.* ℥i. *Aq. Gramin. q. ſ. f. Emulſio.*

ART.

ARTIC. II.

De Calculo Renum.

CAuſa frequentiſſima *Iſchuriæ* eſt *Calculus*, qui utplurimum generatur in Renibus, & incrementum accipit in Veſica. Generantur *Calculi* ex *Urina*, cum acidum manifeſtum occurrit alcali volat. & unà coagulantur, permiſtâ inſimul levi terreſti ſubſtantiâ Urinæ. Si mucilago viſcida ex attritis membranulis tranſudans ſimul coaguletur, *albi* fiunt: ſin ſanguinis guttulæ ex vaſculo eroſo unà concurrant, *rubri* ſunt. *Rufi* ſeu *flavi* ſunt ſola Urinæ progenies. *Efficiens cauſa* eſt acidum vitioſum nunc ipſius Urinæ, nunc ex primis viis elapſum, & Urinam magis imprægnans; hinc Vini acidioris potatores & Arthritici calculoſi ſunt, atque *Vomitoria*, & acidum in primis viis *abſorbentia* à Calculo præſervant. Hoc tamen acidum nullo modo Calculum generabit, niſi ſal alcali volatile in Urina ſeparatum ſit, & non debitè ſaturatum, ita ut liberius ab acido arripi poſſit. Fit hoc per aliqualem putreſcentiam & ſalium diviſionem, analogam illi, quam Urina prius clara & perſpicua, in matula ſtannea tandem cum fœtore exhibet. Si enim alcali Urinæ debito ſuo acido ſaturatum ſit, non poteſt ab acido vitioſo coagulari; hinc in Stranguriâ nullus eſt Calculus, licèt Urina acido p. n. imprægnata excernatur. Fit autem *alteratio* ſeu *putredinalis*, ſal alcali ſeparans, à fermento vitioſo, occaſione vitioſi acidi fermentativi ex primis viis, acquiſiti vitio diætæ, aut tranſplantato à Parentibus, vel cum lacte Nutricis hauſto. In hoc itaque fermento alterato & enervato conſiſtit *Lithiaſis*, quæ difficillimè eradicatur. *Cauſæ occaſionales*, ſunt Lacticinia, caſeoſa, aliaque partim in acidum vitioſum in primis viis degenerantia, partim

cum

cum alcali terreo promptè in Calculum coagulabilia. Generantur nempe ex iſtis parvulæ arenulæ, quæ occaſione novarum, mutuaque adhæſione & coagulatione tandem in majores Lapillos abeunt.

Symptomata ſunt pauca & tolerabilia dum Calculus quietus eſt. In Paroxyſmo autem, id eſt, dum Calculus eſt in motu, ac ad Ureteres & Veſicam truditur, graviſſima adſunt talia, partim ex attritu membranarum Pelvis, & Ureterum doloroſo cum ſpaſmis variarum partium, partim ex retentâ & alioſum translatâ Urinâ oriunda. Quorum plurima etiam *doloribus nephriticis* ab alia cauſa, *colicis* & *hyſtericis* communia ſunt. Adeſt utique dolor renis vel ſiniſtri vel dextri plus minus acutus, cum ſenſu gravante & fortiter prementе. Dum pergit Calculus in Ureteres, dolores magis urgent & lancinantes evadunt; atque interdum Calculo in pelvim relabente ceſſant, denuo autem ad Ureteres pergente recrudeſcunt. Ingruente Paroxyſmo Urina eſt pauca, acris, admodum ſtimulans, aquoſa, interdum perfectè ſuppreſſa, crebrius cruenta ex aſperitate calculi vaſa lacerante; ſubinde quidem ex Tartaro calculoſo reſoluto, abſque ſanguinis conſortio, quaſi ſanguinea apparet. Arenulæ à calculoſis emiſſæ duriores ſunt, ſubinde grandiores, fundum ſaltem matulæ occupantes; friabiles enim & lateribus adhærentes, ſunt nil aliud quàm ſalia ſcorbutica coagulata. Excernitur etiam copioſus mucus albus, lævis, mediam Urinæ partem ſubinde replens, qui nutrimentum eſt partium læſarum extravaſatum. Accedit dolor tenſivus ſecundum ureteris ductum, ſtupor cruris & in Viris retractio Teſticuli, lateris affecti; interdum Teneſmus; Anxietas præcord. & ex conſenſu diaphragmatis Reſpirationis difficultas, quaſi cingulo reſtringerentur coſtæ inferiores; interdum Hemicrania lateris affecti; ſubine Convulſiones extremorum, Pavores dormientium, dolor titillans

titillans in extremitate glandis Penis. *Frequentiſſima ſymptomata* ſunt Tormina colica cum Nauſeâ, Vomitu, in Fœminis Paſſio hyſterica, & non rarò Partûs dolores referens. Oriuntur hæc ex ſpaſmo nervulorum renalium continuato ad plexum meſaraicum. Diſtinguitur autem hujuſmodi *Colica* à *Colica eſſentiali* in eo, quod calculoſi utplurimum incurvati ſint, & non poſſint ſine inſigni dolore ſe erigere, cum ſtupore cruris, dolore etiam in dorſo è regione Renis affecti, ſine murmure Inteſtinorum, & cum prædicta Urinæ conditione. In *Colica* autem *per eſſentiam* horum contraria obtinent.

Prognoſis. Periculoſus eſt affectus propter inflammationes Renum, Iſchurias lethales, & graviſſimos nervoſi generis morbos ſupervenientes. Gravidæ facilè moriuntur aut Abortum patiuntur. Calculus quo major & aſperior, eo periculoſior. Superveniens extremorum frigus aut ſudor frigidus, præſertim cum Iſchuria, mortem innuit. Urinæ antea tenues excretæ, emiſſæ cum arenulis & fruſtulis lapideis, bonum ſunt ſignum Calculi imminuti. Interdùm certas periodos obſervat paroxyſmus.

Cura. In Paroxyſmo dolores & contracturæ ſiſtendæ, & Calculus vel infringendus vel promovendus. *Extra paroxyſmum*, quod generatum eſt, maturè eliciendum, & generatio futura præcavenda. Pro his ſcopis, *Obſerv.* I. *Diuretica* in *paroxyſmo* moderata ſint, ne vias hactenus attritas exaſperent, & his quantum poſſibile promovendus eſt Calculus, ſimul dolores leniendo tam internis quam externis, his enim durantibus, durabit contractura & anguſtia viæ. II. Ratione acrimoniæ Urinæ, dolores & contracturas intendentis, conveniunt etiam *lenientia*, *emollientia* dicta; non quod vias Calculo laxent, hoc enim ridiculum eſt, alias Ventriculum & Inteſtina laxarent; ſed quod acrimoniam Urinæ temperent & inde natos dolores & contracturas ductuum tollant.

tollant. III. Ratione pathematum in primis viis, à ſordibus liberandæ hæ veniunt. Extra paroxyſmum conveniunt *vomitoria* & *acidum abſorbentia*; *renes abſtergentia*, & *fermenti renalis vitia corrigentia*.

Urgente paroxyſmo, nil æquè convenit quàm *Clyſma emolliens*, aut *anodynum*, v.g. *Urin.puer.* incoctis *emollientibus*, additâ *Terebinth.* & *Sale vol. Succin.* item ex *Lacte*. Hinc *ſacculi* calidi ex *Herb. Malv. Fl. Chamom. Sambuc. Melilot. an. m.* i. *Sem. Lin. Fænigr. an.*℥i. *Sem.*4. *frig. maj. aa.*℥ß. vel ſicci, vel in aqua cocti, Lumbis applicandi. Vel etiam *Litus anodyni* ex *Ol. Amygd. d. Chamom. Lil. alb.* & *Scorp. an.* iii. *Petrol. alb.* ʒiii. *Ol. deſt. Spic. Junip. an.* ʒiß. additâ *Camphor.* aut ejus *Oleo parati*; aut *Liniment.* ex *Ung.Roſ. Camph.* cum *Laud.Op.* crebrò calidè inungenda; inprimis poſt *Balnea* ex *emollientibus* parata, ſuperimponendo poſtmodum *Sacculos*. Dolore his placato, conferunt in principio blanda *laxativo diuretica*, inprimis *Tereb.* ʒß. cum *Scammon. gr.* iii. vel *Terebinth.* cum *Rhabarb.* & *Cinam.* vel *Scammon. roſ. gr.* iii. cum *Tart. vitriol. gr.* xii. & *Sal Geniſt. gr.* vi. Quo facit etiam *Emulſio* ex *ſem.Violar.* & *Papav. alb.* cum *Aq. Alkek.* parata, addito *Lap. perc. præp.* Evacuatis primis viis, ſi adhuc urgeat dolor, accedendum ad *Opiata* & *anodyna*, *appropriatis* miſta, v. g. *Malvat. Junip.* cum *Eſſent. Opii*; vel *Emulſ.* ex *Sem.* 4. *frig. maj. Amygd. d. Nucl. Perſic.* vel *Decoct.fl. Chamom.* aut *Sem. Nymph.* vel *Decoctum Foreſti* egregium, addendo ſingulis hauſtibus *Spir.ſal. acido ſalſum*, extremo igne prolicitum. Item

℞ *Lap.Cancr.*℈i. *Cinnab.Antim.*℈ß. *Laud.op. gr.* ii. *M. f. Pulvis pro doſi.* Vel

℞ *Rad.Alth.*℥i. *Liquir.*ʒii. *Fl.Malv.m.*i. *Sem.Viol.*℥ß. *coq. in ſ.q. Aq. Hord. Colat.* ℔ii. *adde Syr.Papav.alb.*℥iß. *Lap. Cancr.præp.*ʒi. *m.* & *ita propinetur per vices.*

Sedato

Sedato dolore, ſi adhuc hæreat *Calculus*, acceſſus fiat ad Urinam blandè promoventia, & calculum diſfringentia. *Diuretica* ſunt *Tinctura nephrit. Spir. carminat. Terr. fol. Tart. &c.* ſub introitu Balnei, dum hujus uſu relaxantur, ſubſiſtatur, & natura quiete conceſsa forſan ſponte liberabit Ægrum. Promovet etiam Calculum blandus corporis motus, gaudium, &c. *Lithontriptica vera* talia debent eſſe, quæ convenientiam in radice habent cum Calculo. Non neceſſarium eſt menſtruum Calculum diffringens, quod ſit corroſivum, cùm dentur menſtrua inſipida, quæ validiſſima concreta diffringunt, teſte *Rore majali*, *Mercurio amalgamando Metalla* ſolvente, &c. Quin & *Sem. Dauc. Perſicar. Pulv. Millep.* & *Sal. Fimi columb. benè præp.* aliquando Calculum diſſolviſſe obſervantur: hæc autem non *corroſiva*, ſed tantùm *acria volatilia* ſunt. Ut taceam multa nobis & Ventriculo noſtro innocua eſſe, quæ reſpectu aliorum acerrima ſunt; ſicut *Acetum teſtas Ovor.* ſolvit, ſed ſubſtratam membranam tenuem non attingit. *Cantharides* ſtomachum non offendunt, ſed acrimoniam circa Renes & Veſicam explicant. Malè proin ad corroſivitatem reſpicitur. Pauciſſima utique cognita ſunt *Lithontriptica*, adeoque horum defectu meliora uſurpanda ſunt *diuretica*, tam *acidum abſorbentia*, ut *teſtacea*, *Lap. minerales & animales*, &c. quàm *Renes abſtergentia*, ut *raphanacea*, *Liq. Betulæ.* & balſamicâ vi *fermentum Renum conſervantia*, ut *Juniperina*, *Terebinthinata*, &c.

Inter hæc *diuretica* Calculum pellunt & Renes abſtergunt *raphanacea*, inprimis *Rad.* & ſubinde *Folia Armor. Vino infuſa*, & hauſta; aut poſt repoſitionem per 14. dies in Cellâ, deſtillata, unde *Liquor* egregius. *Allii* radices ſale acri penetrante & acidum coagulans corrigunt, & fermentum Renum alterant, minutim ſc. conciſæ & in *ſpir. Junip.* propinatæ. Multum decanta-

tur *Sp. Vin.* in quo infund. *Hed. terr.* & *Capita Allii.* In *ſem.* & *cort. Fraxini* eſt *Oleum* ac *Sal vol.* non contemnendum. Hinc præſtantiſſimum obtinetur *Oleum ad gut.* xii. *in Vino albo* capiendum, ex *Cort. rad. Fraxin.* ℔. ii. *Bacc. Junip.* ℔. iii. *Terebinth.* ℔ iß. *ad* iiß. tritis, commiſtis, in ℔ ii. *Aquæ* per tres menſes ſepoſitis, & poſtmodum deſtillatis. *Semen. Hyper.* tritum *Terebinthinam* ſpirat, adeoque multum decantatur *Elect.* ex hoc *Sem.* cum *Sacch. roſ.* vel *violac.* Multa præſtat *Sem. Dauci* in præſervando Calculo, vel in ſubſtantia, vel *Cereviſiæ* fermentandæ infuſum. Item *Aqua deſt. Perſicar.* cum recent. *Plant.* cohobata. Exturbat item Calculum *Succus Limon.* & inprimis *Suc. Betulæ.* Ex dictis *vegetabilibus* cum *Sp. Vin. tartariſato Eſſentiæ* & *Extracta* parari poſſunt. Accedunt *Sal. Geniſt. Stip. Fab. Sal prunel.* in ſpecie *Sal. vol. Succin.* & ratione nitroſitatis *Sal Fimi columb.* aut *Acetum* macerationis *Sterc. columb.* cum *duabus partibus Mellis* junctum. Huc facit *Sal ad Calculum Polemanni*, viz.

℞ *Nitr. (præp. deflagrando Sulph.* ℥ß. *ſuper* ℔ 1. *Nitri, & hoc ter repetendo, ubi omnia refrixerint & denuo pulveriſata fuerint) Sal. Abſinth. an.* ℥i. *Sal. Succin. vol.* ℥ß. *Sacch. alb.* ʒvi. *Ol. deſt. Succin. q. ſ. m. Doſ. quantum tres cultelli cuſpides capiunt, ter vel quater de die. Optimè Renes abſtergit & Calculum recentem comminuit.*

Superſunt *Lapides*, qui acidum abſorbent, acrimoniam Urinæ in paroxyſmo temperant, ac ob acidum abſorptum, & inde mutationem in ſalſum tertium, vim diureticam acquirunt. Hinc paratur *Liq. elegans* ad *gut.* xxx. propinandus, ex *Lap. Canc. Judaic. Lync. Spong. Aquil. Glaciei ana*, ſolutis in *Spir. ſal. ultimo* ignis gradu elicito, ad ſiccitatem leni calore coagulatis, hinc pulveriſatis, & in cellá per deliqu. ſolut. Accedit *Decoct. Canc. fluv.* aut ʒi. *Pulv.* eorum, coctorum in Vino ad ſiccitatem; *Liquor per deliq.* ex *Teſt. Ovor.* ex quibus excluſi ſunt

ſunt pulli, vel *Ov.Struth.* cum *Spir. ſal.* paratus, modo jam inſinuato; ipſæ *Teſtæ calcinatæ.* Item ℞ *Calc. viv. q v. affunde Acet. deſt. ad emin. 4. dig. coq. frigeſ. decant. inſpiſſa, ad ſiccitatem evapora, candefac in crucibulo, hoc extrahe* vel *Sp. Vin.* vel *Vino Hiſpanico. Doſ. gut.* xx. in Calculo. Accedunt *Lumbrici Aſeui,* inprimis *Alæ* duræ ſuperiores *Scarabæi majal. pulveriſ.* & in *Vino* propinatæ. Egregius eſt *pulvis* ex quatuor vel quinque *Scorp. lavatis,* & *vivis per* 24. *horas in Vino malvat. relictis, poſtmodum in olla ſupra Folia Salviæ poſitis, in furno blandè crematis, & pulveriſ. Doſ. gr.* iv. in *Ovo ſorbili* vel *Vino.*

ARTIC. III.

De Diabete.

NImia Urinæ ſecretio & excretio, *Diabetes* dicitur; eſtque duplex. 1. *Notha,* in qua excretio copioſior Urinæ tenuis crudæ ſucceſſivè & paulatim creſcit, cum ſiti, debilitate virium, ardore lumbari & viſcerum, macie, Febre continuâ lentâ; & ſi Urina aliquamdiu retineatur, lumbi, coxæ & teſtes cum gravitate intumeſcunt. 2. *Vera,* in qua potulenta & aſſumpta liquida nimis citò, parum aut nihil mutata, excernuntur. Atque hæc eſt, quæ propriè *Diabetes* dicitur, à διαβαίνω, *citò tranſeo, cujus cauſa* eſt flacciditas Renum, non paralytica, ſed nimiæ apertionis, concurrente pylori laxitate; ad quam diſponit crebrior *Acidularum* uſus. *Cauſa Nothæ* eſt pars ſanguinis chyloſa, ſeu roridum corporis nutrimentum, & ipſa pinguedo liquata, ſicque in conſiſtentiam laticis ſeroſi fatiſcens, per vias urinarias excreta. Hinc Obeſi ab uſu *diureticorum* maciantur, hæc enim humores fundere notum eſt. Ex hoc rore chyloſo eſt, quod Urina Diabeticorum dulceſcat. *Cauſa* autem *Colliqueſcentiæ* eſt fermentum acre

vol. ſimile *Sali vol. Cantharidum*, in primis viis genitum, ſanguinem & pinguedinem colliquans. Hinc Urina Diabeticorum acris eſt, & ardoris ſenſum excitat, curaturque hæc *Diabetes notha* per acrimoniam temperantia, ſicut *Febris hectica*; verùm ex abuſu *diureticorũ* excitari ſolet. Omnia enim *diuretica* abeunt in *acre ſalſum vol.* in primis viis; hinc *Cydon.*&*Vin.Rhen.* diureticam vim acquirunt in primis viis, & interdum *Diabetem* inferunt. Oritur hoc fermentum acre ex digeſtione ventriculi vitiata; non ſecus ac fermentum illud, fluxus alvi colliquativos inducens, ex eadem oriri agnoſcitur. Succi autem colliquati & pinguedo in ſpecie per Renes excernuntur, tam propter formam Seri Renum poris adpropriatam, quàm propter vellicationem Renum à volatili iſto & acri fermento; unde dolor & ardor lumbaris, cæteraque Symptomata. In *prognoſi*, *Diabetes vera parum* habet periculi; *notha* autem plerumque lethalis eſt, inprimis poſt immodicum laborem, nimium Veneris exercitium, aut chronicas Febres.

Cura. Vera curatur per *adſtringentia*, ſc. *martialia*, *Decoct. plantag.* in *Aqua ferratâ*, *Decoctum Torment.* & *Prun.ſylv. Tinctura ſulph. Vitriol. Bolum armen.* & *Terr. ſigill.* cum *Conſ.Roſ. vitriol.* vitando tamen *Cydonia*, quæ, utut *adſtringentia*, ſunt tamen *diuretica*. In *nothâ* curandâ corrigendum fermentum illud acre colliquefactivum per *abſorbentia acido auſtera*; & *narcoticorum* uſu Renum irritatio & nimia colliquefactio impedienda. In Principio prodeſt *vomitus* ex copioſa frigida deglutita, ſingulis quatuor diebus. Obſervanda eſt eadem *Diæta*, quæ in *Hectica febre*. Remedia ſunt *Succ. Syr.* aut *Decocta Plantag. Portulac. Nymph. Papav.* &c. hinc *Magiſt. Corall.* cum *Succ. Citri*; aut *Miſtura ex Aqua Plantag.* ℥iii. *Acet.deſtill. Vin.* ʒvi. *Corall. r. præp.* ʒi. *Laud. op. gr.* ii. *Syr. Portulac.* ℥i. Capienda cochleatim.

Hinc

Hinc *Lapis Hæmatites*, tam *naturalis*, quàm *artificialis ex Vitriol. Mart.* & *Sacch. Saturn.* item *CC. uſt. Croc. Mart. adſtring. Tinctura antiphthis. Tinctura ſulph. Vitriol. Succinum, Troch. de Carabe, Troch. de Terra ſigill.* Nobile experimentum eſt *Aqua Calcis* tam *ſimplex* quàm *compos.* Accedunt *Emulſ. nutrient.* & *anodynæ.* Inter *Diætetica* eminet *Lac chalybeatum aſininum*, item *Aqua chalybeata*, cui *Raſ. C.C. incocta.* Externè Renibus applicantur *Cancri fluv. rec. contuſ.* aut eorum *Succus expr.* Deinde *Sacculi* & *Fomenta* ex *Plantag.* & *Folis Querc.* in *Aqua chalyb.* coctis.

ARTIC. IV.

De Mictu cruento.

URINÆ in Renibus Secretio interdum adeo depravatur, ut excernatur cruenta, interdum loturæ carnium ſimilis, interdum ex opaco plus minus nigreſcens. *Rubedo Urinæ ſanguinea opaca plus minus craſſiuſcula*, diſtinguenda à *rubedine ſalinâ, perſpicuâ, clarâ, ſplendenti*, quàm comitatur præcipitatio ſedimenti *crocei*, vel inſtar *cinnabaris*, vel *incarnati coloris*, Scorbuticis familiaris; cùm urina cruenta eſt, ſi ſteterit uno alterove die, craſſamentum ſeponit rubro-nigreſcens inſtar ſanguinis grumoſi. Sanguis urinam tingens utplurimum ex Renibus emanat; rarius ex aliis partibus ad loca urinaria defertur; interdum ex Veſica aut Pene effluit.

Cauſa eſt anaſtomoſis arteriolarum ad vias urinarias diſtributarum, vel earum eroſio. *Mictus cruentus* per anaſtomoſin, nunc *criticus* eſt in Febre ardente, Pleuritide; ſuppreſsâ ſolenni ſanguinis evacuatione, truncatâ manu vel pede, *&c.* nunc non *ſpontaneus*, nunc *periodicus*. Huc faciunt Vini aut acriorum *diureticorum* abuſus, Tubuli Renum imbecilles, & nimis aperti, ubi

mictus ferè indolens & urina minus tincta, minuſq; craſſa eſt; Veneris abuſus, adeo ut vaſa ſanguifera circa partes genitales hiſcant. Mictum utique cruentum per anaſtomoſin præcedere imò & comitari ſolet dolor gravativus & tenſivus, in loco anaſtomoſeos perceptibilis. Frequentior *cauſa* Mictûs cruenti eſt *diæreſis* à ſero acri vaſcula rodente, Scorbuticis & Catarrhoſis familiaris. Faciunt huc Renum & Veſicæ Ulcera, Calculus aſper; *Cantharidum*, *Allii*, aut *Aloes* abuſus, & funeſti illi mictus cruenti in Variolis, Febribus malignis, & Peſte. In *Prognoſi*, ſi à *pudendis* fluat ſanguis, minus eſt periculum; ſi à *Veſica*, periculoſius eſt, quia in Veſica ſubſiſtens periculoſam urinæ ſuppreſſionem, aut ſui corruptelâ varia ſymptomata inferre poteſt. Omnium maximè periculoſus eſt, ſi ex Renibus, præſertim eroſis, aut eorum, ut vocant, imbecillitate, malum ortum fuerit.

In *Cura* conveniunt *Remedia* ſupra laudata in *Hæmorrhagia*, habitâ ratione *cauſæ*. Quia ſerum urinarium acre omnem *Mictum cruentum* exaſperat, ſemper addantur temperantia; item *papaverina*, *opiata*. Conducit Venæſectio *revulſoria* vel *derivatoria*, ſi ſolennis ſanguinis excretio ſuppreſſa fuerit. *Purgantia* acrimoniâ ſuâ malum exaſperant. *Rhabarb.* autem in acriori ſanguinis craſi aut Renum imbecillitate confert, v. g. *Pill.* ex *Rhabarb.* cum *Succ. Plantag.* aut *Terebinth.* His præmiſſis patent remedia, v. g. *Miſtura* illa ex *Aqua plant. Acet. deſtill. Corall.* & *Laud.* ad *Hæmorrhagias* laudata. Quia tamen ſemper reſpiciendum ad acrimoniam Seri urinarii, præ cæteris convenit *Succ. Portulac.* ad ℥ii. vel iij. Hinc *Decoct. Equiſet.* & *Millefolii fl. albo.* In *eroſione* mirè convenit *Agrimonia* ſeu *Eupator. vulg.* His add. *Sem. Hyper.* & cum hoc paratum *Elect. Timæi* contra *exulcerat. Renum.* Expertum eſt *Lac ovil. ad* ℥iv. *cum Bol. armen.* ʒi. omni mane propinat. item *Troch. de Ca-*

rabe

rabe cum *Bolo armen.* & *Aqua Plantag.* Accedit *Liqu. Mart. ſolar. ad gt.* xv. omni mane per aliquot dies continuat. *Lapis Hæmatit.* cum copioſo *lacte* egregius eſt; & ſi malum ſit a *Cantharid. Terra ſigill. Opiata* per ſe nota ſunt, in ſpecie *Elect. Paduan.* ex *Sem. Hyoſc.* &c. pro *Sanguinis ſputo* laudatum. Si ex affecta *Veſica* ſit *Mictus cruentus*, injiciantur *Aqua Plantag.* ℥ij. cum *Troch. de Carabe* ʒi. vel fortior ſit injectio ex *Emulſ. Papav. alb.* cum *Lap. Hæmatites.* Si ſedato mictu ſanguis congrumatus in Veſicâ hæreat, ſive ſuppreſſionem Urinæ inferat, confert *Succinum atque Gummi arabicum ad* ʒß. *vel.* ℈ij.

SECT. XIX.

De Urinæ Excretione læſa.

ARTIC. I.

De Iſchuria veſicali.

URINA ex Renibus per Ureteres in Veſicam delata ibi continetur, donec Veſica à nimia ejus copia vel acrimonia irritata eam pellat. Abolita hæc excretio dicitur *Iſchuria veſicalis*, quam comitatur Tumor & protuberantia Veſicæ, cum tenſione & dolore moleſtiſſimo atque fruſtraneo urinam mittendi nixu.

Cauſa eſt vel *vitium veſicæ*, vel *vitium canalis urinarii.* Ratione prioris, ſi nervi, à quibus Veſica ſuum habet ſenſum, Paralyſi, aut Stupore afficiantur, mediante diuturna mora in frigida, Vertebrarum laxatione, læſione Spinalis medullæ circa Os ſacrum, *&c.* Item ſi fibræ Veſicæ à nimia diſtenſione relaxantur; in his caſibus Veſica ſe non ſtringens Urinam non emittit. Quo

facit etiam Sphincteris ſpaſmus & pertinax ſtrictura in doloribus Abdominis ſpaſmodicis, & interdum ſub uſu Cantharidum, adeo ut licèt ſe ſtringat Veſica, nulla tamen ſequatur excretio. Ratione poſterioris nempe *vitii canalis urinarii* urinam non tranſmittentis, ſe offert ejus anguſtia, ex Tumore, Inflammatione colli Veſicæ & Perinæi, tumore glandularum Proſtatarum, poſt nimiam venerem ureterem comprimente; hinc venit meatus illius obſtructio vel prope ſui originem in Veſica à Calculo Veſicæ, pituitâ viſcidà glutinosâ, ſanguine grumoſo, aut pure ex Ulcere Renum vel Veſicæ, vel ex aliis partibus ad Veſicam delato; vel in ſuo progreſſu ex Calculo circa glandem hærente, aut carunculá poſt eroſam Urethram. Accedunt *extraordinariæ* quædam *Iſchuriæ veſicalis cauſæ*, viz. *Diuretica* validiora poſt alimenta, vel ante abſterſionem primarum viarum, uſurpata; quæ contenta cruda & pituitoſa ad loca urinaria rapiunt, unde obſtructio. *Prognoſis* ſi ſpectetur, Iſchuria illa cæteris periculoſior eſt, quæ ex paralyſi Veſicæ, aut nimia ejus diſtenſione oritur.

Cura. Si *Veſica* ſit *minus ſenſilis* & quaſi *paralytica*, convenit *Malvaticum Junip. Ol. deſt. Junip.* aut *Terebinthinæ*; item *Ol. Succin.* in *Aqua Petroſelin.* Hinc propinentur *purgantia* per conſenſum Veſicam ſtimulantia; vel *Clyſteres*, primò emollientes, poſtmodum acres. Item comprimatur Abdomen, detineatur anhelitus, & his irritis, patefiat Urinæ exitus mediante *Candelâ cereâ*, *Melle* aut *Ol. Amygd. d.* illitâ & immiſsâ, aut *Fiſtulâ coriaceâ*, hæc enim præferenda *Catheteri*, qui non adeo tutus. Prolectâ ſic Urinâ fiunt Injectiones in Veſicam ex *Decoct. Puleg.* Calaminth. *Rut.* Caſtor. & *ſimilibus nervinis*; item applic. cum ſpongia ſuper pectinem. *Fotus* ex *Sem. Aniſ. & Petroſel. an.* ℥i. *Herb. Filipend. m.* i. *Zedoar.* ʒii. *Bacc. Laur.* ʒi. *in Vino & Aquâ coctis.* Fortius eſt *Cataplaſma* ex *Cep. alb.* tam *crud.* quàm *ſub ciner. coct.* add. *Capit.*

Allii,

Allii, *Pingued. anſer. Ol. Scorp.* & *Gutt. aliquot. Ol. Juniperi*, regioni Renum & Pubis applicandum, vel *Perinæo* in ſuppreſſione à nimio coitu. Laudatur *Cataplaſma* ex *Parietar.* & *Cherefol.* cum *Ol. Scorp.* calidè Pectini impoſitum. Alias illinitur Pubes, Perinæum & Os ſacrum *Ol. Scorp.* cum *Ung. dialth. Ol. Castor. deſt. Junip. rutac. Hyper.* &c. Vel inungitur Umbilicus *Ol. Maſtich.* Accedunt *Semicupia* ex *emollientibus* & *nervinis appropriatis*, paulo ante *inſeſſum* exhibitis blandis *diureticis*. In *ardentibus* aut *malignis Febribus* etiam levamen adfert deambulatio. In malo à *Veſicæ extenſione nimia*, præter compreſſionem cum manu convenit *Fotus* ex *emoll.* & *nervinis*, & *Catapl.* ex *Chæref. Parietar.* & *Petroſel.* in *Butyro* ſrixis; item ex *Cepis*, eductà prius urinâ per fiſtulam. Si *Sphincteris vitio*, illinatur Perinæum & Pubes *Ung. dialth.* cum *Ol. Papav.* & internè exhibebis *volatilia opiatis* miſta. Si à *Canthar.* exhib. *Lac* & *Emulſ. lacteas.* Si ex *Urethræ anguſtia* aut *inflammatione*, conven. *Catapl.* ex *Chæref.* & *Pariet.* Si à *Grumo ſang.* conven. internè ſolutio *Lap. cancr.* in *Aceto*, *Decoct. Rad. Rub.* aut *Artemiſ.* cum *Chæref. Troch. de Carab. Sperma Ceti*, *Eſſent. Hyper. Eſſent. traumat.* &c. Et externè *Stercus Boum recentiſſimum* Pectini, Pudendo & Perinæo inunctum. Si *à materia viſcida*, conven. internè *Armorac.* item *Suc. Parietar.* cum *Oxymel. Tart. vitriol. Sal. Tartar. Spir. Sal. dulc.* Si *à Caruncula*, removeatur quantocyus *Candelâ cereâ*, in leviori malo *Croco metall.* inſtructâ, in graviori *miſtura* ex *Merc. præcip.* ℨii. *Ung. de Cerus* ℥iß. & in graviſſimo, *Magmate* ex *Mercur. ſublim.* & *Virid. æris.* Fiat autem candela non ex *Cerâ purâ*, ſed add. ℥i. *Terebinth. ad* ℔i. *Ceræ.* Exesâ carunculâ pro *conſolidatione* immitt. *Ung. alb. camphoratum.*

ARTIC. II.

De Calculo Veſicæ.

V*Eſicæ Calculus* Urinæ excretionem impediens ferè ſemper in Renibus generatur, & ſucceſſivè in Veſica accreſcit, mediante quodam nutrimento quod plorant Ureteres & Veſica læſa, & quod in forma mucilaginis cum Urina Calculoſorum excernitur. Hinc eſt, quod Calculi majores lamellatim, inſtar *Cepar.* cum cortice uno ſuper alterum, concreti reperiantur. Symptomâta ſunt Urinæ ſuppreſſio, Teneſmus, deſiderium alvo dejiciendi, & dum ad humum ſe incurvant, punctio in Veſica, ſubinde Pruritus in glande & erectio Penis ex irritatione per conſenſum membranæ meatûs urinarii, liberatio ab Urinæ ſuppreſſione pedibus in altum levatis, & in Malo diuturno mucilago copioſa cum Urina excreta. Dignoſcitur etiam immiſſo cathetere aut digito in podicem; quin & ſaltu vehementiori Calculi motus percipitur, modò ex attrita nimis Veſica membranæ ejus internæ non adnaſcatur. In *Prognoſi*, facilius in Fœminis propter brevitatem & amplitudinem Colli veſicæ curatur, quàm in Viris. Plerumque non niſi ſectione tollitur, & tunc metuenda eſt Veſicæ inflammatio lethalis aut ſuperveniens Fiſtula. Calculus, qui Veſicæ firmius adhæret, incurabilis eſt.

Cura. Minuatur & excludatur Calculus, ſi poſſibile ſit, inprimis uſu *Millepedum*, aliorumque *ad Calculum Renum* lâudatorum. Interdum ubi Calculus eſt in motu & tamen non benè procedit, *Vomitus* convenit, in Mulieribus præprimis. Externè injiciatur *Solutio Sterc. columb. calcin. in Decoct. Parietar.* Pubi admoveatur calidiſſimè *Cataplaſma* ex *Cepâ albâ* cocta in *Vino decoctionis Parietariæ & Ol. Scorp.* Litus ex *Ol. Scorp.* & *Ping. Hirc.*

Hirc. & in ſpecie ex *Petroleo*, & ubi magis pellendum, ex *Ol. deſt. Succini* ſimiliter conducunt. His irritis exſcindendus eſt Calculus à perito & circumſpecto Lithotomo.

ARTIC. III.

De Urinæ Incontinentia.

C*Auſa* hujus *proxima* eſt deficiens conſtrictio muſculi ſphincteris Veſicæ. *Remota* verò eſt 1. Paralyſis nervorum ad Sphincterem derivatorum, ex caſu aut luxatione Vertebrarum, vel defectu ſpirituum in Morbis acutis & Apoplexiâ. 2. Fibrarum ſphincteris relaxatio à nimiâ diſtenſione, v. g. nimia Fœtûs magnitudine. 3. Fibrarum laceratio, à Vulnere, Lithotomia, Partu difficiliore, prolapſu ſinûs Pudoris, &c. Eſt autem *Incontinentiæ* ſpecies impropriè ſic dicta, quando dormientes tantum ſtragula permingunt, oriturque à torpore aut defectu ſpirituum animalium, dum non ſatis firmant tonum fibrarum Sphincteris conſtrictoriarum, v. g. in Infantibus tenellis, Senibus & aſſuetis. Huc refertur vitium illud, quando urina ſatis diu retineri nequit, propter continuum ac ſenſiliorem in Veſica ſtimulum, à Calculo irritante, mole Uteri geſtantis premente, exulceratione aut excoriatione Veſicæ circa collum, Tuſſi graviori in corpore obeſiori, cujus partes externæ in concuſſione minus cedunt. Huc etiam pertinet Veſicæ anguſtia vel nativa, vel adſcititia ex Tumore proprio vel vicinarum partium. In *Prognoſi* tenendum, quod hic Affectus in ſenibus ſit incurabilis; in pueris verò ætatis progreſſu curatur, niſi vigeſimum quintum ætatis annum excedat, & tunc ferè immedicabilis eſt. Si fit ex vitio paralytico, in ſpecie vitio Cerebri aut ſpinalis Medullæ, difficillimè curatur.

Cura. Conveniunt *nervina* & *adſtringentia* cum *ſpecificis.* In ſpecie *Calamintha* cum *Vino* ante paſtum pota, item *Alchymilla, Agrimonia, Plantago, Hyper. hujuſque Sem. Glandes & Medulla Gland. Caſtor. Galanga. Maſtiche* admodum laudatur ad ʒi. in *Vino.* Item *Pulv. Thur. Gum. arab. ad* ʒi. in *Vino.* Quando ſtimulus p. n. peccat in *Incontinentiâ paralyticâ,* ℞ *Calaminth. Myr. Caſtor. an.* ʒiii. *Gland.* ʒv. *Pulveriſa ſubtil. Doſ.* ʒi. Decantatiſſimum *ſpecificum* eſt *guttur Galli toſtum* & *tritum* cum *Vino;* item *Pulv. Cineris Erinac.* cum *Medull. ſaxor.* item *pulv. inter. tunicæ Ventriculi gallin. Farcimen,* vel *pulvis* vel *cinis Pudendi ſuilli, Stercus Capræ, Mures exſiccat.* & *pulveriſ.* vel in *Butyro elixi.* Inter *externa* laudantur inprimis *Balnea* ex *Abſinth. Menth. Fl. Roſ. Balauſt. Torment.* in *Aqua ferrariorum* coctis; & in malo contumaciori *Thermæ.* Hinc inunctiones cum *Ol. Abſ. Menth. Nardin. Caſtor. Balſ. Peruv. Empl. oxycroc.* vertebris Lumb. applic. nam in malo à vitio nervorum, Lumborum & Oſſis ſacri, ubi origines ſunt nervorum, maxima habenda eſt ratio. In omni *Incontinentia,* niſi à læſione in partu, laudatur *pulv. Bufonis vivi,* in nova olla uſti, & in Sacculo collo appenſi. Poſt partum difficilem ſingulare eſt hoc *Unguentum:* ℞ *Lap. calam. in Acet. deſt. & Aquâ Roſ. bis vel ter lot. & ſubtil. pulveris.* ℥iv. *Litharg. arg.* ℥ii. *Ceruſ. præp.* ʒi. *Ol. Roſ. & Chamom. an.* ℥v. *Agitentur ſimul per duas horas, & cum Axung. Hirc. f. Ung. agitando ad horæ quadrantem.* Hæc ipſa promiſcuè tam *diurnæ* quàm *nocturnæ Incontinentiæ* conveniunt. In ſpecie *Lectimingiis* internè conducit *Pulv. Capul. Gland.* in *Aqua* vel *Vin. chalyb.* Item *Pulv. Caſtor.* ad ℈i. Junioribus; Adultis verò *ad* ʒi. Ex dictis variæ fiunt *Formulæ,* v. g.

℞ *Tunic. Stom. gallin. pulveris.* ℥ß. *Herb. Agrim.* ℥i. *Erinac. uſt.* ℥vj. *M. f. Pulvis Doſ.* ʒi. *in Juſculo gallinaceo.*

℞ *Pulv. Medul. lap.* ʒiii. *Gran. Maſtich.* ʒii. *Lign. Aloes reſinoſ. exactè pulveriſ.* ʒiß. *m. f. Pulv. Doſ.* ʒi.

AR-

ARTIC. IV.

De Stranguria.

DEpravata Urinæ excretio cum ſtillicidio, acerbo dolore & comitante & ſubſequente, atq; continua ad mingendum irritatione, *Stranguria* dicitur. Cauſa *proxima interna* eſt continua Veſicæ irritatio, quam ſub *Dyſuria* conſiderabimus; *externa* eſt *Urinæ acor*, magis Urethram quàm collum Veſicæ interius muco craſſo oblitum, dolore afficiens. *Cauſa diſpoſitiva* hujus acoris eſt inertia fermenti Bilis non debitè perficiens Chylum in Duodeno, ſic enim aſſumpta non ritè digeſta aceſcunt, & acore ſuo Veſicam ſtimulant; non ſecus ac *Muſtum*, vel *Cereviſia non ritè defæcata*, Strangurias acore ſuo in ſtomacho inſuperabili inferunt. Accedit Ulcus & Excoriatio Veſicæ, urinæ contactum abhorrens, & ex irritatione propellens. In *Prognoſi*, difficilior eſt, quæ ex Ulcere Veſicæ, quàm quæ oritur ex vitio Urinæ, in Senibus propter defectum digeſtionis primæ ſæpe incurabilis eſt. Pertinacior Stranguria interdum Ulcus Veſicæ infert.

Cura. Acor urinæ temperandus, & Veſicæ læſio reſtituenda. Poſteriori ſcopo ſatisfaciunt in *Veſicæ Ulcere* ſupra poſita. Quoad priorem *opiata* minus conveniunt; optima ſunt *vomitoria*; hinc pro ſcopo averſorio *Jalapa* cum *Tereb.* & *Merc. dulc.* conducunt. *Alterantia* ſunt *Pulv. Gland. Extract.* paratum ex *Succ. Frax. Alkek. Lap. Cancr.* Inprimis *Succus* ipſorum *Canc. fluv.* item *Pulv. Eſſent.* & præcipuè *Ol. deſtill. Cort. Aurant. Nuc. moſch.* in abuſu Cereviſiæ crudæ; *Decoct. fol.* & *gemmar. Rib. nig.* cum *Sem. Dauc.* in *Vino rubro.* Egregium eſt *Decoct. Rap.* item *Decoct. Herb.* & *Bacc. Alkek.* cum *Paſſulis.* Omnibus *balſamis* præfertur *Balſ. Copayb.*

in

in *Decoct. Petroſel.* Accedit *Ol. Cer.* in *Decoct. Cicer. rub. Lixivium* ex *Teſtis Ovor.* cum *Vino*; *Vinum* in quo *Silices* candefacti aliquoties extincti; *Spir. Nitr. d. Sal. Tart. C. C. uſt. Sal ſtip. Fab.* & his irritis ℈i. *Boracis.* Nec omittenda *Aqua infuſionis Ceparum* minutim inciſar. In pertinaciori malo ex vitio digeſtionis, v.g. in Senibus, confert *Vinum Hiſpan. Malvat. Juniper.* item *Spir. Vin.* potus, dum cubitum itur. *Externè*, ratione continuitatis Umbilici cum Veſica per Urachum, Umbilico illinitur *Litus* ex *Axung. Hirc.* ʒii. *Ol. deſtill. Cer. & Cort. Aurant. an. gutt. iii.* Et ſuffumigatur Veſicæ regio vapore *Raphani* in *Vino* bullientis. Aliàs in malo pertinaciori *Clyſter* ex *Lacte*, & injectio *Lactis chalyb.* in Veſicam locum obtinent.

℞ *Spec. diacurc.* ℈v. *Nucis moſch.* ℈ii. *Lap. Canc.* ʒi. *cum Sacch. in ſ. q. Aquæ ſolut. f. Rotulæ adſperg. Ol. deſt. Cort. Aurant. doſ.* vi. *vel* vii.

℞ *Malvat. Junip.* ℥iv. *Syr. Cort. Aurant.* ℥i. *Spir. carminat.* ʒi. *Miſc.*

ARTIC. V.

De Dyſuria.

URinæ excretio cum magno conatu, dolore, & ardoris ſenſu, *Dyſuria* dicitur. Differt à *Stranguria* in eo, quod non guttatim effluat, nec dolorem ante aut poſt excretionem relinquat, nec tam internam Veſicæ ſuperficiem quàm orificium Veſicæ aut meatum urinarium arrodat. *Cauſa* eſt vel Urina acris à copioſis ſalibus hauſtis v.g. in Hypochondriacis, Scorbuticis, uſu Cantharidum, &c. vel frequentius colli aut meatûs excoriatio & exulceratio ab attritu Calculi, &c. adeo ut ab Urinâ naturaliter conſtitutâ dolorem patiantur. Huc faciunt Proſtratæ glandulæ exulceratæ à con-

tagio

tagio venereo, ut Urinam ipſæ cum dolore ſummo perferant, & ſimul acrem plorent ſuccum, qui Urethram excoriat. Interdum partes urinariæ *per conſenſum* læduntur, in affecto Utero, vel Inteſtino recto, v.g à Teneſmo, Hæmorrhoid. &c. Excernitur ſubinde in *Dyſuria* mucilago craſſa lactea, quæ nil aliud eſt, quàm nutrimentum Veſicæ & partium urinariarum. In *Prognoſi*, *Dyſuria* pertinax ad Urinæ incontinentiam & Veſicæ Ulcera diſponit. In Senſibus difficulter curatur.

Cura. Vel acrimonia Urinæ temperanda, vel partes læſæ reſtituendæ. Utrique ſcopo egregiè ſatisfacit *Malva*, ejus *Conſerva ex flor.* item *Syr.* hinc *Decoct. ſem.* cum *Nitro* vel *Lap. Canc. Decoct. Foreſt. ad Calculum*; *Decoct. Herb. & Bacc. Alkek. Decoct. fl. Nymph. Petroſel. Sonchi lævis* cum *Sach.* & *Nitro*; *Decoct. Fl. Malv.* cum *Jujub.* & *Sebeſt.* inprimis *Decoct. Sebeſt.* addito tantillo *Croci ad* ℥v. omni mane. Laudantur *ſuccinata*, *Troch. de Carabe*, *Pulvis Joëlis* ex *Teſt. Ovor. Semen Urticæ*, *Succinum*, & ſi partes urinariæ exulcerentur *Trochiſci de Alkek.* Tandem *Veſica Capræ* ſeu *Apri ſylv. maſc. ſiccata* & *pulv.* item *Pulv. oſſium Dactylor.* miſtus cum *Pulv. Carnis ſuill.* inciſæ & in clibano ſiccatæ. Accedunt *Lacticinia* & *Oleoſa*; inprimis *Ol. Amygd. d.* cum *Syr. dialth.* & *Pulv. Ocul. Canc.* item *Emulſ.* ex *Amygd. d. Sem. Melon. & Nucl. Perſic.* add. *Lap. Percar.* Egregiè convenit *Lac*, inprimis ſi *à Cantharid.* ſit malum; item *Serum Lactis*, in quo decocti ſunt *Flores Cyani* & *Calcatrip.* Hoc tamen ſicut & omnia *potulenta* calidè hauriantur. His addantur crebrò *Clyſteres*, nunc blandè *ſtimulantes*, nunc *lenientes*, nam quo contumacior eſt alvus, eò intenſior eſt *Dyſuria*. Externè applic. *Serpil. calefact.* item *Catapl.* ex *Rut.* & *Parietar.* in *Ol. Scorpion.* coct. Ungatur & Pubes *Linim.* ex *Ung. martiato* & *Ol. laurin. an.* ℥i.

℞ *Thur. Myrrh. Maſtich. an.* ʒii. *Succin. Croc. an.* ʒß.

Camph.

Camph. ℈i. *Antim. diaph. ad pondus omnium. Cum Terebinth. f. Pill. doſ.* ℈i. *Utatur* 10. *diebus.*

℞ *Succ. Liquir. Succin. Thur. an. q. v. cum Tereb. Cypr. f. Pill.* ℞ *Lap. Perc. Oſſ. Sep. Canc. calcin. pulv. N. M. aa.* ʒß. *Extr. Op.* ℈i. *M. f. Pulvis.*

℞ *Syr. dialth. Fern.* ℥iii. *Syr. de Cich. cum Rhab.* ℥i. *Aq. Nymph. Lactuc. Chamom. an.* ℥iv. *Aq. Cinnam.* ℥ß. *M.*

SECT. XX.

De Lymphæ in Glandulis Generatione & Motu vitiatis.

SAnguis ad *Glandulas* defertur, ut ibi aliquid ſeparetur, quod ad conſtituendam *Lympham* requiritur. Vitiatur hujus Lymphæ generatio, quando ſerum parcius & craſſius, vel copioſius & tenuius eſt: frequentius autem, quando Glandulæ obſtruuntur à materia lymphæ generandæ viſcidiore, in quo caſu præter *Merc. d.* pro expurgatione, optima ſunt *ſudorifera* ex *Lignis*, præſertim *Junipero* v. g.

℞ *Raſ. Lign. Junip.* ℥iii. *Raſ. Lig. Saſſafr.* ℥iß. *Cort. Lig. Guaj.* ℥j. *Herb. Roriſm. m.* iii. *Bac. Junip.* ℥iß. *Macerentur per* 24 *horas in Aqua & Vin. an.* ℔ii. *Coq. in M. B. in Cucurbita cum ſuo alembico juncto ad medias, colatum & deſtillatum M. adde Spir. Sal. armon.* ʒiii. *Syr. Fl. Calend.* ℥iii. *Cap. omni mane bonum hauſtum calidè, expectando ſudorem.*

ARTIC. I.

De Catarrhis.

LYMPHA glandularum copioſè in partes effuſa *propriè* dictum *Catarrhum* conſtituit: & quia frequentiſſima eſt glandularum textura in Cerebro, Faucibus,

Lociſ-

lociſque vicinis, inprimis membranis pituitariis adhærens, cum vaſis excretoriis minutis perforantibus, non mirum, ſi hæ partes Affectibus catarrhalibus frequentius obnoxiæ ſint. Defluit nempe lympha aut copioſa, aut vitiata, è Glandulis inprimis conglomeratis circa Caput, Fauces, Collum, Laryngem, aſperam Arteriam, aliaſque vicinas partes, aëris injuriis maximè expoſitas, unde functionum læſiones & varia ſymptomata exoriuntur.

Cauſa eſt acre acidum, partem plus minus ſenſilem lædens, cujus læſionis occaſione ob fibrarum ſtricturam Lympha è vicinis Glandulis uberius exprimitur, & ita ſemper reſtaurata continuum quaſi rivum eo derivat. Si gravior ſit læſio, alteratur etiam Spiritus inſitus, & labefactatur propria partis digeſtio, adeo ut loco laudabilis nutrimenti, vitioſum continuo ſubnaſcatur excrementum, quod ſimiliter novum alimentum corrumpendo, partem magis magiſque lædit, unde *Catarrhus habitualis. Cauſæ remotæ* ſunt 1. Digeſtionum particularium errata; hinc poſt Variolas acidum oculis infixum, & Gas acidum inſpiratum Laryngem irritans & lædens, Catarrhum excitat: imò acidum fermentum circa Dentium radices hærens, character Phthiſeos hæreditarius, & quodvis Fermentum acre ex digeſtione privata enatum, Pathemata catarrhalia infert. Huc facit aër externus & inſpiratum quodvis acre partes Thoracis lædens & ad catarrhales Defluxiones irritans, non ſecus ac ſternutatoria acria Lympham copioſam è Naribus emungunt. 2. Ipſa Lympha in ſe acrior, acidior & ſalſior (citra occaſionem partis læſæ) ad ſui excretionem Glandulas ſtimulans, & tandem partes lædens; idque inprimis, ubi imminuta eſt Urina, aut inſenſilis tranſpiratio; & frequentiſſimè, ubi Chylus in Stomacho ex digeſtione pravâ generatur aquoſus & nimis ſalſus, unde Sanguis & ſeroſior & acrior eva-

dit, & conſequenter Lympha vitiabitur. Hinc eſt, quod Scorbutus & Tabes ex acrimonia ſanguinis, Affectus catarrhales ex acriori lympha junctos habeat. In Catarrhis epidemicis, acre inſpiratum partim lympham inquinat, partim loca, per quæ tranſit, irritat.

Differentiæ. *Catarrhus* eſt vel *accidentalis* & facilè delebilis; vel *habitualis* crebrius recurrens & ſpirituum influxum labefactans, cujus cauſa eſt partim loci tonus ſemel læſus ex Spiritûs inſiti deficientiâ, partim remanens à prægreſſo Catarrho fermentum p. n. quod ſubinde commotum partem denuò irritat. Eſt etiam *Catarrhus* vel *mitis* ſeu *frigidus*, à lymphâ inſipidâ uberius effusâ ortus, vel *acrior* ſeu *calidus*, à lymphâ corroſivâ, cum dolore, & diſpoſitione inflammatoriâ. Eſt porrò nunc *tenuis*, in *principio* nempe; nunc *craſſus*, ſcil. in incremento & ſtatu, quando parte excoriatâ ejus nutrimentum proprium Lymphæ ſe aſſociat, & ſpiſſiorem ac temperatam reddit. Non multum differt à *Catarrho* vero jam explicato *Catarrhus minus propriè ſic dictus*, ex ſeri ſanguinei decubitu, ob fibrarum aliqualem ſtricturam & contentorum remoram: hinc frigus externum poſt corporis æſtum Catarrhum, & refrigeratio nocturna partis, propter clauſos poros, dolorem infert; atque Serum ſcorbuticum in pedibus *dolores lancinantes*; Dentium irritatio & hinc fibrarum ſtrictura *Tumorem Maxillæ ſeroſum*; & Serum acrius pleuram fortuitò irritans *notham Pleureſin*, Catarrhis tributam, inducunt. *Cauſa occaſionalis* eſt læſio & irritatio, vel ex occaſione externâ, refrigeratione, &c. vel ex ipſius ſeri, pro materia Lymphæ diſtributi, acredine, vel in Malo habituali ex vitioſo fermento parti infixo & ob ſpiritus inſiti vitium nato.

Symptomata pro Partium affectarum varietate notabili variant. In genere præcedunt Capitis gravitas, ſen-

ſenſuum Torpor, artuum Laſſitudo, Horripilatio dorſi levis, Febricula veſpertino tempore exacerbata, inprimis ſi majus ſit vitium Lymphæ, præſertim Glandularum conglobatarum, ſanguini in axillarem ſiniſtram infuſo junctæ; Tuſſis, Raucedo, Sputum & Pathemata doloroſa, etiam veſperi & noctu magis affligunt, quamdiu *Catarrhus tenuis* eſt; dum verò craſſior lympha peccaverit, æqualiter ferè omni tempore affligunt. In *Catarrho calido* omnia intenſiora ſunt. Crudeliſſimi ſunt ſcorbutici Catarrhi, ſuperſtite enim fomite in Maſsâ ſanguineâ recidivant. Si *Catarrhus* ex interno partis vitio originem ducat, crebrior recidiva & mutationis tempeſtatum prompta ſenſatio Spiritûs inſiti debilitatem produnt. Si ex dyſcraſia Maſſæ ſangu. & Seri, vitio Ventriculi, hoc innuunt crebriores & ex uno loco in vicinum remoti *Catarrhi*, item Sputatio, dum multum ſudant Ægri, aut de læſione digeſtionis Ventriculi querimoniæ.

Prognoſis. Catarrhi à vitio interno pejores externis; peſſimi autem hæreditarii & à vitio partis privato orti. Quo ſæpius recurrunt, eo periculoſiores propter ſpiritûs inſiti labefactationem. In Senibus difficiles ſunt curatu, partim propter digeſtionem & ſpiritûs partium inſiti debilitatem, partim propter lympham acriorem & acidiorem. In ſpecie periculoſi ſunt ſi caput petant, plexus enim choroideus, æquè ac Glandula pinealis & pituitaria, circa lympham occupatus eſt; adeo ut lympha vitioſa ſecreta, & Cerebrum inundans, gravia Capitis ſymptomata inferat. Quo facilius excretione aliquâ factâ levatur Catarrhus, eò melius, quia minus periculum eſt, ne ex gráviori læſione partis, gravius malum ipſi immineat.

In *Cura.* Primariò reſpiciendum ad cauſam læſionis & irritationis partis, nam Lymphæ è Glandulis effuſio & Seri à ſanguine ſeparatio & retentio, non ſunt

niſi effectus irritationis præviæ. Deinde Lympha effuſa aut effundenda removenda eſt & corrigenda;& pars læſa reſtituenda. Pro his ſcopis obſerva 1. Inter *Evacuantia, Sudorifera & Diuretica* eminere inprimis *ſuccinata, myrrhata, Salia volat.CC. Succin.*&c. atq; Remedia ex *Lignis*. *Purgantia* minùs conveniunt, niſi contumacior ſit *Catarrhus* & ex ſtomachi vitio, quo in caſu ad *Vomitoria* & *Purgantia* accedendum, v.g. ℞ *M. pil. de Succin. Craton.*℈i. *Extr. Abſinth.gr.*v. *Reſin. Jalap. gr.*iij. *Scamm. ſulph. gr.*i. *Cum ſ.q. Ol. ſuccin. f. Pill.* Item *Jalap.* cum *Colocyn. Helleb. nig.* & *Merc. d.* Item *Decoct. melanagogum* cum *Lign. Saſſafr. Pill. Aloephang &c.* 2. Si concurrat lymphæ acrimonia vitioſa, *opiata* proſunt, *ſuccinatis* & *aromaticis* miſta, expectando levem ſudorem: propinatur veſperi in *Catarrho tenui* noctu ingraveſcente. Vitentur tamen in *Catarrho epidemico* vel *critico*, item in Statu. 3. *Fonticuli* & *Veſicatoria* productum morboſum unà cum ſanguine & ſero laudabili emungunt, unde imminutâ nonnihil materiâ catarrhali, inſultus mitior evadit, ſed cauſam non attingunt; adeoque Catarrhis contumacibus ſæpius recidivantibus palliativum tantùm remedium exiſtunt. 4. *Venæſectio* per ſe locum non habet. Sed in Plethorâ, & ſuppreſsâ conſuetâ ſanguinis evacuatione, ac ubi confeſtim nimius fit decubitus catarrhalis in partem aliquam, ſecundùm revulſionem & derivationem inſtituta, proficua eſſe ſolet. 5. Poſt *opiata, ſudorifera appropriata* in paroxyſmis catarrhalibus ſerum minuunt, & ſordes abſtergunt, atq; ſimul balſamicâ vi idem corrigunt & partes roborant.

Appropriata igitur ſunt omnia ex *Junip.* ejuſque *Baccis* parata; *Myrrha*, quælibet *ſuccinata*; *Cinnabaris* tam *nativa* quàm *antim. Salia volatilia* tam *ſimpl.* quàm *oleoſa*. Nobiliſſimum eſt *Lign. Saſſafr.* & ſtomachicum & ſerum corrigens, ſimulque per urinam & ſudorem evacuans,

cuans, unde egregia eſt ejus *Eſſentia* parata cum *Spir. Serpill.* commendatum enim eſt *Serpillum* ad *Catarrhos*, ſicut & *Roſmar. Satureia, Guajac. Saſſafratis* autem adde ſummit. *Pini* in *Catarrho ſcorbutico.* Nobile eſt *Maſtiche*, adeoque *decoct. Ligni lentiſcini.* Mirè ſanguinem emendat & Ventriculum roborat *Radix Caryophyllatæ*, unde decantatum eſt *Vinum illud medicatum Paracelſi* ex *Rad. Caryophyllat.* & *Acor. adulter.* Egregium quoque eſt *Succinum* cum *Eſſent. Serpilli* uſurpatum; item *Liq.CC. ſuccinat.* paratus cum *Elæoſacch.*ex *Ol.deſt.Succin.* & *Sal.vol.Succin.* Item *Myrrha* cum *Tinctura Tart.* in *Eſſentiam* ſoluta; *Flor. ſulph. Balſ. ſuccinat. juniperin.* Hinc & *Sal.vol.* CC. & *Spir.Salis armon.* cum *Ol. Mac.* & *Spir.Vini*, tam curativè ſudorem movendo, quàm præſervativè contenta corporis alterando ſalutarem effectum præſtant.

Externè conveniunt *Suffitus nervini*, hinc *Litus* ex *Ol. deſt.Menth. Majoran.*&c. cavendo interea, ne, qui capitis ſunt debilioris, ab hujuſmodi fumoſis & penetrantibus ad Sternutationem irritentur. Huc facit *Fumus Tabaci* addito *Sem. Aniſ.Coriand.* & *Succin.* qui irritans illud reſolvit, lympham corrigit, attenuat & evacuat, & virtute narcoticâ motus catarrhales ſiſtit. Ulterius *anticatarrhale* eſt *Empl. de Beton.* cum *Gum. Tacamah.* in *Oleis appropr. malax.* In *Catarrhis externis*, inprimis ex refrigeratione poſt ſudorem, & doloribus lancinantibus, cavendum ab *oleoſis* poros replentibus: ſed applicanda *Tacamahaca* in Vino ſolut. & extenſ. ſuper alutam. Quod ſi cutis ex *gummatum* applicatione tollatur in Puſtulas, præmiſſa frictione applicetur *Tinctura aromatica*, ex *Spir. Vin.* & *Sem.4. cal.maj. Eruc. Sinap. Rore marino, Majoran. Salv. Serpill.* &c. infuſis parata.

ARTIC. II.

De Coryza.

SI Lympha naturaliter nares humectans, copioſa, tenuis *&* acris defluat, eamque ſucceſſivè liquor ſpiſſus, varieque interdum coloratus inſequantur, Catarrhus eſt *Coryza* dictus. Cujus cauſa præter vitium Lymphæ & Maſſæ ſangu. internum, frequentiſſimè eſt aër hybernus interiora Narium lædens, non ſecus ac in Labiorum *&* Manuum fiſſuris; occaſione cujus funditur primo tenuis acris humor, qui in progreſſu nutrimento partis excoriatæ ſociatus, ſpiſſior evadit, *&* narium ſuprema obſtruendo inſpirationem tollit. Idem præſtant *Sternutatoria acria* crebrius uſurpata; item fumi minerales inſpirati. Quando procedit à ſimili cauſa externa, læditur ſimul Larynx cum Faucibus, partim à cauſa externa, partim à lympha è Glandula pituitaria, unde Sputatio *&* Tuſſis. Interdum effluvia è Naribus affectis exhalantia fermenti naturam obtinent, *&* aliorum Naribus attracta *contagioſa* evadunt. In *Prognoſi*, periculo caret, modò acrior lympha non exulceret interiora Narium, *&* ita Ozænas vel narium Ulcera producat.

In *Cura*. Irritatio in *principio* ſiſtenda, *&* mucus productus in *incremento* abſtergendus; ſociando ſimul nunc *laxantia*, nunc *ſudorifera*, pro conditione Patientis *&* *Catarrhi epidemici* vel non *epidemici*. Irritationem ſiſtunt, inprimis *Ol. Aniſ.* illitum, *&* ſi jam Nares cum rubedine doleant *&* excoriatæ ſint, cum *polentà* ſubactum; *Camph. in Ol. Amygd. d.* ſoluta & extrinſecus Naribus applicata; odor *Cornuum raſpat.* *Suffitus* ex *Gum. Animæ*, naribus, ore & toto corpore exceptus; addito ſubinde *Succin. Thur. Maſtich. &* *Benzoe*. Mucus

coa-

coacervatus evacuatur per *Nodulum ſequ.* ℞ *Fol.Major.p.* iii. *Sem. Nigel. contuſ.* ʒii. *Ol.deſt.Major.gut.*ii. *Ol. deſt. Succin. & Aniſ. an.gt.*vi. *M.d. cum ſtylo.* Item per *ſternutatoria* ex *Vitriol.ad alb. calcin.gr.*xii. *in* ℥ij. *Aquæ Major. dilut.* Liquorem filtratum Naribus attrahendo. Si Nares obſtruantur, optimus eſt *ſuffitus Aceti ſuper Ferrum candens effuſi*, item Litus ex *Ol. Nicot. & Irin. an.* ʒi. *Ol. ſtill. Majoran. gt.* vi. intrinſecus Naribus illinendus. Si Caput ſit grave & obnubilatum, vertici illinitur *Balſ.per.* vel ubi fortius agendum *Ol. deſt. Succin.* Pro præſervatione partium Oris, in principio retineantur in Ore *Troch.* ex *Mithrid.* & *Olibano.*

Quoad *Faucium phlogoſes* & *dolores*, Guſtûs abolitionem & Tuſſim, Coryzæ graviori ſupervenientia, præter *ſuffitus* ſupra dictos, conven. *opiata* veſperi exhibita, & Lympham acriorem incraſſantia inprimis *papaverina.* Si viſcidior mucus hinc genitus illas partes obſideat, uſurpantur *incidentia expectorantia.* Solent noſtræ mulierculæ Fauces & aſperam Arteriam à læſionibus aëris præſervare, maſticando & deglutiendo jejuno ſtomacho *Paſſulas majores* in *Spir. Aniſ.* maceratas; inductos verò Catarrhos Faucium & Laryngis ferè curant per *Ficus*, quibus in fruſtula diſſectis *Spiritum Vini* optimum affundunt & deflagrant, continuo agitando, hinc fruſtula hæc ſemiaſſata veſpertino tempore comedunt.

ARTIC. III.

De Hydropibus particularibus; inprimis Aſcite, Hydrope Pectoris & Hydrocephalo.

INterdum Lympha in motu ſuo per vaſa lymphatica impedita ſtagnat, unde ſpatiola vaſorum intra Valvulas intercepta intumeſcunt inſtar veſicularum aquoſarum; donec rumpantur à diſtenſione nimia, aut ero-

dantur ab acrimonia Lymphæ. Ruptis ſic vaſis, Lympha in cavum effunditur, unde *Hydropes particulares*; vix autem *univerſales*, cum Lymphæ motus in univerſo corpore impeditus vix ſupponi queat.

Inter *Hydropes particulares* frequentior eſt *Aſcites* ſeu *Hydrops abdominis*, partim quia plura continet Viſcera copioſis vaſis lymphaticis inſtructa, partim quia Meſenterium inſtructum eſt vaſis lacteis, quorum ruptio & exinde Chyli in abdomen deſtillatio contumaciſſima eſt *Aſcitis* cauſa; inprimis poſt hauſtam frigidam in corpore æſtuante, quia ſic pituita Inteſtinorum à calore attenuata, Vaſa lactea penetrat, & poſtmodum ſuperveniente frigore ſpiſſata vaſa eadem & glandulas obſtruit, unde vaſis diſtenſis & ruptis ſequitur *Hydrops ſubitaneus*. Colligitur hæc aqua nunc intra Peritonæum, nunc intra cavum Omenti, nunc intra partium membranas, & quidem veſiculari formâ. Hujuſmodi Hydrops *Hippocrati ſiccus* dicitur, quia ſolum Abdomen tumidum eſt, pedes verò aliæque partes aridæ ſunt, ſqualidę & marceſcentes. In hoc Urinę ſunt pauciſſimæ, ſplendidæ, croceæ inſtar icteritiarum, ſed non adeo craſſæ, & in ignem effuſæ ardent. Cauſam diximus eſſe Lymphæ vel Chyli impeditum motum: præter quem, ſanguinis ſubita ſuppreſſio, aut in interna parte effuſi grumeſcentia, ad Hydropem hunc diſponere obſervatur; quo forſan facit *experimentum Loweri de Corde*, p. 124. & 125. In *Cura*, obſtructio Vaſorum lymphaticorum aut lacteorum per *ſalina diuretica* aut *ſudorifera* ſolvatur. Sanguini grumoſo, ſi quis ſit, per *appropriata* ſuccurratur. Aſſerit *Lindanus*, in Hydrope ſicco non purgantia, ſed nitrata & ſanguinem temperantia convenire. *Paracentheſis* hic optima.

Pectoris Hydrops fit plerumque in utraque, raro in altera ſolùm Thoracis medietate. Præter *Cauſas communes*, ruptio Vaſorum lymphaticorum & lacteorum frequenter

ter accuſanda eſt; item *Hydrocele diſcuſſa*, ſingularis enim eſt Pectoris cum Teſtibus conſenſus. Adeſt dolor gravans in pectore, ſonitus fluctuationis, dum corpus movetur, Tuſſis ſicca, Reſpiratio difficilis veſperi intendens, ſubinde Orthopnœa, Appetitus proſtratio, Palpitatio cordis, & interdum Febricula. In *Prognoſi*, ſæpe mortem inducit, ſaltem recidivat. *Cura* fit per *Succ. Bryon. Suc. Ireos noſtr.* pro purgatione; *Decoct. ſudoriferum*, & alia in *Aſcite univerſali* laudata. *Paracentheſis* hic maximè ſalutaris eſt, ſi maturè, antequam Viſcera corrupta ſunt, inſtituatur.

Succedit *Hydrocephalus*, ſeu *Hydrops Capitis*, qui eſt triplex, 1. Collectio aquarum intra partes cutaneas & Cranium. 2. Intra Cranium & Cerebrum ſeu infra Meninges. 3. In ventriculo Cerebri, Cerebrum & ipſam Calvariam diſtendens. *Cauſa proxima* eſt Lymphæ extravaſatio. *Cauſa remota* inter alia eſt ſitus Infantis in Utero, ita ut nimis inclinetur caput & impediatur Lymphæ reditus; unde etiam Partus difficilis. Frequentior eſt hic *Hydrops* in Infantibus propter facilem Suturarum diſceſſum. Aquæ in Cerebro collectæ potius Apoplexiam vel alios morbos inferunt. Dantur etiam obſervationes licèt raræ, *Hydrocephali* in Adultis. Si adſint Flatus, caput leviter pulſatum inſtar Tympani reſonat; & tumor digito preſſus, aut non recedit, aut ad priſtinum ſtatum illicò redit. Si humor colligatur extra Cranium, caput ſplendeſcit; pulſatum non ſonat: preſſus tumor cedit, & non revertitur ad priſtinum ſtatum. Si colligatur inter Cranium & Cerebrum, Tumor non adeo mollis eſt, frons quaſi exporrectus, Oculi intenti tumidi & lachrymantes, & ferè inſignis ſenſuum hebetudo. Si hæ circumſtantiæ abſint, & intumeſcat Caput; collectio eſt in Cerebri Ventriculis. Collectio ſupra Cranium facilè, inter Cranium & Cerebrum difficulter, intra Cerebrum difficillimè curatur.

In *Cura Hydrocephali* conveniunt *Clyſmata*, Adultis eadem purgantia, quæ in Aſcite univerſali, Infantibus *Merc. d.* cum *Syr. Roſ. ſol.* item *Tinctura Tartari.* Sed internis præferenda ſunt externa, vel *diſcutientia* vel *ſenſibiliter evacuantia*. *Diſcutientia* ſunt *Litus* ex *Oleo Chamom.* cum *Balſ. Sulph. tereb.* & *Ol. deſt. Succin.* item *Cochleæ* in *decocto cephalico* contuſæ applicatæ; *Fotus* ex *Lixivio Calc. viv.* ſeu *decocto Calcis viv. Sulphuris* & *Vitrioli* colato; *Cataplaſmata* & *Fomenta* ex *Chamom. Melil. Artemiſ. Stoech. arab. Calaminth. Roremar. Abſinth. Orig. Puleg.* quibus *Farin. Fab.* & *Lupin. Sterc. columb. capril. Sem. Aniſi.* & *Cumin.* ac *ſimilia* addi poſſunt. Denique *Eſſent. Roriſmar. Salv. Hyper.* & pro recens natis ſola *Olei Hyper.* continua inunctio. His irritis acceſſus fiat ad *ſenſibiliter evacuantia*, *Sectionem* nempe *chirurgicam* in *Hydrocephalo externo* tolerabilem, ſed in *Hydrocephalo intra Cerebri ventriculos* periculoſiſſimam. In *Hydrocephalo intra Cranium* cautè fiat ſectio, & caveatur, ne unicâ vice nimium exhauriatur.

COLLEGII PRACTICI

LIBER II.

Sect. I.

De Spirituum animalium generatione vitiatâ, indeque motús & ſensûs Læſionibus: In ſpecie de Vigiliis & Somno vitiatis.

SAnguis defertur ad Cerebrum ac Cerebellum, ubi ab eodem ſeparatus *Spiritus vitalis* abit in *Spiritum* ſic dictum *animalem*, à quo & ſentiendi habemus poteſtatem & movendi activitatem, cum ratiocinationis ſublimiore actione. Pro hujus *Spiritus* varia conſtitutione obſervatur non ſolùm diverſitas Operationum animalium in ſingulis Individuis, ſed etiam in conſtitutione morboſa, variæ in ſenſu & motu, quin & Intellectus operationibus, læſiones oriuntur.

Diverſitas Spirituum dependet à varia craſi Maſſæ ſangu. & hinc diversá conſtitutione Cerebri, tam ſecundùm texturam naturalem, à Sanguine & Spiritu influo multum variatam, quàm ſecundùm conformationem mechanicam ratione pororum, ductuum, &c. quæ omnia Spiritum animalem variant. Hinc deducenda eſt

eſt inſignis illa ingeniorum diverſitas. Si *Spiritus* hi *animales* vitiosè generentur aut præternaturaliter alterentur, unà cum Organorum corporeorum, tam cerebri quàm aliorum, variâ conſtitutione, quaſvis læſiones in ſenſu & motu inducunt. Generantur autem Spiritus animales vitiosè, ex *defectu*, ex *abundantia*, & *depravatione*.

Antequam autem in ſpecie *Affectus facultatis animalis* conſideremus, notandum I. Syſtema nervoſum ex fibris nunc delicatiſſimis nunc firmioribus conſtare, quæ naturaliter tenduntur, & ſimul vim quaſi elaſticam obtinent ad motum; quæ vis ſub impetu interno Spirituum animalium, motum animalem infert. Si verò impulſu externo commoveatur, ſenſum *externum* facit. Ita ut Spirituum diversè conſtitutorum diverſi motus, & fibrarum nervearum diverſa textura, totam *facultatem animalem* abſolvant. 2. Cerebrum & Nervos ſingularem conſenſum habere ad extra cum motu Lunæ. 3. Mirabilem conſenſum habere Cerebrum & partes connexas cum Viſceribus Abdominis, in ſpecie Ventriculo. Unde ex læſo capite vomitus, ex imminente vomitu Vertigo, ex Stomacho vigiliæ, ex imaginatione ſubverſio Stomachi, in Picantibus & Hypochondriacis imaginationis læſio, ex affecto Abdomine in Hyſtericis motus convulſivi partium externarum, & *opiata* in Stomacho *facultatem animalem* afficiunt. 4. *Spiritus animales* eaſdem ſubire materiales conditiones cum Sanguine.

CAP. I.

De Vigiliis Nimiis.

S*Piritus animales* in naturali ſubtilitate moti, mediantibus fibris in organis ſenſuum promptè recipiunt impreſ-

impreſſiones, varioſque obeunt motus, quo in caſu animal vigilare dicitur, cujus privatio eſt Somnus, quæ duo neceſſariâ viciſſitudine ſe mutuo inſequùntur. Viciſſitudo hæc ſi tollatur, ita ut Somnus vel deficiat vel parcior ſit, oritur *Agrypnia*.

Cauſa proxima omnis *Agrypniæ* eſt motus Spirituum animalium aut nimius aut ſaltem continuus, in organa corporis vel interna vel externa, ſenſilium objectorum impreſſiones Cerebro communicans. Cauſa autem perpetui aut nimii Spirituum influxus eſt 1. Objectum ſenſile tam intra, quàm extra corpus afficiens, & ſpirituum motum excitans, v. gr. Clamor fortior, Dolor quicunque, Tuſſis, Dyſpnœa ſeu ſenſilis moleſtia circa Pulmones, & frequentiſſimè materia quædam vitioſa in primis viis hærens, quæ *Agrypnias* & *Pavores* Infantum inducit, Vigiliarum etiam poſt largam cœnam, aut ſub alvo obſtructâ, indubia cauſa exiſtit. His accedunt Animæ rationalis curæ ac meditationes, quæ Spirituum animalium motu ceu inſtrumento utuntur. 2. Cauſa *ſecunda* nimii Spirituum Influxus eſt ipſum Vitium morboſum, aut *Spirituum animalium*, quando mobiliores à calore, Febribus, &c. redduntur, aut à miaſmate maligno vel animi Affectibus irritantur; aut ipſius Cerebri vitium Spiritus in continuo motu ſervans, vel propter pororum nimiam apertionem, inprimis per inediam, ſub qua Cerebrum minùs humectatur; aut propter fibras Cerebri irritatas per nutrimentum acrius ab alimentis acrioribus aſſumptis, aut per ſerum acrius undecunque Cerebro communicatum. Senibus *Agrypnia* frequentiſſimè ſupervenit, partim digeſtionis primæ vitio & Chyli nutritivi defectu, partim ex Cerebri ariditate & pororum aperturâ, liberrimum Spiritibus commeatum permittente. *Melancholici* denique moleſtiſſima patiuntur *pervigilia*; quia præter phantaſmatis melancholici continuam ſpeculatio-

lationem, eorum Maſſæ ſangu. acrior & vitio digeſtionis primæ acidior eſſe videtur, unde Spiritus acriores generantur, & inſimul fixiores, motum impreſſum ſemel in Cerebro diu retinentes; fibræ etiam medullares Cerebri à nutrimento minùs temperato vitiantur.

Prognoſis. Vigiliæ debilitatem inferunt. In ætate conſiſtente aut Sexu muliebri, plus nocent, quàm in ætate Juvenili aut Sexu virili. In Morbis chronicis præſertim melancholicis, citra noxam diu continuantur; nonnunquam tamen in fatuitatem terminantur. A Vigiliis Convulſio aut delirium malum.

Cura. Objectum irritans removendum, ſpirituum impetus blandis anodynis, aut benè correctis narcoticis corrigendus, temperatis nutritivis Cerebrum humectandum. Ex quibus patet, *Univerſalia* vulgò dicta, nempe *Venæſectiones*, *Purgationes*, &c. niſi per accidens, nil conferre. Vera itaque remedia ſunt *refrigerantia* & *humectantia*, hinc *temperata* blandè nutrientia, & tandem papaverina. In ſpecie *Emulſiones ex Seminibus quatuor frigidis major. Sem. Papav. & Amygd. dulc.* cum *Aqua Nymph.* item *Decoctum Hord.* cum *Papav.* & *Liquir.* Sed *papaverina* & *narcotica* primatum ducunt: quibus *Crocus* & ſuo modo *Abſinthium* addenda ſunt. Notandum verò, opiata omittenda eſſe, quando vigiliæ ſunt inſtantis criſeos ſignum, quando anguſtiam pectoris in *Dyſpnœa*, *Hydrope*, &c. conjunctam habent, ne ſcilicet à ſomno fortiori ſuffocetur Æger; quando Senes ſunt inſomnes, illis enim confortantia potius conducunt; & tandem, ubi vires exhauſtæ ſunt, niſi ſaltem in parva quantitate & partitis vicibus exhibeantur.

Externè ad *Agrypniam* uſitatæ ſunt lotiones Manuum, Pedum & Temporum *decocto fol. Lactuc. Nymph. Solan. Vitis*, *Flor. Chamom. Capitum Papav.* &c. Inunguntur etiam Tempora *Medullà crurum Vituli* recenti. item

item *Oleo Papav. expreſſ. Ol. Nucis moſch. expr.* aut *Ungu. Popul.* cum *Extracto Opii.* Applicantur etiam Temporibus ac Fronti Emulſiones ex *Nucleis Perſic.* & *Sem. Papav. alb.* cum *Aqua Nymph.* vel *Lacte muliebri* paratæ. Itidem temporibus illiniri poteſt *Liquor Vermiculorum* in globulis *Cynosbati* repertorum. *Cerumen ex auribus Aſini* extractum, & aliquali quantitate Temporibus illitum potens eſt narcoticum, ſed periculoſum. *Turundæ* ex grano uno atque altero *Laud. Opiat.* naribus indita, ut & *Aqua Roſ.* cum *Opio* & *Croco* tepidè Temporibus applicata, ſomnum optimè inducunt.

In Vigiliis Senum conveniunt non tam *anodyna*, quàm *confortantia* digeſtionem primam promoventia, v. g. *Vinum dulce* & *Remedia ambrata* atque *moſchata*. *Agrypniæ* in *Catarrhis frigidis* per uſum *Piperis albi*, item per *Electuaria* ex *Aromat.* & *calidis* optimè ſopiuntur. Alii in *Vigiliis nimiis* à cruditate *Ventriculi Spiritûs Vini*, uſum poſt cœnam commendare ſolent. In *Agrypniis* cum Spirituum abſumptione, *Vina dulcia* cum talibus *analepticis* ſunt optima; aut ſi propinanda *Papaverina*, eadem *Aromaticis* ſocianda ſunt, ad imitationem *Philoniorum.*

CAP. II.

De Somno nimio.

Diſtinguendus eſt Somnus præternaturalis nimius ab *Impotentia vigilandi*, dum Ægri ab operationum animalium imbecillitate, inſtar dormientium jacent, utut revera vigilent, & acceſſu cujuſdam Perſonæ inconſuetæ oculos aperiant, iterumque collabi ſinant. Diſtinguendus porrò eſt nimius *Somnus præternaturalis*, à *Somno nimio* non naturali, poſt laſſitudines, ſanguinis excretiones, dolores, & quemvis etiam Spirituum ſubi-

ſubitò exhauſtorum defectum. Sæpè etiam *Lipothymia* inHyſtericis, atq; debilioribus poſt partum, & poſt largiores *Venæjectiones*, ſub ſpecie *Somnolentiæ* ingruit.

Si Somnus nimius præternaturalis jungatur cum *Delirio* tali, in quo excitati Ægri verè delira loquuntur, ac denuo in Somnnm relabuntur, vocatur *Coma ſomnolentum* & *Cataphora*. Si *Delirium* ſit tale, ut licèt dormiant, propter gravia inſomnia quoad internas operationes animales revera vigilent, clamitent & inordinatè ſeſe moveant, dicitur *Coma vigil*. *Comata* hæc obſervantur ſæpe ſine Febri, licèt utplurimum ſint Febrium ſymptomata. Si ſopor ſit profundus cum delirio & inſigni oblivione, conjunctus cum Febre lenta, *Lethargus* ſeu *Veternus* appellatur. In hoc Affectu Ægri momento citius omnium ferè obliviſcuntur, & excitati delira loquuntur, ſicut ii, qui ex profundo ſomno excitati naturaliter, non adeò appoſitè reſpondent. Febricula lenta adeſt, eaque continua, quæ ferè veſpertino ac matutino tempore exacerbatur. Calor nec acris nec mordax, pulſus frequentes & magni. Urina ut Jumentorum redditur turbida. Si Somnus ſit adeo profundus, ut Æger vix aut nullâ ratione excitari queat, quin ſtertendo profundè admodum dormiat, ſalvâ tamen manente Reſpiratione, dicitur *Carus*, qui proximus eſt ad *Apoplexiam* gradus. Nam ſi ab *interna* cauſa oriatur, revera erit *Apoplexia laxior*; ſi ab *externâ*, *Carus* dicitur. Proprieque *Carus* fit ab errore quodam externo, inprimis nimia Ebrietate, fumis Carbonum, aut potuum fermenteſcentium hauſtibus nimio *Croci* odore, abuſu fumi Nicotianæ, diutino ſub Juglande ſomno, unde Nuces illæ Græcis dictæ ſunt κάρυαι, Mercurii vapore naribus excepto, contuſionibus aut concuſſionibus capitis, &c. Huc pertinent *Noctambuli*, in quibus revera eſt *Somnus vigilans* & *Vigilia ſomnians*, dum clauſis organis ſenſuum externis dormiunt, ſed

per

per Spiritus paulo fixiores ſub imaginationis actione agitatos vigilant. Ab hoc enim poſſeſſore moventur quidam, neſcieutes tamen quorſum. Uno nomine eſt validum Somnium. Clauſis quidem oculis in locis, quæ alias peragrare ſolent, conniventibus verò in locis minus conſuetis, ſubinde non ſine nocumento, verſantur. Eſt gradus levior Delirii aut Melancholiæ hypochondriacæ, Lunæ phaſibus auſcultans, qui ſimili ratione curatur.

Cauſa. Sicut Somnus naturalis, ex aliquali Spirituum torpore, & phlegmatica diſpoſitione oritur; ita nimius Spirituum animalium torpor cujuſvis ſomni præternaturalis *cauſa proxima* exiſtit. *Cauſam remotam* ſuggerunt nimia aquoſitas aut pituitoſitas Maſſæ ſanguin. & hinc Cerebri; vel ea, quæ Spiritus animales narcoſi ſeu ſtupore quodam afficere valent. Facilè fieri poteſt, ut ratione Glandularum hinc inde in Cerebro reperiendarum, *Lympha* in motu ſuo impedita Cerebrum nunc inundet, nunc ex Maſsâ ſangu. mediante Colluvie ſerosâ, variis recrementis onuſtâ, in Cerebrum diſtillet. A tali cauſa Spiritus animales torpidiores ac phlegmatici redduntur, eorumque debita expanſio in porulis Cerebri hinc inde refertis impeditur. Hinc eſt, quòd *Hydrocephalus* & Morborum criſes *Lethargum* inducant; quod Infantes, propter Cerebrum humidius, & Phlegmatici aut Catarrhis capitis obnoxii, facilè in Somnum inclinent. Hinc eſt quòd Suppreſſio Urinæ, & crebrior Capitis lotio ſomnum inferant. Hinc eſt quòd ventriculi Cerebri in mortuis multâ aquâ pleni reperiuntur, quod *Lethargus* ex vitio ſeri cum *Arthritide* periodicè ſæpè recurrat; & gravi ſternutatorio levetur. Quoad vim narcoticam, ex cauſis internis enatam, ac Spiritus figentem, hanc inexpugnabilis iſta dormiendi neceſſitas & junctum Delirium, effectus Opiatorum ſimillimi, confirmant. Hujus vir-

tutis ſubjectum eſt *acre oleoſum*, non præcisè in Capite, ſed in primis Viis & Hypochondriis contentum. Huc facit *Somnolentia* in *Peſte*, illa item ex aurâ venenatâ è pollice emiſsâ, per Cauſticum actuale Pollici admotum curata; item illa à Vaporibus uterinis in Paſſione hyſtericâ, & aliàs à Lumbricis, oriri obſervata. Febris lenta *Lethargum* concomitans, videtur eſſe ex genere *Lymphaticarum*. In *Comate vigili* præter dicta in ſpecie malignitatis narcoticæ ratio eſt habenda.

Prognoſis. *Coma*, præſertim *vigil*, in Febribus ardentibus utplurimum lethale eſt. Lethargici intra ſeptem dies moriuntur, quos ſi effugiant ſani evadunt. Sanatur autem Lethargus, evacuatâ vel ſponte vel arte materiâ peccante per alvum, aut erumpentibus Parotidibus die critico, aut ſi fiat copioſa ejus per os vel nares emunctio: quibus ſi adjungatur Febris & reliquorum Symptomatum remiſſio, ſpes eſt Ægrum convaliturum: contrà ſi accreſcant Symptomata, & erumpat ſudor frigidus, inprimis in capite, lethale eſt. Tremor Lethargo ſuperveniens eſt periculoſus; contrà ſuperveniens Phrenitis ſalutaris; conſequens verò Phrenitidem Lethargus lethalis exiſtit.

Cura. Si Affectus ſoporoſus à causâ externâ, aſſumptis vel inſpiratis oriatur, poſt Vomitum convenit *Acetum* & *Caſtoreum*. Si à causâ internâ, probè advertendum eſt, an per ſe morbum conſtituat, an verò aliis morbis superveniat. Si per ſe morbum conſtituat, attendendum an vis narcotica, an colluvies ſeroſa illum induxerit. Si per ſe ex colluvie recrementoſa originem duxerit, vel ſi aliis morbis ſuperveniat ſine metaſtaſeos materiæ ſuſpicione, *Vomitoria*, *Purgatio*, *Venæſectio* averſoria & derivatoria, *ſternutatoria*, *veſicatoria*, & tandem *acria volatilia*, Spirituum torporem excitantia, ſunt optima. Sin verò ex vi narcoticâ plus minus malignâ, originem ducant Affectus ſoporoſi, poſt vomitum

tum vel præmiſſum vel omiſſum, conveniunt *acria volatilia*, virulentiæ narcoticæ ſpeciatim contraria, ut & *Veſicatoria* atque *Cataplaſmata* pedibus applicata.

Inter *evacuantia* primatum obtinet *Vomitus*; cujus defectu *purgatio* citò inſtituatur, idque *forti Medicamento*. Inter *purgantia* excellit *Scammonium* cum *Caſtoreo*. Pro *Clyſtere* autem

℞ *Herb. Abſinth. Centaur. min. Fol. Rut. an M. j. Rad. Pyreth.* ʒvi. *Pulp. Colocynt. in petia ligat.* ʒi. *Coq. in ſ. q. Aquæ comm. Colat.* ℥ix. *adde Elect. Hier. cum Agaric.* ℥j. *Fell. Tauri inſpiſſ.* ʒj. *Vitell. Ovi. no.* 1. *M. pro Clyſtere.*

Si colluvies recrementorum Cerebrum inundet, juxta Clyſma conducit *Venæſectio* averſoria aut derivatoria; etiam in Venis Jugularibus. Quibus non ſufficientibus altero die *Cucurbitulæ* cum ſacrificatione inter Scapulas, aut *Hirudines* prope Aures applicari poſſunt. Quod ſi nec ſic reſuſcitari videatur Æger, præmiſſis talibus (non aliàs) applicentur *Veſicatoria* acerrima pro ſcopo excitatorio, nunc Vertici, nunc Syncipiti, nunc Cruribus. Inſufflentur etiam Naribus *ſternutatoria* pro ſcopo evacuatorio, ex *Pulv. Nicotian.* ℥ii. *Lil. convall.* ʒi. *Rad. Helleb. alb.* ℈j. *Ol. deſtill. Major.* gt. iv. *Caſtor.* gr. xij. *M.* quibus *Sal. vol.* & *Spiritus Sal. armon.* commodè permiſcentur.

Cum hiſce modò narratis, propinanda ſunt internè *appropriata* ſpiritus excitantia. Inter quæ primatum ducunt *Caſtoreum*, præſertim ejus *Eſſentia* cum *Spir. Salis armon. urinoſo* parata. Hinc *Spir. ſal. armon. Spir. Formic. volat. Spir. ſem. Sinap.* cum vehiculo *Aqu. Lil. convall. ſpirituoſæ*, propinati; qui plus præſtant in Affectibus ſoporoſis, quàm *Spiritus aromatici ſulphurei*. Si ſuſpicio ſit virulentiæ narcoticæ, uſurpentur *acida volatilia*, inprimis *Spiritus Vitriol. antepilepticus* cum *Urina pueri* paratus, & loco ejus *Spir. virid. Æris* per ſe præparatus. Forſan uſus *Herbæ Thée* non inconveniens eſt,

cum aliis appropriatis. Quibus ritè adminiſtratis *ſudoriſera* ex *Lignis* parata curam claudant.

His *internis* junguntur & *externa*, *acria* nempe, Senſuum organa vellicantia. Tempora igitur, Nares, Frons, ac Lingua illinantur *Oleis deſtill. Succin. Majoran. Aneth.* aut *Balſamis cephalicis*: item *Spir. ſal. armon. volat.* in vitro anguſti ſed longi colli Naribus ſubinde admoveatur; vel *Acetum Caſtoreo* infuſum cum linteo naribus applicetur. Conducit etiam pro Lethargicis Sinapi Aceto ſubactum, & forti frictione plantis pedum appoſitum. In *Comate* Febrili tam ſomnolento quàm vigili iisdem locis admoveatur *Cataplaſma è Rad. Raphan. recent. Rut. Piperit.* cum *Fermento, Aceto* & *Sale communi*, vel cum *Sapone nigro* & *Sale marino*. Si *narcotica* ſomnum induxerint, optimum remedium eſt *Acetum Caſtoreo* impragnatum, inprimis *Acet. ſquillit.* in quo *Extract. Caſtor.* ſolutum fuerit: quâ miſturâ Frons, Tempora, Pulſus manuum, plantæ Pedum, ac inprimis Genitalia irrorentur & ſedulò fricentur.

Si ex vaporibus & fumis venenatis oriatur *Carus*, Vomitus maturè inſtituendus, & hinc *acida* atq; *caſtorina* uſurpanda erunt, v. g. ℞ *Aquæ Menth. Aq. Rut. Acet. Rutac.* an ℥j. *Eſſent. Caſtor.* ʒiij. *Syr. Menth.* ℥ij. *M.* capiatur crebrò per cochlearia. Si ex ebrietate oriatur Affectus ſoporoſus, præmiſſo *vomitorio*, internè convenit *Spir. ſal. armon.* Fronti verò ac Temporibus Acetum applicandum. *Epithema* ex *Succo Semperviv. Meliſſæ, Acet.* & *Nitro* Teſtibus applicandum, & ſubinde removendum.

Pertinet ad hos Affectus *Catoche* ſeu *Catalepſis*, quando nempe Ægri inſtar ſtatuæ in figura per motum acquiſitâ fixi perſtant, oculis pertinaciter hiantibus, cum vultu torvo; non dormiunt ſed videntur dormire, nec moventur niſi ab impulſu externo. In hoc caſu certum eſt Spiritus fixatos eſſe minuſque mobiles, quàm natu-

naturaliter eſſe debent; & ſimul etiam Membra animare, cum mobilia ſint & figuram quamvis retineant. Sed an ſit nimius Spirituum motus in muſculum utrumque antagoniſtam irruens, an verò coagulatio ſit quædam Spirituum animalium, res adhuc dubia eſt. Rarus utique eſt Affectus, à frigore, Menſium ſuppreſſione, Vermibus, paroxyſmis Febris intermittentis, vapore carbonum accenſorum, vel amore repudiato quandoque ortum habens. Remedia hactenus proficua ſunt *Vomitoria antimoniata*, *Spiritus vini rectificatus* ſive *internè* ſive *externè*; item *Cataplaſmata* & *Suppoſitoria* acria.

SECT. II.

De Vertigine.

VERTIGO à vertendo dicta eſt iſte affectus, in quo omnia circumrotari videntur. Idem contingit, dum clauſis oculis corpus circumagitamus, & denuo factâ quiete oculos aperimus; Ebrii dein etiam Vertiginoſi evadunt plerunque. Ratione graduum triplex eſt *Vèrtigo*. 1. Quando corpus tantùm & exteriora circumgyrari videntur. 2. Quando adeſt Scotomia, *i. e.* quando oculi velut effusâ caligine obſcurantur, aut varii Colores præ illis verſari videntur. 3. Quando oculorum Caligo in tantùm invaleſcit, ut Æger protinus concidat; diciturque *Vertigo caduca* quàm proximè ad Epilepſiam accedens.

Cauſa eſt motus inordinatus Spirituum animalium in Oculo, Auribus, aliiſque Senſuum organis agitatorum; nam Spirituum circumgyrata motio, & in Retinam illiſio, objectorum externorum circumgyrationem apparere facit, quatenus nempe talem motum excitat, qualem objecta externa revera in gyrum mota

Unde deducendi ſunt & varii colores, & ſplendores præ oculis verſantes; uti & ipſa Caliginis apparentia. Perturbatus enim Spirituum animalium motus abrumpit corporum lucidorum radioſam ſeriem, adeo ut quaſi deficiat. Parili ratione appulſus inordinatus ſpirituum ad tunicam cochleæ, ſonitum excitat in Auribus ſimilem illi, à contactu aëris interni naturaliter oriri ſolito. Ulterius, ſi inordinatus hic ſpirituum motus ad muſculos continuetur, nunc ex eorum hinc inde quaſi abruptorum defectu ceſſans objectorum apprehenſio & caſus, nunc ex inordinato influxu leves Convulſiones ſuperveniunt. Adeo ut non ſolùm Spiritus viſorius in Oculis perturbetur, ſed & totum Spirituum animalium ſyſtema impetuoſius in Cerebro concitari ſub *graviori Vertigine* videatur; utut rotatio illa, *Vertiginem* inferens, in Oculis non in Cerebro ſedem habeat; niſi diſtinguere velis ipſam actualem circumgyrationem, quæ eſt in oculis, ab ejus apparentia & perceptione, quæ in Senſu communi peragitur. Hæc de cauſa *proxima*. Quoad *remotam* obſervandum, *Vertiginem* eſſe vel *per conſenſum* aliorum membrorum affectorum; vel *per eſſentiam*, quando nempe ex vitio Cerebri qualicunque immediatè oritur.

Partes, quarum conſenſu fit *Vertigo*, ſunt inprimis Ventriculus, cujus varia peccata, præcipuè vitioſus ſui generis acor volatilis, orificium ſuperius affligens Vertiginem infert. Hujus manifeſtum indicium eſt, quod jejunium *Vertiginem* inducat, una verò aut altera panis buccella eandem avertat, idque frequenter in Hypochondriacis Juvenibus ſtudioſis; item in Senibus, in quibus cum debili ſtomacho concurrit Spirituum omnium debilitas & vitiata Cerebri textura. In Hyſtericis etiam *Suffocatio* dicta *uterina* à *Vertigine* introducitur. Ebrietas ad *Vertiginem* diſponit, primò, vitio Spirituum animalium, à ſpiritu vinoſo & Alimento nondum

dum ritè aſſimilato agitatorum; & deinde per conſenſum Ventriculi. Porrò flatulenti Cibi in Ventriculo, uti & Vermes Inteſtinorum, nonnullos *Vertiginoſos* reddunt. Adeo ut *Vertigo per conſenſum* utplurimum ſit ex vitio Stomachi. Præterea tamen ex Liene, Renibus aliisque partibus, nervis inſignioribus ditatis, per *conſenſum* itidem oriri poteſt *Vertigo*. Sic etiam Calculus Renum, ex pelvi in Ureteres commotus, in quibuſdam inferre ſolet *Scotomias*. Refertur *Vertigo per conſenſum* vulgò ad vapores & exhalationes ex inferioribus partibus in Cerebrum elevatis, ſed impoſſibilis eſt horum vaporum tranſitus. Percipitur quidem auræ quaſi frigidæ adſcenſus, qui ſpirituum reſilitioni imputandus. Nam in his caſibus eſt Spirituum verſus Cerebrum radiativorum recurſus inordinatus, & quaſi reſilitionis impetus, qui vaporis imaginarium adſcenſum infert.

Vertigo per eſſentiam plerumque à cauſa externa, afficiente Caput & Cerebrum, producitur, raro enim à causà internâ procedit; niſi ſuperveniat *Vertigini per conſenſum*, quæ texturam Cerebri vitiaverit. Quod ſi *per Eſſentiam* à ſeipſo incipiat *Vertigo*, originem ducit 1. Ab aliquo heterogeneo Spiritibus permiſto, ſic ut in Ebrietate & fumo Tabaci. 2. Ab aliquo præternali in Cerebri medullam immiſſo, cum ſanguine aut ſero influentibus. Hinc ex ſuppreſſione ſanguinis, nimiâ Venere, abſumptiſque Spirituum animalium copiis, *Vertigo* oriri obſervatur. Huc pertinet hiſtoria de Chirurgo, Lue gallicâ infectos crebrò curante, qui à virulentia venerea Cerebro communicatâ Vertiginem contraxit. Pertinet etiam huc ipſius Maſſæ ſanguin. conſtitutio præternaturalis Cerebrum afficiens, & hinc Spirituum motum turbans. Denique *Vertigines per eſſentiam* fiunt ex vitio Cerebri quocunque, tam *conformationis*, ex caſu, contuſione, *&c.* quàm *digeſtionis*

propriæ, quo in caſu Abſceſſus materiæ virulentæ nonnunquam juvant.

Prognoſis. Vertigo gravior & diuturnior inprimis citra cauſam manifeſtam externam inchoans, in Junioribus Epilepſiam, in Senibus Apoplexiam, certiſſimè prænunciat. In Senibus periculoſior quàm in Junioribus. *Caduca* omnium peſſima eſt.

Cura. Præſervatio reſpicit fomitem morboſum; & inprimis Stomachum. In curatione, vel *vomitus*, vel *opiata*, vel certè *epileptica* ſunt optima. Obſervandum utique 1. In *Vertigine per conſenſum* Vomitoria eſſe præſtantiſſima & ſæpè neceſſaria. 2. Venæſect. vix convenit, niſi à ſanguine foveatur malum. 3. In malo inveterato *per conſenſum* conducunt *Pilulæ purgantes*, ex *Aloe, Gummi ammon. Myrrhâ*, &c. omnibus novi- & pleniluniis inſtantibus veſperi capiendæ, ut nempe mundæ ſerventur primæ viæ, ac fomes ex Abdomine emanet. Proſunt etiam Vertiginoſis *Pilul. Maſtich. Extract. Helleb. nig. cum Mercur. dulc.* item *M. Pil. de Succin. Craton.* cum ſtimulo *Extract. Colocynth.*. 4. *Sternutatoria* & oculis nocent, & genus nervoſum nimis commovent. 5. *Fonticuli* brachio inuſti in Senibus & Cacochymicis ſunt proficui. 6. Curato Paroxyſmo, & corpore purgato, de præſervatione cogitandum eſt, adeoque inprimis proſpiciendum Ventriculo; *v. g.*

℞ *Galang.* ℥ß. *Cubeb.* ʒij. *Sacchari* ʒiß. *M. F. Tragæa; de qua inſpergantur* ʒij. *pani biſcocto Vino generoſo intincto, & ita comedatur unâ alterave horâ ante paſtum.*

℞ *Conſerv. flor. Anth.* ℥j. *Conſerv. Salv. Majoran. an.* ℥ß. *ZZ. Indic. condit.* ʒiiß. *Sem. Sinap. Eruc. an.* ʒij. *Cardamom. Cubeb. Galang. an.* ℈j. *Sal. vol. Succin.* ʒß. *Spir. Ceraſ. nigr.* ʒj. *cum Syr. flor. Tunic. f. Electuarium, de quo capiat mane & veſperi pro lubitu.* His adde *Elix. Menth.* cum *Spir. Maſtich.* ſemper proficuum.

Hæc curare ſolent Vertiginem accidentalem *per conſenſum*

ſenſum, minùs *inveteratam*; ſed in *habituali* & *inveteratâ* addenda ſunt *appropriata*, viz. *Pæon. Cubebæ maſticatæ aut Vino infuſæ*, *Sem. Sinapi*, *Cinnabar.* & *nativa* & *Antimon. Succinum*, *præſertim ejus Ol. deſt.* vel hujus loco *Ol. Petræ album.* Unum ex primariis eſt *Stercus Pavonum* vel in *pulvere*, vel *Electu.* cum *Conſerv. Roriſmar.* vel *Infuſum in Vino*, cui ejus loco adduntur alia *cephalica* & *epileptica*. *Doronicum* magis ex præconcepta opinione, quàm rei veritate uſurpatur, *Rupricapræ* enim alpinæ non hujus uſu, ſed conſuetudine montes ſcandere aptæ ſunt. *Eſſentia compoſ.* ex *Chærefol.* & *Roremar.* ſæpè proficua obſervatur, præſertim ſi malum in Senibus à frigore hyberno grandius reddatur. Laudatur *Decoctum Salviæ* in *Aqua* aut *Vino*, tam internè, quàm externè pro lotione Capitis, Frontis, & Temporum. Expertum eſt *Electuarium* ex *Sem. Sinapi* cum *Caricis pinguibus*. Laudatur etiam ipſa *Pavonum Caro*, ſed *Stercus* nobilius eſt ſpecificum. Egregium eſt *Oleum Buxi* tam internè, quàm externè inungendo Tempora, arterias poſt Aures, & pulſus in Manibus ac Pedibus. *Elæoſacharum* & *Sal. vol. Succ.* internè multum præſtat. Externè *Ol. Succin.* vertici illitum valdè laudatur. Aliis nil juvantibus ſacra anchora eſt *Laudan. opiat.* cum *Sale vol.* vel *Ol. Succin.* Poteſt etiam hoc Oleum præcordiis inungi. Pro formulis

℞ *Conſerv. Flor. Anth.* ℥iij. *Ol. Bux. Nuc. moſch.* & *Menth. an.* ʒiß. *cum ſ. quant. Syr. de Cort. Citr. F. Electuarium. Doſis* ʒß.

℞ *Conſerv. Menth.* ℥i. *Conſerv. Flor. Anth.* ʒvi. *Petrol. albi* ʒiß. *Sal. vol. Succin. gr.* xv. *Cum. ſ. q. Syr. Menth. F. Electuar. de quo capiat mane doſin Caſtaneæ.*

℞ *Stercor. Pavon. pulv.* ʒiij. *Cinnab. nativ.* ʒij. *Cubeb. Galang. an.* ʒß. *M. F. Pulvis*, *pro cujus vehiculo*

℞ *Aquæ Cherefol.* ℥iij. *Liquor. CC. ſuccinat.* ʒß. *M.*

In Paroxyſmo Vertiginis conveniunt *Vomitoria*, & *Cly-*

ſteres acres. Infunduntur etiam *ſpirituoſa appropriata* cum *Caſtor.* & *Spir. ac Sal. volat. Succin.* & CC. *v.g.*

℞ *AquæSalv.* ℥ij. *Aqu. Menth.* ℥i. *Spir. Lil. conval.* ʒiij. *Spir. ſal. armon.* vel hujus loco *Liq.* C. C. *ſuccin.* ʒiß. *Laud. Op.* gr. ii. *vel* iij. *Syr. Fœnic.* ʒiij. ad vi. *M. In Mulieribus loco Spir. Lil. convall.* addenda venit *Eſſentia Caſtorei*; Exhibeatur Cochleatim. Interim externè *Balſ. Peruv.* vel *apoplect.* Vertici, Temporibus, ac Naribus applicetur.

SECT. III.

De Spirituum in partes externas Motu inordinato.

CAP. I.

De Epilepſia & Convulſione.

MOtus omnis corporis fit per fibras, vel in Muſculum collectas, vel in Membranam intertextas, per Spiritum animalem motas, concurrente tamen Sanguinis adjumento. Si partes iſtæ fibroſæ exCerebro nervos accipiant, *voluntarium*; ſin ex cerebello, *involuntarium*, ſeu *naturalem* prorſus motum habent. Si *involuntariè* moveantur Muſculi, & ſi cum inſigni violentia ac moleſtia contrahantur partes ſeu internæ ſeu externæ, *Convulſio* ſive *Spaſmus*, à *trahendo*, dicitur. Eſt autem hæc *Convulſio* duplex, 1. *Clonica*, quando fit ultro citroque invita membri contractio & extenſio. 2. *Tonica*, quando membrum contractum rigidum ſine vibratione permanet. Ad ſpeciem hanc poſteriorem referendæ ſunt 1. *Tetanus*, anteriorum nempe & poſteriorum capitis muſculorum *Convulſio tonica*, adeo ut caput rigidum ad neutrum latus

latus verti poſſit. 2. *Enproſthotonos*, ſeu *Convulſio tonica* muſculorum *mastoidæorum*, adeo ut quandoque Mentum Pectori affigatur, quandoque Caput circumducatur, & aſpera Arteria comprimatur. 3. *Opiſthotonos*, ſeu *Convulſio tonica* muſculorum Occipitis, qua Occiput verſus Dorſum trahitur.

Cæterùm ad *Convulſionem tonicam* etiam pertinent *Priapiſmus*, *Satyriaſis*, *Spaſmus cynicus*, *Riſus Sardonius*, *Cachinnus obrigeſcens* ex ineptâ Venæſectione læſo nervo, & Affectus ille, quo genua rigent propter contractum nervum ac tendinem, quo per cavum Genu tranſeunt.

Ad primam ſpeciem, *Convulſionem* nempe *clonicam*, pertinet *Cramba*, ſeu *Spaſmus flatulentus*, cui inprimis Ebrioſi & Arthritici ſunt obnoxii: præcipuè autem *Epilepſia*, quæ motus eſt convulſivus, in quo membra corporis variè trahuntur, vibrantur & agitantur, ſenſuum exercitio quocunque utplurimum abolito. Hujus ſub ſua latitudine *gradus* tres ſunt. *Gradus* ejus *primus* pertinet propriè ad *Vertiginem caducam*, & abuſivè *Epilepſiæ* tribuitur, quando nempe Ægri ſubitò concidunt quaſi ſomno ſepulti, ſed ſine *Spaſmo* aut *Convulſione*. *Secundus gradus* eſt, quando variis motibus corpus percutitur, ſaltando v. g. ridendo, pectus percutiendo, ridicula narrando, *&c.* ſenſibus autem aut integris, aut in delirium abreptis. *Tertius gradus* eſt ex prioribus conflatus, ita ut omnis tam Senſus quàm Rationis uſus pereat, ſimulque variis motibns corpus agitetur; dentibus ſtrident, brachia jactitant, pollices arctè in manu claudunt, pedibus tremunt, corpus inſigniter attollunt, incurvant, ſpuma per os rejicitur; lingua morſu læditur, &c. Quibus omnibus ſucceſſivè remittentibus, Æger tanquam ſomno oppreſſus jacet, & ad ſe rediens nil omnino ſcit. Saltem de perturbatione Capitis, & omnium artuum gravi laſſitudine

dine conqueritur. *Primus gradus* eſt vulgatiſſimus; *ſecundus* rariſſimus, *tertius* Ægros pro obſeſſis à Dæmone repræſentat, niſi Medici ſcientia innocentiam Ægri defendat.

Subjectum commune *Convulſionum* & *Epilepſiarum*, ſeu, quod idem ſonat, *Convulſionis tonicæ* & *clonicæ*, ſunt fibræ nerveæ, & partes per fibras motæ. Unde *Spaſmi* atque *Epilepſiæ* dividuntur in *externas*, quando membra externa, Brachia, Oculi, Pedes, &c. afficiuntur; & *internas*, quando Viſcera interna membranoſa affliguntur, uti fit in *Colicis convulſivis*, *nephriticis*, *&c.*; plures enim ſunt plexus nervei in Abdomine, ex *pari vago* oriundi, adeoque *nervis intercoſtalibus* conjuncti: Nil mirum itaque, ſi his convulſis, inſequantur etiam pectoris & capitis *Convulſiones*, & deinde, ex turbato univerſo ſpirituum animalium ordine, *Convulſiones* etiam partium externarum.

Diagnoſis. *Convulſiones externæ* facilè patent: *internæ* verò cognoſcuntur ex Borborygmis Abdominis, & ſubitanea hujus contractione aut intumeſcentia, tenſione, & duritie, ſubinde & Umbilici interiora verſus retractione, ex ſenſu contorſionis partium internarum, in ſpecie Inteſtinorum; ex dolore lacerante circa Lumbos, ubi annexum eſt Meſenterium; ſupervenit deinde Reſpiratio difficilis, & interdum ſenſus ſuffocationis quaſi laqueus Gulæ injiceretur.

Cauſa Epilepſiæ ſeu *Convulſionum* idem eſt Spiritus animalis, qui alias motum naturalem producit; ſed cum hac differentia, quòd in motu naturali ordinatè & placidè moveantur Spiritus, idque dictante prius aut voluntate aut anima naturali. In Convulſione autem impetuoſus eſt & rapidus Spirituum animalium motus, in *Spaſmis* quidem continuus, ſed in Epilepſiis interruptus & inordinatus. In Epilepſiis autem habitualibus aut hæreditariis, ſuſpicor, non ſolum Spirituum impetum

acce-

accelerari, ſed & ipſos Spiritus è naturali ſua craſi magis elaſticos & cum impetu mobiles reddi. *Cauſa remota* in genere duplex eſt; prima, irritatio quædam in parte ſenſili, eaq; nervea, qua occaſione ſpiritus impetuoſius moventur, atque motu hoc præternaturali, in parte nervea ad Cerebrum uſque continuato, ſimul commoventur reliqui ſpiritus, ita ut aperto quaſi tramite cum impetu per ipſum nervum ferantur, & ita Convulſionem fibrarum iſtarum ac Muſculorum, ad quos terminatur Nervus, inducant: ut in punctura Nervi, irritatione Stomachi à vomitorio, Palpitatione cordis, Sternutatione, &c. abundè patet. *Secunda cauſa* eſt aliquid præternaturale, aut in Cerebro hærens, quod certis intervallis commotum, Spirituum influxum placidum turbat, aut ipſis Spiritibus ibidem permiſtum, eoſdem vitioſè agitat. Sic videmus Animi affectus graviores, Terrores, &c. *Epilepſias ſubitaneas* non rarò inducere.

Differentiæ. *Epilepſia* eſt vel *per eſſentiam* vel per *conſenſum*. Prior plerumq; à cauſa remota ſecunda, poſterior autem à prima originem ducit. In *Epilepſia per eſſentiam* nulla certè præcedunt *paroxyſmi* ſigna, adſunt capitis ſymptomata, cum torpore aut depravatione quadam in functionibus animalibus internis: interdum ſequitur fatuitas, & inprimis Lunæ motibus auſcultat. In *Epilepſia per conſenſum*, utplurimum præcedit alteratio quædam in parte qualibet Epilepſiam inducens; & ſi focus ſit in partibus remotioribus, aura quaſi ſurſum aſcendens Paroxyſmum prænunciat. Epilepſiæ quæ ex irritatione fiunt variis modis contingunt, v. gr. poſt Cerebrum vulneratum & non ritè ſanatum propter fermentum acre relictum; poſt *caſum ab alto* propter ſanguinem in cranio putreſcentem & plus minus aceſcentem: item ex Lympha vitioſa & acri in Cerebri Ventriculis collecta & piæ Matris propagines irritante,

ritante; ex vitio Stomachi, Lumbricis, Seminis retentione & inde natâ acrimoniâ: ex occluſo Ulcere in Crure, ex Variolis & Morbillis ante ſui eruptionem vel non ſufficientem excretionem; ex melancholiâ, Colicâ præſertim convulſivâ, uſu Purgantium acriorum, & creberrimè à ſcorbuticis & hypochondriacis Affectibus. Locus ubi fit iſta irritatio eſt varius, nunc internus, ut Meſenterium, Genitalia, Lien, *&c.* nunc externus, longè à Capite remotus, ut in Carie Oſſis pollicis pedis, tumore Digiti pedum minimi, *&c.* quibus in caſibus quaſi aura aſcendit; aura verò hæc aſſurgens non niſi ſenſus fallacia eſt, nullum enim datur ſpatium per quod moveatur, nec movens quod illud propellat; eſt itaque tantum fibrarum levior contractura ſucceſſiva ſecundùm nervi diſtributionem, ſurſum cum formicationis quodam ſenſu auram repentem repræſentante, continuata, donec ad principium Nervorum accedat, unde Spiritus animales ibidem violentiùs agitati, facto quaſi agmine & impetu in partes corporis erumpunt. Juvat autem in hiſce caſibus ligatura, ſupra partem primariò dolentem injecta, non quod auram illam imaginariam inhibeat, ſed quod partem inferiorem ſtupidam minuſque irritabilem reddat.

Iſtud, quod ita irritat & occaſionaliter Epilepſiam infert, præter objectum Nervos afficiens, ut ſunt feſtucæ Cranii, ex *cauſis internis* eſt inprimis acidum nervis inimiciſſimum, quodque eos vellicat. Locus autem irritationis eſt triplex, 1. Circa principium Nervi, quo pertinent Cerebrum, Cerebellum, & Medulla ſpinalis. 2. Circa medium, præſertim circa plexus. 3. Circa inſertionem cujuſdam Nervi. Quoad *Epilepſiam per eſſentiam*, ex vitio Cerebri & Spirituum animalium ipſorum natam; aliquid heterogeneum vitioſum Cerebro cum ſanguine inſtillatum, Spiritus vitioſè movens, hic conſiderandùm; vel aliquid præterna-

ternaturale ipſis ſpiritibus permiſtum, quòd vel immediatè vel mediante Spirituum agmine occaſionaliter commoto excitatum, Spirituum motus inordinatè turbat. Huc pertinent Epilepſia hæreditaria, illa ex fumis Jovialibus, ex Febre malignâ, aut benignâ malè judicatâ, ex ſuppreſsâ narium Hæmorrhagia vel Urina, ex ſuppreſſione Hæmorrhoidum aut Menſium, ex diſcuſsâ & non ſuppuratâ mareriâ poſt aurium Dolorem, & illa denique, quæ fit ex incipiente gravitatione.

Inter pathemata, quæ Epilepticos vexant, non ultimum eſt *ſtridor Dentium*, ex convulſivo maxillarum motu; qui & extra Epilepſiam à Paralyſi muſculorum maxillam inferiorem deorſum trahentium nonnunquam oritur. Spuma, quæ per Os & interdum per Nares excernitur, eſt Saliva ab aere, per conſtrictas Fauces vi exploſo, agitata & rarefacta.

Prognoſis. Vertigo vel *Ephialtes* crebrior, vel Splendores, variique colores oculis obverſantes, Paroxyſmi epileptici prænuntii ſunt. *Convulſio ex conſenſu* faciliùs curatur quàm *illa per eſſentiam.* In Febribus malignis mortem portendit. Si toto corpore à Convulſionibus immuni, aut Labium convellatur, aut Palpebra, aut Lingua, portenditur vel mors, vel epileptica Convulſio. Epilepſia hæreditaria, & poſt annum ætatis vigeſimum quintum eveniens, rarò curatur. In Junioribus, ætatis, loci & victûs mutatio ab Epilepſia liberat; in Pueris quidem pubertatis mutatio ac Venus, in Puellis verò menſtruatio. In Paroxyſmo, ſi ad uſum ſternutatoriorum non ſternutet Æger, indicium eſt, naturam ſuccumbere. Mulier gravida Epilepſiâ correpta, aut Abortum aut vitæ periculum ſubit; licèt & hoc non ſemper obtineat, teſte *Rhodio* & *Schenkio.* Convulſio à copioſo ſanguinis Fluxu, Hellebori aut medicamenti purgantis uſu, Hypercatharſi, Ileo, acutis Febribus, gravi Phrenitide, aut Vigiliis oriunda mala habetur;

Febris,

Febris, autem Convulſioni ſuperveniens melior cenſetur.

Cura. Extra *paroxyſmum* attendendum, ut cauſa remota tollatur, & Spirituum craſis *aromaticis ac volatilibus* emendetur, perverſus verò motus *anodynis* corrigatur. In ſpecie conſiderandum in *Epilepſia*, *primarius ne ſit morbus*, an verò *per eſſentiam* ortum traxerit, an cauſa ejus remota *externa* vel *interna* fuerit. In genere *obſervandum eſt* 1. Epilepſias chronicas ex acido vitioſo originem trahere, cujus incunabula ferè ſemper intra, aut circa primas vias latent: adeo ut habenda ſit ratio acidi deſtruendi & primarum viarum evacuandarum. Huc faciunt *Curæ* Epilepticorum per *Acidulas*, *Fontes Spadanos*, *Martialia*, *Decoctum Saponis hiſpanici* in *Lacte vaccino*. Unde & *abſorbentia* pro curà *Epilepſiæ* vulgo laudantur, quæ non niſi abſorbendo acidum operari poſſunt. 2. Si in membro particulari, eoque externo, radix mali fuerit; ligatura fortis deſuper injecta *Paroxyſmum* imminentem cohibet; inuſtus autem *Fonticulus*, aut applicatum *Cauterium*, fermentum irritans evacuando, Morbum tollit. *Setacea* etiam & *Veſicatoria*, præſertim ubi ex Scabie retropulsâ, aut ſimilibus oritur Malum, quæ quandoque *Suturæ coronali* applicantur, item Cranii apertiones, præſertim in Vulneribus Capitis, ab *Epilepſia* liberant. Si à Calvaria per Luem veneream cariosâ oriatur *Epilepſia*, inprimis convenit *Uſtio*. 3. Si proveniat eadem ab humoribus vitioſis, proficua ſunt *Decocta Lignorum*, præcipuè *Guaiaci*, quibus commodè adduntur *Viſcus corylinus*, *quercinus*, *tiliaceus*. Continuato enim uſu humorum dyſcraſiam alterant, & ſucceſſivè vitioſum evacuant: Sed benè prius præmiſſa debent eſſe Univerſalia ac primas vias evacuantia. 4. Si cum *Epilepſia* juncta ſit ſanguinis conſueti ſuppreſſio, proficua eſt Sanguinis miſſio variis in locis v. gr. *Hæmorrhoidibus* apertis in illo-

rum

rum Suppreſſione, *Hirudinibus* internæ Uteri parti applicatis, *Vena* in Talo *ſecata* Gravidis inprimis poſt ſeptimum menſem, obſervat enim *Zacut. Luſitanus*, Gravidas epilepticas, ſecta in brachio Vena periiſſe, in Talo verò non. 5. *Appropriata epileptica* non prius conveniunt, niſi præmiſſa fuerint Univerſalia; & quidem Vomitorium antimoniale, ſi malum in primis viis hæreat, vel purgans ex *Mercur. dulc.* & *Scammon. ſulphurato.* Convenit etiam uſurpare talia *purgantia*, uti & appropriata *epileptica*, ante novi-vel plenilunium. 6. *Opiata* appropriatis miſta *Paroxyſmum* optimè præcavent, inprimis cum *Camphorâ*, vel *Ol. Camphoræ.* Externè verò *Oleo Buxi.* propter vim anodynam, inungenda ſunt Tempora, Nares & Pulſus. Sed abſtineamus ab his Narcoticis antè præmiſſa univerſalia. Deinde non tam ad *curationem* crebrius, quàm ad præſervationem aut atrocioris *paroxyſmi* mitigationem rarius uſurpentur, quia *Epilepſiis* diuturnis *fatuitas* ſupervenire ſolita ab *opiatis* promovetur.

Accedimus ad *appropriata antepileptica.* Selectiora ex *Regno animali* ſunt *Sanguis humanus*, & ex hoc parata *Spir. Sal. Volat.* & *Oleum.* Colligi autem debet Sanguis ex Homine recens decollato. Poſt Sanguinem eſt etiam *Secundina humana* in *Pulv.* ad ʒß. Deinde *Raſura Cran. human.* ex Homine violentâ morte interempto ad ʒi; cujus etiam *Ol. deſtil.* Vertici inunctum *paroxyſmum* arcet. *Cranium human.* cum *Succino* ſublimatum ſuggerit *Spiritum*, & *Oleum*, *antepileptica* excellentia. Si fœtor eſt inimicus, *Olea* circulanda veniunt cum *Spiritu Vini*, hinc aliquoties à calcinatis rectificanda. *Spiritus* & *Oleum Cerebri humani*, quin & *Oſſa hominis* reliqua, pariter egregia ſunt. Magis autem eminet *Uſnea Cran. humani*, in qua confermentata eſt *Mumia* Capitis microcoſmici. Juxta hæc *Dens Hippopotami philoſoph. præp.* ſingulare eſt ſpecificum; fiunt ex hoc *Annuli* pedum di-

gitis aut membro convulſo applicandi. Excellens *antepilepticum* eſt etiam *Caſtoreum* cum *Spir. Sal. ammon.* in *Eſſentiam* extractum, internè & externè uſurpandum. Egregium etiam eſt *Stercus Pavonis*, ut & *Ungula Alcis* & *Hirundines*.

In *Regno vegetabili* eminet *Pæonia mas*, collecta tempore meridiei ſole in *caput Draconis* ingrediente, tam *pulver. Radix*, quàm *Grana* ſeu *Sem. nigra*. Appenditur etiam *Radix* tanquam amuletum. *Fl. Lil. conval.* benè maturi, ante Solis ortum, dum rore maiali madent, collecti, protinus à pediculis abſciſſi, in lagenam benè clauſam immiſſi & deſtillati, egregium dant *Spiritum antepilepticum*, ſæpius cum novis Floribus deſtillandum. Præmiſſis *Vomitoriis* multum conferunt *Viſci*, inprimis *Corylinus* ad ʒß.: Multa enim in *Corylo* latent, unde etiam *Oleum* famoſum *heraclinum Rulandi* ex hoc ipſo deſtillatur. Obſervandum tamen, uſu *Viſcorum* ſubjungenda eſſe *purgantia*, quia fermentum figunt, quod ſi remaneat, Febres acutas, alioſque Morbos inducere poteſt. Nihilominus vix cedit *Corylo Lignum Buxi*, inprimis ejus *Oleum*, ad guttas 10. in *Aq. Flor. Tiliæ* per aliquot dies propinatum. *Sulphur* etiam *Vegetab.* ex *Lycopodio clavellato*, vel quod nobilius eſt, ex *Julis Coryli*, nobile eſt *antepilepticum*, præſertim pro Infantibus. *Carbo Artemis. rubræ*, ipſo Joannis die ſub Artemiſia effoſſus mirè in *Epilepſia* valet. Optimum etiam remedium ſunt *Flores Til.* unde præſtat *Aqua ſpirituoſa*. Hæc ſunt primaria vegetabilia, quibus alia *Cephalica* plus minus *aromatica* ſubinde addenda.

In *Regno minerali* primatum obtinent *Sulphura Antimonii fixa*, quippe de natura *Auri* participant; inprimis *Cinnabar. Antimon.* vel ejus loco *Cinnab. nativ.* uti & *Sulphur ſubtilius* & *fixius* ex *Scor. Reg. Antimon.* ultimo artificioſè præcipitatum, quod virtutes habet egregias *anodyno-Epilepticas*. Juxta hæc optimum eſt *Vitriolum*

triolum inprimis ejus *Spiritus volatilis*, beneficio *Urinæ humanæ* ex *Cap. mort. Vitriol.* per regenerationem imprægnato deſtillatus; vulgaris enim nullius eſt pretii. Superſunt *Succinum* egregium *antepilepticum*, cujus *Sal volat.* admodum potens eſt in *Convulſionibus*, in ſpecie *Febribus malignis* ſupervenientibus. Hinc *Liquor* C. C. *ſuccin.* aut *Sal. volat. Succin.* cum *Spir. Sang. human.* miſtum, ſunt compoſitiones egregiæ, quibus interdum Camphora additur, vim ſomniferam obtinens. *Cryſtallus* denique *montana præparata* in *Epilepſia per conſenſum Abdominis*, ubi opus eſt forti penetrantioris acidi abſorptione, multum præſtat. Ex modo recenſitis plures fieri poſſunt formulæ, v. gr.

℞ *Fol. & flor. Salv.* ℥vi. *Flor. Lil. conval.* ℥iij. *Flor. Lavendul. odor.* ℥ij. *Rad. Pæon. ver.* ℥iiß. *Fol. & Flor. Major.* ℥j. *Cinnamom. Elect.* ʒvi. *Caryoph.* ʒiii. *Macis* ʒii. *Infunde cum Vini. Rhen. opt.* ℔. xiv. *Macerentur per* 14. *dies, & hinc deſtillentur.* Poteſt parari cum & ſine *Caſtoreo*, item poſt rectificationem poteſt addi q. ſ. de *Spir. Sal. ammoniac.* vel ſimili *volatili*, ut fiat Remedium eo generoſius.

℞ *Aq. Flor. Til. Salv. & Meliſſ. an.* ℥ii. *Liq. C. C. ſuccin.* ʒiij. *Spirit. Theriac. camphor.* ʒiß. *Eſſent. Op.* ℈j. *Syr. de Pæon.* ℥j. *M. Doſis cochl.* 3 *vel* 4 *aliquoties de die.*

℞ *Aqu. Pæon.* ℥iij. *Aqu. Cerebr. human. ſpirit.* ʒvi. *Spir. Sang. human.* ʒiß. *Unicorn. ver. præp.* ʒi. *Cinnab. Antimon.* ʒß. *Laud. opiat. gran.* ij. *Syr. de Stæchad. Arab.* ℥iß. *M.*

Quoad externa ad *Epilepſiam* commendata, eminent *Amuleta* ex *Sambuco* creſcente ſuper *Salicem*. Item *Inunctiones* cum *Ol. deſtill. Succin. Aneth. Ruth. Major.* item cum *Balſ. Peruv.* Sunt tamen, qui ab ejuſmodi *Odoratis* magis læduntur.

Hæc quoad *præſervationem extra Paroxyſmum.* Sequitur *Cura* in *Paroxyſmo.* Si ſit gravior, ad *excitandum*

Epilepticum mirè conducunt omnia ea, tam *interna* quàm *externa*, quæ quoſvis ſenſus ſeu eorum organa fortiter vellicare, & ita Spirituum inordinatas commotiones, ceu fortiora objecta, in ordinem revocare poſſint. In graviori mirè conducit *Vomitus*. Quoniam autem nil poteſt ingeri propter arctè clauſa labra, ob Muſculum temporalem convulſum, ideo aperiendum eſt Os, admovendo pollicem cum minimo digito ad Oris latera, fortiterque comprimendo, quo facto inſtilletur *Vomitorium forte*, *vel penna Oleo acriori intincta* Faucibus immittatur, ac ita Vomitus ſtimuletur. Loco Vomitorii *Clyſteres acres*, quibus *Caſtoreum* ſociandum, & pro ſtimulo *Aq. benedicta Syr. emetic.* aliaque *Infuſa antimonial.* addenda. Sicuti in Epilepſiâ internè *Salia volat.* ita eadē ad ℥ß. *Clyſteribus* addita proficua eſſe ſolent. *Sternutatoria* ſunt qui adhibent, ſed cautè; potius *Salia volatil. macra*, eorumque *ſpirit.* Naribus admovenda, aut neceſſitate urgente Naribus ac Linguæ inſtillanda, ut excitentur Epileptici. Egregium hic *Ol. Succin.* ad *gutt.* iij. vel iv. internè cum *Aq.* appropriata ſumptum dicitur. *Lingua in Paroxyſmo ſauciata à dentibus*, inſperſione *Ocul. cancr.* & illinitione cujuſdam *Mellis* vel *Saccharati vulnerarii* curatur. Quæ hactenus de Convulſionibus *in genere* dicta, & *in ſpecie* quoque Motibus convulſivis Epilepticis ſeu clonicæ Convulſioni applicata, eadem quoque *Convulſionibus in ſpecie* dictis *tonicis* accommodari debent. *Cauſa* ejus eſt *irritatio partis nerveæ* admodum ſenſilis continua, in eodem loco, & eodem ferè modo. Cujus occaſione continuatâ, raro copioſè influunt Spirit. animal. & ita in continua contractura fibras & conſequenter partem ipſam retinent. *Irritatio* hæc nunc eſt *manifeſta* ab agente ſenſili inducta; nunc *occulta*, ſeu ab agente minùs ſenſili nata. Ex *manifeſta* irritatione fit *Convulſio* v. gr. in Venæſectione ſi nervus punctim lædatur. Item

in

in *purgationibus* nimiis, aſſumpta *Gilla vomitiva* Convulſionem lethalem 30. horarum infert. Pariter *antimonialia & mercurialia*, non ritè *ppt.* & intempeſtivè adhibita, item *Euphorbium* &c. *Læſiones externæ*, ut ſunt Fractura tibiæ, Ictus ſclopeti, clavus pedis digito infixus, *Opiſthotonum* inferunt. In Venæſect. læſus Nervus, aut læſiones Nervorum crural. *Spaſmum cynicum*. Et in genere quævis læſiones Nervorum, Membranarum, Tendinum, præcipuè in articulis, Convulſiones excitant. Vulnera capitis, cutisque in ſiniſtro Capitis latere *Spaſmum cynicum* & *Tetanum* univerſi corporis quandoque intulerunt, vide *Hildan.* Sic ex *Aq. forti*, &c. *Quoad irritationem occultam* non rarum eſt, *Febres* præſertim *malignas & acutas*, malè judicatas, in Convulſiones terminari; ſic Convulſionem per metaſtaſin Febrim ſolviſſe teſtatur *Bartholin.* ex *Eryſipelate* vide *Schenkium*. Nec rarum eſt, in *Arthriticis* & *Hypochondriacis*, ſi acidum illud volatile ſe profundius in partes Muſculorum fibroſas & tendinoſas inſinuet, eaſque rigidas & intractabiles reddat, ibidem nutrimentum ſpermaticum chyloſum coagulari, & in materiam tartaream quaſi gypſeam tranſire facit, unde ablato motu pars illa contracta & immobilis manet. Pertinent huc varia *recrementa inter Cerebrum* depoſita *Spaſmos* inferentia; vide exempla apud *Rhodium*, *Schenk.* &c. Pertinet huc *Spaſmus flatulentus*, ex ſubtili acri ſeroſo humore Muſculos affligente oriundus, non tantùm Crura, ſed & alia muſculoſa loca ſubinde affligens. Ex dictis patet, quod ſit *ſubjectum Convulſionis*, ita ut in Subjecto inhæſionis ſeu parte contracta nunc ſimul ſit fomes ſeu radix Mali, ſive *Subjectum radicationis*, nunc verò differant, unde *Convulſio* partis nunc per *eſſentiam* nunc per *conſenſum* dicitur.

Cura. Inprimis *cauſa removenda*, partes nerveæ lenienda, *irritatio* earum ſopienda, hinc roborandæ;

adeoque *univerſalia* præmittenda, *Clyſmatum* injectio valdè proficua, & urgente graviore dolore *opiata appropriatis* miſcenda ſunt. *Remedia interna* ſunt *carminativa, cephalica, antepileptica*; in ſpecie *Caſtor.* & quæ ex ipſo præparantur *Salia vol. Lavendula, Roſmar. Spir. Vin. theriac. Spir. Vin. camph.* In pertinaciori, *Decoctum Lignorum* ex *Guaiac. Juniperino*, &c. Hinc *Cinnabaris* & alia *Epileptica* præſertim *volatilia* conducunt. *Externa* ea, quæ ſub forma unctionis oleoſæ & ſpirituoſæ applicantur, ne glutinoſitate & viſciditate poros infarciant, ſint potius penetrantiora, & ſpirituoſiora. Præ cæteris *lumbricalia*, & *Liquor oleoſus Lumbricor. per deliquium in clibano extractus*, eorumq; *Decoctum in oleo, & Spirit. deſtillat.* proſunt. Eadem de *Formicis* intelligenda. Itaq; in Convulſione *à Cholera ſeq. linimentum* prodeſt. ℞ *Ol. irin. Verm. terreſtr. ana.* ℥ii. *Caſtor. pulv.* ℈iv. *M. exactè.* Repetatur inunctio per aliquot vices, præterea *Spir. Vin. crocat. Spir. theriacal. camph. Eſſent.* ex *infuſ. nervinorum* parata; *oleoſa* & *pinguia* uſitata ſunt. *Ol. Vulpin.* ex *Catellis, Anſeribus aſſatis, Ol. laurin. Lini, Pinguedo humana, Medulla animalium. Olea acriora* in contracturis à cauſa frigida ſunt *Ol. Petrolei, Succini, Philoſophor. Ol. ſtillat. ex Junipero, Succino, Spica, Galbano.* Etiam *Ol. de Euphorbio*, ſed admodum cautè. Sequuntur formulæ, *v. gr.*

℞ *Ol. Terebinth. Lumbricor. terreſtr. an.* ℥iß. *Pingued. human.* ℥i. *canin.* ℥ß. *M.* vel

℞ *Ol. Tereb.* ℥ß. *Ol. Caryophyll. gut. vi. Mucilag. Bryoniæ. q. ſ. M.* His adde *Ung. nervin. Dialthææ. Empl. nervin.* Hæc *in genere.* Quod ſi *in ſpecie* ex punctura nervi in inepta Venæſect. optimè inſtillatur *Vulneri Ol. de Lateribus, Ceræ, Terebinth. ſtillat.* Imponatur etiam *Emplaſtrum* ſequens.

℞ *Euphorb.* ℈i. *Terebinth.* ℥ß. *Ceræ parum, Miſc.* Si pars nimis dolens & tumida ſit ex Venæſectione.

℞ *Pin-*

℞ *Pingued. Vulpin. Taxi aa.* ℥iij. *Ol. deſtill. Spicæ* ʒß. *Ol. Maſtich.* ʒii. *Vini* ʒiij. *M.* Calidè illinatur ad ignem. Si Tumor, Dolor, ac Livor adſuerint, ſeq. *Cataplaſma* conducit:

℞ *Herb. Agrimon. Chærefol. Flor. Chamomil. ana Mi. Rad. Symphyti maj.* ℥iij. *Sigilli Salomon.* ℥iß. *Sem. Lini, Fœni græci an.* ℥j. *coq. ex ſ. q. Aquæ ad conſiſt. Cataplaſm.*

Quod ſi ex Articuli luxati reſtitutione fiat Convulſio, vid. *Scultet.* Si autem ex Vulnere partis proficiſcatur, tum illinatur *Ol. lumbricor. cum Terebinth.* vel inſtilletur Vulneri *Balſam. Sulph. tereb.* Quando ex Ictu venenati animalis provenit, tunc illinatur *Ol. Scorpion.* in leviore, in graviore malo *Cucurbitulæ* cum *ſcarificatione*, *Cauterium actuale* ſupra partem læſam imponatur. Vel *Emplaſtr. magnet. arſenical.* cum *Ol. Scorpion.* vel *Bufon. malax.* imponatur. Internè ad Sudorem movendum *Theriaca* cum *Gentiana* mixta detur. Si ex Hypercatharſi oriatur Convulſio, *opiata* & *theriacalia* ſufficiunt. In *Spaſmo flatulento* fricatio levis partis manu calidà, cum *Spirit. Juniperi. theriacali* prodeſt. Expertum & hoc *Unguentum* eſt *Cratonis:*

℞ *Axung. anſerin. rec.* ℥iv. *Ol. Caryophil.* ℈ß. *Cinnamom. gut. v. M.* In Spaſmo Gravidarum *Succus Matricariæ* cum *Verbena* mixtus cervici imponatur. In *Contractura* à cauſa interna volatilia temperata, acidum illud corrigentia conducunt. Continuatus uſus lactis in Contractura ex Arthritide conducit; vide *Tackium.* Affectibus hiſce convulſivis cognatus eſt *Tremor.*

CAP. II.

De Tremore.

PRO ratione graduum eſt *major* vel *minor*, item *ſimplex* vel *convulſivus.* *Minor* eſt, qui vulgo poſt cra-

pulam aut animi Affectus vehementiores contingit. *Major* eſt, qui in remiſſione Paroxyſmorum epilepticorum evenit, & cum Paroxyſmo ceſſat. Dicitur hic *Tremor convulſivus Spaſmus*, adeoque ad motus Corporis depravatos omnino revocatur. Nam qui tempore laborant, membra liberè movere nequeunt protenſa aut ſuſpenſa, quin vibrentur modò ſurſum, modò deorſum. In hoc differunt *Tremores* à *Motibus convulſivis*, quòd *Tremor* ſemper conjungatur cum motu voluntario, v. gr. Manus aut Pes vix unquam tremit niſi ad curſum adigatur. In Motu verò convulſivo, Ægro neſcio, ac præter voluntatem motus ſpaſmodici accidunt.

Tremor nunc univerſalis eſt, nunc particularis, nunc magnus, nunc parvus. Cauſa Tremoris malè rejicitur in facultatem motricem debiliorem, & gravitatem Membri, ac ſi Membrum ſufficienter moveri nequeat, quia hujus gravitas ob imbecillitatem illius præponderat. Cauſa enim genuina Tremoris eſt *actio duorum, pluriumve muſculorum ſimultanea*, ſive eodem tempore inſtituta, ſeu ſint antagoniſtæ muſculi, ſeu non; ſed tantùm tales, qui ad membri motum concurrere ſolent. Inter actiones talium Muſculorum alia eſt principalis, alia minus, & p. n. adjuncta. Ita ut dum unus brachium extendit, alter ſimul agens, illud torqueat aut flectat, vel alio modo moveat. Unde prior actio dat motum voluntarium intentum, *poſterior* verò præternaturalem, ſeu quaſi convulſivum, unde *Tremor*.

Cauſa duplicatæ hujus p. n. muſculorum *actionis* ſunt *Spirit. animal.* qui naturaliter movent membra, influentes naturali motu, ita etiam p. n. moti *depravatè* eadem agitant: & quidem in *Tremore ex ſpirituum vitio eſt* talis motus, ut, cùm in unum muſculum agilius & copioſius influere debent, motu ferè uniformi in geminos ſeu binos, pluresve diſtinctos diſtribuantur, & ita difformem motum inducant; idque vel ex proprio vel ex partis recipientis vitio corrigitur.

Pro-

Proprium vitium eſt, cùm ſpiritus confusè admodum in gravioribus animi Affectibus moventur, ut in Ira, Terrore; & cùm iidem, facultate narcoticâ fixiores, depravatè per nervos feruntur, qua ratione *poſt nimium potum Vini generoſi* membra tremunt ſubinde, non ſecus ac poſt inconcinnum *narcoticorum uſum.* Sed hi à Spirituum vitio magis *tranſitorii* ſunt, & denuò facilè ceſſant. Quoad *tremores graviores*, plus minus *inveteratos* aut *habituales*, ad *partem ipſam* Spirituum motum *ſuſcipientem* reſpiciendum, in quâ ſuſpicari licet, aliquid irritativi circa Nervi principium, progreſſum, aut inſertionem occurrere, cujus occaſione Spiritus ſub motu voluntario non præcisè ad determinatum ſed alios vicinos muſculos ferantur, ſicque tremulum motum inferant. Tremores Febribus ſupervenientes convulſivos eſſe, non abſurdè aliqui referunt. Vel ſuſpicandum, quòd in *habituali & inveterato*, *nervus* per quem influere, vel *muſculus* in quem radiare debent Spiritus, ita ſint vitiati, ut ob poros & meatus vitiatè conformatos, aut fibras non ritè ſituatas &c. legitimus motus Spirit. nonnihil pervertatur, hique in Muſculum motui intento deſtinatum & ſimul deviatione in vicinum ferantur.

His conſideratis, *Cauſæ remotiores occaſionales* Tremoris etiam conſiderandæ veniunt, inter quas ſunt *Venena & mercurialia*, ut talia tractantes, v.gr. *Aurifabri*, ſubinde trementes fiant. Item qui incautè *cingulo ſapientiæ* ad propellendam Scabiem utuntur. Item *nimia refrigeratio*, *potus nimis frigidus*, *nive* vel *glacie refrigeratus*; *Menſium*, *Lochiorum & Secundinarum ſuppreſſiones*, *Fœtus mortui retentio.*

Prognoſis. Tremor ſi ſuperveniat aut ſuccedat *Paralyſi*, bonum indicium eſt motus naturalis nonnihil redeuntis. Tremor *à cauſis internis* dependens, minimè periculoſus eſt per ſe, ſed de facili in graviores degenerat

Affectus, videlicet *Paralyſin*, *Apoplex. Lethargum Spaſmum* &c. *Tremor Senum* non ſecus atque *hæreditarius* rarò curatur. *Si tremor* degenerat in Convulſionem, malum; ſi in *Febri ardente* Tremori accedat Delirium, malum. In *Morbis ardentibus* ſi Ægri manus attentè contrectetur & contremiſcens illa quaſi ſubitò revelli videatur, Convulſionem, aliaque Symptomata portendit. Tremor ex retentis poſt partum periculoſus. *Tremor & Epilepſia* à Lethargo oriens malum eſt, quippe ſignum proſtrationis omnimodæ facultatis animalis. *Tremor in Labio inferiori*, ferè imminentem Vomitum portendit in Morbis, ac revera eſt Motus convulſivus.

Cura. Inprimis *removendæ cauſæ appropriatis nervinis*, tam *internis* quàm *externis*. Pro *varietate cauſarum* variatur cura, v. g. in *Malignis* danda alexipharmaca; in retentis *uterinis pellentia*; ſi ex *fumis metallicis & mercurialibus* inprimis *mineralia*. Ad *Evacuandum* corpus *mercurialia cum Extractis laxativis* optima. Inter *remedia nervina* magis appropriata optima eſt *Salvia*, & ejus præparata, uti ſunt. *Cereviſia ſalviata*, *Eſſentia Salviæ cum Eſſent. Caſtor mixt.* tam in *uſu interno*, quàm frictione *externa*. Succedit *Meliſſa* & ejus *Aq. ſpirituoſa*. *Pæonia*, *Baccæ Junip.* item Decoctum *Lign. junip.* per modum Diætæ ſudorif. Hic optimè conducunt Decocta ex Lignis, ſubſtantiâ enim aromaticâ ſuâ poros ac meatus corporis intrat, diſſolvit mucoſitates, abſtergit ſordes; &c. In Senibus *Fimus pavon.* cum ſ.q. *Aq. vitæ* ſubactus & in potu uſurpatus, doſis ʒi. Item *Ol. Buxi, corylinum* &c. Si à *Mercurio*, *Decoct. Enul. camp.* optimum, v.g. ℞ *Enul. camp.* ℥iij. *Feniculi.* ℥iß. *Vin.* ℔ii. *Infuſ. per* xii. *horas. coq. ad caſum tertiæ partis. divide Colaturam in partes quatuor.* Sumendo unam partem mane & veſperi ut ſudet, & exiliet ſudor citrinus: hâc potione utendum, donec talis color non videatur amplius. *Auraria*

raria & *Auri folia* intus ſumpta *Mercurium* alliciunt. Inter *externa* optima eſt *Frictio membrorum* cum *Urina humana*, vel *Spir. Lumbricor. Formicar. Sal. vol. Armon.* præſertim Nuchæ & Spinæ dorſi affrictus v. g. ℞ *Aq. artic. A. E.* ℥iij. *Sp. Lumbric.* ℥iß. *Formic.* ℥i. *Eſſent. Caſtor.* ʒiii. *M.* Item *Decoctum fol. Fraxin.* in *Lixivio* pro lotione partium tremularum laudatur.

SECT. IV.

De Spirituum animalium influxu abolito.

CAP. I.

De Apoplexia.

A*Poplexia eſt omnium functionum in ſenſu & motu ſubita ceſſatio.* Ita ut taliter affectus non ſecus ac fulmine percuſſus jaceat, ſimulque *vox auſſeratur*, *reſpiratione plus minus imminutâ* cum aut ſine *ſtertore*. In hac plurimùm functiones & motus ſpontanei læduntur, minus verò naturales, utut in graviori interdum hi plus minus afficiantur; hinc ètiam *Reſpiratio* magis vel minus afficitur. *Quoad Pulſum*, hic ſubinde *vegetus*, ſed perquam *durus* percipitur, jam puſillus, jam vix obſervabilis. *Color faciei & oculorum* rubet utplurimum, Facies tumida, corpus calet, in paroxyſmo diuturniore Facies pallere obſervatur. *Membra* ſunt *laxa*, ut ſi membrum elevatum ſit, pondere ſuo ſtatim delabatur. Æger tactus, irritatus vel acclamatus nec ſentit, neque loquitur; ore hiante & interdum *ſtertente* profundum dormit. Reſolvitur ſubinde ſphincter Ani, ut fæces aut injecta Enemata inſcio ſponte ſuâ effluant.

Hemi-

Hemiplexia eſt affectus talis dimidii corporis, qui dextras vel ſiniſtras partes afficit, à ſagittali Sutura uſq; ad Perinæum. Obſervatur etiam à *Lindano* ſpecies Apoplexiæ, proprio nomine carens, ſed rara, ubi omnia infra collum *motu & ſenſu privantur*, *excepto capite*. *Ultima Apoplexiæ ſpecies* eſt & levis, *Paraplexia* ſeu *Paraplegia*, quæ tantùm *in uno alterove membro*, majore vel minore contingit. Sed *tres hos ultimos caſus* ad *Paralyſin* referre ſolent. Dicitur aut vehemens aut levis, ratione cauſarum & ſymptomatum. Apoplexia levis curatu facilis eſt, vehemens ſeu univerſalis non niſi Febre superveniente.

Cauſa proxima generationis formalis *Apoplexiæ* eſt deficiens Spirituum animalium motus in *Cerebro* & *Cerebello*, & hinc eorundem ceſſans influxus in membra reliqua. Si *Cerebelli* fiat *culpâ*, non tam Apoplexia, quàm *Syncope cardiaca* erit, in qua Cordis motu penitus ſublato circulationis ſanguinis ceſſatio, & in Cerebrum diſtributio Spirituum animalium neceſſaria tollitur, & mox pulſu & reſpiratione interdum ad ſenſum penitus ſublatis, ſine ſenſu ac motu mortuorum inſtar jacent, ſeu *ſanguinis vitio*, quod rarius, ſeu *nervorum* cardiacorum *convulſorum* culpâ, ut in Affectibus hyſtericis & ſimilibus; ſeu *ſpirituum* in ſuo ex Cerebello influxu inhibitorum causâ eveniat.

Cauſa remota materialis ſeu occaſionalis eſt *vel interna* vel *externa*. Utriuſque, internæ præcipuè, ratione fit *Apoplexia*, *accidentalis* vel *habitualis*. Utraque eſt vel *privativa* vel *poſitiva*. *Privativa* eſt, quæ citra directam ſpiritibus inductam alterationem oritur: ut à *ſuſpendio*, *caſu ab alto*, *à ſanguinis effuſione intra cranium*, *meatuum* Cerebri *obſtructione* qualicunque. *Poſitiva Apoplexia* fit à cauſa, quæ Spirituum animalium craſin vitiando, eoſdem ad motum & functiones ineptos reddere, & ita narcoſi ac ſtupore quodam afficere valet; qualis

vis

vis in opiatis, carbonum ſumo, fulmine notiſſima eſt. *Privativa* fit vel ob *ſanguinis deficientem naturalem circulum* ad & per cerebrum, & inde ceſſantem Spirituum generationem; idque vel *viarum* vel *ſanguinis* culpâ, vel ob Spirituum denegatum motum in Cerebro, & effluxum, ob pororum, & meatuum ejus vitium, ſive in *centro* ejus medullari, adeoque corpore calloſo, ſeu in ejus *progreſſu* circa corpora ſtriata & caudicis medulleris initium, idque nunc in *univerſo* cerebro, nunc in altera ejus *medietate*. *Sanguinis motum circularem deficientem*, indeque Apoplexiam natam, illuſtrat ligatura fortis collo injecta. Hanc ſi fortius ſtringas, ut ita Arteriæ carotides & Venæ jugulares conſtrictæ ſanguinis circulum ad Cerebrum tollant, eo ipſo momento omnis motus & ſenſus perit, utut adhuc ad tempus ſupervivant. Patet hoc in Canibus, ſi factâ cutis Colli apertione ligentur fortiter Arteriæ carotides, ita ut adhuc parvæ Arteriæ cervicales liberæ relinquantur, Canis enim tum ſomnolentus & torpidus jacet, & tamen ad biduum ferè ſupervivit, & actionibus animalibus maximè imminutis, quidquid ſupereſt beneficio Arteriarum cervicalium liberarum obtinet.

Cauſa igitur Apoplexiæ eſt obſtructio Venæ & Arteriæ. Verum non exiſtimandum eſt, deficientem influxum Sanguinis, per unum alterumve Arteriarum Carotidum ramum, inferre Apoplexiam, ſed potius ex impedito Sanguinis per Venas refluxu, & hinc ejuſdem in Cerebri Cerebellique confiniis aut ſtagnatione aut extravaſatione potius Apoplexiam oriri. Eleganter enim *Williſ*, majus eſſe periculum ex abundantia, quàm defectu Sanguinis, aſſerit. *Unde non niſi rarò, & ſaltem externæ cauſæ* violentiâ talem Apoplexiam ex *denegato ſanguinis per Arterias influxu* oriri exiſtimem, quin potius propter impeditum circulum, ex *denegato refluxu*, & hinc cerebri repletione, aut compreſſione, aut

à ſero

à ſero extravaſato repletione, ſicque Spirituum impedito motu, hujuſmodi Apoplexias vitio Sanguinis circuli contingentes oriri arbitror. Impeditur autem *Sanguinis refluxus*, vel *viarum*, vel *vaſorum*, vel *Sanguinis* culpa. *Viarum* vel *vaſorum* culpâ, ex contuſione, ruptione, & ſimilibus. *Sanguinis* autem culpâ, quando nimis grumoſus, craſſius, in vaſculis Meningum, & aliis vaſis Cerebri hæret. Nam ſicuti *ſanguis ſubſiſtens in Pulmonibus Syncopen cardiacam*, ita *in Cerebro Apoplexiam* infert; quæ non niſi loco affecto differunt. Veteres ex ventriculis Cerebri obſtructis, vel ſero repletis fieri aſſeruerunt Apoplexiam, ſed experientia hodierna contrarium demonſtrat. *Spirituum enim motus deficit ex pororum conniventia*, cujus occaſiones poſſunt provenire à *contuſione*, *concuſſione Capitis* &c. à *Sanguine grumoſo*, Abſceſſu *Meningum*, vel aliâ causâ internâ aut externâ. An *pituita extrinſecus circa ſpinalem medullam colligi*, & ita Apoplexiam inducere poſſit, dubito, propter lentum ejus motum; niſi vehiculo Seri aut Lymphæ à motu naturali aberrantis, ad iſta loca delata & collecta fuerit. Cujus exempla ſufficientia habent Authores, adeo ut Apoplexia *privativa* nunc dicatur *ſanguinea* nunc *ſeroſa*.

Sed ultra hanc *privativam* alteram Apoplexiam *poſitivam* dari confirmant tam *opiata* in majori doſi ſumpta, quam *carbonum* aut *liquorum fermenteſcentium gas*, ut & *Vini* vel Sp. Vin. abuſus. Sed cùm hæc fiant à *cauſa externa*, etiam *à cauſa interna* enaſci poteſt *poſitiva*, nempe *à certo quodam Veneno narcotico* & *glaciali*, in Ventre hærente, & enato proprie digeſtionis errore, occaſione cujus Archæus horreſcat, fugiat, & ideas cadaveroſas illius recrementi pariat. Unde ſubitaneo tali caſu ſpiritibus iſtorum locorum terror excitatur; propter quem medullæ latus debilius contrahitur, unde Paralyſis Apoplexiæ ſupervenire dicetur. In hac hypotheſi

potheſi conſideranda 1. *Res ipſa, an ſit?* 2. *Modus rei, an ita ſe habeat?* Quoad *prius*, *Apoplexiam excitari* à *cauſis internis*, *Spiritus animales* ſtupidos & torpidos reddentibus, & ita poſitivè operantibus, iiſque circa ſuperius orificium Ventriculi hærentibus, confirmatur 1. à *juvantibus*; Vomitus enim & Clyſmata acria hic proſunt, ſubtilia odorifera & aromatica, & omnia ſtomachica brevi recreantia. 2. *A nocentibus*, Halitus enim carbonum oretenus inſpiratus gravem Vertiginem item Carum infert, ex affecto inprimis Stomacho, nam ob id vomitus juvat. Sed *Carus & Apoplexia* nonniſi majoris aut minoris ratione differunt. Sic à Tabaci abuſu & eſu Fungorum idem ſequitur. 3. *Ab adjunctis*, nempe Anxietate præcordiorum, Somnolentia, Virium defectu, Spirituum animal. inopia & torpore. 4. Ab *antecedentibus*; ſic Vertigo per conſenſum Stomachi eſt prodromus *Apoplexiæ in Senibus*. Plura de his apud Authores extant exempla. 5. *Remedia appropriata* v. g. *Cinnabar. Antimon. Antimon. diaphor.* &c. intra primas vias poſitivè operantia ſunt egregia. *Quoad poſterius*; *modus agendi ſubitaneus*, & frequenter *momentaneus*, non ſolo *humorum ſeroſorum aliorumve* defluxu aut viarum oppilatione, ſed virulentiæ *cujuſdam* vitio Spiritus animal. fugantis & extinguentis, fit. Equidem ſæpiſſimè ſigna circa *caput* & animalem facultatem præcedunt. *Sed ſemper ſedulò* inveſtigandum, an aliæ concurrentes circumſtantiæ plus minus Affectum capitis *per protopatheian*, an verò per *deuteropatheian* deſignent. Hæc quidem quoad *rem ipſam* ſatis clara, ſed *quoad modum* rei res intricatiſſima eſt: An nempe per *vapores & halitus*, vel *chymiſtarum effluvia* volatilia ſtupefactiva, vel Sanguinis *Circulum* illuſtrari poſſet; ſed his quamplurima obſtant: plauſibile tamen eſt, *narcoſi* percuti Spiritus animales & *ſtupefieri*, ſed quomodo hoc ex præcordiis *fiat res* hæret. Nempe ſicut *opiata*, *Fungi*,

Gus

Gas Carbonum, etiamnum in Stomacho inferunt affectus ſoporoſos, ita ſimilis *virulentia* narcotica circa præcordia exiſtens in regione Stomachi, *Apoplexiam* aut *Paralyſin* inferre poterit. *Modus tamen* rei latet. Sufficiat differentiam Apoplexiæ in *poſitivam* & *privativam* inſinuaſſe; obſervando *ab internis cauſis* frequentiùs excitari *accidentales*, ab externis *habituales*, & quæ ex cauſis internis oriuntur, forſan æquè frequentes eſſe Apoplexias *poſitivas*, quàm *privativas*.

Cauſæ remotæ ſeu *antecedentes*, quæ ſubinde hic *procatarcticæ* exiſtunt, ſunt *contuſiones*, & *concuſſiones* Cerebri, tam cum, quàm ſine manifeſtâ ejus *læſione* factæ; ſive collabantur & anguſtentur pori, ſeu ſanguinis circuitus vitietur intra Cranium v. g. ex nimio ſonitu, ex concuſſione *à caſu*, *ex ictu* oculi nimio. Sic *æſtus* & *frigus* nimium, potus nimius Vini, Ebrietas, Ingluvies & comeſſationes, item Morbi melancholici, ſuppreſſa ſanguinis evacuatio conſueta, Veneris exercitium immodicum, vapores mercuriales & Thermarum ſulphurearum, Affectus animi graviores, fœtor Puteorum cœnoſorum, expoſitio nimis cita aëri poſt expulſas *Variolas*, *Scabiem*, &c. *Apoplexiam* intulerunt. Diſtinguitur Apoplexia *poſitiva* à *privativa*, vitæ genere, habitu Ægri, diætâ &c. Diſcernitur etiam *Syncope cardiaca* ab *Apoplexia* in eo, quòd in *Syncope* difficilius ſpirent, & ſigna adſint graviſſimæ in pectore anguſtiæ. In *Apoplexia vero*, utut aliàs vix manifeſta vitæ habeant ſigna, tamen ſpirandi difficultate parùm vexari ſolent. *Pulſus* in *Syncope* deficit, in *Apoplexia* durus obſervatur, raròˋ nullus, niſi in fortiſſimâ, ubi Sanguis plus minus in præcordiis ſtagnat, vel nervus cordis afficitur. In *ſyncope* externa frigent, facies palleſcit, ſudor erumpit frigidus, pulſu & reſpiratione penitus ablatâ. In *Apoplexia* nihilominus reſpirant, arteriæ pulſant, extrema utplurimum calida, & facies rubi-

rubicunda obſervantur. Præterea in Apoplexia ſtertor adeſt fortis, quamdiu id, quod à Cerebro accedit, muſculis Thoracis, ad complementum Reſpirationis, ſolum eſt ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in Corde. In *Syncope* verò nullus eſt ſtertor. In *gravi Paſſione hyſterica* Ægræ inſtar Apoplecticarum jacent. Diſtinguuntur tamen, quod in *Suffocatione uterinâ* dicta præceſſerint Symptomata affecti Abdominis item; quòd in Suffocatione hyſterica pulſus obſervetur ſimul parvus, aut ferè nullus, qui in *Apoplexia* admodum ſenſilis. Deinde Apoplectici Faciei colorem ferè retinent, imò rubicundi ac tumidi ſubinde in Facie apparent, qui in *Suffocatione uterina* omnino perit, cum Facies palleat.

Prognoſis. Apoplexia fortis eſt acutiſſimus & periculoſiſſimus Affectus. Vehementia ex reſpiratione cognoſcitur; nam qui Apoplexiâ moriuntur, ſuffocati intereunt. Unde quo liberior illa, eo minor Apoplexia eſt, & contrà. Si *ſpuma circa os* appareat, lethale, certum enim eſt, ſuffocationem eſſe circa cor à ſtagnatione ſanguinis, quando enim natura extremo conatu voluit ſanguinem propellere, inde ſuborta in Pulmone ſpuma eſt, & ad os detruſa, & ſi aperto ore ſpuma prodierit, deſperata res eſt. Nempe *ſpuma* non præcisè mortis, ſed ſupremus naturæ conatus eſt in talibus Ægris; oritur autem ex aëris & humoris plus minus viſcidi miſturâ, adeo ut etiam Sanguis in ſpumam albam ſubrubicundam abeat, ad inſtar Cereviſiæ obſcuræ, per agitationem tamen cum aëre in candidam ſpumam abeuntis. Non ergo levis iſta ſpuma adeo periculoſum eſt ſignum, quæ ex ſaliva intra fauces agitata oritur & qualis eſt in paroxyſmo Epilepticorum; ſed illa, quæ ex imo pectore, ex Sanguine ſtagnante per aërem rarefacto in Fauces foras ebullit; adeo ut in Apoplecticis poſt mortem, per Os, Nares & prominentes oculos fervida

ſpuma prodierit. Apoplecticis ſi à difficili Reſpiratione ſudor proveniat, lethalis; Syncopticus nempe exiſtit. Apoplectici melius habentes poſt univerſalia aut aliquo modo excitati, ſi denuo ſomnolenti, aut plus minus torpidi ſint, iiſdem Recidivæ periculum imminet, ſiquidem perfectè, licèt curati, facilè tamen recidivant.

Cura Apoplexiæ inſtituenda eſt tam in Paroxyſmo, ut reſuſcitetur Æger, quàm extra eum, ut obſervatis debitis evacuationibus, ſimulque Caput & Ventriculum roborantibus uſurpatis reditus Paroxyſmi præcaveatur. Neque Æger apertè convaleſcens eſt deſerendus; aut enim ſtupidus manet, aut *varia accidentia* eum vexant, adeo ut ſi ſimus negligentes, facilè paroxyſmū reverti contingat. In *Paroxyſmo* duo obſervanda, nempe *Vomitus* & *Venæſectio*. Si conditio Ægri reſpondeat, utrumque adhibendum. *Clyſteres* & *Suppoſitoria acria & fortia* ſunt uſurpanda. *Vomitus* optimus ad ſuſcitandum Ægrum. Unde *antimonialia* laudanda, ut *Crocus metallorum*, cum *Ol. Cinnamomi* ori ſimul inuncto. Si ex impedito Sanguinis circulo fiat *Apoplexia privativa*, *Vomitus* non videtur conveniens, periculum enim eſt ne vomendi conatu ſanguis & ſerum circa collum retineatur, & hinc iſtæ partes magis obſtruantur, cùm naturaliter ſub vomendi conatu facies rubeſcere, oculi tumeſcere & collum inflari ſoleat. *Venæſectio* in Apoplexia tam poſitiva quàm privativâ convenit, propter impeditum plus minus ſanguinis circulum per Cerebrum aut Pulmones. Hinc depletis nonnihil vaſis & ita facilitatâ ſanguinis viâ, *Vomitoria* in uſum vocari poterunt. Adeoque *Venæſectio* & *Vomitus* hic locum habent, modò vires reſpondeant, quæ inde menſurandæ, qualis Æger ante paroxyſmum fuerit. In Senibus loco Vomitûs *Clyſmata acria*, loco *Venæſectionis Cucurbitulæ cum ſcarif.* in Scapulis applicandæ. Tamen in *Apoplexia* *pravi-*

privativâ magis *Venæſectio* & *Cucurbitulæ*, in *poſitivâ Vomitus* & *Clyſmata* conveniunt. Hinc illis præmiſſis, in *privativâ volatilia*, in *poſitivâ aromatica ſulphurea, mineralia fixa*, &c. conducunt; quæ omnia ſecundùm Res naturales & nonnaturales diverſimodè limitantur.

In *Paroxyſmo* opera danda, ut excitetur Æger, & ut ſervetur libera Reſpirationis actio. Hinc poſterioris ratione in loco non nimis clauſo, ſed aere liberè perflato, ſituandus Æger. Prioris ratione ſenſuum organa quæcunque & partes quævis ſenſiles fortius affricandæ: mox inſtituatur *Venæſectio*, quâ peractâ, vel *Vomitorium* ordinandum, vel *Clyſma* injiciendum. Non differenda *Vomitoria*, nam in forti Apoplexia, magis revellere & Ægrum ſuſcitare poſſunt. Neceſſe eſt, ut augeas doſin eorum, uti & aliorum remediorum, quæ excitare debent Ægrum. *Propinentur Vomitoria* in forma liquida, ſociando ſimul *Aq. ſpirituoſ.* ut *Cinnamomi*, aut ſimilem. Hinc *Syr. emeticus* à ʒvi. *ad* ℥i. *Clyſteres* ſint acriores, facti ex *Herb. Salv. Origan. Calamenth. Rad. Pyreth. Cyclam.* illis incoq. *Pulpam Colocynth.* vel addendo *Infuſ. Croc. metallor. turbid. ab* ℥iij. *ad* iv. etiam commodè add. *Sal gemmæ.* In caſu præcipiti *Clyſmati* ex juſculo quodam communi cum M. i. & ij. *Salis communis* acuato, ſimul *Infuſio antimon.* aut *Syr. antimon. emetic. tripla* vel *quadrupla doſi* ex tempore addi poteſt. *Frictiones Plantar. Pedum* cum *Muria acri*, aut cum *Aceto* & *Sale* valent ad excitandum Ægrum; item punctura extremorum; odores acres ex ſalibus volatilibus penetrantioribus, aut *Sternutatoria* infuſa, ac volatilia Linguæ & Palato affricata, præſertim in juncta Aphoniâ.

Multum hic facit *Elect. Timæi contra Apoplexiam* & omnes Affectus ſoporoſos, item contra Suffocationess Uteri.

℞ *Sal.volat. Succin.*ʒß.*Theriac.Andr.*ʒiß. *Pulv.Caſtor.* ℈ii. *Ol. deſtill. Rutæ, Succin. Roriſmar. aa. gutt.* iij. *M.f. Electuar.* capiat magnitud. *Nuc. Moſch.* in *Aquâ* quadam *apoplectica*, Simulque Linguam & Palatum fortiter frica hoc *Electuario.* Si poſt horæ quadrantem ad ſe non redeat, repete, & naribus de ſequente pulvere infla.

℞ *Helleb. albi. Majoran. Flor. Lilior.conval: Pyrethri, Caſtor. aa.* ℈i. *M.* Prodeſt & *Fumus Succin.* aut fricetur Lingua & Palatum, *cum Aq. theriac. camphor. Spiritu Ceraſor. rectif.* paucis *gutt. Ol. Cinnam.* & *Caryophyll. acuato*, vel *Extract. Salv. Ol. deſtil. Camph.* & *Succin. Ol. Roriſmar. O. apoplect. Rhumelii*, &c. *Externè* vertex, Tempora & Nucha iiſdem illiniri poſſunt. Sed obſervandum ne nimis largiter locis illis illinantur, alàs Ægri ad ſe redeuntes de inſigni Capitis perturbatione & gravitate conqueruntur. Applicantur *rectè regioni Stomachi; Laterem calidum ſuperimponendo. Uſitata ſunt* & *Balſam. apoplect. Ol. Majoran. Lavend. Spir. Salv.*&c.

Cum his ipſis adminiſtrationum modis etiam *Aquæ Vitæ ſpirituoſæ apoplect.*&c.Inſtillantur Ori, & Faucibus, acuendæ præſertim *Salibus* & *Spiritibus urinoſis.* v.gr.

℞. *Aq. apoplect. opt.* ℥i. *Aq. Lilior. conval.* ℥ß. *Q. E. Matthiol.* ʒß. *Syr. flor. Tunicæ* ℥ß. *M.* Vel

℞. *Aq. Lilior. conval. Menthæ aa.* ℥iß. *Spirit. Ceraſor. nigr.* ʒii. *Liquor. C. C. ſuccin. ritè pp. vel Spir. ſal. Armon.* ʒiß. *Ol. ſtil. Succin. gut.* vi. *Syr. flor. Tunicæ* ℥ß. *M.*

Cum his *Spirituoſis Aquis internis* etiam hic externa è quibuſdam expetuntur. Ut

℞. *Aq. Meliſ. Lilior. conval. cum Vin. an.* ℥ii. *Aq. Apoplect.* ℥i. *Aceti rutac.* ℥ii. M. pro Temporibus & Naſo.

Si his præſcript. non ad ſe redeat, *Vomitorium* & *Clyſma* acre poſſunt iterari. Quin & *Veſicatoria* ampla Cervici & Cruribus applicanda. Si redierit ad ſe tantum nonnihil, *Spirituoſa* continuanda, *Veſicatoria* applicanda,

eanda, *Cucurbitulæ* nunc cum nunc ſine ſcarificatione ſcapulis & brachiis adhibendæ, &c.

Extra paroxyſmum Cura præſervat. inſtituenda, ne Recidivam patiantur ii, qui correpti fuerunt, vel qui futuram metuunt; cujus prodromi ſunt Vertigo, Memoriæ debilitas, ſpontaneæ illachrymat. Oculoriones Scotomiæ, Incubus, Stupores brachiorum *&c.* In *præſervatione volatilia aromatica, alterativa* & *evacuantia* repetitis vicibus inſtituta optima. Inter *alterativa*, *ſuccinata*, *caſtoreata*, *cinnabarina*, *partes Animales oſſeæ*, *Salia* & *Spir. urinoſi*, &c. in ſpecie *Salvia* & ejus *pp. Sem. Erucæ* & *Sinapi*, optima ſunt ad præcavendam Apoplexiam Senum; de quibus aliqui mane jejuno ſtomacho *gr.x.* vel *xii.* deglutiunt. Vel

℞ *Cardamomi* ℥ß. *Coriandr.*℥ii. *Sinap. alb.*℈j. M. pulveriſa, & exhibe gr.x. vel xv. circa introitum lecti. Vel in forma *Electuarii.*

℞ *Caricar.ping. No.*vi. inciſis adde *Sem. Sinap. alb. ſeu Erucæ* ℥vi. *Cardamomi* ℥i. *Miſce exactè, adde ſimul* Cochleare plenum *Spir. Lavendulæ. f. Electuar.* capiat ex hoc magnitud. Nuc. Juglandis.

Laudatur & *Spir. Sinapi*, *Spir. Ceraſor. nigr. dulc. Spir. fuliginis, cum* Camph. *Spir. Secundinæ humanæ*; item *Cinnab. antimon. Aurum diaph. Poter.* Inter *Evacuantia, Mercur. dulc. cum Vegetabilium Extractis* conducit; item *ſudorifera ex Lignis* continuata declinante paroxyſmo. *Fonticuli* & *ſetacea* in *Apoplexiâ poſitivâ* parum auxilii adferunt, benè autem in *privativâ*, præcipuè Senibus. Denique *Salivatio* declinante Apoplexiâ à quibuſdam rectè proponitur.

CAP. II.

De Paraplegiis.

Hemiplegiæ & *Paraplegiæ* ſunt *Apoplexiæ particulares*, non omnia membra occupantes; quæ nunc per ſe inchoant, nunc Apoplexiam ſequuntur. Sanè Apo-

plexiæ & hinc natæ *Paraplegiæ* ſingularem habent convenientiam, licèt in modo fiendi differant; unde permutatio mutua earum, & in cura remediorum identitas; non rarum eſt etiam, Epilepſias in *Paraplegias*, mutari & contra. *Paraplegiæ*, quæ Apoplexiam, Epilepſiam, alioſque Morbos ſequuntur immediatè, *Paralyſes* vulgo, ſed malè vocantur. In his tres gradus ſunt diſtinguendi: 1. Cum motus ſolùm deficit ſuperſtite ſenſu. 2. Senſus & motus deficiunt, reſtante tamen partis calore. 3. Iſtis deficientibus pars ſimul continuè frigida percipitur, quam inſequi ſolet flacciditas notabilis, & hinc *Maraſmus*.

Cauſa. Communiter *obſtructionem Nervorum accuſant*. Sed hæc non eſt *univerſalis cauſa*, cum per conſenſum aliarum partium remotarum *Paraplegiam* fieri obſervatum fuit, v. g. ex Paſſionibus hyſtericis, item à Lumbricis, graviori ſubinde animi Pathemate, &c. *Paraplegiæ* pro fiendi ratione nunc *privativæ* nunc *poſitivæ* eſſe videntur. Sed cum in ſpecie Apoplexias non lethales ordinariè inſequantur, hujus permutationis ratio eſt inquirenda. Apoplexiam ſanguineam univerſalem ex ſanguinis extravaſatione, utplurimum lethalem exiſtimo. Alia ſanguinea *privativa*, quæ tantùm ex motu ſanguinis in vaſis Cerebri intercepto oritur, ſi univerſalis, quomodo in *Paraplegiam* abeat, obſcuriſſimum eſt, niſi forſan *Venæſectio* largior motum ſanguinis promovendo, alterius Cerebri lateris Affectum particularem reddas, ita ut tantùm in altera Cerebri medietate circa Nervorum exortum, & ſanguinis conſiſtentis vitio, *Paraplegiæ* oriantur.

Imò ſi Apoplexiæ privativæ ſanguineæ *Paraplegia* ſupervenerit, probabile eſt, ex ſanguine congrumato, aut ſubſiſtente, aquoſum plus minus laticem feciſſe ſeceſſum per Cerebrum in caudicem medullarem, vel ſpinalem medullam, & ſic unius alteriuſve Nervi læſione

ſione *Paraplegiam* intuliſſe, in *privativa* & *lymphatica*, aut huic cognata. Unde Lymphæ, materiæve peccantis in caudicem medullarem verſus interiora progreſſus, adeoque Obſtructiones, vel ejus in Medullam ſpinalem defluxus & compreſſiones certis in locis, *Paraplegiam* inferre poſſunt. Imò forſan aliqualis irritatio, contractionem fibrarum & membranarum circa principium nervorum inducere, & hinc Spirituum influxum ſufficientem impedire poterit. *Poſitivam* Apoplexiam etiam excipere *Paraplegiam*, res nota, ſed modus admodum obſcurus. Probabile etiam eſt Partes quaſdam per conſenſum Nervorum ſenſu & motu plus minus privari, ex hoc enim permutationis ratio Affectuum paralyticorum & convulſivorum, atque earum identitas explicari poſſunt.

Prognoſis. *Paraplegia* quævis difficilis eſt curatu. Levior curatu facilior, graviſſima difficillima. Si parti paralyticæ vel Tremor ſuperveniat, vel doloris moleſtia, bonum ſignum. Quo major calor, eo major ſpes.

Cura. Eadem ferè, quæ in Apoplexia univerſali obſervanda ſunt remedia appropriata. Vomitus in *Paraplegia* optimus, & quidem fortè *Vomitorium*, ſi nempe ſequitur Apoplexiam *poſitivam*. Si *privativam*, magis *Venæſectio Fonticuli*, *Veſicatoria* & *Cucurbitulæ* intra Scapulas conveniunt; utrobique verò *Venæſectio* adhibenda in Plethoricis, aut quibus ſolennis ſanguinis excretio ſuppreſſa fuerit. His præmiſſis inter remedia interna laudantur ſudorifera tam generalia ex Lignis, quàm in ſpecie *Aurum diaphoret.* *Poter.* *Cinnab.* *Antimon.* *Corallia*, *Salia volatilia*, *Spir. Sanguin. human.* *Liquor.* C.C. *ſuccin.* Optimus eſt ſequens Bolus in Adulto.

℞ *Conſerv. flor. Tunicæ* ʒi. *Auri diaphor.* ℈i. *M. pro* 2. *doſibus.* *Decocta Lign. Saſſafras*, *Bacc. Laur.* & *Rad. Helen.* his appropriatis interpoſita ſunt optima, v.g.

℞ *Raſur. Lign. Saſſafr.* ℥ii. *Herb. Roriſmar.* *Mi. Bacc.*

Lauri ℥ii. *coq. in Aq. & Vin. aa.* ℔iß. *in fine adde Spir. Juniperi* ℥iv. *Spirit. ſal. Armoniac.* ʒiii. *Syr. flor. Tunicæ* ℥iij. *Miſce.*

Externè Vertici, Spinæ dorſi, aut loco, unde oritur Nervus partis affectæ, illinenda conveniunt *Ol. deſtil. Succin. Lavendulæ, Spicæ, Galbanetum Paracelſ. Spir. Vin. camph.* ter vel quater de die calidè affricando. Conveniunt etiam *Eſſent. ex infuſis Nervorum*, vel *Aq. articularis*, *Tinctura Caſtor. Spiritus Lilior. convall.* cum *Vino* ad frictionem dorſi, item *Spirit. & Sal. volatil. Lumbricor. & Formicar.* Quod ſi Spina dorſi his benè perfricata fuerit, applicandum denuo linteum calidum, *Gummi Animæ* ſuffumigatum. Cum hujuſmodi frictionibus, & litibus calidis ac penetrantibus irritentur partes ſenſiles, & hujus medio provocetur plus minus Spirituum impetus; propterea & ipſas partes ita reſolutas his modis tractare conſultum eſt, & propterea hic præſtat dictis litibus addere præparata ex *Alumine plumoſo*; *Balnea* ex *Formicis* ſeu *Stuffæ ſiccæ* hic quoq; locum habent.

℞ *Spir. Vin. camph.* ℥iij. *Spir. Lumbric. terreſtr.* ℥iß. *Eſſent. Caſtor.* ʒvi. *M.*

℞ *Liquor. Lumbric. terreſtr. in Clibano parat.* ℥iii. *Ol. deſtil. Spicæ, Junip. aa.* ʒiß. *Ol. Lavend. Majoran. aa.* ʒß. *Ol. Succin.* ℈ij. *Alumin. plumei.* ℈i. *M.* partibus affricatis hoc *Balſ.* ſeu *Ol.* inungatur, quibus ſubinde imponi poteſt *Emplaſtr. ex nervin. & aromat.*

Pro *Aquis articular.* quidam recipiunt *Sem. Sinapi p. j. Bacc. Junip.* pii. contuſa infundunt in *Spir. Vini*, eundemque imprægnatum partibus affricant & multa alia.

CAPUT III.

De Paralyſi.

P*aralyſis* eſt reſolutio membrorum talis, in quibus motus primariò deficit, ſuperſtite plus minus Senſu.

Stupor.

Stupor contrà eſt Affectus in quo deficiente in partibus Senſu ſupereſt Motus. *Paralyſis* igitur eſt reſolutio & relaxatio iſtius conſtructionis, quam debet habere Nervus, Tendo, Ligamentum; quibus mediantibus connectuntur & moventur Artus, & quæ ipſa inſtrumenta laxiora non poſſunt movere iſtas partes. Quod ſi in Paralyſi, motu læſo, remaneat Senſus Tactus, vocatur *Pareſis*, qualis eſt, quæ Scorbuticos affligit, aut poſt Colicam accidit. Quando verò motus & ſenſus una pereunt, dicitur *Paralyſis*, gravior ſcil. ſpecies.

Differunt *Paralyſis* & *Paraplegia* 1. *Origine*, nam *Paraplegia* ſequitur Cerebri & Spinæ morbos & comitatur Apoplexiam, Epilepſiam, Convulſiones, &c. *Paralyſis* verò ſequitur Scorbutum, Colicam convulſivam: quandoque copioſam ingurgitationem Vini.

2. *Subjecto.* Nam in *Paraplegia* nervi, in *Paralyſi* muſculi & tendines afficiuntur, unde Remedia ibidem applicanda.

3. *Symptomatibus.* Nam in Paraplegia legitima, Senſus Tactus cum Motu tollitur; in *Paralyſi* plerumque ſupereſt & interdum remanet Senſus doloroſus.

4. *Paraplegia* à principio ad finem eſt conſtans. *Paralyſis* & *Pareſis* Ægros ſæpè per intervalla vexat. In *Paralyſi* itaq; Motus perit ſæpè manentè Senſu; ſed ſi Senſus perit remanente Motu, non *Paralyſis* ſed *Stupor* dicitur.

Cauſæ ſunt *privativæ* vel *poſitivæ*; *privativa* eſt Nervorum diſſolutio & compreſſio; ſed hæc potius *Paraplegiam* infert. *Poſitiva* eſt, quæ propriè *Paralyſin* conſtituit; ſive *interna* ſit ſive *externa*. Inter *externas* ſunt humectatio & refrigeratio nimia, indeque nata reſolutio Tendinum & fibrarum, mora nimia in frigidâ aquâ, frequens natatio, graviores Animi affectus, vapores mercuriales, ſuppreſſio Lochiorum, omiſſio Venæſectionis conſuetæ, tactus Torpedinis piſcis & quorundam Conchiliorum. In ſpecie Paralyſin *poſitivam* in-

fert ex cauſa *interna* acidum volatile auſterum ferè, vehiculo nunc ſeri, nunc ſpiritûs influi, ad partem nerveam delatum, cujus occaſione fibræ unius vel alterius Muſculi vel Tendinis nonnihil intorqueri aut corrugari videntur. Contumaciſſima eſt Paralyſis quæ ex Vino, Scorbuto, vel Colicâ oritur. Notum eſt, Vini potatores in quibuſdam Regionibus Paralyticos reddi, nunc cum partis Stupore, nunc cum Senſu verminante & lancinante. Tandem membri Contractura ſupervenit, quæ ex acido volatili auſtero derivari poteſt. Obſervanrur tales frequenter in Moravia, Auſtria, &c. Acidum illud in Stomacho non ritè correctum pergit ad partes extimas & extra nervoſas Fibras, Tendines & Ligamenta defigitur. Quod ſi magis volatiliſatum ſit, Synoviam Articulorum, Podagram vel Lithiaſin infert. Unde in hoc caſu præmiſſis præmittendis optimè lacticiniis curantur. *Scorbutus* ſæpè hujuſmodi Paralyſin inferre ſolet. Senſim, cùm inchoat & procedit, primò vagus ſtupor apparet, hinc ſucceſſivè labefactatur tonus membri; eſt autem utplurimum vaga, uno enim die incedit Æger altero decumbit, Senſus manet utplurimum, aliqualis ſaltem Stupor inducitur; nunc cum dolore gravi vago, nunc cum fixo juncta eſt, ut vix membra commodè movere poſſint, niſi jacentes. Sanè acidum volatile hic peccat, nerveas fibras diverſimodè afficiendo; unde non rarum eſt, ut ſcorbuticis membrum ſpaſmo contractum nunc rigidum reddatur nunc Paralyſi affectum flacceſcat. *Paralyſis* ſequitur etiam *Colicam* illam, quæ magis habitualis eſt, & vulgo ab humore tenui & acri oriri dicitur, & practicis *Colica bilioſa* vocatur: alvus heic pertinaciter clauſa, Tormina atrociora ſunt, malum purgantibus per os aſſumptis exaſperatur, Umbilicus interiora verſus trahitur. Si hæc rectè conſiderentur, ratione cauſæ *Colica ſcorbutica* eſt, ratione modi *convulſiva*. *Acidum* hoc plexibus

xibus nerveis Meſenterii inhærens has turbas dat. Ex fibrarum enim tendinoſarum congregatione Contracturam efficit. Et ſic per conſenſum unius vel alterius Membri diſpoſitio inſequitur Paralytica, ſicuti & Stupor Crurum ex Renum Calculo.

Prognoſis. Paralyſis difficilis exiſtit curatu; quo magis partes contractæ, eò pejus, quo magis vagum eſt malum, eo melius.

Cura. In *privativa* Paralyſi ex internis cauſis *ſudorifera* ſunt optima. Quin & in malo contumaciori *Salivatio* conducit. Si à vitio externo, ut contuſione, luxatione, &c. *Litus ex aromaticis & nervinis*, in ſpecie *Balſam. peruv. Empl. paralyticum Mynſycht.* cum *gummi Tacamabacâ mixtum* prodeſt. In ſpecie *internè* & *externè Oleum deſtill. Lavend. litu cum Petroleo & Ol. Junip. acuatum* comendatur. Quod *ſi Paralyſis oriatur ex humectatione* & *relaxatione* Tendinum, &c. à cauſa internâ aut externâ, convenit *Litus ex Ol. terræ, Axung. human.* & *anſerinâ compoſitus. Empl.* ex *Tacamah. & Galbano malax.* cum *Ol. Succin.* & *Philoſoph.* circa Articulos applicatum, item cum *Ol. Terræ* & *Philoſoph.* mixtum, *internè* ſæpè *Theriacâ* ſudor provocetur. Si à *mercuriali veneno*, convenit *Decoct. Fœniculi* & *Helen.* Si Venena ſufficienter excluſa, Lac & Serum lactis propinari poſſunt. Si excretionis cujuſdam ſuppreſſio in culpâ fuerit, tum *Venæſectio* primùm, hinc ſudor conveniunt; ſi acidum fuerit volatile, quælibet *fortiora purgantia* vitanda; ſaltem *Helleborinis mitioribus*, iiſque partitis vicibus utendum: In *ſcorbuticis præcipuè fortiora purgantia* Morbos *convulſivos* inferunt; Conveniunt itaque ratione acidi vol. *apoplectica fixa* & *epileptica*, ut Unicornu verum, *Cinnab. antimon. Aur. diaphoret. Antimon. diaph. mart.* item *urinoſa volatilia*, ut *Spir. Tart. volat. Tinct. bezoard. Spir. ſal. armon. Spir. Lumbric.* item *aromatica appropriata*, v. g. *Roſmarin. Caſtor. Remedia ex Lignis*, **Theriaca**, & *Extra-*

cta

cta theriacalia; iſtis præmiſſis *Diæta temperata* & *lactea inſtituatur*. Si Scorbutus in receſſu ſit, juxta *volatilia urinoſa* locum obtinent *Turiones Pini & Abietis*, v.g.

℞ *Turion. Abiet.*℥iß. *Rad. Chinæ* ℥i. *coq. ex Aq. & Cereviſ. ad medias; bibatur ex hoc mane & veſperi.* Iſtis præmiſſis (non aliàs) *Serum lactis* cum *antiſcorbuticis* miſtum egregium eſt. Quod ſi denique Colicam inſequatur *Paralyſis*, cautus ſit Medicus in præſcribendis *purgationibus fortioribus*: Nervus curæ ad Abdomen potius dirigendus eſt per *Clyſmata lenient. abſterg.* ex *Lacte & Tereb.* quo frequentius eo melius. Internè per *Decocta Sem. 4. calidor. Helenii, Milii* cum *Lign. Saſſafras, Serum lactis* cum *antiſcorbut.* Umbilicus probè *Spir. Tart.* aut *Sal. armoniaci vinoſo* fricetur, poſtea inungatur *Galbaneto Paracelſi*, quod ſanè egregium; non conveniunt hic *Unguenta* nimis *pinguia*; præſtat interdum uti *Suffitibus, Fomentis, Lotionibus*. Obſervandum tamen, ſi *Scorbutus* ſubſit, *externa temperata* magis convenire, non ſemper *calida* & *acria*. In adminiſtratione topicorum expendat Medicus, an Paralyſis ſit ab humore aquoſo aut pituitoſo; aut Sero quocunque modo vitiato, & Æger ſit ſimilis conſtitutionis, parſque paralytica prius intumuerit, tunc medicamenta ſubtilia, calida & penetrantia adhiberi poſſunt. Quod ſi verò *ſit conſtitutionis bilioſæ* & pars affecta emarceſcat, ab iis abſtineat.

Inter externa præter *Galbanetum Paracelſ. & Ol. diviniſſ. Fallop.* conveniunt *Balſam. paralyt. Mynſ. item Aqu. articular. externa*, v. g.

℞ *Fol. Nicotian. Origan. Sambuc. aa. Mi. Rad. Angelicæ, Pyrethri, Aron. aa.*℥i. *Euphorb. Caſtor. aa.*ʒvi. *Piper. utriuſque* ʒiij. *Flor. Stæchad. arabic. Lavend. & Lilior. convall. aa.*℥ß. *Sem. Eruc.*℥iß. *conciſ. & contuſ. digerantur, in Spiritu Vini*, & hac eſſentia fricentur partes, vel abſtrahatur ab iiſdem Spir. Vin. & applicetur.

Hujuſmodi autem externa promptius operantur poſt ſudo-

ſudorem, hujuſque abſterſionem, apertis nempe poris. Conducit porrò *Eſſent. Succin.* item *Spir. ſal. armon. & Lumbricor. terreſtr. item Spir. Tart. rectific. cum duplo Spirit. Vini* in Paralyſi ex Colica. Accedit *Urina humana* ratione *Salis volatilis*. Laudantur *Urticæ* & *urticationes*; item incoqui poſſunt *Urtica, Camomil. Cuminum & Sal in Urina humana ad quartæ partis* conſumptionem, qua balneetur membrum, inungendo poſtea cum *Ol. vulpino. Ol. deſtillata* v. g. *Juniper. Lavendul. Tart. Lignor. Galbani*, &c. uti & *Petroleum Oleo Nuciſtæ* exceptum, conferunt iis qui acria ferre poſſunt. Scorbuticis autem temperata magis conducunt, inprimis ſi Atrophia membri metuatur; talia ſunt *Pinguedo human. viperin. anſerin. caſtorin.* nunc ſola, nunc cum *Oleo* quodam *deſtill.* præmiſſâ Frictione, applicata. Hujuſmodi eſt *Liquor Anſeris aſſando prolicitus*, cum parte æquali *Vermium terreſtr.* miſtus, vel in paſtam redactus & deſtillatus unde *Oleum* habetur egregium. Conducit autem Anſerem vino lotum, *Thure, Maſtiche, Myrrha*, & *Ung. martiato* ante aſſationem replere. Pari ratione *Venter Ciconiæ* impleri, & hujuſmodi linimentum elici poteſt. *Balnea ex Formicis* egregia ſunt in *Paraplegiis* ac reſolutione Tendinum & Ligamentorum. Integrum enim illorum cubile Sacculo incluſum, Aquæ ferventi injicitur, cujus vaporem excipiat Æger; ſequenti die ebulliat iſte ſacculus & denuo excipiatur vapor, idque bis vel ter. Accedunt *vinacea*, dum ſpontaneâ fermentatione incaleſcant, aut inſperſione *Calcis vivæ* animentur, membra enim paralytica iiſdem immerſa in Paralyſi ſcorbutica, aut ex Colica aut acido vitioſo natâ, mediante ſudore multum levantur. *Thermæ* denique iis, qui conſtitutionis ſunt ſanguineæ & Phlegmaticæ, minus qui bilioſi ſunt, conducunt; idque magis in Paraplegiis quàm Paralyſibus.

SECT. V.

De Læſionibus Senſuum externorum.

CAP. I.

De Variis Viſus Læſionibus.

QUATUOR modis læditur viſus. 1. Quando aboletur, in *cæcitate.* 2. Quando imminuitur in Viſûs Hebetudine. 3. Quando depravatur. 4. Quando augeri videtur, & objecta nimis colorata & ſplendida apparent. Frequentiores autem Affectus Oculorum ſunt 1. *Unguis.* 2. *Leucoma* & *Sugillatio.* 3. *Cataracta* & *Suffuſio.* 4. *Gutta Serena.*

Unguis fit, quando tunica quædam, utplurimum à Cantho majore circa Naſum enata, foramen Pupillæ claudit & nullum concedit tranſitum radio viſivo. Si tunica hæc tenuis & albida ſit, *Unguicula* & ſimpliciter *Tunica* dicitur; ſin verò carnoſior exiſtat, *Pannus* audit. *Cauſa* ſic ſe habet; Lachrymæ ſalino acidæ aut acres carnem in Angulo majore arrodunt, hincque membranam adnatam lædunt, unde nutrimentum tranſudat & coagulatur in concretum ejuſmodi membraneum. Si fortius penetravit iſta roſio & vaſcula ſanguinis læſit, ſanguis novas vias facit & venulas repræſentat; *Pannus* itidem *lividus*, *obſcurus* & *doloroſus* eſt, adeoque *Tunica maligna* ſeu *cancroſa* audit; ſi verò *Pannus* candidus, clarus, tenuis & indolens ſit, *benigna* dicitur. Quoad *prognoſin*; *Unguis gravis* tandem cæcitatem infert. *Recens* facilè curatur, vetus difficulter. *Tunica cancroſa* non attingenda, item ſi cùm *Pterygio* incipit & progreditur.

In *Cura*, Tunica hæc præternaturalis removen-
at medicamentis abſtergentibus & blandè erodenti-
, aut manu chirurgicâ: hinc blandè adſtringenti-
s poruli firmandi. Conveniunt igitur *Sacch. cand. Mel,*
n. alb. Os Sepiæ, C. C. *uſtum*, *Teſtæ Ovorum calcinatæ:*
tem *Aquæ Euphrag. Chelidon. maj. Fœnic.* in quibus in-
und. *Croc. metal.* vel diſſolv. *Sal gemmæ* pro *Collyriis.* In
ſpecie convenit *Fel Lucii piſcis* ad ℥i. *diſſol. in Aq. Leucoij*
bulboſ. ℥iß. item hujus *Fellis Aq. deſtil.* & *Eſſent.* vel
loco ejus *Fel human. deſtil.* in *cucurbitâ per alembicum æne-*
um. Egregia eſt etiam *Aq. deſtill. per alemb. ex Stercore*
Anſeris junioris, Menſe Aprili collecto. Si pertinacius
ſit malum, progrediendum ad *Aq. ſapphyrin.* Chirur-
gorum, quæ varie diiui poteſt. In ſpecie *Succus Che-*
lid. maj. expreſſ. dilutus cum *Rore Fœniculo* inſidente ab-
ſumit Tunicas. Facit huc *Collyrium* ſequens.

℞ *Lapid. Hæmatit. ppt.* ℈ß. *Vitriol. alb. gr.* xv. *Myrrhæ,*
Croci aa. gr. v. *Sacch. cand.* ℈i. *M. f. pulvis, miſcendus*
cum partibus æq. Aqu. Roſ. Euphrag. & Fœnic. & Tunicæ
illinatur miſtura cum penna, cavendo pupillam.

Nubecula fit, quando in nutritione Corneæ perſpi-
cuæ alimentum nonnihil craſſius & viſcidius ſuggeri-
tur, adeo ut obſcuratâ Corneâ, Ægro omnia obſcura
& quaſi per *nubeculam* appareant. Si ab eroſione Tu-
nicæ corneæ, *v. g.* in *Variolis*, cicatricula craſſa & alba
generetur, *Albugo* ſeu *Leucoma* vocatur; ſi poſt ictum
aut caſum ſanguis congrumatus in albo oculi hæreat,
& radios viſivos vitioſo colore tingat, *Sugillatio* dici-
tur. Quoad *Prognoſin*, *Cicatrix* craſſa & diuturna diffi-
cilis eſt curatu. *Sugillatio* facilè removetur in Pueris,
modò tractabiles ſint. In *Cura Nubeculæ* materia craſſa
removenda: *Leucomatis* macula & cicatricula abſter-
genda: in *Sugillatione* ſanguis congrumatus reſolven-
dus & diſcutiendus. Conveniunt igitur *Sem. Sclareæ*
Oculo impoſitum, quod Maculas & Albuginem ab-
ſtergit;

ſtergit; *Succus fœniculi* cum *Balſ. peruv. Succ. Anagall. flore cærul. Succ. Chelidon. Aq. Meu. ſimplex & comp. Aq. Saphyrina* & *Liquores* parati ex *fl. Cichor.* & *Cyani.* item ſeq. *Cataplaſma* Oculo imponendum.

℞ *Pulp. Pomor. odor. quartarium, incid. minut. & in Aq. Roſ. ac Fœnic. coq. ad pultem, add. Mucilag. Sem. Fænigr.* ℥iij. *Album ovor. No.* ii. *vel* iij. *Lap. Hæmatit. pp.* ʒß. *ad* ʒi. *Cort. Granat. pulv.* ii. *M. f. Cataplaſm. Ad ſugillationem valet fotus ex Aq. Chærefol. & flor. Cyani* cum linteis multiplicatis: item *Decoct. Rad. Symph. & Sigill. Salom. vel Liniment. contra Livorem faciei Mynſichti.*

Suffuſio fit, ſi in humore aqueo concreſcat membrana radiis tranſitum negans, quæ *Cataracta* dicitur. *Cauſa* eſt impuritas humoris aquei, ejus perſpicuitatem tollens; ratione cujus cum particulis excrementoſis in Membranam concreſcit. Præter hanc datur & *Suffuſio Notha*, Jejunis, & iis, qui debilitate Stomachi laborant, familiaris, item in ſtatu Febrium, dum Muſcæ ante oculos verſari videntur. Diſtinguendum autem eſt inter *Suffuſionem* & *Glaucoma*. Hoc enim tale humoris cryſtallini vitium eſt, quando ex perſpicuo obſcuratus & albedine fuſca inquinatus eſt, quod quidem vitium Senibus tandem naturaliter accidere ſolet. Quoad *Prognoſin*; ſi uno Oculo connivente alterius Pupilla non dilatetur, incurabilis eſt *Suffuſio*. Si *Cataracta* confirmata ſit, ubi Ægri lumen admotum vix vident, medicamentis quidem planè non, Chirurgiâ autem difficulter curatur. Quo magis alba, eo melior, nigra ferè nunquam curatur. Pro *Cura* ſubſtantia iſta heterogenea ante ſui concretionem diſcutienda: concreta reſolvenda, aut ſaltem manu chirurgicâ deprimenda. Conveniunt itaque *Aquæ ophthalmicæ antimoniales, Liquor Hepatis Muſtelæ, Aq. deſtil. Stercor. human. cui infund. Fel. Muſtel. piſcis. Aq. ophtalm. Querc.* ex *Vitriol. & Urina pueri.* Ex *Chirurgia* præter depreſſionem acu facien-

faciendam, conveniunt quoque *Veſicatoria* in Nucha, *Fonticuli*, *Setacea*, & hujus farinæ alia.

Gutta ſerena fit, quando radius viſivus pertingit quidem ad *retinam*, ſed nulla ſequitur viſio. Cujus cauſa ferè ſemper eſt in *nervo optico*, ejuſque expanſione, quæ *Tunicam retinam* conſtituit, quando nimirum obſtructus, compreſſus, vel alio modo læſus eſt nervus *v. g.* ex Scabie retropulſa, Ulcere Pedis intempeſtivè clauſo, &c. adeo ut Spiritus animales influere nequeant: vel quando ipſa *retina* ita flaccida evadit, ut à nullo radio viſivo moveri queat. Quo facit quando à cauſis externis ob percuſſionem Oculi, caſum in Sinciput, fortem Sternutationem, diuturnum Solis aut Lunæ plenæ aſpectum, laceratur quaſi vel alio modo vitiatur. In *Prognoſi* omnis *Gutta ſerena* difficulter, relaxata autem *Retina* Senum vix curatur. *Nyctalopia*, ſi interdiu rectè, veſperi parum aut nihil videtur, raro curatur. In *Curâ* conveniunt internè *Pill. aloephang. Infuſ. Senæ* cum *Sale Tart.* in *Aqua Euphrag. & Fœnic. Pulvis Hermodactyli*, porrò *aromatica*, fugiendo interim acria manifeſta, *Allium*, *Cepas*, &c. Appropriata inter palmam ducit *Euphragia*, indeque parata *Vina*, *Eſſentiæ*, &c. hinc *Rad. Valerianæ*, *Chelidon. maj. Leviſtic. Fœnic. Saſſafr. Roſmar. Bacc. Junip. Ruta*; item ex *Formicis parata* internè & externè. Pro *uſu externo* proſtant *Infuſa antimonialia*, & *Aq. ex Fellibus*, item *ſeq. Unguentum.*

℞ *Mell. anthoſ. & deſpum.* ℥ß. *Pulver. Zingiberis*, *Caryophyllor. arom.* aa. ℈j. *Salis vitrioli* ℈ß. *M. f. Ung.* de quo particula inſtar *Seminis Sinapi* Oculo imponatur & continuetur.

ARTIC. II.
De Auditus Læſionibus.

LÆditur *Auditus* 1. Quando imminuitur aut aboletur in *Surditate*. 2. Quando depravatur in *Tinnitu Aurium*.

Surditatis cauſæ ſunt vel Auris externa abſciſſa, vel meatus auditorius obſtructus à cerumine aut externis illapſis, vel membrana Tympani rupta, exeſa, aut ulcerata, vel Nervus auditorius aut malè inſertus, aut obſtruct⁹, vel compreſſus. *Cauſæ externæ* ſunt caſus ab alto, nimii ſonitus, *v. g.* ab exploſione Sclopetorum, Morbi acuti ad ſtatum properantes, & per Hæmorrhagiam criticam finituri. Quoad *Prognoſin*, Surdi ab ortu rarò curantur. Surditas per ſe & independens curatu difficilis. Surditas in acutis cum urina cruda delirium portendit: Sed cum coctionis ſignis bonum, & Hæmorrhagiam criticam promittit. In *Cura* Surditas critica ſponte ceſſat. Si à *cerumine* obturentur Aures, id attenuetur per *Succ. Abſinth. Spir. Urin.* &c. & dein eximatur. Sin ex *aliis cauſis* fuerit malum, ferè ſemper Tympani & Nervi acuſtici habenda eſt ratio, ut horum tonus *aromaticis* & *nervinis* reſtauretur. Hinc remedia inter excellunt *Ambra* & *Moſchus*; vel *Aq. Origan.* cum *Vino* deſtillata vel *Aq. Card. ben.* Item *Eſſent. Abſinth. Caſtor.* aut *Caryoph. Spir. acuſticus Mynſichti* vel *Barbette*, cum *Bombace* Auribus admotus. Facit huc *Ol. ſtill. Succin.* cum *Ol. Nucl. Perſic.* Item *Aq. magnanim.* & *Spir. Formic.* vel ℞ *Rad. Helleb. nig.* ʒß. *Rad. Cal. arom.* ℈i. *Pulp. Colocynth.* ℈j. *Bacc. Laur. excort.* ʒi. *Sem. Cumin.* ℈ii. *Spir. Vin.* ℥iv. *M. Stent. in Infuſ. per aliquot dies; Colaturæ expreſſæ guttæ aliquot auribus indantur.* Si ex caſu aut percuſſione, egregia eſt *Aq. Cyclaminis per alembicum deſtillata*, vel *Emplaſtrum* ex *Tacamah.* & *Cerato de Beton.* Capiti imponendum.

In *Tinnitu aurium* ſonitus percipitur qui non eſt. *Cauſæ* ſunt vel *aer Auris internus* vitiosè motus, vel *Tympanum* variis ex cauſis commotum & vellicatum. Hinc percuſſio Capitis, caſus ab alto, turgeſcentia ſanguinis in Cephalalgia vel Febribus acutis, & quidquid aut Tympanum irritat, aut auram internam commovet,

movet, inter cauſas externas refertur. Quoad *Prognoſin*; Tinnitus in Febribus ardentibus ſponte curatur. Si per ſe Morbum chronicum conſtituat, rarò tollitur & tandem ad Surditatem declinat. In *Cura* laudantur *Suffitus* ex *Abſinth.* vel *Verben.* item ex *Succino* vel *Gum. ammon.* item *Ol. nuc. Perſic.* & *Spir. Urin.* cum bombace auribus inditus. Admodum laudatur ſeq. ℞. *Heleb. alb. Caſtor. an.* ʒii. *Coſti ver.* ʒiß. *Rut.* ℈ii. *Euphorb.* ʒß. *Amygd. amar.* ʒiiß. *Coq. in Ol. Rut. quod tepide inſtilletur.* Si fiat ex *caſu*, ℞ *Aq. Calc. viv. cochleare i. Suc. Cep. cochl.* ß. *Ol. deſtil. Spic. gut.* 4. *M.* & Auribus inſtilla.

Internè in *Affectibus Aurium*, præmiſſis univerſalibus, ſunt *Saſſafrata*, *Succinata*, &c. Quæ eo melius operantur, ſi ſudor poſt eorum aſſumptionem expectetur.

ARTIC. III.

De Læſionibus Guſtus & Olfactus.

VItiato uno horum ſenſuum vitiatur & alter. Læditur autem uterque 1. Quando imminuitur aut aboletur, vel ex defectu Spir. animalis in *Apoplexiâ*, *Paralyſi*, &c. vel ex vitio organorum. 2. Quando depravatur, ita ut odores vel ſapores falſi percipiantur, propter organa à variis humoribus & halitibus peregrini ſaporis infecta. Sic *Olfactus* depravatur ob *Scorbutum oris*, vel *Ulcus narium* in *Lue venerea*. In Ictericis guſtus ferè amarus eſſe ſolet; Quò fortè *picantium* guſtus referendus; & Catarrhi utrumque ſenſum aut depravantes aut abolentes. In *Prognoſi*, ſi à Catarrhis, abeſt periculum; ſi inveteratum ſit malum, difficile eſt curatu. Quantum ad *Curam*, in *imminutione* aut *abolitione cauſa removenda*, reſpectu habito ad Catarrhum; deinde organa confortanda per *nervina*, *v. g. Olea* & *Eſ-*

ſent. Major. Puleg. Roſmar. Hinc Naribus commodè illinitur *Balſam. Major.* ex *Oleo.* Vel fiat *Suffitus* ex *Gum. Anim. Succin. &c.* In *Olfactu* depravato eadem locum habent. In *Guſtu depravato* cauſa prius removenda, v. g. Ictericis Vomitus convenit: deinde Linguæ tonus reſtituendus cum *Sero lactis acidulato*, vel *Rad. Cichor. condit.* Alias maſticetur *Raphanus* ante paſtum; vel ſubinde colluatur Os *ſucco Acetoſæ*, vel *Syrupo* ex eo cum *Saccharo* parato.

ARTIC. IV.

De Læſo Tactu, indeque orto Dolore.

SEnſuum omnium communiſſimus eſt *Tactus*; nam omnes reliqui non ſunt niſi *Tactus ſpeciales.* Præter ejus abolitionem & imminutionem in *Apoplexia, Paralyſi*, & *Stupore*; hic ipſe interdum augetur & ſimul depravatur in *Dolore*, qui etiam omnibus ſenſibus communis eſt: fit enim, quando in organum tam vehemens fit impreſſio, ut illud nimis moveatur; in ſpecie, ſi fibrillis nerveis objectum quoddam tactile occurrat, quod eas nimis vehementer moveat. Tactus enim organum ſunt *Fibræ*, earumque ſubtiliſſimæ fibrillæ, quæ à fortiore & vehementiore objecti motione celerrimè vibratæ, exinde violenter admodum ſeparantur, divelluntur & velut lacerantur, unde quædam ab aliis divulſæ contractiva quaſi vi abbreviantur, & alias illæſas violenter trahunt & lacerant; unde *dolor*, & remoto objecto *doloris continuatio.* Affectis fibris vibrationis iſtius occaſione Spiritus animales & ipſi ad certum motum determinantur, ad Cerebrum nempe, ubi in ſenſu communi fit formalis doloris perceptio ſeu ſenſus doloris internus. Hinc fit, ut Convulſiones ſæpè dolorem ſequantur; & vice verſa convulſivus impetus doloris incremen-

crementum inferat, cum exinde pars dolens tendatur & pulſatoria moleſtia afficiatur. Atque hic eſt primus *Doloris* actus. Quòd ſi verò fibrillis jam læſis objectum, naturale licèt, appropinquet; tunc fibrillæ vel tantillo contactu vibratæ novam doloris impreſſiorem facere ſolent *v.g.* in partibus vulneratis aut ulceratis; inprimis ſi nervoſæ ſint, quæ fibrillas habent copioſiores quàm ſanguineæ.

Differentiæ Dolorum variæ, & tantùm non innumerabiles ſunt, pro varietate objecti dolorifici & partium affectarum. Sufficiet nobis decem ſpeciales ex causâ internâ ortas conſiderare. I. Eſt *Gravativus dolor* & quaſi *premens*, qui occupat partem minùs ſenſilem, ſed ſentiente nonnihil membranâ cinctam, à materia viſcida, minùs acri, aut fluida ferè inſipida, aut dulci infarctam; *v.g.* in *Hepatis tumore*, *Calculo Renum* ingenti quieto. II. *Punctorius*, ortus ex acido membranam ad inſtar aciculæ pungente, & hinc convulſivo ſpaſmo criſpante, *v.g.* in *Pleuritide*. III. *Terebrans*, ortus à viſcido plus minus acido parti cuidam impacto, & eandem quaſi terebrâ perforante, *v.g.* in *Colica*, *Cephalæâ*, &c. IV. *Rodens* ſeu *Mordens*, quo & *pruriginoſus* pertinet, quaſi Vermiculi continuò fodicarent & roderent. Oritur ab acri ſalſo membranoſa loca vellicante. V. *Pulſatorius*, ortus ex nimia partis dolentis repletione, ejuſque fibrarum convulſiva ſtrictura, unde conſtrictæ arteriæ quavis pulſatione dolorem intendunt, ipsâ illarum tunicâ plus minus tensâ: percipiturque vix alibi, quàm in Inflammationibus aut fortioribus membranarum Tenſionibus, *v.g. Cephalalgia*. V. *Oſtocopus*, quaſi in ſui profundo oſſa frangerentur, aut contunderentur; qui immediatè *Perioſtium* afficit, præſertim nocturno tempore, oriturque ab acido in ſucco viſcido, quaſi minùs corroſivo; perioſtium nunc ſaltem vellicante, nunc rodente; *v.g.* in *Lue venerea* & *Scorbuto*.

VII. *Tenſivus*, ortus à ſpaſmo membranarum, partem ſolidam inveſtientium; ſic in *Odontalgia* dimidium caput *tendi* videtur. Si membranæ cavitatem quandam efformantes repleantur, ita ut ex irritatione ſpaſmodicè contrahantur, fit *Dolor diſtendens*; ſic in *Colica flatulenta* Abdomen diſtenditur. VIII. *Lacerans* & *Lancinans*, quaſi quis unguibus laceretur, propter acre acidum purum, ſed auſterum, membranas afficiens, idque ſæpe in Cruribus Scorbuticorum. IX. *Ardens*, quaſi ignis ſcintillulæ urerent, ortus ab acido ſubtili acri, ferè volatili, partes membranoſas ſolidas afficiente, *v.g.* in *Eryſipelate*. Subinde humores contenti efferveſcentes, dominante acido volatili, talem producunt dolorem. X. *Algens*, ab acido minus acri, ſed ſingulariter fibras quaſi ſtupore afficiente.

Ex dictis patet, *ex Cauſis doloris remotis internis* inprimis eſſe acidum vitioſum, cujus particulæ acutæ & rigidæ in fibras ſe inſinuant. Hujus acidi origo utplurimum eſt ex primis viis, *v.g.* in Arthriticis, & Scorbuticis; rariùs autem ex privato partis, in digeſtione propriâ læſæ, vitio, *v.g.* in *Odontalgia*. Acidum hoc, prout nunc eſt volatilius ſeu ſpumoſius, nunc minùs volatile ſeu fixius; prout hæret in vehiculo tenuiori aut craſſiori; prout parti dolenti magis vel minus infixum fuerit; etiam dolores pertinaciores aut facilius curabiles infert. Sic dolores venerei pertinaciſſimi ſunt, & frequenter recidivant dolores, qui ex privato partis vitio oriuntur, v.g. *poſt Articulos graviter vulneratos*; hi enim quavis tempeſtatis mutatione recrudeſcunt. Dolores autem arthritici vagi facilè diſcuti ſolent, propter acidum volat. ſpumoſum, magis à ſpiritu influo quàm ſeri vehiculo partibus communicatum. Hinc hujuſmodi dolores non *continui* ſunt, propter acre remiſſius parti agglutinatum. Nonnunquam dolorem comitatur Tumor, qui in *Inflammatione* &

Sup-

Suppuratione cauſa eſt Doloris *ardentis*, *rodentis*, *pulſatorii*; In *Arthritide* verò, *Odontalgia*, &c. Doloris eſt *effectus*, ex fibrarum ſtricturâ convulſivâ, contentorum circulum & motum æquabilem remorante.

In *Cura* conveniunt aut *Cauſam removentia*, quæ ferè alcalia ſunt, nunc *fixa*, nunc *volatilia*; nunc *macra*, nunc *aromatica*, & *oleoſa*; hæc enim penetrant, acidum corrigunt, viſcidum attenuant, & humoroſum diſcutiunt: aut conveniunt *Cauſam temperantia*, *pinguia* nempe, *oleoſa*, *mucilaginoſa*, quæ acre mitigant, & fibrarum tenſionem emolliunt: Vel denique conveniunt, quæ ſenſum partis ſtupefaciunt, *v. g. Opiata*, *Hyoſcyamus*, &c. inprimis *Ol. Hyoſcyam. expreſſum* externè applicatum.

Cauſa materialis peccans removenda, maximè per *ſudorem* & *urinam*; præſertim *ſudorem*, hujus enim medio & viſcidum in contumacioribus doloribus ſimul peccans plus minus emendatur. Inter *Purgantia* excellit *Merc. dulcis*; quibus adduntur *martialia*, *ſolaria*, &c. pro fomite morboſo corrigendo. Sicuti externè, pro cauſæ remotione, *Venæſectio*, *Hirudines*, *Veſicatoria*, (inprimis in Doloribus Artuum gravioribus à ſero ſcorbutico acri) *Cauſtica*, *&c.* magis inſerviunt.

Narcotica potentiſſimè levant, Doloris ſymptoma ſiſtendo, ſed cauſam materialem nec corrigendo nec removendo. Conducunt inprimis, ſi humor ſit tenuis & rodens, tenuitatem enim ſimul corrigunt. Sin verò glutinoſus ſit humor, ſublato ejus motu, eundem parti magis impellunt, adeoque Affectum deteriorem reddunt. Semper utique in curando Dolore reſpiciendum ad hæc tria. 1. Ad partem affectam plus minus ſenſilem, adeoque plus minus carnoſam aut nerveam. 2. Ad cauſam efficientem occaſionalem plus minus acrem. 3. Ad vehiculum cauſæ, vel viſcidum ſucceſſivè attenuandum, vel tenue facilè diſcutiendum: Nempe quo

ſenſilior eſt pars, eo magis temperata conveniunt; quo acrior fuerit cauſa occaſionalis, & quo viſcidior fomes, eo minus *volatilia diſcutientia*, quæ acre agitando & viſcidum reſolvendo dolorem exacerbant, ſed *ſucceſſivè emollientia* magis conducunt. Sic in *Nodis venereis* nocentiſſimus eſt *Spir. Sal. armoniaci urinoſus.*

Remedia igitur ad *primam claſſem* pertinentia, *Alcalia* plus minus *aromatica*, ſunt *Abſinth.* cum *Parietariâ* contuſum, coctum & applicatum, tam in Dolore ex cauſa externa, quàm in illo ex acri ſeroſo humore interno, v. g. Capitis aliarumque partium. Item *Menth. Anethum, Chamom. Folia Lauri, Bacc. Junip. Sem.* 4. *cal. maj. Aquæ articulares ad extra*, acuatæ cum *Spir. Sal. armon.* cum *Calce viva* parato, & *Spiritu Lumbric. terreſtr.* per putrefact. partibus antea probè fricatis, applicatæ. In Doloribus egregia ſunt *Formicalia* & *Lumbricalia* propter *Sal. volat.* ſingulare. Quo etiam *Urina humana* pertinet, & quælibet ex eâ parata. Dolores ab *acido vol.* orti levantur per *volatilia* ex *animalibus*, inprimis ex *Scarab. cornuto.* Pertinet huc *Camphora* & *Spir. Vini camphorat.* Præſertim in Inflammationibus; item *Ranæ* & *Sperma Ran.* in Arthriticis & cognatis doloribus, ratione *alcali temperati*, quo turgent. ſingulariter *anodyni*, *Sapo venet.* in *Spiritu Vini ſolutus* ratione alcali oleoſi dolores ab acido ortos ſedat. Si adſit ardoris ſenſus, ſolvatur in *Aq. ſpermat. Ran.* vel *Spir. Lumbric.* aut *Spir. Vini* cum *Camph.* & *Croco*, plumà illinendus. In Nervis contuſis & punctis egregius eſt *Balſ. Peruv.* Solvatur in *Vitello Ovi* & *Spir. Bacc. Junip.* in Articulorum doloribus à defluxionibus frigidis. In Doloribus à viſcido acido egregia ſunt *Gum. ammon.* & *Galban.* Ac inprimis *Tacamahaca* in Doloribus à ſero vel lymphâ acidâ, Catarrhis vulgo tributis. Potentiora ſed acriora ſunt *Olea deſtill.* ex dictis *Gummat.* item ex *Animalium oſſibus*, *pinguedinibus*, *Cerâ.* Sic in Doloribus partium nervoſarum egregium

eſt

eſt *Galbanet. Paracelſi*, & ſi à contuſione oriantur, *Ol. Cer.* & *Spirit. Vini*. In Dolore brachii & pedis optimum anodynum eſt *Stercus humanum* & *vaccinum*, aut recens applicatum, aut cum *Ol. Roſ.* mixtum in forma *Cataplaſm.* Alias conveniunt *Emplaſtr.* de *Meliloto*, item *de Ran.* cum *Mercur.* Item ex *Terebinth.* cum *Spir. Salis armoniaci.*

Remedia temperantia & demulcentia ſunt *Lac* & *Lacticinia*, illud enim oleo & alcali dives eſt; unde *Lac capr.* cum *Melle* parum bullitum, item *Lac* cum *Ol. Roſ.* & *Nymph.* calefactum, ad modum fomenti, egregium eſt. Huc pertinet *Cataplaſma* ex *mica Panis albi* coctâ cum *Lacte*, addito *Croco*; item *Medulla Panis* albi in *Lacte vaccino* macerata, & per cribrum trajecta, & addito *Vitello ovi*, *Butyro recenti*, ac *Oleis Chamom. Aneth. Lil. alb.* & *Lumbric. Terreſt.* Interdum miſcenda eſt *pinguedo Taxi* & *Vulpis* cum *Ol. Lumbric. terreſtr.* Huc pertinent *Althæa*, *Malva*, *Melilotus*, *Verbaſci* & *Sambuci flores*; *Mucilagines* iſtarum *plantarum*; *Ol. Amygd. d. Unguent. dialth. Alabaſtr. Balſam. hypnot. Mynſ. Oleum ex flor. Verbaſci* in clibano paratum, *Aqua Hirundinum* cum *Caſtor.* &c.

Quoad *Dolores* in *ſpecie*, curatur *gravativus* per *Venæſectionem*, *Sudorifera*, *Purgantia*, & externè per *Fonticulos*: *Olea deſtill.* penetrantiora, atque *Emplaſtra* ex *Gummat.* ac *narcoticis*, veluti de *Cicuta*, *Nicotiana*, &c. *Punctorius* curatur per *Salia vol. ſudorifera Opio* miſta, v. g. *Spir. ſal. armon. aniſ.* cum *Eſſent. Opii.* Externè, per *Ung. dialth. Ol. Amygd. d.* addito pauco *Ol. deſt. Chamom.* & *Camph.* Item *volatilia* penetrantia, ut *Spir. Vini camphor. Spir. Sal. armon. Sperma Ran. Spir. Vin. ſaponat.* &c. *Terebrans* curatur *internè* per *incidentia* & *evacuantia*, præſertim ex *Gummat.* & *Merc. dulci.* *Externè* per *Gummata*, *Emplaſtr. carminat. Sylv. Empl. de Ran. cum Merc.* item de *Galban. crocat. Mynſ.* *Pulſatorius* per *ſudorifera* aci-

dum deſtruentia; *externè* per ſomenta ex *Aromat. Vino* incoctis; item *Empl. Melilot.* cum *Theriaca malaxatum. Tenſivus* per *volat. temperata* cum *opiatis*: *externè* per ſomenta *anodyna, opiata, lacticinia*, &c. *Diſtendens* per *carminantia*, & *externè* per *diſcutientia. Oſtocopus*, præmiſſis *univerſalibus*, per *diætam ſudoriferam*; *externè* per *Empl. ex Gum.* item de *Ran. cum Merc. malax.* cum *Ol. fœtido Tart. Guaiac. CC. &c.* Ardens internus per *præcipitantia* & *abſorbentia*, externus per *Saturnina*, *ſperma Ranar.* &c. cavendo *acria* & *pinguia*. *Algens* per *aromatica* vel *oleoſa, v. g. Galbanetum, Spiritum Vini crocatum, Aq. Articul.* &c.

In ſpecie conſiderandus eſt *Dolor lancinans*, qui intenſiſſimus eſt, licèt nulla partis percipiatur alteratio; Et ſcorbuticos per duas vel tres horas ante mediam noctem infeſtat, remittitque accedente die. Dolores hi lancinantes fixi in quadam parte, utut ſæpius pro fomite agnoſcant *Scorbutum*, interdum contumaciſſimi ſunt ſine Scorbuti indiciis; & ab *internis* parùm levantur, ab *externis* verò nonnunquam exaſperantur, inprimis à *narcoticis*, quæ, licèt dolorem mitigent, illum contumaciorem reddunt. Utut totum membrum crucietur, ſpecialiter tamen afficitur membrana aliqua, & mediante occultâ fibrarum criſpaturâ totum membrum per conſenſum affligitur. Suppreſſa Hæmorrhagia narium conſueta hunc dolorem ſingulis noctibus recrudeſcentem induxit. In *Cura*, ſubinde utilis eſt *Venæſectio*, ut contentis concilietur motus occaſione doloris & fibrarum ſtrictionis plus minus deficiens; item *Veſicatoria* membro dolenti convenienter applicata; & interdum *Fonticuli*, qui ſedato dolore conſolidari poſſunt. Internè præmiſſis abſorbentibus, v. g. *Antim. diaph. Bezoardico Mart. Cinnab Antim. partibus Animal. duris & oſſeis*, cum *anodynis miſtis*; conducunt *volatilia* ex *Lumbricis, Tartaro & Urina, antiſcorbuticis* miſta. Ubi

con-

contumacior eſt dolor, uſurpentur *Decocta Lign. ſudorifera: in ſpecie Decoctum fiat Raſuræ Lign. Guaiac.* ℥iij. *Cimar. Pini junior. recent.* Mii. *Herb. Roſmar M. i. in Aq.* ℔. vi. *ad tertias coctis*, inprimis, ſi glandulæ circa fauces & caput intumeſcant. Alias *Decoctum* ex *Rad. Vincetox. fol. Myrti, Sem Hyper. & Rhab. elect.* in *Aq. com. addito Syrupo Capillorum Veneris* proficuum obſervatum fuit. *Externè* vitentur *pinguia*. Conveniunt autem *Spiritus Vini ſimplex* aut *Theriacal. camphorat. Aq. Hirund.* cum *Caſtor. Sapo Venet.* in *Aqu. Vit. ſolutus* & cum *Spir. Ceraſ. nig.* & *Lil. convall.* miſtus : inprimis *Spir. Tartari*, item *Galbanetum Paracelſ.* utraque cum *Spiritu Vini* temperanda. *Rad. Conſolid. maj. recent.* contuſæ, & veſperi *Cataplaſmatis* modo impoſitæ ſingulare quid obtinent. Proficuus eſt *Suffitus* ex miſtura *Lixivii Coriariorum* cum *Urina humana*, injectis nempe *Lapidibus* vel *Ferris ignitis*. Denique *Thermæ*, aut *Luta* & *Lapides Thermarum* in *Aqua* bulliti; vel *Decoctum* Calcis *vivæ* & *Sulphuris*, tanquam *Thermarum* ſuccedaneum proſunt.

ART. V.

De Odontalgia.

Dentium *dolor* fit nunc *per conſenſum* ex affectis Gingivis; nunc *per eſſentiam* cujus *cauſa* eſt *acor vitioſus*, modò ex vitioſa dentium nutritione proveniens, modò à ſeri vehiculo ad dentem depoſito, ut in Scorbuto & Lue venerea: forſan & collecti humores acres in cavernula oſſium Maxillæ ſuperioris intra Oculum multum contribuunt. Ipſi Dentes indolentes ſunt, hinc *Subjectum Doloris* eſt membrana eorum intima ab expanſione Nervi orta, cujus fibræ hinc inde in Dentium ſubſtantiam ſe inſinuant. Ex illius autem contractione inſequuntur etiam criſpationes fibrarum vicinarum *per conſen-*

conſenſum, & ex fibrillarum & porulorum anguſtia, nunc ſanguis nunc ſerum aut Lympha cum tumore ſtagnant. Acidum illud dentes rodens & corrumpens, ſucceſſivè carioſos & cavos reddit, unde fruſtulatim excidunt. Subinde in carioſorum cavitatibus ex alimento non aſſimilato generantur Vermiculi, dolorem non leviter exaſperantes. *Cauſæ remotæ* ratione nutritionis læſæ, ſunt aſſumpta *ſaccharata*, *dulcia*, *fervida*, nimis *frigida*, inprimis *acida*, Spiritum dentium inſitum labefactantia, & hinc ejus texturam vitiantia: ratione acoris peregrini in vehiculo ſeri, ſunt ſcorbutica & venerea ſanguinis & humorum *Cacochymia*, inprimis ſi Dentes antea non benè ſe habuerint. In *Prognoſi*, contumacior dolor Convulſiones, Vigilias, &c. inferre poteſt.

Cura. Dolor ſiſtendus, acidum corrigendum, Dens carioſus evellendus, & Vermiculi enecandi. In Scorbuto *odontalgicis* miſcendum *Decoct. Cochlear.* & *Naſturtii.* In Lue venerea, *Decoctum* aut *Eſſentia Guajaci.* Dolorem ſiſtunt *Pilulæ* ex *Opio* denti inditæ, vel ejus *Eſſentia* cum bombace immiſſa, aut Dentibus & Gingivis affricata. Virtute *Opii* operatur *Theriaca*, externè Malæ applicata, addito in Ardore eryſipelaceo *Sale Abſinthii.* Subinde tamen *Opiatis* hiſce *univerſalia* præmittenda: obſervatur enim, ex intempeſtivo eorum uſu Senſuum ſtuporem, Vertiginem, Gravedinem capitis, imo & mortem nonnunquam inſequi. Si ſuſpicio ſit Scorbuti, teneatur crebrius in ore *Lac tepidum.* Simili virtute operatur *Nicotianæ fumus*, præmiſsâ, ſi opus eſt, purgatione, aut ipſa Herba maſticata, cavendo ſalivæ deglutitionem: Item *Decoctum* ejus cum *flor. Chamom.* ut & *Decoct. Hyoſcyam.* in *Vino*, vel *Aceto*, vel *Aqua*, in ore detentum ac gargariſatum. *Camphora* denti intruſa, aut ſoluta in *Spir. Vin. rectif.* vel *Spir. Sal. armon.* cum *Calce viva* & *Spir. Vini* parato, egregiè confert.

ſert. Egregium eſt *Ol. deſtil. Caryoph.* vel quod melius *Ol. ſtil. Orig. cretici*, denti inſtillatum; item *Ol. Buxi*, cui tamen præfertur *Ol. ſtil. Sabinæ*, nam & *Sabinæ decoctum* in *Vino*, vel *Cereviſiâ* excellens eſt, & Vermes ſimul enecat, item *Oleum Terebinth.* cum *Camphorâ*, aut *Balſamus Sulphur. Eſſentia Guaiaci*, aut *Saſſafras*, vel, quod melius, *Eſſentia benzoina*, cum *opiatis* miſta multum confert. Accedit *Elix. Propr. ſ. acido*, item *Sulphur auratum Antimonii* quod acidum abſorbendo dolorem ſopit. Laudatur *Decoctum Spic. Nard.* in *Vino*, & in Lue venerea *Decoct. Gumm. Juniper.* in *Aceto*, pro oris collutione. Sed cautè uſurpentur *Decocta* in *Aceto*, quia plus nocent *Dentium* compagem friabilem reddendo, quàm proſunt ſtuporem inducendo. Accedunt *Curæ magneticæ* per *Perſicar.* in *Aquâ* maceratam, deinde applicatam, & tandem in *Fimo* ſepultam, ut citò putreſcat; vel per os dextri Femoris aut Brachii *Bufonis* à carne nudum, Gingivis fortiter affricatum. Sunt & *Curæ tranſplantatoriæ* in Odontalgiis habitualibus, exſcindendo nempe *Feſtucam Coryli*, & hinc *Sambuci* vel *Salicis*, ſub *cortice ſeparato*, qua punguntur Gingivæ dum ſanguinent, deinde Lignum cruentum immittitur loco, unde exſciſſum fuit, cortice denuò applicato & luto probè circumdato. In Odontalgiis Gravidarum non contemnenda ſunt *Emplaſtra* ex *Gum. Tacamah* aut *Caran. malax.* cum *Balſa. Peruv.* aut *Oleo Papav.* Temporibus applicata, ſi Maxilla ſuperior doleat, ſin inferior verò, prope Aures. Quidam ex *Gummi Elem.* cum *Maſtiche*; alii ex *Gum. ammon.* in *Aceto* ſoluto eadem parant.

Si adſit inſignis Maxillæ Tumor, peſſimè promovetur Abſceſſus *Emplaſtro de Meliloto.* Si parvus Tumor intensè dolens circa radices Dentium emergat, ſuppurandus eſt applicando *fruſtula Ficuum* nonnihil aſſata, & Abſceſſus *Aquâ* cum *Melle* probè mundificandus, ut materia

teria omnis excernatur, tantillum enim fermenti recidivam facit: interdum hic Tumor ſponte rumpitur, & materia per ſe excernitur. In contumaci Odontalgia, ubi metus eſt gravioris Mali, accedendum ad *purgationem* cum *Jalappa*, ad *Venæſectionem* largiorem, vel ad *Cucurbitulas* Scapulis, Cervici, Cubito, imò & Maxillæ applicatas.

ART. VI.

De Cephalalgia.

SI iſta Capitis regio, quæ oſſibus Cranii circumſcribitur, doleat, *Cephalalgia* dicitur, eſtque nunc *interna*, quando dura Meninx afficitur, quæ duplici conſtat tunica, quam vaſa ſanguifera multis anfractibus oberrant: adeo ut dilatatis vaſis à ſanguine, dilatetur & Tunica, unde *Dolor capitis*, ferè ſemper *tenſivus*, & ſimul *pulſatorius*. Nunc *externa* eſt, quando Pericranium, hinc Panniculus carnoſus, Muſculi, ipſaque adeo Cutis, in læſionibus externis, item ex materia ſuper Cranium collectâ in Lue venerea, acerbè dolent. Si dolor iſte univerſum Capitis tractum ab oſſibus Cranii circumſcriptum occupet, & ob cauſam in Capite fixam contumax fuerit, *Cephalæa* dicitur. Si dimidium Caput ratione Suturæ ſagittalis tantùm doleat, *Hemicrania* dicitur, eſtque utplurimum valdè contumax. Si unica tantum Capitis pars inter ſagittalem ac temporalem afficiatur, dicitur *Ovum*, à magnitudine nempe loci dolentis. Si dolor *fixus* ſit, & *contumax* in uno parvo loco, *Clavus* appellatur, qui ferè continuus eſt, cum *Ovum* ſubinde intendi & remitti obſervetur. Si Occiput ſolum doleat, idque cum ſenſu frigoris in Mulieribus, oritur utplurimum ex Utero.

Cephalalgia nunc *calida* dicitur, ratione ſenſus caloris inpri-

inprimis circa frontem, ex ſanguinis fervore, vel membranarum ſpaſmo circa partes interiores eundem detinente; nunc *frigida*, quando ſentitur Frigus aut ſaltem Capitis gravedo. Eſt denique vel *per conſenſum*, vel per *eſſentiam*. Cephalalgia *per conſenſum* oritur abſque ulla vaporis aut humoris tranſmiſſione, ex ſolâ membranarum Capitis cum partibus aliis membranoſis communicatione, intercedente Nervôrum conſortio; Spaſmus enim in Ventriculo vel alibi inceptus, nervorum & membranarum ductu ad Caput continuatur; unde *Dolor* talis per conſenſum, ſaltem *tenſivus*, & hinc *pulſatorius* obſervatur. Sic notiſſima eſt Cephalalgia ex Hepate, Liene, Utero, Inteſtinorum Vermibus, & interdum ex Dente carioſo.

Cephalalgia per eſſentiam eſt vel *accidentalis* vel *habitualis*; ſic Vulnus Capitis *accidentalem* infert, ſed ſi poſt Vulnus curatum remaneat atonia partis læſæ, redibit *Cephalalgia habitualis*. Utraque fit vel à ſanguine, vel à lymphâ. Sic ſanguis turgeſcens & ebulliens in Febribus *Cephalalgiam* infert, impetuoſius vaſa Meningum diſtendendo. Huc facit Sanguis ex nimio æſtu magis diſſolutus, vel nimio Vini potu turgeſcens, (ubi adeſt & Artuum laſſitudo niſi Sudore præveniatur) vel ex frigore & effluviorum retentione ſimiliter turgeſcens, ut taceam ipſa tranſpiranda ſalina, membranis infixa, Dolores inferre. Pariter Sanguinis evacuationis conſuetæ, Hæmorrhagiæ, *v.g.* Narium, Menſium, &c. ſuppreſſio; item Sanguinis turgeſcentia uno alterove die, antequam Menſes prodierint, Cephalalgias inferre ſolent. Faciunt huc odores fortiores, *v.g.* .*Moſchi*, *Ambræ*, imò & *Roſarum* in iis, qui ſyſtema nervoſum habent tenuioris texturæ; qui vellicant membranam Narium ſuperiorem, & ad hanc derivata à dura matre filamenta nervea, quibus vellicatis tenditur dura Mater, unde Sanguinis circulus remoratur, & ſupervenit *Dolor*

lor capitis *pulſatorius* & *tenſivus*. Quoad ſerum aut lympham, ſi hæc vel ſtagnet, vel peregrino ſapore, ut in Scorbuto, inquinetur, *Hemicranias* aut *Cephalæas* infert, Membranas Capitis affligendo. Si acrius ſit illud, quo inquinatur, dolor eſt *lacerans* & *lancinans*; ſin minus acre ſit, *gravativus* eſt cum ſenſuum torpore, ut in *Coryza* incipiente.

Præter Sanguinis & Seri vitia, accedit viſcidum acre recrementum, vel depoſitum vel genitum in Capite, quod in omni *Cephalæa* aut *Hemicrania habituali* peccare videtur, licèt in aliis Hemicraniis ſubinde ſubſit ſanguinis motus impeditus in uno alterove ramulo vaſorum medietatis Capitis. Interdum humor ille lentus viſcidus ſe inſinuat intra ſuturas Cranii, easq; ſenſim diſcedere facit cum intenſiſſimo dolore, nonnunquam cum manifeſto ſonitu. In Lue venerea nutrimentum Cranii acore maligno corruptum in materiam viſcidam & acrem corroſivam ſenſim degenerat, quæ ſupra vel ſub Cranio coacervata Tumores & Cariem cranii infert, & ex affectis ſimul membranis dolores Capitis horrendos, in ſpecie nocturnos; imò & Mercurii inunctiones, minus ritè inſtitutæ, Dolores pertinaciſſimos ſubinde relinquunt, partim ex relicto non ſatis ſalivando evacuato, partim ex ipſa Mercurii malignitate, partes nerveas afficiente. Interdum Abſceſſus interioris Capitis contumaciſſimas *Cephalalgias* inferunt, quæ eruptione puris per nares ſubinde ſedantur. Poſt læſionem externam, licèt curatam, remanent interdum *Cephalalgiæ* aut *Hemicraniæ*, in ſpecie, quando Cranium ipſum læſum, aut Fiſſura quædam in interiori Cranii laminá relicta fuit, per quam ſuccus nutritius alteratus in Tunicas deſtillat; aut quando aliqualis Sanguinis circa membranas fit extravaſatio. Porrò ſubinde Vermes aut Calculi in Cerebro geniti graves inferunt dolores, qui poſtmodum per nares excreti levamen adferunt.

Signa

Signa cauſarum diſtinctiva obſcura ſunt. Si cauſa nulla Caput lædens præceſſerit, & nulla inſignior functionum animalium læſio, ſuſpicamur dolorem eſſe *per conſenſum*; quo in caſu Dolor utplurimum eſt interruptus, & adſunt Symptomata functionis in quadam parte inferiore læſæ, ita ut pro ratione majoris vel minoris læſionis ſimiliter afficiatur Caput. *Dolor* Capitis *per eſſentiam* contraria habet Symptomata. Quæ verò ſit ejus cauſa, difficile eſt cognitu. Ex Lympha aut plus minus acri materia oriri monſtrant gravamen Capitis, frigus, ſomnolentia, ætas ſenilis. *Cephalalgia per eſſentiam* interdum periodicationem determinatam habet, nunc Solis motum diurnum, nunc Lunæ phaſes & periodos obſervantem.

Prognoſis. Vehementiſſimus Capitis dolor in Febre continuâ, cum urinâ crudâ ſeu albâ & clarâ, Deliria, Convulſiones & Mortem portendit: ſubitò autem deſinens ſine critico levamine, Gangrænæ, aut omnimodæ ſensûs in membranis Cerebri deficientiæ lethale ſignum eſt. Si frigeant externa in vehementiſſimo capitis Dolore, malum eſt ſignum. Si continuus & vehemens ſit Dolor circa Frontem & Tempora cum Febre acuta, apparente die quarto ſigno pernicioſo, ſeptimo ferè mors ingruit. Si Cephalalgiæ ſuperveniat aquæ, ſanguinis, aut puris per os, nares aut aures excretio, ſignum eſt ſolutionis Morbi. Quibus ex Morbo partium inferiorum convaleſcentibus dolor Capitis ſupervenit, ſi non præcedat manifeſta excretio, materia ad Cerebrum rapta Abſceſſum faciet. Quicunque in Febre non lethali dixerit, ſibi caput dolere, aut præ oculis obſcurum quid apparere, ſi Cardiogmus acceſſerit, bilioſus Vomitus expectandus erit, præſertim ſi rigor intra hypochondria ſupervenerit. Quibus verò in ejuſmodi Febribus capite dolentibus Viſûs hebetudo contingit, aut ſplendores circa Oculos obverſantur, aut præ Cardiogmo

aliquid tenditur in hypochondrio dextro vel ſiniſtro, ſine Dolore aut Inflammatione, iis ſanguis è Naribus fluet.

Cura. Cephalalgiæ *per conſenſum*, affectâ parte primaria reſtitutâ, facilè curantur, illa verò *per eſſentiam* difficulter. Utrinque præmittenda *evacuantia*, inprimis *vomitoria* in illa per conſenſum, & *purgantia* in illâ per eſſentiam, in ſpecie ex *Mercurio dulci.* Utrobique alvus libera ſervanda, cùm obſtructa Dolorem exaſperet. In Dolore per conſenſum Stomachi optimæ ſunt Pilulæ ſequentes:

℞ *M. Pil. Maſtich.* ℈i. *Extract. Helleb. nig. Extr. Caſtor. an. gr. v. Extract. Troch. alhand. gr. j. cum ſ. q. Elixir. Propr. f. Pilulæ pro doſi.*

Obſervandum utique 1. Præmiſſis præmittendis in malo contumaciori *per eſſentiam*, inprimis ex ſeri aut lymphæ vitio, optimam eſſe *Diætam ſudoriferam*, quæ cauſam viſcidiorem attenuat & diſſolvit mediante Sanguinis circulo. Alias internè conveniunt *ſuccinata* quælibet, inprimis ejus *Sal volat.* hinc *diaphoretica martialia*, item *volatilia* tam *urinoſa*, quàm ex *Vitriolo* parata. His *Eſſentia Lunæ genuina* addi poteſt; quibus *opiata*, & *Camphora* inprimis in Cephalalgia calida, permiſcentur, quo in caſu *Spir. Vini camphorat.* vel *Ol. camphor.* externè applicantur.

2. *Chirurgica præſidia* multi uſus ſunt; in ſpecie *Arteriotomia* auxilium facile eſt, & nobile in contumacioribus malis, præcipuè *Hemicraniis*, nec metuendum eſt *Aneuriſma*, applicatâ enim *Terrâ Vitriol. dulc.* cum *Terrâ ſigil. & Album. ovi.* intra triduum coaleſcit Arteria. Poſt *Arteriotomiam* commendatur in diuturnioribus Cephalalgiis *inciſio Venæ Frontis*, loco cujus poſſunt adhiberi *Hirudines* utrinque ad tempora. Alias *inciſio Venæ* inter Indicem & Pollicem manus, præſens obſervatum fuit Hemicraniæ remedium. Atque hæc auxilia locum habent,

bent, ubi in vaſis ſanguiferis vitium hæſerit. Si autem ex ſeri vitio malum oritur, conducunt *Fonticuli* in Brachio aut Nucha, aut inter judicem & Pollicem manûs excitati; *Veſicatoria* pone Aures vel prope Nucham, & in graviori malo Capiti raſo applicata; *Setacea*, interdum *Cauſticum potentiale* in Dolore capitis periodico, ad cicercis quantitatem ſe extendente, & ſubinde *Trepanum*, inprimis in Dolore poſt Luem gallicam curatam. Sed neceſſe eſt, ut prius præmittantur *Univerſalia*, aliàs *Præſidia chirurgica* malum augerent.

3. Utut *Opiata* ſiſtant dolorem, cauſam tamen relinquunt, eamque magis fixam reddunt. *Anodyna* igitur & *narcotica* adhibeantur primùm in parva doſi, adſcendendo ſucceſſivè, idque ſolùm appropriatis additis. Si externè applicanda ſint *narcotica*, caveatur à Suturis, metu ſoporoſi Affectus, qui etiam metuendus ex nimia *Opii* doſi.

4. Inter alia Topica eminet inprimis Cataplaſma ex *Verbena* contuſa cum linteis duplicatis Fronti & Temporibus admotum, item *Flor. Papav. rhœad.* contuſi, nec non *Betonica in Vino cocta & contuſa*, quæ *anodyna*, & contra Capitis dolorem in Apoſtemate egregia eſt. Vel ubi opus eſt diſcuſſione & reſolutione, ℞ *Betonic. M. j. Abſinth. M. ß. Cubeb.* ℨj. *Vini* ℔.j. *vel q. ſ. Decoq.* & Decoctum *Epithematis* inſtar Capiti applicetur; ſic etiam *Rad. Rhodia* cum piſtillo lapideo contrita, & *Aquar. Verben. & Sambuc. an. irrorata*, atque inſtar *Cataplaſmatis* Fronti applicata, conducit. Loco hujus *Decoctum* ex illa paratur. Defectu *Rad. Rhodiæ* locum ſupplet *Pulv. Rad. Zedoar.* cum dictis Aquis, ſed hoc in *Cephalalgiis* ex cauſa frigida. In ſpecie huc pertinent, quæ plus minus *aliquâ vi narcoticâ* pollent, *v. g.*

℞. *Nucleor. Perſicor.* ℥ß. *Sem. Papav. alb.* ℨij. *c. ſ. q. Aq. Verbenæ f. Emulſio*, quæ ſub *Epithematis* forma Fronti & Temporibus applicetur. Hic laudatur etiam *Infuſio*

ſem. Hyoſciam. ℥i. in *Acet. roſac.* ℥v. & ſic caput ligetur faſciâ ex Linteo ſubtiliſſ. Quod humectetur cum ſpongiâ Aceto intinctâ. Sic etiam, ℞ *Ol. Papav. ex Semine expr.* ʒi. *Ol. nucleor. Perſic.* ʒiß. *Ol. Hyoſciam. Anethi an.* ℈ij. *c. ſ. q. Ceræ, vel Ol. Nuc. moſchat. expr.* fiat Linimenmentum Temporibus applicandum. Sed hujuſmodi *narcotica externa* tantùm locum habent urgente gravius dolore, eoque magis *accidentali* & per conſenſum, ſimulque conjuncto cum *Morbis acutis*, quàm *habituali*, per eſſentiam, & cum *Morbis chronicis*. *Dolores* enim *chronici* hujuſmodi Remediis leviter ſaltem palliantur, adeoque potius præmiſſis *Remediis chirurgicis* internis, aut *Emplaſtris & Tacamahaca cum Balſam. peruv.* tractandi. Multum laudatur *Ung. de Alabaſtro*, in ſpecie in Cephalalgia Febrium, cui de *Ol. Papaver. Hyoſciam.* aut *Camphoræ* addi poteſt. Ubi opus eſt diſcuſſione & reſolutione cauſæ frigidæ, optimi ſunt *Sacculi* ex *Milio & Sale communi* ſuffumigandi; è quibus etiam cum *Herba Betomicæ, Floribus Chamomil.* & *Pulv. Rad. rhodiæ* fiunt *Sacculi* interpaſſati, calidè Capiti applicandi, inprimis in Cephalalgia Senum.

5. Contumaciſſimi ſunt *Dolores ſcorbutici*, lancinantes & nocturni, contra quos internè convenit *Decoct. Lign. Junip. cum Raſur. Lign. Buxi*; item *Lac*, quod acrimoniam ſalis hic demulcet, licèt aliàs per conſenſum Cephalalgias inferat. *Externè* conveniunt *Veſicatoria* propè Aures, item *Epithema Cancrorum* infra deſcribendum, nec non *Flor. Papav. rhœad.* recentes contuſi & applicati.

6. In *Cephalalgia febrili* convenit *Epithema* ex *Succo Sempervivi* aut *Portulacæ* cum *pauco Aceto*; vel ex *Succo Cancrorum* expreſſo cum *Aq. Papav. rhœad. ſubacto*; vel ex ipſis *Cancris fluviatilibus contuſis* & applicatis. Convenit inſuper *Ung. alabaſtr.* cum *Ol. Sem. Papav.* vel *Hyoſciam expr.* Si metuantur *Deliria* aut *Convulſiones*,

ſiones, applicetur plantis pedum pulmentum ex *Fol. Rut. recent. M.*iij. *Rad. Raphan.inciſ. No.*iij. *Sal.com.M.*j. *Ferment. acri M.*iij. *cum Aceto rutac. q.ſ.* Hoc enim irritationis ratione revulſorium eſt, unde in Comate vigili Febrium egregium exiſtit.

7. In *Cephalalgia frigidâ* à materiâ viſcidâ & glutinoſâ, item in *Cephalalgia Senum*, cura per *Ligna ſudorifera* conducit. *Externè* optimum eſt *Balſ. Succini* Vertici illitum, item *Empl. de Ranis cum Mercurio* Capiti raſo impoſitum, cujus etiam p. j. addi poteſt *Empl. de Betonica & Ung. de alabaſtro* p. ß. Ubi ſuſpicio eſt materiæ craſſæ, in Doloribus inveteratis, inprimis venereis, nil melius hoc Emplaſtro, ratione *Mercurii*, qui materiam attenuat; conducit etiam in diſciſſione Suturarum, quo in caſu ſolemus aliàs, præmiſſâ Capitis ligaturâ, & deraſis Capillis *Ceratum ex Pelle ariet. cum Gummi elemi, & pauco Cerato de Betonica* loco affecto applicare.

8. In *Dolore* à *Læſione externâ* conducit *Ung. alabaſtrin.* & inprimis *Cerat. Alexandri benedicti*, quod ſequitur, ℞ *Gummi Hederæ* ℥iij. *Reſin. purgat.* ℥ß. *Ceræ* ℥iij. *Ol. roſac.* ℥iiß. *Gumm. ammoniaci* ℥ij. *Terebinth.* ℥iij. *Succ. Corymb. Heder. & Farin. fabar. q. v. Miſce f. Emplaſtrum.*

9. In *Cephalalgia à Vermibus*, præmiſſis univerſalibus contra Vermes, applicandum Syncipiti *Empl. ex Pulv. Aloes & Lumbricor.* ʒij. *Fell. Tauri.* ʒj. *Ol. Abſinth. & Ceræ, q.ſ.* Et admittendus eſt Fumus ex ſeq. *Pulvere*, nempe. ℞ *Pulv. Cent. min. Marrub. & Betonic. aa.* ʒij. *Zedoa.* ʒß. *Angelic.* ʒij. *Succini* ʒj. *Antimon. crudi.* ℥j. *Minii.* ʒjß. *Boli armen.* ʒj. *Ariſtoloch. rotund.* ʒij. *Abſinth.* ʒiij. *M. F. pulvis pro Fumo.* In *Cephalalgia* autem *ab Ebrietate* ſive *crapulà* deglutiendum eſt *Piper*, quia cruditates Ventriculi abſumit; item Caput leviter irrorandum *Aq. frig. Aceto mixtâ*, Teſtes verò in illam immergendi.

10. In *Hemicrania* præter ſupra laudatam *Arterioto-*

miam aut *Hirudinum* applicationem, laudatur *Cataplaſma* ex *Rad. Cucum. aſin. cum. Verbena & Abſinth*: vel ex eadem *Radice* add. *emollent.* in ſpecie pro ſolvendâ *Hemicrania per* Abſceſſum. Applicatur etiam *Decoctum* ex eadem *Radice* & *Abſinthio in Hydrelæo*, *Vino*, vel *Aquâ.* Laudatur item *Spongia madida decoct. Rad. Bryoniæ* cum *Fol. Abſinth. in Aq.* illinendo poſtmodum *Ung. alabaſtrin.* Sunt qui in ſpecie ad *Hemicraniam* commendant *Linimentum* ex *Euphorbii* ℥j. *Ceræ* ℥iij. *Ol. dulciſſ.* ℔.j. quo dimidium *Frontis* & *Muſculi temporales* commodè inungi poſſunt.

ARTIC. VII.

De Doloribus Oculorum & Aurium.

DOlent Oculi, nunc proper *Læſiones externas*, nunc propter *Ophthalmiam*, ſeu *Inflammationem*, lymphâ exiſtente acriori & acido-ſalſiori. Senſus vehementiſſimæ compreſſionis, & quaſi lacerationis, ortus ex ſpaſmo membranarum Oculi, ſpecialis quidam Dolor eſt.

Cura. Hormini ſemen Oculo immiſſum, lymphâ oculari humectatum reddit mucilaginem, quâ inviſcantur ea, quæ in Oculos inciderunt, & ita extrahi poſſunt. *Perlæ* etiam, vel *parvus Lapillus Cancrorum* in Oculum immiſſus & agitatus, ea quæ inciderunt ejicit. In Scoriâ Chalybis admovetur *Magnes* Oculo. Aliàs Inſtrumentis chirurgicis externa iſta ex Oculis extrahenda ſunt.

In *Ophthalmia* à causâ internâ applicantur Poma dulcia. Subinde adminiſtranda venit *Arteriotomia.* Si adſit lympha corroſiva, *Tutia pp.* aut *Flor. Zinci* abſorbendo acrimoniam ejus temperant. In ſpeciali dolore compreſſivo & lacerativo proſunt *Aquæ ophthalmicæ animales.*

les. item *Decocta Verbenæ*, *Fœnic. Euphragiæ*, *Sumach*, *Tutiæ* in *Aq.* & *Vino*, item *Mixtura* ex *Mucilag. ſem. Plantag. Cydon.* & *Hormini* cum *Aq. ſpermat. Ranar. extr.* ℥iij. *Croci. gr.* vi. & *Camphoræ gr. iv.* quibus quidam & *Lac muliebre* addere ſolent. Laudantur *Folia Nicotian.* leniter contuſa & recentia, vel modico *Vini irrorata* & Oculis impoſita. Comendat *Lindanus Sacchar. joviale* in *Aq. Plantag.* & *Fœnicul.* cum *Tut. pp.* Sed ab omnibus experta eſt *Pulpa Pomorum dulcium ad mollitiem coctorum*, cui in quovis Oculorum dolore inflammatorio addi poſſunt *Albumen Ovi*, *Saccharum albiſſ. Camphora*, & *Crocus.*

Dolent *Aures* frequentiſſimè ratione Inflammationis cum ſenſu ardoris & pulſationis, qui ſuperveniente puris fluxu levatur. Interdum oritur Dolor contumax, *ſi Humor* iſte, ex quo cerumina per aerem inſpiſſantur, acris ſit & ſalſus, & membranam internam pungat. Quo pertinet lympha vitioſa in catarrhalibus Affectibus. Sunt etiam Vermes in Aures irrepentes, qui graves dolores inferre ſolent, cum ſenſu roſionis, puncturæ, pruritus, & reptionis Vermium in interiori Auris meatu. In *Prognoſi*, Dolor aurium inflamatorius Deliria, graves cerebri Affectus & mortem inferre poteſt, idque tanto certiùs, ſi in profundo hæreat, & nervum acuſticum magis afficiat. Infantibus frequens eſt malum, ſed minus periculoſum quàm in Senioribus.

Cura. Dolorem hunc Aurium ſiſtunt *Fomenta* ex *Althæa*, *Fænogræco*, *Flor. Chamomill. Melilot. Beton.* &c. applicata, præſertim ſi malum ſit à cauſa externa; item *Fumus Nicotianæ* cum fiſtula inversâ Auri immiſſus, vel *Folia Nicotianæ* aut recenter contuſa, aut *Spir. Vini* humectata, & admota. *Aſelli* in *Ol. Violar.* infuſi & expreſſi; item *Scarabæi vivi in Ol. roſ.* cum pauca *Aquâ* ad hujus conſumptionem cocti & expreſſi, præſtantiſſima

dant *Anodyna*, quæ blandè calefacta Auri inſtillentur, & cum *Bombace* immittantur; quo facit etiam *Oleum Scorpionum* cum parte ſemiſſe *Olei Amygdal. dulc.* vel *amar.* ſi opus eſt deterſione, ſimiliter calefactum & uſurpatum. Ubi nulla eſt Inflammationis ſuſpicio, optimè convenit *Decoct. Caryophyll. arom.* in *Vino* Auri inſtillatum, ipſo *Caryophyllo* deſuper applicato; item *Urina pueri* aut potius *Spiritus ejus* non adeo acris, Auri immiſſus, *Spir. Otalgicus Barbett. Anat. Pr. L.2.c.1. ad gut.2.* vel 3. Auri inſtillatus, ſuperimpoſitâ bombace moſchatâ aut ambratâ, egregius eſt, non tantum in Obauditione ſine Inflammatione, ſed etiam in Tinnitu aurium & Surditate. Ubi dolor eſt nimis acutus, addendum venit tantillum *Eſſentiæ Opii*, ſed cautè, ne Auditum lædamus.

Si dolor Aurium ſit à Vermibus, aut extrahendi ſunt infundendo *Lac tepidum*, vel applicando P*omum aſſatum dulce*, quæ dulcedinis odore eoſdem evocant; aut enecandi ſunt *Succo Abſinthii*, aut C*ucumeris aſinini*, vel inſtillando in Aurem *Ol. Nucleor. Perſic. rec.* miſtum cum *Ol. diacolocynth.* & *Mercur. dulc.* vel inſtillando *Eſſentiam Myrrhæ*, vel injiciendo *Decoctum Aloes*, *Myrrhæ*, & *Summit. Abſinth.* in *Vino*; *Suffumigia* ex *Myrrha*, vel *Sem. Hyoſciami in candelas* cum Cerâ redacto; vel *Gumm. ammon.* Auribus exceptum Vermes enecat. *Suffumigia* etiam *amara*, & ex *Marte* Ore & Naribus excepta, Vermes ex Auribus expulerunt. Si Gryllus in Aurem irrepſerit, evocatur *Ol. Infuſ. Gryllorum*; ſicut *Hirudo*, injiciendo *Aquam ſalſam*, aut Aurem externam perfundendo *Sanguine* recenti, ad quem prorepunt. Si Pulex irrepſerit, immittendus eſt *globulus* ex *pilis caninis* compoſitus in Aurem cum ſtylo, cui ſe inſinuant.

ARTIC. VIII.

De Arthritide, ſeu Podagra, Dolore iſchiadico, &c.

ARTHRITIS eſt dolor Articuli, qui pro articulorum varietate, nunc *Podagra*, nunc *Gonagra*, nunc *Iſchiadicus Dolor* appellatur. Nonnunquam etiam ſcapulas & vertebras Colli, interdum Sternum, imò & alteram corporis quaſi medietatem afficit. Affligit ferè per Paroxyſmos, extra quos niſi in inveterato malo ſatis commodè habent Ægri.

Symptomata. Quoties imminet Paroxyſmus, Alvus ferè ſegnior evadit, adeſt moleſtia circa præcordia, ceſſatio excrementi conſueti intra pedum digitos, & circa Articulos tenſio. Hinc ſupervenit dolor pungens, lacerans aut pulſans, qui in Podagra incipiente, pollicem majorem pedis unius & hinc alterius ſucceſſivè occupat, dein procedente malo Genua, Brachia, *&c.* occupat. Si ſit ſimul Tumor eryſipelaceus, *Arthritis* dicitur *calida*, ſuntque ejus ſymptomata omnia atrociora, ſed ſimul paroxyſmi ſunt breviores : Si dolor ſit remiſſior, cum tumore œdematoſo, & nullo vel levi rubore, diutius tamen remanente paroxyſmo & tumore, *Arthritis* dicitur *frigida*. Anxietas præcordiorum magis in incremento quàm in ſtatu viget : adeſt ſimul ſitis & graviſſimus æſtus circa regionem ſtomachi, eo gravior quo minùs Ægri ſe potu onerant. Appetitus proſtratus eſt, & Clyſmata blandè laxantia anxietatem leniunt. Subinde in inveterato malo accedit inanis vomendi conatus cum Lipothymiis, quæ pathemata remittunt in ſtatu cum dolores & tumores increverint, & plures partes occupatæ fuerint. Accedit Febris ſymptomatica continua, minùs in principio paroxyſmi & adhuc mitius in ſtatu affligens. In Dolore iſchiadico ca-

dem ferè adſunt ſymptomata: in quo dolor, inprimis in Articulo, ubi femoris caput inſeritur coxendici, percipitur; etiam clunes ſive nates occupat; quin & ratione nervorum & membranarum connexarum, extenditur verſus Suram, & ad extremum uſque Malleolum, nocteque ferè gravius affligit; & quia partes dolentes ſub copioſis muſculis deliteſcunt, nulla ferè extrinſecus percipitur mutatio. Sæpius autem Dolores alii, ab iſchiadico quodammodo differentes, ſuperiorem Cruris & Coxarum regionem occupant. Si crebrius redeant paroxyſmi graviores, debilitantur articuli, & tandem paralyticè flacceſcunt, ac ſubinde luxantur: interdum membra circa articulos contrahuntur & rigeſcunt, aut ſaltem tophi & nodi ibidem colliguntur, eorum motum impedientes; ſpeciatim iſchiadicus Dolor ad claudicationem, nonnunquam coxæ Luxationem & cruris Atrophiam diſponit. In malo inveterato, præſertim ſi ſudores in paroxyſmi declinatione neglexerint, pertinacia in Articulis veſtigia relinquuntur, ita ut levi occaſione recrudeſcat aut punctionibus ſe manifeſtet malum.

Pars affecta ſunt membranea ligamenta, Articulos colligantia. Ex acerbitate lacerante doloris in profundo ſiti probabile eſt, ipſum etiam Perioſtium in locis, Oſſium articulationi proximis, ſimul pati. Quod Articulos in ſpecie afficiat, videtur eſſe ex Synovia ſeu Rore dulci, chyloſo alcali temperato turgido, qui ceu nutrimentum ligamentorum ipſorumq; forſan Oſſium abundans intra Articulos colligitur, pro motu facilitando & obtinendis Oſſium articulationibus. Hoc ab acido inquinatum partes membraneas rodit, hinc ſucceſſivè ab acido inſtar albuminis Ovi ſpiſſatur, & in gypſeam ſubſtantiam, Tophos nempe, degenerat.

Cauſa efficiens eſt acidum vel ſpirituoſum, ſpiritu influo maritatum, Synoviam & vicinas membranas inqui-

nans

nans & affligens. Radix hujus non ex parte affecta, ſed ex depravata digeſtione primâ derivatur, ita ut licet pedem abſcideris, Podagram proinde non ſanaveris. In malo inveterato acidum hoc ſucceſſivè acido Stomachi ſe aſſociat, donec fermenti more pedetentim hoc ſuperet, ita ut inpoſterum nulli ſeparationi obediat & planè incurabile ſit. Hinc 1. *Hæreditaria* obſervatur *Podagra*, ex acido podagrico cum ſpiritu influo genitali Fœtui communicato. 2. Ex Animi pathematibus gravioribus, Timore *v. g.* Ira, *&c.* curata fuit Podagra. Perturbatio nempe animi, & ſpirituum peculiaris motus fermentum podagricum extinxit, aut ſaltem alteravit, inprimis in ſtomacho, qui reliquis digeſtionibus præſidet: quo pertinet confidentia Ægri erga Medicum vel Remedia. 3. Utplurimum Arthritici etiam Nephritici eſſe ſolent, eodem acido ſpirituoſo utrobique autore. 4. Lacticinia uſu continuato acidum arthriticum alterant. 5. Vina inprimis tartarea & acida malum præcipitant, & abſtinentia Vini quoſdam ab eodem liberat.

Cauſæ remotæ principaliores ſunt *Bacchus*, ratione acidi nocivi à fermento ſtomachico minus debitè ſuperabilis; *Venus*, quatenus ſuccus nutritius, chylo temperato alcalino prædives, ſub geniture formâ excernitur, & hinc nervoſum ſyſtema debilitatur: Et *Ira*, quæ ſpiritus aſperiores reddit. Dictis ex cauſis Viri magis quàm Fœminæ Arthritidi obnoxii ſunt, niſi menſes deficiant, utut hodie ex vita Mulierum mutatâ contrarium experiri liceat. Eunuchi etiam nec Podagrici neq; calculoſi fiunt: & pueri ante Veneris uſum, niſi ex Parentum vitiis, Podagrâ non laborant. Scorbutici verò admodum obnoxii ſunt. Acidum nempe arthriticum ſpirituoſum quavis occaſione, *v. g.* motu corporis aut animi, aëre frigido poros contrahente, aut efferveſcentiâ febrili inſignius commotum, ſe inſinuat

Syno-

Synoviæ, cum quâ probabiliter effervеſcit, donec intra Articulos ſuſcipiatur. Crebriores autem & diuturniores Paroxyſmi, ultra partis dolentis ex Spiritus inſiti deficientia & fibrarum tono relaxato debilitatem, relinquunt occulta ſpicula, de acido peccante, membranis infixa, facili occaſione in actum doloroſum excitabilia. Nempe ex acido iſto podagrico, inprimis in fermento Stomachi digeſtivo commoto, & hinc totum corpus penetrante, anxia iſta præcordiorum pathemata originem ducunt. In quovis autem paroxyſmo depurantur partes fluidæ, tam humoroſæ quàm ſpirituoſæ, acidum enim Synoviam inquinans ſpirituum conſortium deſerit, & fermenta heterogenea in *Maſſa ſanguinea* per febrilem effervеſcentiam ſecreta, nunc una circa locum affectum & fibrarum contracturas colliquantur, nunc in declinatione excernuntur per Sudorem, qui etiam in incremento moderatè prolicitus maturat articulorum invaſionem ab acido, & paroxyſmum abbreviat. Hæc ipſa patefaciunt, quare *Arthritis* in *Colicam*, *Epilepſiam*, &c. mutetur, acidò nempe podagrico plexus nervoſos extra articulos occupante; ſicut paroxyſmo non ritè procedente, nec acido vol. ſufficienter excluſo diuturna virium proſtratio, Appetitus dejectus, interdum Palpitationes, ſæpe Tuſſes ſiccæ, frequenter etiam Aſthmata occulta convulſiva, & ſubinde ipſa mors ſuperveniunt. Quoties Arthritici paroxyſmo corripiuntur, qui more conſueto articulationes non occupat, niſi per curam præſervatoriam malum in radice mitigatum fuerit, tum vel diutius languidi permanent, vel brevi pòſt novo paroxyſmo corripiuntur, vel alius gravioris Morbi aut etiam mortis periculum ſubeunt. Unde acidum podagricum omnes alios Morbos ſupervenientes intendit, ut in horum curâ ad illud ſimul reſpiciendum ſit.

Prognoſis. *Arthritis* Morbus *lèthalis* non eſt, potius enim

enim ex Podagra deficiente quàm ſuperveniente moriuntur Arthritici, ſi Podagra in primis paroxyſmis negligatur. *Podagra* ſoluta curabilis eſt, inprimis recens. Nodoſa autem & hæreditaria è contrario inſanabilis. *Dolor Iſchiadicus* in ſui principio facilius curatur, in progreſſu rebellis utplurimum eſſe ſolet. Luxatio ſuperveniens ferè inſanabilis eſt, ligamenta enim laxata membrum repoſitum non firmant, & materia ex Synoviâ intra Articulos coagulatâ curam impedit. Dolores ſenſim ingraveſcentes ad jugulum & ſuperiores partes tranſeuntes perniciem minantur. Solvitur *Arthritis* vel diſcuſſione totali finito paroxyſmo, ita ut nullum relinquatur veſtigium; vel per ejectionem materiæ ichoroſæ aut ſaniei purulentæ, per partes intercutaneas eroſas; vel quando tophi poſt paroxyſmos relinquuntur, vel, quod peſſimum eſt, quando paroxyſmus ſua tempora non abſolvit, acido podagrico alias partes extra Articulos occupante.

Cura. In Paroxyſmo impetus naturæ non ſiſtendus, ſed promovendus, impedimenta removendo, acidi ſpecifici vim maturè infringendo, urgentia ſymptomata mitigando. Imminente Podagrâ convenit *Vomitus*, præmiſſis *Oculis Cancror. præp.* acidum enim oritur ex Stomacho. Sin minus Vomitus inſtitui queat, *purgantia blanda*, ſed miſtis temperantibus acida, *v. g. Oſſibus humanis præp. vel calcin.* &c. conducunt, aut *Pil. aloeticæ* cum appropriatis propinentur. *Opiata* tam internè quàm externè malum pertinaci' reddunt; imò abuſus *opiatorum* Arthriticos ad Paralyſin diſponit; adeoque cautè uſurpentur, nec niſi præmiſſis univerſalibus & adjunctis *purgantibus* aut *ſudoriferis* aut *ſpecificis*. Commodè miſcentur *M. Pil. Aloephang.* ℥ii. cum *Laud. op.* gr. iv. pro quatuor doſibus. Suſpicor utique commodè propinari poſſe *Opiata* ingruente paroxyſmo, præmiſſo *Vomitu* cum *ſpecifico diaphoretico*. Sicut ergo *Diaphore-*

phoretica opiatis maritata in paroxyſmo, ſic *diuretica* extra paroxyſmum optima ſunt præſervatoria; quæ duo in plurimis conſpirant ut unum alterum ſublevet. Speciatim in præſervando nulla purgantia, nulla violenta ſudorifera tantum valent, quantum appropriata *diuretica*, inprimis *volatilia*, ut *Spir. Sal armon. Spir. Carmin. de tribus*, qui multa præſtat in abuſu Vini. Sic *Lumbricalia*, *Arcanum duplicatum*, præmiſſis f.xis, & *Scarabæi unctuoſi*, egregia ſunt in Podagra ad diureſin. *Extra Paroxyſmum* porrò diæta eſt exactiſſime obſervanda; in ſpecie *Diæta ſudorifera* antiquis, aut *lactea* modernis magis in uſu, remedii vim obtinet.

Remedia ſunt *nervina* & *volatilia*, quæ *ſale ſuo volatili* acidum podagricum invertere, & per tranſpirationem eliminare ſolent; quibus ſemper adjungantur *ſpecifica* & *appropriata*, viz. *Chamædris*, *Chamæpytis*, *Spir. Sal. armon. Spir. & Sal. vol. Lumbric.* &c. Inter *externa* fugiantur *unctuoſa pinguia*, quæ tranſpirationem inhibent & tandem contracturas inferunt; unde potius *Emplaſtra nervina* & *Cataplaſmata* calida ſæpius removenda, ne actuali ſuo frigore poros ſtringant. Inter hæc excellunt *ſaponacea*, & ex iis paratus *Balſamus antipodagricus Rhumel. Sapo Venetus* in *Sp. Vin.* ſolutus *Aq. articular. ad extra*, *Aq. Calc. viv. Spir. Lumbric. Sal. armon. &c.* Liquida enim majorem & tutiorem effectum habent. Ex *Chirurgico fonte* conducunt *Veſicatoria* tam præſervativè quàm curativè, quin & *Fonticuli* vel *Setacea*; quo referenda ſunt *Cauteria*, tam *potentialia*, quàm *actualia*, & hæc inter *Moxæ Chinicæ* inuſtio, cui tamen & *Moxa germanica* ſubſtituitur.

SECT.

Sect. VI.

De Senſuum internorum, & rationalium Functionum Læſione.

Art. I.
De Læſione Memoriæ.

HActenus de operationibus, quæ Homini cum Brutis ſunt communes. Operatio autem ipſi propria eſt *Intellectus*, & inde promanans *Ratiocinatio*, quæ nunc *depravatur* in *Deliriis*, nunc *imminuitur*, vel *aboletur*; hoc autem non accidit niſi Senſus externi plus minus laborent, inprimis *Memoria*, cujus imminutæ aut abolitæ *cauſa proxima* nos latet; *cauſæ* verò *remotæ* ſunt Capitis læſiones, *v. g.* caſus, contuſio, aſſumpta, excreta, pathemata, Morbi varii, inprimis acuti, item diuturniores Epilepſiæ & Melancholiæ. In *Prognoſi*, Memoriæ ſubitanea læſio abſque cauſa externa Apoplexiæ prodromus eſt. Quæ à Morbis acutis malignis aut Venenis oritur, ferè incurabilis exiſtit.

In *Cura*. Spiritus nimis fervidi ſunt attemperandi, torpidi verò *aromaticis* excitandi. Remedia generalia ſunt *Cubebæ* jejuno Stomacho comeſtæ, ſed cautè Juvenibus propinandæ, *Caſtoreum*, *Succinum*, *Pulvis Trithemii*, *Spec. Dianth. Diamoſch. dulc. Confect. Anacard. Formicæ*, *Aq. Magnanim. Aq. Sophorum Dorncrell. Spir. Cereb. hum.* & omnia *aromatica ſpirituoſa*. *Externè* illinitur *Ol. Myrrhæ* Temporibus & Vertici; item in abundantia ſuccorum frigidorum *Sp. Vin.* in quo *Piper* infuſum. *Hildesheim* plura Aromata in *Spirit. Vini* pro eodem uſu adhibet.

ART.

ART. II.

De Deliriis; in ſpecie de Phrenitide, & Delirio melancholico.

DEpravatio *Ratiocinationis*, unde *Deliria*, oritur à cauſis vel *externis* vel *internis*. Inter *externas* ſunt omnia *Narcotica*, quæ Spiritus animales ad diverſos conceptus, & inde Deliria determinare valent; Animalia rabida, quorum morſus Deliria certa in Hominibus ad animalium geſtus accedentia inferunt; & Philtra. *Cauſæ internæ* ſunt nunc vagæ in *Febribus*, nunc determinatæ ad certum objectum in *Melancholia*; nunc ſine Febre in *Mania*, nunc cum Febre in *Phrenitide*.

Phrenitis itaque eſt Delirium à cauſa interna cum Febre junctum. Si levior ſit, *Paraphrenitis* dicitur; ſi gravior *Phrenitis* audit, & ex Inflammatione Cerebri oriri exiſtimatur. Veteres tamen per *Phrenitidem* intellexere Inflammationem Diaphragmatis; nos autem cum Vulgo loquimur. *Cauſa proxima* eſt varius & confuſus Spirituum motus, cujus occaſione varia phantaſmata efformantur, quorum nuncii ſunt interdicti ſermones, riſus, fletus, muſcarum venatio, convulſiones, &c. *Cauſa remota* eſt Cerebri efferveſcentia in *Paraphrenitide*, & Inflammatio in *Phrenitide*. Conſideremus æſtum febrilem & vaſa inſignia ad Cerebrum dilatata, & facilè hujus fervor patebit. *Cauſæ remotiores procatarcticæ* ſunt ætas juvenilis, aër æſtivus, potus generoſi, inprimis Vinum, ſuppreſſa Lochia, Hæmorrhoides, *&c.* Animi Pathemata, inprimis Ira, Febres malignæ, *&c.* Probè attendendum eſt, quædam Deliria ludicra eſſe cum quadam hilaritate & forſan riſu juncta; quædam ſeria cum jurgiis & irâ quaſi præmeditatâ juncta, quæ pejoris ſunt notæ. In verâ Phrenitide, ſi vires ſunt languidæ,

guidæ, utplurimum moriuntur Ægri. Si mutetur Phrenitis in Lethargum, lethale; item ſi Convulſiones, Stridor dentium, aut Aphonia, & inſcia Fœcum Urinæ, dejectio ſupervenerint.

In *Cura*. 1. Sanguinis effervescentia compeſcenda, eum evacuando, & ſtagnantem reſolvendo. 2. Spirituum motus figendus. Adeo ut præmiſsâ *Venæſectione* eadem conveniant, quæ in acutis Febribus, *v. g. Bezoardica*, *ſulphurea*, *antimonialia*, *Succi vegetabiles acidi*, *item minerales*, inprimis *Nitrum* & ejus *Spiritus*; item *Camphora* in-& externè: *Opiata & Emulſiones papaverinæ*. Singulare ſpecificum eſt *Herb. & flor. Anagall. flore phœniceo*. Hinc in Phrenitide malignâ, ℞ *Cinnab. Antim.* gr. xii. *Bezoard. ſolar. gr.* vi. *Laud. opiat. Camph. an. gr.* 1. *M. d. in duplo in decocto Anagallidis*. Inter *externa* commendantur *Cataplaſmata ex Portulac. & Roſar calicib.* item ex *Sedo maj.* contuſo cum *Aceto*, Plantis pedum & Teſtibus admota: Animalia viva, viz. *Anates*, aut *Columbæ* viventes, per medium diſſectæ, & calidæ Capiti raſo applicatæ, poſt horam removendæ, ratione fœtoris, ſi delirium ceſſet. Laudantur *Epithemata ex Aq. Roſ.* cum *Opio* & *Croco* calidè Fronti admota. Item ℞ *Aqu. Sperm. Ran.* ℥vi. *Suc. Cancr. fluv.* ℥iij. *Opii Aceto correcti à* ʒß ad ℈ii. *Camph. Croc. an. gr.* vi. *vel* viij. *M. pro Epithemate.*

Delirium Melancholicum fit à cauſa internâ ſine Febre, & ſupervenit, tanquam morbus ſecundarius, Affectui melancholico, in quo homo fit triſtis, cogitabundus; facilè iraſcitur, terretur; ipſi nihil arridet, anguſtias percipit, & ſibi non benè conſcius eſt. Hoc autem *Delirium* vel eſt *vagum*, vel *fixum* circa unum objectum, illud nempe vel concupiſcendo vel averſando. *Cauſa proxima* ſunt habitus corporis ac Maſſæ ſanguineæ melancholicus, & ſuperadditum vitium in natura & motu Spirit. animalium. *Remota* eſt craſis Maſſæ ſanguineæ

vitiata; *mores* enim *hominum ſequuntur* temperamentum corporis. Sic Malum hypochondriacum, Hæmorrhoides aut Menſes ſuppreſſi, tale *Delirium melancholicum* inferunt. In *Prognoſi*, *recens* curatur ſubinde ſolâ victûs, aëris & converſationis mutatione; hæreditarium, aut inveteratum ortum ab animi Pathemate externo vel Studiis immodicis, difficillimæ eſt curationis. In Fœminis rarior eſt ſed pertinacior, in ſpecie ſi deficiant Menſtrua. Quod eſt cum gaudio & riſu, facilius curatur, quàm ſerium. Si ſymptomata fiunt mitiora, item ſi in Scabiem degeneret, ſalutem ſperamus. Mors imminet, ſi ſolvuntur Vires, ſi cibum & potum reſpuunt, ſi nihil dormiunt. Rarum eſt, quod Convulſiones ſuperveniant.

Cura. Habitus corporis curandus, ut Hypochondriaci; & Spiritus animales à perverſo motu revocandi, vel medicamentis, *viz. Anodynis mineral. opiatis, camphoratis, &c.* vel per ſtratagemata, perſuaſiones; &c. Inter *Remedia* primatum ducunt *Vomitoria* in auctiori multo doſi, *antimonialia* & *Helleb. niger*; *Venæſectio* nil valet. *Alterantia* ſunt *Extr. Mart. cum ſuc. Pom. Tinctur. Mart. ſolar. Sacchar. Saturn. ad* ℈i. *Cryſtal. mineræ Saturn. parat. cum Spir. Nitr. Tinctura & magiſterium Lunæ*, vel *Luna extincta in Aq. cephal. Lapis Lazuli*, qui eſt naturæ *ſolaris*, *Corallia* eorumque *Tinctura*, quæ egregium habet *Sulphur* contra triſtitiam appropriatum; item *Spir. & Sal Tartari*, *Arcan. duplicatum*. Optima eſt *Camphora* & ejus *Eſſentia*: item *Tinctura Hyperici*, vel *Crocus* ejuſque *Eſſentia*. His adde *Fumar. Borrag. Bugloſſ. Anagal.* Inter *externa* eminet *Crocus* cum *Camphorâ* in nodulo appenſus. Item ex *Aquâ flor. Sambuc. & Hyper. an.* ℥iß. *cum Camphor. gr.* vi. fieri poteſt *Epithema* Fronti & Temporibus applicandum. In *Diæta* aſſumantur alimenta largè nutrientia, benè enim edunt Melancholici; item *Lacticinia* niſi quid obſtet,

ſtet, & Vinum, modò non inebriet.

℞ *Arcan. duplic.* gr. xv. *Sacch. Saturn.* ℈ß. *Camph.* gr. iij. detur tempore Somni. Poſſet & addi *Laud. opiatum.*

℞ *Extract. Mart. cum Succ. Pom.* ʒß. *Camph.* gr. iij. *Miſc. f. Bolus* cum tantillo *Syrupi Fumariæ* vel *Confectionis Alkermes.*

ARTIC. III.

De Mania.

SI Melancholici incidant in Delirium ſine Febre cum inſigni furore & ferocia, *Mania* dicitur. *Cauſa proxima* ſunt Spir. animales acres ſalini & ſulphureo acidi, indeque nimis mobiles, minuſque coercibiles. *Remota* eſt Maſſa ſanguinea acida, vitio Viſcerum, inprimis Stomachi. Acidum itaque, quod hic peccat, idem eſt, quod in Melancholiâ, ſed acrius; & eædem cauſæ utrumque Affectum inducunt, ſuppreſſa nempe ſanguinis evacuatio, Ulcera inveterata clauſa, item Epilepſia, diutinæ Febres, & inprimis Philtra. In *Prognoſi*, hæreditaria rarò curatur; ridicula autem facilius quàm ſeria. Si ſuppreſſæ antea evacuationes redeant, bonum, ſin verò ſuppreſſis Mania ſuperveniat, malum eſt.

Curæ radix eſt in Vomitoriis validis; ſubinde *antimonialia* non ſufficiunt, & neceſſe eſt exhibere *Helleb. alb. ritè præpar.* Interdum in principio convenit *Extr. Helleb. nig.* cui *antimonialia* per inferiora purgantia adduntur pro ſtimulo. His factis fiat *Venæſectio* larga, ſed non niſi Paroxyſmo cicurato, aut, ſi commodè fieri poterit in ipſo paroxyſmo. Poſt *Vomitorium* conveniunt *Sulphura mineral. anodyna*, *Nitrum* etiam in potu ſemper ſolutum; hinc *Opiata.* Inter ſpecifica ſunt *Sanguis Aſini* arterioſus ponè aures collectus, *Decoct. Anagal.*

flore phœniceo, *Tinctura Hyperici*, *Herba Paris*, *Polypod. querc. Fol. Buxi.* His ſemper addatur *Camphora*, item ejus Oleum cum *Bolo* deſtillatum. *Externè* optima eſt *Camphora.*

ARTIC. IV.

De Rabie.

RABIES eſt delirium à cauſa externa, morſu nempe Animalium rabidorum; & ſi metus aquæ ſimul adſit, *Hydrophobia* dicitur. In *perfecta Rabie* furor adeſt cum torvo aſpectu, etiam ſpuma circa os, ſtridor Dentium, & Inflammatio quædam Oculorum apparent. Si à Cane rabido morſi ſunt homines, ferè latrant ut canes, & metum aquæ junctum habent. In *levi* ſaltem eſt anxietas præcordiorum, triſtitia & abſtinentia à potu. Cauſa eſt fermentum Animalis furentis (non in ſe venenati) quod Maſſam ſanguineam penetrat, & ſimilem reddit ſanguini Animalis furentis. *Cauſa occaſionalis* eſt ſaliva fermenteſcens per morbum vulneri infuſa, & ſic Maſſæ humorali communicata. In *Prognoſi*, quo plus ſanguinis è Vulnere effluxerit, eo minus de *Rabie* metuendum: quo citius autem conſolidatur Vulnus, eo plus etiam longo pòſt tempore metuendum. Plerumque intra duos vel tres dies moriuntur, qui Hydrophobi ſunt facti.

Cura. Tempore morsûs Vulnus ampliandum eſt, ut cum ſanguine ſaliva ſimul à rabido Animali immiſſa effluat. Alii *Scarificationem*, *Cucurbitulas*, *Hepar animalis*, *Columbas vivas dilaceratas*, *Theriacam* cum *Succo Rut.* *Ligaturas*, *Cauteria*, *&c.* adhibent, ut Venenum extrahatur. Tempore *Rabiei* expellatur fermentum è corpore per *alexipharmaca*, viz. *Theriac. Mithrid. Elect. de Ov.* item *Eſſent. theriac. Tinct. bezoard.* cum *Eſſent.*

Ab-

Abſinth. ſed omnia in dupla doſi exhibenda, & per anni quadrantem continuanda, nam ſæpe poſt aliquot menſes, interdum & integrum annum, recidivat *Hydrophobia.* Quod ſi verò Sudoriferorum uſus intermittatur, tamen ſpecifica adhuc continuanda, qualia ſunt *Ocul. Cancror. Pulvis* aut *Decoct. Cordis* & *Hepatis* animalis mordentis, *Alyſſon, Pimpinella, Allium, Lactuca.* In *Hydrophobia* optimum remedium eſt demerſio in *Aquam frigidam*, hac ipſa enim idea deletur, & delirium curatur. Externè inungatur Vulnus *Ol. Hyper.* vel abluatur *ſucc. Rut. vel Theriac.* cum *Ol. Roſ.* vel applicetur *Empl. de Ran. cum Merc.* vel: ℞ *Ceræ* ℔.ß. *Ol. Oliv. Sevi Hircin. an.*℥iij. *Coq. l.a. & adde Thuris electi* ℥ß. *Miſ. f. Empl.*

Reliqua Deliria à cauſa externa ſunt vel ab aſſumptis, vel à Philtris. Illa ab aſſumptis venenis, inprimis narcoticis, corriguntur per *Vomitoria*, hinc *Acet.* cum *Caſtoreo* &c. *Philtra* quod attinet, per ea intelligitur medium, quo unius ſubjecti ad alterum inclinatio quædam ſingularis excitatur. Diſtinguenda ſunt autem ab amore inſano, qui ſpecies eſt *Melancholiæ* ex nimio amore, non ſecus ac alia ex nimia triſtitia oritur.

COLLEGII PRACTICI.

LIBER III.

De morbis Sexui virili propriis.

Sect. I.

De Seminis Generatione læſa, Ubi de Inflammatione teſtium, Pneumatocele, Hydrocele, Sarcocele, & Hernia varicoſa.

HActenus de *Affectibus* utrique *Sexui communibus.* Nunc inter *Morbos* Viris *proprios*, occurrit primò *Seminis generatio læſa*, in ſpecie ejus *Defectus:* cujus *Cauſa* duplex, eſt, 1. *Ex defectu materiæ*, nempe partis ſanguinis chyloſæ, dulcis, & propter ſpumam plus minus viſcoſæ, ſpumeſcentia enim propria eſt ſubjectis viſcidis à materiâ ſubtili imprægnatis. Subſtantiam autem hanc abſumunt Ira, pravus victus, nimius labor, corpulentia; & exinde effeminati, torpidi, languidi redduntur Ægri. 2. *Ex vitio Teſtium*, quando deficit aut iners eſt fermentum, quod volatili ſuâ ſubſtantiâ materiam chyloſam ad Teſtes delatam in Sperma tranſmutat; & cum ſanguine ac lympha ex Teſtibus refluum, atque Maſſæ ſanguineæ permixtum inſignem alterationem corporis excitat: vel denique quando Teſtium conformatio Tumoribus, &c. vitiatur.

Cauſæ remotæ ſunt frigus externum intenſius, Mercurius

curius vivus nervis inimicus, abuſus Veneris, qui vim Teſtium enervat & digeſtionem primam turbat, unde cruditates & Chylus non ritè ſpirituaſcens: Læſa Teſtium conformatio per Tumores.

Inter Tumores Teſtium eminet 1. *Inflammatio* cum dolore, partim lancinante partim pulſante, partim vicinarum rubedine & tenſione, & ipſorum Teſtium tumore ac duritie. Oritur hæc à contuſione, compreſſione, equitatione, *&c.* 2. *Pneumatocele*, ſeu tumor à flatibus inter membranas Teſtem involventes collectis, quando Teſtes ſucceſſivè fiunt tumidi cum tumore tenſivo, ita tamen ut minus tactui renitantur. *Cauſa* eſt nutrimentum ſpermaticum membranarum ab acido vitioſo per fermentationem inducto in flatus mutatum. 3. *Hydrocle*, ſeu Tumor ab aqua intra eorundem membranas contentâ, qui ratione ſimilitudinis *Hernia* dicitur. Oritur ex Lymphæ recurſu à Teſtibus impedito, diſtenſa enim vaſa rumpuntur & effluit Lympha, & ex mora Lymphæ extravaſatæ membranæ ſpiſſiores & tenſiores fiunt, unde malum contumacius redditur. Si Membranæ diſtentæ rumpantur, deſtillat lympha in Scroti cavitatem, unde Tumor Scroti aquoſus, qui diſtinguendus à Tumore Scroti hydropico, qui vel accreſcit cum Aſcite, vel poſt evacuatam per paracentheſin aquam contingit. *Hernia Teſtis aquoſa* confirmata ſimilis eſt Herniis carnoſis, diſtinguitur tamen in eo, quòd utut ſit dura, poteſt tamen ei induci fovea. 4. *Sarcocele* ſeu *Hernia carnoſa*, involvens Teſtium parenchyma membranoſum maculoſis fibris ſimul inſtructum: Si enim lædantur hæ fibræ, partim nerveæ partim carneæ, oritur Excreſcentia quædam carnea, ſubinde dolens. Adnaſcitur nunc ſumitati Teſtis, nunc membranæ Scroti. Probè autem diſtinguenda eſt à Tumore Proſtatarum aut ſuppreſſione geniture in Epididymibus. 5. *Tumor varicoſus* à ſangui-

nis ſtagnatione in Venis & circa valvulas, ubi Tumor & contactus Teſtium inæqualis eſt, cum criſpaturis hinc inde.

Prognoſis. *Pneumatocele* & *Hydrocele* ſunt ſine periculo, niſi propter dolorem & tumorem ſint moleſtæ. *Sarcocele* dolens maligna cancroſa non eſt tangenda.

Cura. Defectui materiæ, & enervato Teſtium fermento dicata ſunt, quæ vel ſuccum chyloſum pinguem ſuggerunt, *v.g. Lac*, inprimis *muliebre*, *Amygd.d. Pineæ*, *Caſtaneæ*, *Succolata Indica*, *Oſtreæ*, *Conchæ*, *Vinum Hiſpan.* & *Malv.* ſub introitu lecti, atq; hinc paratæ *Emulſiones*; *Vitellum ovi* recens, *Teſtes Gallorum*, & farcimina ex *criſtis* & *teſticulis Galli*. Vel acrimoniâ vol. fermentum intendunt, qualia ſunt *Rad. Satyr. maj.* quarum unus bulbus turget, alter flaccidus eſt; *ZZ. in India condit. Syr. de ZZ. Sem. Eruc. Sinapi*, *Fraxini*, *Aniſi*, *Fœniculi*, *Naſturtii*, *Urticæ*, *Cubebæ*, *Caryoph. Galang. Cinnamom. Cardam. Caſtor. Borax Ven. Bacc. Sabin. pulveriſ. Baccæ Ari.* Inprimis laudantur *Ambra*, *Moſch. Zibeth.* cum *Ol. deſtil. Arom.* ſubacta, *Spir. Formic. Aq. Magnanim.* in- & externè, *Sanguis* & *Cerebellum Paſſeris in actu venereo transfoſſi*, *Spir. Sang. Galli.* Obſervandum autem *ſtimulantia* non ſola, quia imbecilles reddunt, nec *lactea* ſola, quia genituram minus ſpirituoſam ſuggerunt, ſed invicem ſociata propinanda eſſe. Hinc optimum eſt *Sacchar. Piper. an.* ʒß. in *Lactis* ℥ii. item *Vinum malvaticum* cum *Vitello ovi rec.* & aliquot granis Ambræ vel *Specierum aromaticarum*. Conveniunt ſolùm *Cantharides*, cum deficit erectio Penis. Cum hiſce ſocientur externa, nempe *Oleum deſtil. Macis* add. *Guttis* aliquot *Ol. deſt. Caryoph.* & *Spic. Axungiâ Caſtorei* exceptum; vel *Balſamus* ex *Ol. deſt. Caryoph.* cum gr. aliquot *Zibethi* & *Moſchi*, Perinæo, Pubi & Scroto illita. *Spir. Formic.* externè illitus etiam Venerem intendit.

℞. *Spec. Diaſat.* ʒii. *Diagalang.* ʒiß. *Diambr. Diamoſch* d. an.

d. an. ℈ii. *Rament. Pudend. Cervi dum erat in venere*, ʒiß. *Nuc. Pinear. & Piſtac. Amygd. d. an.* ℥ß. *Sem. Eruc. Naſturt. Urtic. an.* ℈i. *Terantur* invicem probè *& fiat cum Melle Conditum*, *Aquâ Magnanimitatis vel Spir. Sang. Galli ſæpius irrorandum.*

℞. *Vitell. Ov. no.* ii. *Ambr. cuſpid. cultell. no.* i. *Sacchar. cuſpid. cultelli no.* ii. *mixta probè* ſuper cineres calentes *blandè coëant*, *& una vice hauriantur.*

℞. *Conſerv. Rad. Eryng. & Satyr. an.* ℥iii. *Zz. vir. cond. Cort. Citr. cond. an.* ℥ß. *Amygd. d. Nucl. Pin. Piſtac. Dactyl. Pulp. Nuc. myriſt. an.* ℥i. *Priapi Tauri* ʒii. *Sem. Paſtin. Eruc. Sinap. an.* ʒiß. *Piper. alb. Galang. an.* ℥ß. *M. f. Electuarium.*

Ad *Inflammationem Teſtium* nil melius eſt *Cataplaſm.* ex *Farin. Fabar.* cum *Aceto deſt. Vini* vel *Oxycrato*; quod ſi acrius ſit, addatur *Lithargyrium*, ſic enim dulceſcit *Acetum.* Interdum *Farinæ Fab.* additur *Semen Cumini* cum *Vino.* Nobile fit *Cataplaſma* ex *Agrimonia* & *Rad. Cucum. aſinin.* cum *Vino* coctis; addendo, ſi dolores urgeant, parum de *Fol. Hyoſciami.* Laudant alii *Cataplaſma* ex *ſol. Rut.* cum *Acet. deſt.* item ex *Fol. Nymph.* & *Naſturt. aquat.* cum *Ol. Roſ.* item *Fotum* ex *decocto Rad. Chinæ* in *Cereviſia*, inprimis ſi ex Gonorrhæa ſit Inflammatio. Si autem oriatur Inflammatio ex applicatis acrioribus externis, optimus eſt fotus ex *Lacte*, in quo incocti ſunt *Flor. Chamom.* & *Sambuci.* Hiſce irritis promoveatur ſuppuratio per *Empl. ſil. Zachar. malax.* cum *Balſ. Sulph. terebinth.* Suppuratus *Abſceſſus* ſcalpello aperiendus, & more aliorum Ulcerum tractandus. Juxta hæc propinentur *Sudorifera.*

Pneumatocele curatur per *Carminativa.* Fit *Fotus* ex *Farin Fab. p.* ii. *& ſem. Cumin. p.* i. item *Cataplaſma* ex *Bacc. Laur.* cum *fimo Vacc. recent.* Non inelegans eſt *fotus* ex *Sem. Coriand.* ℥ß. *Sem. Cumin.* & *Aniſ. an.* ʒii. *Vini* & *Aquæ*, *an.* ℔.i. Coq. & panni inuncti applicentur.

In *Hydrocele* incipiente eadem conveniunt, addito

Balſam. Sulph. terebinth. vel *Junip.* cum *Ung.* Convenit etiam hoc *Emplaſt.* ℞. *Empl. de Bacc. Laur. Sterc. capr. an.* ℥iß. *Sem. Cumin. & flor. Sulph. an.* ʒii. *Malax.* cum *Ol. Rut.* & *Chamom.* Sed ſi *Hydrocele confirmata* ſit, quod ex tumoris duritie & renitentia, atque æquali magnitudine, potius creſcente quàm decreſcente, dignoſcitur; neceſſe erit vel *puncturam* inſtituere, quæ tamen in Tumore hydropico facilè in Gangrænam abit; vel quia hæc non radicitus malum curat, Scrotum diſcindere, extrahere Teſticulum, & ſupra Tumorem vaſa præparantia fortiter filo ligare, & ſimul *Teſtem* cum *Tumore aquoſo exſcindere.*

Sarcocele benigna incipiens requirit *internè terrea alcaliſata*, viz *Pulv. contra Strumas*, pulv. ex *Spong. combuſt. Terr. ſigill.* & *Lap. Spongite* item pulv. expertum ex *Rad. Ononidis. Externè Gummata*, vel *Empl. Paracelſi* ex *Opopan. Sag. Ammon. & Galban.* in *Aq. Roſ.* ſolutis & cum *ſ. q. Ol. Philoſ.* inſpiſſ. quod per aliquot ſeptimanas geſtum aut ſuppurat aut diſcutit. Suppuratum aperiatur & *Empl. ſtiptico* conſolidetur. Egregium eſt *Empl. de Ran. cum Merc.* ſed *Mercurius* deſtruit vim Teſtium. *Thermarum* uſus externus conducit. *Sarcocele confirmata* nonniſi ipſius carnis adnatæ abſciſſione, vel Teſtis exſectione curatur. *Maligna* non tangenda.

Hernia Varicoſa inveterata non curatur citra Chirurgiam. In *recenti* convenit *Empl. de Mucil.* cum *an. Gum. Ammon.* in *Vino* ſoluti: vel *Ol. Philoſ. probè rectif.* & illitum pro diſcuſſione; vel *Ung. Baſilic.* cum *Ping.* & *Medul. Animal.* ad emolliendum. Commendantur & *Thermæ.*

SECT.

Sect. II.

De Seminis Excretione & Retentione læſa.

ARTIC. I.

De Gonorrhæâ verâ.

SI excretio ſeminis fiat nimis frequenter, copioſa, idque citra tentiginem, vocatur *Gonorrhæa*; eaque *vera* quando liquor ſeminalis in Teſtibus elaboratus dicto modo effluit. Fit hinc ut Ægri fiant graciles circa lumbos & impotentes in motu; conqueruntur de laſſitudine, capitis debilitate; viſûs & oculorum fulgor ſenſim perit; tandem fiunt tremuli, appetitus abit, & ad *Tabem dorſalem* pergunt. *Pars affecta* ſunt *Veſiculæ ſeminales*, in quibus Semen detineri ſolet.

Cauſa eſt triplex, 1. Nimia copia laudabilis ſeminis; unde ſi dormientes dorſo reſupinati incumbunt, à calore ſanguis locorum poſteriorum redditur fervidus, & ſemen turgeſcit atque erumpit. Si Veſiculæ ſeminales ſimul flaccidiores ſint, levi turgeſcentia erumpit ſemen tam interdiu quàm noctu. Diſponunt ad hanc cauſam victus laudabilis, vitæ genus ſedentarium, & cogitationes de re venerea. 2. Nimia ſanguinis acrimonia, partes genitales & veſiculas ſeminales irritans; hoc in caſu quo acrius eſt ſemen, eo magis tenue. Acrimonia hæc ſolet eſſe acida, cum ſero delata, unde Scorbuticis & Hypochondriacis ſubinde venit *Gonorrhæa*. Alias *purgantia*, Cantharides, aliæque cauſæ externæ, ſtimulando veſiculas ſeminales, inferunt talem *Gonorrhæam*. 3. Nimia veſicularum flacciditas, ſemper ferè cauſam agnoſcens manuſtuprationem. Semen tunc effluit ſine ſenſu, niſi ſaltem in anteriori Penis parte; quod ſi tenue ſit, ſignum eſt, vim Teſtium generativam

vam eſſe. In *Prognoſi*, inveterata difficulter curatur, nec ſtatim ſupprimenda venit, ne ſuppreſſa materia circa Teſtes varia inferat ſymptomata.

In *Cura* habenda ratio Teſtium, ne remediis quibuſdam præpoſterè adhibitis deſtruatur eorum vis generativa. Seminis copiam imminuunt diæta parcior, alimenta acidiora, vigiliæ, exercitia corporis, quæ partim chyli cum ſanguine aſſimilationem faciunt, partim per tranſpirationem eundem imminuunt; item *vitriolata & nitrata*, quæ fermentum Teſtium obtundunt. Temperatiora ſunt *Succus Limonum* vel *Citri*, cum *Aq. Roſar.* & *Album ov.* uſurpati; item *ſolutiones Corall.* cum *Succ. Citr. Emulſiones* ex *Sem. Agn. caſt.* & *Papav. alb.* cum *Aq. Nymph.* addito *Magiſt. Corall.* cum *Succ. Citr.* Potens eſt *Sem. Cannabin.* ſed hoſtile Spirit. animalibus. Optimum eſt decoctum *Galeopſid. flor. alb.* cum *Millefol. alb.* & *Sem. Agn. caſt.* in *Aq. Rut.* vel *Menth.* vel *Ferrariorum*. Pertinet huc *Eſſentia Caſtorei*.

Quoad *Acrimoniam acidam*, eam temperant & corrigunt, quæ ſimul vi ſtyptica prædita ſunt, *Solut.* & *Tinct. Corallor.* Hinc *Crocus Mart. adſtring. Troch. de Carabe*, *Ol. deſt. Succin.* aliis additum. *Pulvis Oſſ. Sep.* cum *Antimon. diaph. Sacch. Saturn.* Pilulæ ex *Terebinth. Cypr.* cum *Croc. Mart. Borax calcinata* relinquit *caput mortuum* in *Gonorrhæa* optimum, ſed cruda intenſiſſimè Venerem ſtimulat. Facit huc *Succus Millefol. ad* ℥iij. mixt. cum *Lacte dulci* & *Camphora*. Item ſeq.

℞ *Conſerv. Roſ. rub. & Menth. criſp. an.* ℥iß. *Oſſ. Sep. præpar.* ℨii. *Borac. inſtar. Alum. calcinat.* ℨi. *Nuc. moſch.* ℨß. *cum ſ. q. Syr. de Roſ. ſicc. f. Electuarium.*

Tandem ſi oriatur *Gonorrhæa vera* ex Veſiculis ſeminalibus flaccidis, conveniunt *adſtringentia*, v. g. *Tinct. Sulph. Vitriol. Troch. de Carab. Tinct. Croc. Mart. adſtring. Terr. ſigill. Bol. Armen.* cum *Aceto*, *Sacch. Saturn.* & hinc *Extract. Tormentill.* item *Thermarum* uſus. Si ſemen tenuius

nuius ſit, convenit *Lac* cum *Oryza* coctum, item *Ova* cum *Aromatib⁹*. Si ſub curſu vel principio morbi purgare velimus, uſurpemus cum *purgantibus Terebinthinam*.

℞ *Extr. Tormentil.* ℥i. *Sacch. Saturn.* ʒß. *Camphor.* ʒii. *M. f. Pilulæ.*

℞ *Extr. Torment.* ʒii. *Sperniol. Croll. comp.* ℈ii. *Pulv. ſem. Agn. caſt. & Plantag. Rad. Conſol. maj. an.* ℈ß. *Terebint. Ven. Camph. an. gr.* xii. *M. f. Pilulæ.*

ART. II.

De Gonorrhæa nothâ tam benignâ, quàm virulentâ.

SI citra cauſam continuò effluat ex Pene liquamen ſeroſum, tenue, citra ullum ſenſum, dicitur *Gonorrhæa notha benigna*. Subjectum ſunt *Proſtatæ glanduloſæ*, quæ naturaliter lympham ſui generis è Maſsâ ſanguineâ emulgent; adeo ut quod in Faucibus Tuſſis, in Oculis Illachrymatio, hoc talis *Gonorrhæa* in Viris. *Cauſa* eſt latex aquoſus copioſus in ſanguine ex deficiente tam chyloſi quàm hæmatoſi congeſtus, per dictas glandulas uberius elicitus. Inprimis ſi hæ ſimul flaccidiores vel alio modo læſæ fuerint. *Cauſa remota* eſt ſtomachus non ritè digerens, & quicquid ad Cachexiam diſponit. In *Prognoſi* malum eſt maximè periculoſum, & prodromus vel comes Cachexiæ. In Cura, primariò reſpiciendum ad cruditatem Maſſæ humoralis per *amaricantia aromatica* corrigendam; deinde ſerum ſuperfluum evacuandum per *juniperina*, *ſaſſafrata*, *ſuccinata*, *Abſinth.* & *Menth.* quibus præmittenda ſunt *acida* & *martialia*: Tandem uſu Thermarum laxatæ Proſtatæ iterum ad ſtatum naturalem redigendæ.

Gonorrhæa virulenta, ſeu *notha maligna*, contrahitur ex coitu impuro cum Fœmina Lue venereâ inquinatâ, & quidem tali, ubi malum illud Ulcera in Vagina exci-

na excitavit. In his autem effluit primò ſemen tenuius, poſtea redditur pedetentim acrius, hinc ſupervenit dolor acerbus, primariò circa Penis caput, ubi ſunt Proſtatæ glanduloſæ, inprimis dum redditur Urina. Liquor effluens in pallorem citrinum, & tandem cæruleſcentem, degenerat; ſupervenit dolor univerſæ Urethræ, & Præputii tumor, ex reliquiis purulentis intra Præputium depoſitis, unde difficulter detrahitur de Glande, & in conjunctione fiunt Ulcuſcula. Interdum materia Urethram excorians Carunculas excitat.

Cauſa eſt fermentum ex Ulceribus in Vagina uteri. *Subjectum* ſunt *Proſtatæ glanduloſæ*, quarum lympha inquinata à miaſmatis per cavum Urethræ penetrantibus, aceſcit & in virulentiam degenerat. In *Prognoſi*, malum in principio leve eſt, ſed in progreſſu excoriat Glandulas & quandoque abſumit; interdum ſerpit per vaſa præparantia ad Teſtes, & hinc cum ſanguine univerſum Corpus inquinant. Frequentius ſuperveniunt *Bubones* Glandularum in Inguinibus, quod bonum eſt: niſi enim hoc fiat, certum eſt, univerſum corpus correptum eſſe; quod etiam fit, ſi ſponte iterum diſpareant.

Cura. Acidum venereum corrigendum; hinc dicta loca abſtergenda & conſolidanda: & reliquiæ eliminandæ. Ante omnia purgetur corpus *Pilulis* ex *Mercur. dulc.* cum *Extr. Helleb. nig.* vel *Panchym. Croll.* Loco *Merc. d.* laudatur *Præcip. virid.* cum *Calce vivâ* paratus, qui primitus quidem videtur augere malum, ſed hoc bonum eſt ſignum, continuato enim uſu ceſſat. Evacuato corpore conducunt *Terebinthina*, *Balſam. Sulph. Terebinth.* & poſt hunc *Juniperin.* ad gut. x. bis de die; juxta *Balſ. Sulph.* nobilis eſt *Balſ. Copaiba* longè excellentior *Balſ. Peruv. doſ. gut. xxx.* in vehiculo calido. Juxta hæc conveniunt *Pill.* ex *Extr. Torment. cum Sacch. Saturn.* & *Ol. deſt. Tereb. Extractum Gum. Guaj.* cum *Tinct. Tart.* vel *Sp. Vini tartar.* paratum, & in *Aqua Plantag.*

aſſum-

aſſumptum eſt ſpecificum. Item *Eſſent.* & *Extract. Lignor.* ut & *infuſum Canthar. in Sp. Vin. Vid. Barthol. l. 4. Ep. p.* 343. Egregium remedium eſt *Aqua* in qua *Merc. vivus* per aliquot horas ebullierit mane & veſperi aſſumpta.

ARTIC. III.

De nimis citâ vel nimis tardâ Seminis Ejaculatione.

CAuſa *nimis citæ* excretionis eſt vel Veſicularum laxitas, vel ſeminis nimia ſpirituoſitas & turgeſcentia. Prius curatur blandè *adſtringentibus*, quæ laudata fuerunt *in Gonorrhæa ex Veſicularum laxitate.* Poſterius per *Opiata.* Pilulæ ex *Ambra* & *Opio* dicuntur actum venereum efficere diuturnum.

Semen *nimis tardè* excernitur, quando deficiunt Spiritus, unde nec Semen ritè turgeſcit, nec partes ritè conſtringuntur. Pertinet huc vitium iſtud, dum erecto Pene in Coitu genituram effundere nequeunt, ſed flaccido membro facillimè effluit: Muſculi nempe Penem erigentes comprimunt oſcula Veſicularum ſeminalium & Veſiculæ ſpiritibus carentes non ſufficiunt expanſioni, ſed flaccido membro facillimè Semen dimittunt propter ſuam laxitatem. Conveniunt *Aromatica* & *Caſtoreum.*

SECT. III.

De Penis Erectione læſa.

ARTIC. V.

De Impotentia virili.

SI Penis erectio deficiat, dicitur *Impotentia virilis.* Diſtinguendum autem inter *Penis turgeſcentiam,* quæ dependet à ſanguine arterioſo corpora nervea

vea diſtendente: & ejus *erectionem*, quæ fit beneficio quatuor muſculorum circa radicem Penis venam comprimentium, per quam ſanguis arterioſus refluere debet, unde Penis firmius caput attollit.

Cauſa eſt triplex. 1. *Defectus ſpirit. animalium*, non contrahentium muſculos, quibus non contractis Venula laxata eſt, ut Penis flacceſcat. Deficiunt autem Spirit. animales vel *vitio partis*, quando muſculi aut nervi paralytici ſunt; aut ab equitatione nimia, percuſſione circa originem nervorum, caſu ſuper os ſacrum, læduntur, aut ex Vulnere capitis afficiuntur: Vel *vitio ipſorum Spirituum*, quando univerſaliter exhauſtæ ſunt vires in Senibus aut Ægris, aut in motu perturbantur ex pudore, terrore, vi propriæ imaginationis, &c. 2. *Deficiens in ſemine ſtimulus*, quando deficit ipſum, aut non ritè turgeſcit, aut alio modo vitiatur. 3. *Maleficium* ſeu *Faſcinum*.

Cura. Si ex prima oritur cauſa, vel ſecunda, eadem conveniunt, quæ laudavimus in defectu Seminis, inprimis *veretrum Tauri*, in actu venereo interfecti, exſiccatum & pulveriſatum cum *Cinnamomo*, in *Ovo ſorbili*. *Externè* inungatur ante coitum Glans, Peritonæum, & ſpatium inter Scrotum & Penem, ubi muſculi ſiti ſunt, *Balſamo apoplect.* vel linimento *ex Succ. Paſtinac. Ol. Sinap. an.* ℥ii. *Ol. Ovor. Formic. magn. aa.* ʒi. *M.* & Solis radiis per 24 horas expoſit. Si poſt coitum adhuc rigeat Penis, abluatur Aquâ calidâ. Alii illinunt radicem vel glandem Penis *Felle Apri*, vel *Linimento* ex *Pulv. Helleb. nigre* aut *Rad. Pyreth.* cum *Pingued. Coturnicis:* quibus ſubjungendum *Balneum nervinum*, *Inſeſſus*, *Fotus nervini*, &c.

ART. II.

De Nimia Salacitate.

DUplex eſt Affectus, in quo erectio & rigiditas Penis nimia eſt, ita tamen ut *pars affecta* ſemper ſint muſculi circa radicem Penis, contractione ſua venam com-

comprimentes & ſanguinis refluxum impedientes. 1. Quando nimius eſt Venereus ſtimulus, & nimia Seminis turgeſcentia, unde ſequitur determinatus Spirituum motus; perpetua Penis erectio, interdum cum delirio; quæ ſi coitu ſedetur, *Salacitas*, ſin & ipſo coitu vix ſatietur, *Satyriaſis* audit. Ad hoc malum diſponunt Vita ſedentaria, Diæta lauta, cum Aromatibus condita, & quicquid Semen auget, Spirituum impetum excitat, aut loca genitalia acrimoniâ ſuâ ſtimulat. 2. Quando Penis rigidus dolorem gravem tenſivum ſentit cum nullo in Venerem deſiderio, nullâ in coitu ſpermatis emiſſione aut levamine, ſed potius exinde augetur malum, Morbus hic *Priapiſmus* vocatur. Cauſa eſt Convulſio muſculorum Penis, ſpaſmodicâ ſuâ contractione venas conſtringentium & hinc forſan ipſorum corporum nervoſorum, unde dolor tenſivus ſentitur poſt inflationem membri. Hinc videtur oriri, quod in Epilepticis inſciis & interdum in Suſpenſis, membrum fortiter tendatur. *Cauſa remota* eſt irritatio muſculorum aut corporum nervoſorum, quæ fit à cauſâ interna rarò, frequenter autem externè à perverſo uſu *Cantharidum*, vel acriorum ſtimulantium ad Venerem, magiſque aromaticorum.

Prognoſis. *Salacitas* nimia, aut *Satyriaſis* ad Tabem dorſalem quandoque diſponit. *Priapiſmus* hoc habet periculi, ut ad Convulſiones terminetur, & nunc Tumores, nunc Inflammationes, nunc alia mala inferat.

Cura. In *Salacitate* & *Satyriaſi* ſemen minuendum, ejus acrimonia temperanda, & fervor ac impetus ſpirituum ſiſtendus. Hinc conducunt *Diæta parca*, *Jejunium*, *Vigiliæ*, *Exercitia*, *Venæſectio* repetita, *Motus* ad ſudorem uſque fortem: ſpeciatim *acida*, *vitriolata*, *nitrata*, & *Camphora*, quæ refrænat & figit, ſicut & *Opium*, non obſtante, quòd Orientalibus ſummum ſit venereum, & ſummam etiam habeat acrimoniam, adeo ut

ſudorem pruriginoſum in quibuſdam inferat. De *Spir. Vitrioli* & crebriori *Nitri* uſu res nota eſt. Huc faciunt *Liquor albus* manans ex inciſis ramulis tenellis *Salicis. Cicuta*, quæ apud nos inſons deprehenditur, *Sem. Vitic.* & *Cannabin. Lactuca*, *Flor. Nymph. alb. Millefol. flor. albo*; item *Succus Citri* & *Lim.* vel *Acet. rutac.* cum *Opio* & *Camphorâ. Spirituoſa* non conducunt, niſi ob nimiam Seminis projectionem inſimul vires defecerint. *Externè* foveantur genitalia, ſcrotum & pecten *Aquâ Nymph.* in qua ſubactum eſt *Opium*; vel *Suc. Semperv.* & *Lactuc.* cum *Nitro*; vel *Succ. Plantag. Solan. Semperv.* & *Hyoſcyam.* cum modico *Aceti deſt.* Malè applicatur Lamina *Saturni*, quia quandoque inſecuta eſt gravis Urinæ ſuppreſſio. Annectemus quaſdam *formulas internas*.

℞. *Sem. Cannabin. & Melon. an.* ʒii. *Sem. 4. frig. maj. an.* ʒi. *Aq. Lactuc. Acetoſ. & flor. Nymph. an.* ℥iii. *f. Emulſio edulcoranda cum Syrupo Pap. albi.*

℞. *Aq. fol. Vitis & Salic. an* ℥iß. *Spir. Nitr. d. vel Vitriol.* ʒß. *Edulc. cum ſ. q. Rotular. Manus Chriſti perlat.*

℞. *Pulv. Seminis Agn. caſt. Nitr. depur. an.* ʒii. *Camph.* ℈ß. *Laud. Op.* gr. vi. *Miſce f. pulv. ſubtilis d. ad ch. Doſis* ℈i. *ad* ʒß.

In *Priapiſmo* ſeu Convulſione muſculorum curandâ, conveniunt ante omnia *Vomitoria*, intermiſtis *Purgantibus*. Deinde *acida*, remedia ex *Vitice*, hinc *Opium* & *Camphora*; item *Decoctum Lentium* cum *Sem. Agn. caſt.* ſubactum. *Externè* conveniunt *Cataplaſmata camphorata*, vel *Ol. Amyd. d.* in quo *Camphora* ſoluta, vel *Camphora* in *Aceto deſt.* ſoluta, radici Penis applicata.

ART. III.

De Depravata Penis erectione.

QUando *Penis erectus contortus* apparet, læditur ejus actio. Fit hoc vel *vitio Fræni brevioris* Glandem retrahentis, quod curatur ſimplici *inciſione*, obſervando tamen, ut aliquid potius detrahatur de membrana Præputii quàm de Glande: Vel *vitio Præputii*, ſi tanta ejus poſt glandem eſt retractio, ut nequeat denuo retrahi. Ex violentiori id coitu ferè oritur. *Curatur* hoc per *Emollientia*, & per *Diſcutientia*, ratione tumoris Præputii, qui utplurimum ſimul adeſt, hinc conveniunt *fotus* ex *Lacte* in quo *Flor. Sambuc.* ebulliant. Item,

℞. *Herb. Malv. Parietar. Alth. an. Mi. Rad. Alth. Lil. alb. an.* ℥i. *fl. Roſ. rub.* Chamom. *an. p.* ii. Coq. *in Lacte ad conſiſt.* Pultis, *& applica, addito momento* Croci, *ſi inſigniter doleat.*

℞. *Medull.* Pan. *ſimilag. in Lacte infuſ.* ℔ iſs. *Vitel. Ov. no.* iii. *Ol. Roſ.* ℥ii. *Croci* ℈i. *f.* Cataplaſma. *Si ſimul adſit* Gonorrhæa, *huic quoque per* interna *proſpiciendum erit.*

COLLEGII PRACTICI.

LIBER IV.

De Morbis Mulierum & Infantum.

SECT. I.

De Menſtruorum vitiis.

ARTIC. I.

De Menſium Emanſione.

DE modo quo fiant *Menſes*, aliiſque horum circumſtantiis, actum in *Inſtitutionum Synopſi.* Si non fluant tempore debito, aut non in debita quantitate, dicitur *Menſium ſuppreſſio*, melius *emanſio*. Fit hæc vel *naturaliter*, poſt 49 ætatis annum, tempore geſtationis & lactationis, etiã illis qui à graviori malo reconvaleſcunt, quibus præceſſit alia evacuatio ſanguinis aut immediatè, aut ſub forma alia v.g. per Ulcera vel Vulnera, quæ exacerbantur tunc temporis quando ſanguis deberet effluere. Vel fit *præter naturam* propter vaſa Vaginæ infarcta, caruneulas membranam unientes, parietes Vaginæ læſæ coaleſcentes, vel, quod frequentius, propter cruditatem, & hinc viſciditatem ac minus fermentabilem ſanguinis naturam. Hujus *Cruditatis cauſa interna* eſt indigeſtio & cruditas acida ſtomachi. *Cauſæ externæ remotæ* ſiunt *frigus*, inprimis Pedum

vel Stomachi, inſtante vel præſente excretione; ingeſta *acida*, item *viſcida*, *ut Lac*, *Caſeus & Panis recens*, cruditatem Stomachi acidam promovens; item *Picæ* indulgentia; denique triſtitia, metus, pavor, terror, aliaque Sanguinis turgeſcentiam inhibentia.

Symptomata emanſionis præternaturalis ſunt difficilis Anhelitus, dum moventur, Laſſitudo univerſalis, inprimis circa Lumbos cum dolore tenſivo gravi; color corporis floridus perit, oculi tument, ſupervenit Pica, & perfecta Cachexia. Si fiat Emanſio ratione vaſorum Uteri infarctorum, in ſtatis temporibus, quibus alias fluebant Menſes, adſunt dolores Lumborum circa vaſa ex ramis iliacis orta, tenſiones & pulſationes circa pubis regionem, ſubinde etiam circa Hypochondria & in Artubus, murmura, borborygmi, & dolores lancinantes in Lumbis, quæ omnia oſtendunt, ſanguinem reverà turgeſcere, & impedimentum in vaſis obſtructis hærere. Si enim nullam patiantur alterationem iis temporibus, vitium eſt in ſanguine non debitè turgeſcente. In *Prognoſi*, ſuperveniens Emanſio Morbis chronicis, eos deteriores reddit, & Hecticam ferè præſentem indicat.

Cura. Ventriculi Chyloſis per *Vomitoria* & *Aromatica vol.* corrigenda; Sanguinis cruditas per *vol. Oleoſa* emendanda; humores viſcidi per *Gummata* & *Merc.dulc.* incidendi; junctis ſimul *appropriatis*, quæ tamen non conveniunt, niſi præmiſſis evacuationibus & acidum abſorbentibus, & quidem calculo facto quando fluere deberent Menſes, ex Mulieris ipſius computatione, aut ſi illa non noverit circa Lunam creſcentem, quo tempore ſanguis facilius turgeſcit. Eadem ſanè eſt *Cura*, quæ in *Cachexia*, additis *Menſes ſtimulantibus*. Præmiſſis ergo *digeſtivis*, propinentur *Vomitoria*, etiam *Purgantia* cum *Gummat.* parata, inprimis ex *Helleb. nig.* cum *fol. Sennæ.* Alterant quæcunque *aromatica*, *amaricantia* in *Ca-*

checticis laudata: & in ſpecie *Martialia*, v. g. *Infuſum Limat.* cum *Cinnam. in Vino. Tinct. Mart. Liq. Mart. ſolar. &c.* ſine quibus inveterata Emanſio curari nequit: operantur acidum abſorbendo. *Specifica principaliora ſunt Sabin.* ejuſque *Oleum potentiſ. Crocus*, omnia ex *Myrrha* & *Caſtoreo* parata, item *Decoct.* & *Eſſent. Splen. Bov. Borax* egregia vel in *pulv.* cum Croc. & *Cinnam.* vel in *decocto Pulegii* aut *Roſmar.* Accedunt *Baccæ Junip. Angel. Artemiſ. Meliſſ. Gentian.* & quævis *Salia volatilia*, ſuperveniente corporis motu aut ſaltem madore in lecto. Optima fit *Eſſentia* ex *Sal. vol.* in *Sp. Vini ſolut.* cum *Myrrh.* & *Caſtor.* Si adſit *Plethora*, dolor gravativus Artuum, & difficilis Reſpiratio, neceſſaria eſt *Venæſectio* eaque in *Brachio*, quando inſtant Menſes, in horum difficultate, ne ſc. Sanguis concitatius ad inferiora tractus ſtagnet circa vaſa Uteri. Si verò fluentes ceſſent ex improviſo, in *Pede*.

Remedia externa ſunt *Balnea*, *Semicupia*, & *Pediluvia* ex *decoctis Plant. arom. Thermæ*, *Suffitus per infundibulum Utero exceptus* ex *Scor. Reg. Antimonii* in *Spiritu Vini* ſolut. & lateri candefacto affuſ. vel ex *Urin. antiqua affuſa*, *Scor. Mart. candefactis*, vel ex *Decocto Colocynth.* injectis *Silicibus candef.* vel denique ex *Troch.* de *Sabin. Myrrh. Aſphalt.* & *Troch. alband.* cum *Balſ. Sulph. terebinth.* & *Aceto*; item *Litus* Regionis iliacæ & pubis ex *Ol. Cheir.* acuato *Decoct. Colocynth. Ol. Sabin. Spic.* &c. Virginibus magis convenit *Sal. vol. armon.* vel *Mixtura* ex *Calc. viv.* cum *Sal. ammon. irrorata Spiritu Vini*, atque *immiſſa Glauberi inſtrumento*, cujus capitulum foraminibus perfuſum eſt.

In ſpecie in *Emanſione ex nimia refrigeratione* extremorum, conveniunt internè *Sperm. Ceti* cum *Caſtor.* in vehic. calido; item *Salia fixa Artemiſ. Sabin.* &c. vel potius *volatilia* additis remediis ex *Croc.* & *Cinnamom.* cum blando ſubſequente ſudore. Si ex ſanguine coagulato

gra-

graviſſimus ſit Uteri dolor, convenit internè *Decoctum Chamomillæ* cum aliis uſurpatum, & *Cataplaſma calidiſſimum* ex eodem Regioni pubis admotum. In *Emanſione* ex ſubitaneo animi terrore, convenit idem *Decoct. Chamom.* cum *Salib. volatilib.*

In nimia *Menſium fluentium paucitate*, quàm comitantur Anxietas, palpitatio Cordis, diffic. Anhelitus & dolor Lumborum pulſatorius, conveniunt eadem *remedia* hactenus recenſita, & in graviori malo *Venæſectio* in pede aut *Cucurbitulæ non ſcarif.* Cruribus vel Femori in regione ſuperiori internâ applicatæ; vel *Hirudines* orificio Uteri externo admoti. Ex dictis variæ fiunt *formulæ. v. g.*

℞. *Extr. Panchym. Croll.* ℈i. *Gum. ammon. in Acet. ſolut.* ʒß. *Extr. Croc. & Caſtor. an. gr. v. Extr. Troch. alband. gr. iv. Ol. Succin. q. ſ. f. Pill. de quibus aliquot capiat Ægra* ſingulis quatuor vel quinque *diebus. Tempore intermedio uſurpetur ſeq. Infuſio.*

℞. *Rad. Angel. Leviſt. an.* ℥i. *Galang.* ℥ß. *fol. Roriſmar. Matric. Sabin. an. m. j. Bacc. Junip. rec.* ℥iß. *Cinnam.* ʒiii. *Croc.* ℈i. *Sal. Tart* ʒß. *infund. in Vino Doſis quotidie cyathus* ℥iv.

℞. *Borac.* ʒß. *Myrrh. gr. xv. Cinnam.* ʒß. *M. in tres pulverum doſes.*

℞. *Tinct. Vitriol. Mart. Zwelf.* ʒii. *Eſſent. Croc. & Caſtor. an.* ʒi. *M. Doſ. gt.* 40. vel 50.

℞. *Spir. Sal. armon. Liq. Cornu Cervi ſuccin. an.* ʒi. *M. Doſ. gutt.* 40.

ART. II.

De nimio Menſtruorum fluxu.

SI aut copioſius aut frequentius debito fluant Menſes, ita ut Mulier debilitetur, (nam habitiores & ſcorbuticæ ſine debilitate aut læſione diuturnos ferunt fluxus)

Cauſa eſt vel in *ſanguine*, vel in *utero*. *Sanguinis* vitium eſt triplex. 1. Nimia turgeſcentia ex aëre fervido, exercitio nimio, gaudio, ira, ſalacitate, potu generoſo. 2. Nimia fluxilitas ſeroſa & aquoſa, vel è ſtomacho alimenta nimis colliquante, vel ex renibus ſerum non ritè evacuantibus, ut in *Scorbuticis*. 3. Acredo acida ſalſa vehiculi ſeroſi, vaſa uterina erodens, ex eduliis acribus aut acrimonia ſuccorum in primis viis natâ. Ex Parte Uteri cauſa eſt nimia vaſorum uterinorum apertura & dilatatio, ex ſublatione oneris gravioris cum niſu & inſpiratione, ſternutatione violenta ſpeciatim durante menſium Fluxu, Abortu, Partu laborioſo; item ex acribus & excoriantibus extrinſecus admotis.

Symptomata. In nimia ſanguinis turgeſcentia ſolet eſſe floridus & bonus: in vaſis nimis hiantibus brevi grumeſcit. In aquoſitate ſanguinis effluit tenuis & tardè grumeſcit, vel ſimilis eſt loturæ carnis, vel linteo exceptus circulum facit pallidum. In ſanguinis acredine adſunt conatus ejiciendi, cum ſenſu pruriginis & roſionis.

Cura. Sanguinis turgeſcentia *acidis* coërcenda; fluiditas & acrimonia corrigenda, & viæ læſæ conſolidandæ ac firmandæ. Niſi ſuperveniat debilitas; non eſt curandus, nam ex fluxu præpoſterè ſuppreſſo gravia mala obſervata ſunt. *Venæſectio* parum prodeſt, hinc cautè & parcè in brachio inſtituenda. *Purgatio* potius ſtimulat quàm inhibet; ſaltem convenit *Rhabarb.* cum *Conſerv. Roſ.* aut *Syr. Cydon. aromatiſ.* Si ſanguis ſeroſior ſit, conducunt *ſudorifera* & *diuretica*, licèt enim ſub uſu excretionem intendant, evacuato tamen ſero ceſſat fluxus. Inter *ſpecifica* palmam ferunt *Martialia*, quæ licèt acidum abſorbendo Menſes ſtimulent, per ſe tamen adſtringunt; in ſpecie *Liq. Mart. ſolar. Tinct. adſtring. Lap. Hæmat. in ſucco Granat.* vel *Cydon.* Juxta hæc egregius eſt *Succus Plantag.* item *Pulv. Cran. human.* ad ʒi. *Viſc. quercin.*

cin. ad ʒi. in *Ovo ſorbili; Succus Stercor. aſinin.* cum *Syr. Myrtil. & Aq. Plantag.* item *caninum Stercus.* Nunquam omittenda *Opiata*, in ſpecie *Diaſcord.* in *vehic. acido.* Nimiam Maſſæ ſanguineæ turgeſcentiam coercet *Spir. Vitriol.* in *Aq. Plantag.* Seroſitatem & acrimoniam temperant, & partes laxatas firmant *Succinum, & Troch. de Carabe, Oſſa & Cornua anim. calcinata, Mumia, Coral.* &c. *Opiatis* miſta.

Externè convenit *Spongia Aceto roſac.* ebria, hinc Pubi & orificio Uteri applicata, injectio *Succ. ſterc. aſinin.* cum *Succ. Plantag.* Suffitus ex *Thure & Maſtiche*, vel ex vapore *Aceti* ſuper *ſcorias Mart. ignitas*; Cataplaſma ex *Hyoſc. Aceto* imprægnato Lumbis aut Oſſi ſacro applicatum. Si dolor adſit in Vagina ardens & rodens, prodeſt injectio *Decoct. adſtring.* cum *Hyoſc. & Papav.* item linteum ſanguine imbutum ac ſub cineribus calidis poſitum, vel induſium per octiduum à Viro geſtatum & à Muliere indutum. Ex dictis variæ fiunt *formulæ, v. g.*

℞. *Coral. rub. Succin. flav. Bol. armen. Sang. Drac. ven. an.* ii. *Sem. Plantag. Borac. calcin. an.* ʒi. *Laud. Op. gr.* iv. *Extr. Croc.* ℈i. *cum ſ. q. Syr. de Roſ. ſic. f. Elect. Doſ.* ʒi. continuando.

℞. *Conſerv. Roſ. antiq.* ℥vi. *Coral. rub. Sang. Drac. ver. Oſſ. human. calcin. an.* ʒi. *Troch. de Carabe. Alum. crud. Sem. Plantag. an.* ℈ii. *Laud. op. gr. iv. cum ſ. q. Syr. Coral. f. Elect. in ſtatu ſanguinis ſeroſiori & ſcorbutico.*

Fit quandoque etiam, ut ſanguis impeditus, per mammas, os, anum, &c. exitum quærat: in quo caſu revocandus eſt ſanguis ad Uterum ope *externorum*, quæ in Menſium ſuppreſſione laudavimus.

ART. III.

De Fluore albo Mulierum.

DIcitur *Fluor albus*, quando per genitalia effluit liquor ſeroſus, initio albus & mitis, in progreſſu aceſcens & excorians, item flaveſcens, vireſcens, & va-

riè coloratus. Contingit in omni ætate & ſtatu. Quia autem Vetulas quoque multum affligit, patet, non eundem eſſe cum Sanguine menſtruo. Effluit ſine typo aut intermiſſione, nunc parcius nunc copioſius, tempore Menſium fluxus incipiens, ſaltem uberius fluens. Effluit hic liquor ex lacunis ſubſtantiæ membranaceæ glanduloſæ, Proſtatis Virorum analogæ. Si hæc ſubſtantia leviter ſit affecta, emanat Lympha ſeminalis pauca, vix glutinoſa, mitis, ſine ardore, roſione, aut corporis Tabe. Sed præter hunc Fluxum leviorem, qui *Gonorrhææ* Virorum *veræ* analogus eſt, obſervatur interdum alius *nothus*, copioſus, continuus, ubi varia ſeroſa, tincta, acria excernuntur, cum tumore pedum, torpore & flacciditate membrorum, appetitu proſtrato atque univerſali ſanguinis & corporis Cachexia, & ſubinde Febri lentâ lymphaticâ.

Cauſa prioris eſt turgeſcentia liquoris ſeminalis cum aliquali glandularum laxitate, orta à Virginum ſalacitate, intermiſſione coitus, vitâ ſedentariâ, laudabili victu. *Poſterioris Cauſa* eſt ſanguis ex cruditatibus ſtomachi cachecticus redditus; & glandulæ illæ relaxatæ ac eroſæ à materia acri, ſalſa, tam proprio vitio quàm vitio fermenti glandularum. Nec obſtat liquaminis hujus ubertas, quò minus per Proſtatas dictas flaccidas eroſas, &c. excernatur; videmus enim quantum materiæ effluat per Nares, Oculos *&c.* Interim aſſerit *Sylvius*, totum Uterum eſſe naturæ membranaceo glanduloſæ.

Prognoſis. *Nothus* in Senibus cum morte finitur; diu durans ſteriles reddit, ad Tabem, Hydropem, &c. diſponit. *Verus* nil habet in receſſu.

Cura. Si ſingulis menſibus redeat per 2 vel 3 dies, non eſt ſiſtendus. Perpetuò autem durans maturè ſiſtatur. In *Gonorrhæâ verâ* optimum remedium eſt *copula cum Viro*; hinc ſuccus *Citri* aut *Limon.* aut ex *ſurculis Salicum* tempore verno exſtillans, *Troch. de Carabe*, *de*

Terr.

Terr. ſigill. Mandib. Luc. piſc. & ratione flacciditatis partium *Balnea* blandè *adſtringentia.* In *Notha*, reſtauranda eſt Stomachi chylificatio per *Vomitoria*, præmiſſis *digeſtivis*, & *ſtomachico aromaticis*; ſanguinis Cachexia corrigenda per *Salia vol.oleoſa* & *aromatica.* Ipſi Fluori autem & partibus læſis per *appropriata & adſtringentia* ſuccurrendum eſt. *Venæſectio* & *purgatio* hic locum non habent, ſed optimè *Vomitoria*; item *ſudorifera*, in ſpecie *Decoct. Eſſent. & Tinct. Lignorum*; *& diuretica*, inprimis *Pill. ex Terebinthinâ* cum *Rhabarb.* vel ipſa *Terebinthina in Vitello ovi ſoluta.* Præter quæ *appropriata* maximè ſunt *Galeopſis flore albo*, *Roſmarinus* ejuſque *Decoctum*, ut & *Mentha*, *Meliſſa*, & ſpeciatim *Viſc. querc. tam in ſubſtant.* quàm decocto; item *Mandib. Luc. piſc. Oſ. ſep. omnia ſuccinata*, *Ebur*, *Oſteocolla*, *Pumex vel Creta calcin.* & ſpeciatim *Priapus Cervi* ad ʒß. & *Putam. Ovorum calcin.* ex quibus excluſi ſunt Pulli, ad ʒß.

℞. *Magiſt. Oſteocoll.* ʒß. *Carneol. præp.* ℈iii. *Coral. alb.* ℈ii. *Smaragdi* ℈i. *M. Doſ.* ℈i. *cum Conſerv. Roriſmar.*

Inter *Externa* excellunt *Thermæ naturales*, hinc *artificiales* ex *Sulph. & Calc. viv.* cum *nervinis* & *adſtringent.* ut & *ſeſſio in Decocto Ebuli*; *Fomenta* & injectiones ex *Lig. ſanct. Cort. Granat. Thur. Maſtich. & Flor. Roſ. rub. Balauſt.* in *aqua* ebullitis, addendo ſub finem *Vinum auſterum*; *Unguentum* ventri illinendum ex *Sclaræa* cum *Butyro* ſubactâ, & repoſitâ donec putrefieri incipiat, deinde aliquamdiu coctâ; *Suffitus ex Salvia*, item ex *Thure*, *Maſtich. Ladan. Gummi Junip. Nuce moſch.* & *Succin.*

Fluor muliebris Gallicus curatur ut *Gonorrhæa maligna Virorum.* Ratione Ulcerum *Vaginæ*, intrudatur *Linimentum merçuriale* turundis illitum.

Sect. II.

De vitiis Appetitus venerei, ejus nempe defectu & nimia Salacitate.

RESidet *Appetitus venereus* in *Clitoride* ex turgeſcentia liquoris ſeminalis irritatâ. Deficit, quando liquor ſeminalis deficit, in *Gonorrhæa notha*; aut minus ſpirituoſus generatur, ut in *Scorbuticis confirmatis*. In *Cura*, niſi ſubſit conformationis vitium, conveniunt internè *lauta Diæta*, & *acria aromatica* liquori ſeminali turgeſcentiam conciliantia: *quæ vide in ſimil. affectibus Virorum*. Externè, *Inſeſſus ex Formicis*, inunctio Clitoridis cum *Ol. Formic.* aut *Balſ. apoplect.* cum *Zibeth.* & *Moſcho*. prorſunt.

Nimia Liquoris ſeminalis turgeſcentia Clitoridem perpetuò tenſam detinet, unde nimia Salacitas, & ſubinde Sanguis & Lympha, à partibus genitalibus reflui per hanc turgeſcentiam inquinantur, adeo ut etiam turgeſcant, unde Spirituum impetus magis celer & agilis, & ſimul ſpiritus ipſi volatiliores redduntur, hincque maximus in Fœminis Appetitus venereus, cum audacia, inquietudine, & delirio: qui Salacitatis gradus *Furor uterinus* dicitur. *Cauſæ remotæ* ad hoc malum diſponentes, ſunt vita ſedentaria curis vacua, intermiſſio excretionis venereæ, habitus ſucci plenus, potus generoſi aromatibus conditi, copula cum membro virili, *Moſcho* & *Oleis calidioribus* illito. In *Cura* juxta congreſſum validum crebrius repetitum, convenit materiam peccantem evacuare & revellere per *Vomitoria larga*, turgeſcentiam liquoris ſeminalis ſiſtere per Venæſectionem ſæpius repetitam, ut & per *acida, v. g. ſucc. Limon. Citr. Granat.* inprimis *nitrata*; item per *Emulſ.*

ex

ex ſem. Cannab. Sem. Papav. alb. & Sem. Vitic. Decoctum Salicis progerminantis, vel Liquorem ex ſurculis ejus tempore verno exſtillantem, qui optimus eſt, & ex quo cum farina fit maſſa egregia; & tandem ſpiritus animales coërcere, per opiata, item Camphoram tam in ſubſtantia, quàm incenſam & in potu ordinario crebrius extinctam. Externè applicantur regioni Uteri fomenta frigida ex ſucc. Viticis, Salicis, Hyoſciami, Sempervivi maj. cum Aceto. deſt. Camphor. & Sacch. Saturn. item Cataplaſma ex Ruta, Solano & Papav.

SECT. III.

De Affectibus totius corporis Utero vulgo attributis.

CAP. I.

De Febre alba ſeu Chloroſi.

Morbi qui vulgo tribuuntur Utero, originem ducunt ex Liquoris ſeminalis majore vel minore turgeſcentiâ, & Menſtruorum ſuppreſſione. Inter quos primatum ducit Chloroſis, Affectus proprius Virginibus, aut Viduis, ſaltem quibus non ſatisfáciunt Mariti. Tales pallent, cum colore nonnihil ſublivido, coronâ quaſi rubeſcente ſub oculis, anxietate ſine manifeſtâ cauſâ, triſtitia, pulſu inæquali & vario, Febri lentâ inordinatâ ſed vix ſenſibili. In progreſſu mali ſupprimuntur & Menſes. Cauſa eſt Liquor ſeminalis ſuppreſſus & corruptus, mediante quo fermentum ſanguini communicatur, & ſucci inquinati ſecernuntur, unde talis Color, Febris & tandem Menſium ſuppreſſio. Hinc corrupta Maſſa ſanguinea & Lympha Hyſtericos cruciatus cum Tetanis convulſivis, Vomitum, aliaque Symptomata epileptica infert:

ca infert : *Dignoſcitur*, Febrem, pallorem aliáque ſymptomata, à retento & corrupto ſemine oriri, & non à Cachexia aut Menſium ſuppreſſione, ſi Mulier Vidua, aut Virgo petulans, citra errorem diætæ ſtatim fiat triſtis, anxia, & in alium ſtatum mutata, fluentibus interim Menſibus; quo faciunt Vita ſedentaria, Diæta lauta, Potus generoſus, aliaque Liquorem ſeminalem augentia.

Cura. Nil facilius aut magis in promptu eſt, quàm congreſſus validus frequenter repetitus. Sic enim excreto ſemine corrupto, & ſpiritus genitalis Maris novo fermento inſpirato, de novo efferveſcit Sanguis, unde color corporis floridus redit, adeo ut Virgines pallentes ſæpè dent Mulieres pulchras. Remedia apud Authores utplurimum ſunt *anticachectica*, ſed malè. Debet enim liquoris ſeminalis vitium corrigi & Sanguinis dyſcraſia emendari ſpeciatim per *Camphoram*, hinc per *ſuccinata*, *caſtorina*, *myrrhata*, quæ balſamicá vi corruptionem ſeminis impediunt, inprimis per *Eſſentiam Myrrhæ* cum *Spir. Nitr. d.* item *Sacch. Saturni*; per *Citrata*, *Cydoniat. Granat.* omnia *nitrata*, forſan *Terebinth.* partibus mundandis dicatam, & tandem per *Venæſectionem.*

ARTIC. II.

De Cachexia Mulierum.

Cachexia muliebris nil habet peculiare à *Cachexia* in genere diſtinctum, niſi quod jungatur ſuppreſſioni Menſium, quæ omnia ſymptomata exacerbat: ex acido enim ſanguinem coagulante & nervos irritante, ſuperveniunt *Pleuritides*, *Anginæ*, *Inflammationes* partium *eryſipelaceæ*, *Picæ* diſponentes ad *Hyſtericam paſſionem*, *Epilepſiæ*, *Motus convulſivi*, *Melancholia*, *Scirrhi viſce-*

rum,

rum, inprimis *Lienis*, *Cephalalgiæ inſanæ* & *contumaces*, ſenſus *Palpitationis*, ſpeciatim in *Lumbis* & *regione ſuperiori*, tandem ex depravato Ventriculi fermento & habetata Bile *Leucophlegmatiæ*, *Hydropes*, & *Affectus chronici* difficilè curabiles. Exaſperantur hæc mala periodo menſtruâ.

Cauſa itaque eſt Menſium ſuppreſſio; unde 1. Sanguis *quantitate* auctus à debita fermentatione & ſpirituaſcentia cohibetur, hinc glutinoſus, iners & vappidus evadit, indeque *Anxietates*, *Cephalalgiæ*, *Inflammationes*, *Palpitationes*, *Difficultas reſpirationis* & ſimilia oriuntur. 2. Sanguis *qualitate* peccans & vitioſo acore inquinatus, ſuccos reliquos alterat, unde *digeſtio prava*, *Melancholia*, *tenſiones Hypochondriorum*, *Picæ*, *&c.* Nam licèt ſanguis menſtruus ſit in ſe laudabilis, ſeparatur tamen à Maſsâ ſanguineâ per fermentationem tanquam ſecernendus; & proprietatem acrem eroſioni aptam acquirit, quam Sanguini communicat. Symptomata autem nervoſi generis, ſpeciatim in Abdomine, & methodus medendi oſtendunt peccare vitioſum acidum auſterum.

Cura. Præmiſſis præmittendis, corrigenda eſt ſanguinis & humorum dyſcraſia, junctis Menſes ſtimulantibus. Optimè auſterum acidum reſorbent *martialia*; hinc ſanguinis volatilitatem reſtituunt *aromatica*: Menſes ſtimulant *Salia vol. plus minus oleoſa & aromatica*, *vid. Caput de Menſium emanſione.* Si superveniant *Motus convulſivi*, addantur *Cinnabarina*, *Succinata*, *Caſtorina*; ſi *Palpitatio cordis*, remedia ex *Coral.* ſi *Cephalalgia*, *Liq. CC. Succin. & Sal. vol. antiſcorb.*

ARTIC. III.

De Suffocatione Uteri.

AFfectus hic nomen ſortitur ab inſigni anguſtiâ præcordiorum & junctâ Reſpirationis ſummâ difficultate,

tate, quaſi *Suffocatio* immineret, aut laqueo conſtringerentur. Interdum nulla ſenſibilis eſt Reſpiratio aut ſenſus. Percipiunt in Ventre infimo borborygmos, & motum cujuſdam globuli hinc inde agitati, & ſuperiora petentis. Subinde Hypochondriorum aut regionis Hypogaſtrii tenſionem, aut diſtentionem, ſimulque Inflationem, à flatibus nunc per os, nunc per anum erumpentibus. Inchoante paroxyſmo oſcitant & pandiculant crebrius, dolores utplurimum vagi Abdomen cruciant, appetitus proſtratus eſt, & aſſumpta vitioſo ſapore inquinata apparent. Alvus plerumque durior eſt, & ſi ſponte aut arte aperiatur, cum flatuum eruptione, levamen adfert. Subinde Vomitus adeſt, ſaltem in paroxyſmo vomendi conatus. Accedit cordis Palpitatio, cum pulſu raro, parvo, debili, quandoq; intermittente & ad ſenſum abolito, quibus præſentibus non procul abeſt Syncope. Vertigo & Scotomia paroxyſmum ordinariè præcedunt. Subinde adeſt Delirium, copioſus riſus involuntarius, miræ brachiorum & pedum geſticulationes. In graviori malo adſunt Epilepſiæ atroces, & mirum robur in membris convulſivis. In paroxyſmo ſenſus & motus ferè abolentur, ſed poſt paroxyſmum omnia ſciunt, & ſuperveniente ſudore declinat paroxyſmus; at non ſunt ſecuræ fœminæ, niſi largior ſuperveniat. Ferè aphonæ ſunt in paroxyſmo etiam ſenſibus illibatis. Sed interdum ſonitus & quaſi voces ex imo abdomine audiri videntur, ut etiam à Dæmone credantur obſeſſæ.

Cauſæ remotæ ad Hyſtericam paſſionem diſponentes, aut in diſpoſitis paroxyſmum excitantes, ſunt 1. Ira & fervor, terror, gravior audacia, mœror, & paſſiones animi graviores. 2. Odores fortes, habita ratione idioſyncraſiæ: quibuſdam enim *ſuaveolentia* naribus admota paroxyſmum excitant, & graviter fœtentia eum ſiſtunt; in aliis contrà ſe habet res. 3. Graviditatio,

datio, inprimis, ſi adſit Cacochymia, item Menſium ſuppreſſio. Hinc quæ Virgines *ſuaveolentia* benè ferebant, gravidæ poſtea factæ ſymptomata patiuntur hyſterica, ſed ceſſante puerperio non item. 4. Dulcia aſſumpta, Syrupi, Mellita, &c.

Cauſa. Accuſatur hic *Uterus*, quaſi ſurſum feratur, &c. ſed malè; contrà enim arguunt Uteri firma cum Inteſtino recto & Oſſe pubis connexio; diſſectio anatomica Uterum inſontem in Hyſtericis mortuis monſtrans; & experientia Virorum *hypochondriacorum*, qui eadem cum *Hyſtericis* patiuntur ſymptomata, eadem methodo ingruentia, ab iiſdem cauſis remotis excitabilia, & ſimili methodo curata. Rejectâ ergo Veterum ſententiâ, ut veram eruamus cauſam; videtur certè hic peccare acidum vitioſum, & à naturali ſtatu degener. Hoc monſtratur 1. Quod Scorbuticæ & Hypochondriacæ huic malo obnoxiæ ſint, & à purgante etiam levi ejus periculum ſubeant. Quin & Hypochondriaci eadem patiuntur ſymptomata. 2. Sanguis Hyſtericarum in præcordiis ſtagnans Anxietates & Syncopen infert; quin & emiſſus grumoſus deprehenſus fuit. 3. Rejecta per vomitum, arte ſive ſponte, ſunt *æruginoſa*, *porracea*; in quibus peccat primariò acidum præcipitans Bilem in iſtum virorem. 4. Dulcia facilè aceſcentia paſſionem Hyſtericam inſigniter exacerbare ſolent. 5. Remedia acidum deſtruentia, paroxyſmum & præcavent & curant. Quod autem præter hoc acidum etiam adſint ſpaſmi & motus convulſivi, tàm partium Abdominis quàm Thoracis & Laryngis, patet 1. Ex Convulſionibus epilepticis in fine & ſtatu paroxyſmi. 2. Ex ſenſu globi agitati in Abdomine, qui videtur eſſe plexus nerveus Meſenterii major cum partibus vicinis convulſus, in globum contortus, & ſurſum verſus retractus. 3. Et riſu involuntario, qui oritur à convulſo Diaphragmate, & hinc, per

commercium nervorum intercoſtalium, reliquorum Muſculorum Thoracem moventium, unde difficilis Reſpiratio & dolor inſtar cinguli in regione Diaphragmatis. 4. Dolores lancinantes & contorquentes Abdominis Spaſmos teſtantur, ſicut ſonitus & murmura à flatibus in Inteſtinis convulſis genitis & variè oberrantibus procedunt. Pro *Cauſa* itaque combinandum eſt acidum peccans cum inde natis ſpaſmis.

Modus fiendi hic eſt: acidum vitioſum, ſive errore Stomachi ſive errore Pancreatis genitum, in Inteſtinis cum Bile efferveſcens, copioſos flatus generat, unde ſonitus & borborygmi. Et ulterius procedens coagulationes & ſtagnationes ſanguinis circa præcordia generat: tandem ex irritatis ab iſto acido partibus nervoſis Spaſmi interni & membrorum externorum Convulſiones oriuntur. Præcedunt hæc Abdominis ſymptomata, ſi paroxyſmus ex uſu dulcium, Nephritide, aut commotione acidi in primis viis excitetur. Si verò Odores, Terrores aut Ira paroxyſmum excitent, tunc præcedunt nervorum ſymptomata, nempe Scotomiæ, varii colores præ oculis, &c. ex forti enim ſpirituum agitatione, ſuccedit eorundem motus expulſivus inprimis in nervis intercoſtalibus & pari vago, & ſub progreſſu Spaſmi Abdominis & Thoracis, & ex Cordis muſculo convulſo hujus Palpitatio atque compreſſio. Tandem ratione Spaſmorum Abdominis Pancreas & Porus bilarius conquaſſata effundunt ſuos ſuccos. Variant autem ſymptomata pro variis ſurculis Nervorum affectis. Sic ſi plexus Stomachi & Lienis afficiuntur, urgent horum Symptomata. Affligunt hæc ſymptomata potiſſimùm Mulieres, quia horum ſyſtema nervoſum eſt magis delicatum & facilè commovetur. Sic Literati, quorum ſpiritus magis ſunt volatiles, etiam Cephalalgiam aut Anguſtiam præcordiorum ex odoribus fortibus patiuntur. *Odorifera* enim ſpiritus delicatos

in

in naribus commovent, & in Spaſmum convulſivum cogunt; quin & ſpiritus circa genitalia afficiunt, quia ſubinde genitalibus admota conferunt, & notum eſt, *Zibethum* voluptatem coitûs intendere: accedit Odorum vis, dum cum aere attrahuntur, unde motum ſanguinis per Pulmones impeditum, nunc ſanguinem alterando magis impediunt, nunc Sale ſuo vol. acidum corrigendo reſtituunt. Interea monendum eſt, liquorem ſeminalem retentum & corruptum, item Menſtruorum ſuppreſſionem, ſpiritus animales pervertendo & ſuccos reliquos inquinando, interdum rationem fomitis morboſi obtinere, licèt immediata cauſa acidum exiſtat. Hinc Gravidæ fiunt interdum Hyſtericæ; & quædam Hyſtericæ excretione ſeminis levantur. *Paſſio* utique *Hyſterica* non differt ab *Epilepſia*, niſi quod illa internas, hæc externas occupet partes; nec à *Colica*, *Malo hypochondriaco* & *Scorbuto*, niſi ſymptomatum variatione. In *Prognoſi*, Malum hoc longè periculoſius eſt in Prægnantibus & Puerperis, quàm in aliis Mulieribus. Si ſternutatoria fortia in Paroxyſmo ſternutationem excitent, bonum; ſi contrà, malum eſt ſignum.

Cura. In Paroxyſmo, quoad externa, mox admoveantur Naribus *Caſtor. Aſſa fœtid.* aut fiat *Suffitus* ex *Plumis accenſis Perdicum.* Verùm habeatur ratio Idioſyncraſiæ, quibuſdam enim magis placent *ſuaveolentia.* Interim *ſuaveolentia* interius aſſumpta non lædunt, licèt Naribus admota nociva ſint, ut *Moſchus*, *Zibeth. &c.* Optimè admovetur Naribus *Spir. Salis ammon. fort.* Interea Vulvæ in loco Clitoridis illinatur *Balſ. apoplect. Zibeth. Moſchus*, aliaque *ſuaveolentia*; vel quod melius eſt vellicentur pili Pubis, ubi facilè ad ſe redeunt. *Sulphur. accenſum* non ſuaderem, nam perit difficultatem Anhelitus. Facit huc *Suffitus* per infundibulum Utero exceptus, ex *Verruc. Equor.* ℥i. *Aſſ. fœtid.* ʒi. *Ungul. ca-*

prin. ℥ii. *M. de quo incend.* ℈i. *ad* ℥i. Si hæc non ſufficiant, inſpirentur in Nares repetitis vicibus *ſternutatoria* ex *Caſtor.* ℈i. *Piper. long. gr. xii. Helleb. alb.* ℈ß. *Pyrethr. gr. v. M.* Inter ea, quæ regioni umbilicali inungenda ſunt, eminet *Galbanetum Paracelſi*, imponendo deſuper laterem calefactum. Mihi in uſu eſt *Ol. deſt. Succin.* cum dimidio *Ol. deſt. Spic.* Umbilico & ſcrobiculo Cordis illinendum; deſuper imponendo *Emplaſtr.* ex *Galban. cum Extract. Caſtor. & Croc. & Ol. deſt. ſuccin & Spic.* Cum his ſubinde egregium præſtant *Clyſmata ex ſpecieb. carmin. Arom. cum Ol. deſt.* aut horum loco *Sal. Volat.* Conferunt autem Inteſtina evacuando, & promovendo Flatuum expulſionem. Juxta hæc uſurpantur cincturæ regionis hypochondriacæ cũ *Cingulo* è *Corio humano* aut *cervino*, aut alio quovis; quo laxiores enim ſunt Mulieres, eo magis urgent Reſpirationis ſymptomata.

Quoad *Interna*, conferunt *Salia vol. oleoſa*, inprimis quæ ſudorem movent, acidum corrigentia & flatuum proventum prohibentia: quibus adduntur ſubinde *Opiata* ad impetum Spaſmi coërcendum, & *Camphora*, illis qui hanc ferre poſſunt. In uſu ſunt omnia *aromatica*, *v. g. Zedoar. Leviſt. Puleg. Bacc. Junip. Caſtor. Aſſ. fœtid. Crocus, Roſmar.* &c. Sed magis immediatè agunt *Salia volat. v. g.* mixtura ex *Sale vol. Succin.* cum *Caſtor.* & *Opio*; item *Spir. Sal. armon.* ritè præparatus, omnia *ſuccinata*, præcipuè *Ol. ſuccin.* quod tamen nimios ructus ciere ſolet. Optimum eſt *Ol. Caſtor.* item *Eſſent Caſtor.* cum *Sale volat.* parata. Huc faciunt *Fuligo Furni ad* ʒß. *Flor. Sulph.* in eadem doſi, imperando ſudorem; *Troch. de Myrrha*, *Tinct. gran. Act.* ad cochl. ii. in paroxyſmo, expectando ſudorem; item *Tinct. Langii* ex *Caſtor.* & *Aſſ. fœtid.* beneficio *Sal. Tart.* Nulli Remedio cedit *Succus Sterc. equin. expreſſus, calidè propinatus.* In extremo caſu tentanda ſunt *Vomitoria.*

℞ *Aq. Menth. Flor. Sambuc. & Matricar. an.* ℥i. *Eſſent. Caſtor.*

Caſtor. ʒiß. *Sal. vol. Succin. gr. xiv. Laud. hyſter. gr. x. Syr. Cort. Aurant.* ℥iii. *M.* detur *cochleat. Addi poterit Liq. CC. aut Spir. Sal. armoniaci.*

SECT. IV.

De Affectibus Viri admiſsionem & conceptionem lædentibus.

ART. I.

De nimia Anguſtia vel Apertura Vaginæ, & Procidentia Uteri.

N*Imia vaginæ Anguſtia*, Viri introitum prohibens curatur ſubinde repetito negotio; ſicut & per *ſpeculum Matricis*. Si membra ſint occluſa, methodo chirurgicâ tractatur. Si coaleſcat Vagina poſt excoriationem citra ſectionem non curatur, quæ tamen etiam maximè dubia eſt. *Vagina nimis patula* curatur beneficio *Balneorum* aut *Infuſionum adſtringentium*.

Procidentia Uteri nil aliud eſt, quàm Prolapſus ſinus pudoris, ipſe enim *Uterus* adeo firmè connectitur circa *Os ſacrum*, & cum *Inteſtino recto &c.* ut extrahi nequeat citra inſignem violentiam externam & patientis interitum. Fit autem *Prolapſus Vaginæ Uteri* 1. Quando tota nimis laxata, *v. g.* à Partu difficili, &c. globosè propendet cum foramine in medio, quod falſo pro Uteri orificio interno habetur. 2. Quando rugæ Vaginæ in qualibet parte laxatæ aut eroſæ ſunt, adeo ut ſanguis aliique humores partem relaxatam diſtendentes, eandem in forma corporis rotundi, annexi anguſto collo, interius ſe abſcondenti, extra corpus

propellunt. *Cauſæ* ſunt Hæmorrhagiæ Uteri, Fluor albus diuturnus, & ſimilia. Interdum excreſcentiæ rugoſæ vel carnoſæ, abſciſſione curatæ, pro Uteri prolapſu habitæ ſunt. In *Prognoſi;* ſi inveteratus ſit, aut per impetum Obſtetricis fiat, vix curabitur. Si ſit à cauſa interna, facilior eo, qui fit per violentiam externam. Subinde metus eſt, ne in Ulcera abeat aut ab aere externo inflammetur & Gangrænam concipiat.

Cura. Reponatur & firmetur pars laxata: idque citò, ne ab aëre aut Urinâ alteretur. Fomentetur nempe aliquamdiu *Decocto Roriſm. Salv. Abſinth.* in *Vino vel Aq. ferrar.* & cum linteo dicto liquori intincto digito circumvoluto reponatur, Ægrâ ſupinè jacente, clunibus capite ſuperioribus. Pro hoc ſcopo commendant *Suffitum pellis Anguillæ ſalitæ, in fumo exſiccatæ, & pulveriſatæ;* item *Pingued. urſin.* aut *erinac.* Oſſi ſacro, & circa os Coxendicis illinendam; item Mulieris terrefàctionem, & *cucurbitulas* majores cum flamma Inguini, Umbilico & ſub Mammis appoſitas. Uterus repoſitus firmandus eſt *fomentis adſtringent.* vel *injectionibus ex decoct. Gal. Fol. Querc. Cort. granat. & Fol. Alchimil. in Aq. Ferrar.* addito pauco *Alumine*, modò partes ſint indolentes & non excoriatæ; & pro uſu interno *Decoct. vulnerar. additis* 4. *Sem. cal. maj.* ne Flatus Inteſtina diſtendentes Uterum denuo prolabi faciant. Si uſurpentur *Peſſi* ſint parvi, ne fluxum album irritatione molis excitent. His add. *Suffit. ex Aceto, Succino, Thure, Maſtich. & Gum. Junip. aſtrum* item *Empl. ex Opopan. Galbano, Tacamah.* Umbilico aut Oſſi ſacro applicand. His irritis geſtetur ſemper (extra tempus congreſſus) *globus cereus lævis*, Vaginæ uteri intruſus, filo alligatus, quo extrahi commodè queat.

ART. II.

De Inflatione & Hydrope Uteri.

LÆditur *Conceptio*, quando depravatur & falſa eſt, ut in *Inflatione Uteri. Signa* autem *veræ conceptionis* ſunt orificii interni clauſura, Menſium retentio (niſi in ſanguine ſeroſiore aut turgidiore præditis, idque ſub primis geſtationis menſibus) horripilationes poſt Congreſſum, Pathemata hyſterica in Cacochymicis circa primos Menſes; Appetitus varius & dejectus, Vomitus matutinus, Gravitas capitis & dolor Dentium primo menſe, Tumor ſurſum tendens primò circa lineam albam apparens, prope medium geſtationis tempus, perceptio motûs Fœtus in principio ſubſultorii: Seroſiores quidem & debiliores minùs percipiunt ejus motum. Interea conſideranda eſt *Idioſyncraſia*, plerumque enim Mulieres certa habent ſigna ſibi propria, adeo ut quæ ſemel conceperunt, alio tempore vix falli poſſint.

Inter falſos conceptus occurrit *Inflatio Uteri* à flatibus in ejus cavo collectis. Uterus nempe inflatus ſenſim intumeſcit, cum menſium Suppreſſione, lacte in mam̃is, & tandem flatus erumpunt nunc confertim nunc ſenſim. *Cauſa* frequentiſſima eſt aër frigidus, ſuſceptus poſt partum vel abortum, item in uberiori Menſium fluxu. Diſtinguitur à vera conceptione in eo, quod Tumor non æqualis ſit, & ſucceſſivè accreſcens, ſed nunc major nunc minor pro flatuum vi elaſticâ; quod magna ſit moles cum levi pondere & renitentia inſtar Tympani. In *Cura* habenda eſt ratio digeſtionis primæ læſæ, uſurpando debita *alterantia* & *laxantia.* Hinc conducunt *Carminativa*, in ſpecie omnia *Caſtorina*, *decoct. Rad. Zedoar. Gentian. Matricar.* & *Fl. Cha-*

mom. item *Ol. deſtil. ſapphir. Chamom.* Externè *Fumus Nucis moſch.* per cannulam Utero exceptus, *Empl.* ex *Galban.* & *Tacamah.* malax. cum *Ol. deſt. Chamom.* vel *Fœnic.* vel *Cumini & Ceræ.* Ratione ſtomachi præ cæteris convenit *Decoct. Ling. Saſſafr.* cum *Carminativis*, & ab omni paſtu *Zedoar.* & *Cardamom.* cum *Elæoſacch. Caryoph. Mac.* &c.

Hydrops Uteri, ſeu liquor flaveſcens in ejus cavo contentus, diſtinguendus à *Molâ aquosâ*, affectu frequentiori, in quo liquor albus nonnihil viſcidus in membranis diſtinctis ſeu variis veſiculis coacervatur. Interdum hæc cum ingravidatione jungitur, ac ſubinde aliquot ſeptimanis ante fœtum effluit ſine noxâ; & oriri videtur ex abundantia liquoris chyloſi nutritivi, qui non totus in alimentum fœtus cedens talem *Molam* conſtituit; vel forſan ex lympha in vaſis lymphaticis obſtructâ. Oritur alias ex ſuppreſſis Menſibus vel Lochiis, inprimis in non Lactantibus; quo in caſu interdum per metaſtaſin materia ſeroſa in Omentum, duplicaturam Peritonæi, &c. transfertur. Diſtinguitur â verâ conceptione in eo, quod Tumor non anteriora verſus ſed æqualiter Abdomen occupet, quod abſint ſymptomata digeſtionis, &c. aut ſaltem circa medium geſtationis tempus non ceſſent, nec percipiatur motus Fœtus. In *Prognoſi*, poſt effluxum aquæ plerunque Ægri intereunt. In *Cura*, ſi adſit *Fœtus*, *diuretica* non ſunt tuta, ſaltem blanda *hydragoga* concedantur: Si abſit *Fœtus*, maturè dentur valida *purgantia* cum fortioribus remediis *Menſes ſtimulantibus*; & *Clyſteres fortiores* Vaginæ uterinæ injiciantur.

Læditur porrò *Conceptio* in *Superfœtatione*, quando una vice fœcundatur Ovulum in Teſtibus fœmineis à Spiritu genitali ſeminis maſculini, craſsâ ejus ſubſtantiâ penitus extra Uterum delabente: & poſt aliquot menſes aliud Ovulum de novo fœcundatur, quod ſuo tempo-

tempore alium fœtum ſuggerit vitalem. Succedit *Sterilitas* ab ovarii malâ diſpoſitione, anguſtiâ tubarum, defectu ſucci nutritii in Ovulo, laxitate Uteri aliiſque cauſis oriunda. In hujus *Cura*, præmiſſis univerſalibus, conducunt *Uterum confortantia*, & ad *Venerem ſtimulantia*; & externè *Thermæ* tam naturales, quàm *artificiales aromaticæ*, *formicatæ*, &c. Interdum læditur Conceptio à *Mola* ſeu informi ſubſtantia; quæ ſi Fœtum comitetur, expectandum eſt tempus excluſionis Fœtus; ſin ſecus, maturè expellenda eſt *remediis emmenagogis & Fœtum pellentibus*; præparato prius Utero per externa *emollientia & lubricantia*.

SECT. V.

De Morbis Puerperarum.

ARTIC. I.

De Lochiis retentis.

QUando in Partu ſeparatur *Secundina*, effluit ex Utero copioſus ſanguis, *Lochia* dictus, idque per plures dies, inprimis ſi nulla inſignis præceſſerit ſanguinis jactura Geſtationis tempore. Lactantes autem, & quibus alias parcius fluebant Menſes, minùs evacuant. Poſtmodum effluit liquor aquoſus ſanguine ſaltem tinctus, licèt ſubinde ſimpliciter aquoſus ſit, ad dies ſex vel ſeptem.

Imminutus Lochiorum fluxus horrores, rigores febriles, æſtum, dolorem, tumorem & duritiem Abdominis, Cephalalgiam, difficilem Anhelitum excitat, ex Grumeſcentia ſc. ſanguinis in Utero retenti. Ejus

cauſæ ſunt vel Triſtitia, Metus, aliaque pathemata ſpirituum impetum minuentia; vel aër frigidus in Utero ſanguinem coagulans.

Cura. Fiat *Venæſectio* in Pede, aut applicentur *Hirudines* labiis Vulvæ: Si fluant Lochia ſed non ſufficienter, applic. *Cucurbitulæ* Suris, vel interiori Femorum parti. Deinde propinentur *Menſes* & *Fœtum pellentia*, inter quæ eminet *Myrrha*, tam in *ſubſtantia* quàm *Eſſentia*; hinc miſtura *Timæi* ex *Myrrh. Caſtor. Succin.* & Croc. in convenienti vehiculo diutius. Item *Pulv. Zedoar. Elix. propr. ſ. aç. Spir. Sal. armon.* Egregium eſt *Decoct. fl. Chamom.* & *Cort. aurant. ſicc. in* Cereviſiâ. His addantur *grumos ſolventia*, *viz. Sperma* Ceti cum pauco Caſtor. item *Ocul. Canc.* cum *Aceto. Externè* illinatur Abdomen calidè ab Umbilico ad pubem *Oleo Cheiri*, add. *Ol. deſt. Succin. Junip. Spic.* Hinc imponantur duo *Sacculi calefacti* ex *Abſinth. Matricar. Menth. Puleg. Rad. Angel.* & *Sem. 4. cal. maj.* Et fiat *Suffitus* ex *Myrrh. Bdell. Succin.* & *inprimis Colocynth.* Si adſit Suppreſſio Alvi, injiciantur *Clyſteres acriores.*

℞. *Borac. Ven.* ℈ii. *Myrrh. gr. xiv. Croc. gr. vi. M.* Pro 2. *Doſibus.*

ART. II.

De Lochiorum nimio Fluxu.

L*Ochiorum fluxus nimius* vires in Partu debilitatas ulterius labefactat. Hujus cauſæ ſunt 1. Sanguinis turgeſcentia & corporis incaleſcentia, *v. g.* ex ſpirituoſorum Liquorum & Fœtum pellentium remediorum abuſu. 2. Sanguis ſeroſior aut acrior 3. Læſio Uteri, inprimis ex Placenta avulſa. 4. Irritatio Uteri à ſanguine grumoſo, vel fruſtulis Placentæ retentis, vel Mola.

Cura.

Cura. In ſanguinis turgeſcentiâ conveniunt *Venæſectio* in brachio, ut & *blanda acida*; in ejus ſeroſitate *ſudorifera*. In læſione Uteri *decoct. Chæref.* item *Plantag. Cydon.* aliaque *vulneraria blanda*. In irritatione Uteri ejiciantur irritantia potius per *aromatica*, *v. g. Biſtort. major. Puleg.* quàm per *Fœtum* validè *pellentia*. In genere in quocunque Fluxu conveniunt *Lap. Hemat. Coral. Bol. armen. Terr. ſigillat. aliaque martialia* & *terrea*; item *Troch. de Carabe* in *Vino auſtero acidulo*; *Coral. rub. cum ſucc. Granat. acid. recent. expr. Succ.* vel *Syr. Portulac.* In graviori Morbo egregia ſunt *Liq. Mart. ſolar. ad gt. x.* & *Tinct. ſulph. Vitriol. ad xxx.* & inſtar ultimi refugii *Alum. ad* ℈i. in *Conſerv. Roſ. r.* vel *Rad. Symph.* Externè pubi applic. *Aq. ſperm. Ran.* cum *Aceto*; & Lumbis *Catapl. ex Fulig.* cum *Acet. roſ.* & *Album. Ovor.* Item *Injectiones Decoct. Plantag. & Portulac* in *Aq. ferrar.* inprimis ubi ſuſpicio eſt Uteri læſi, fieri poſſunt. In ſanguinis orgaſmo applic. Mammis *Epithem.* frigida ex *Aceto*, *Aq. ſperm. Ran. ſuc. Semperviv. & Nitro*; vel *Cucurbitulæ cum magnâ Flammâ.*

℞. *Aq. tenell.* CC. ℥iii. *Suc. Cydon. rec.* ℥i. *Coral. r. præp.* ʒß. *Laud. Op. gr.* 1 ß. *Syr. Cydon.* ʒvi. *M. detur cochleatim in irritatione Uteri à grumis ſanguinis.*

ARTIC. III.

De Doloribus poſt Partum.

DOlores *poſt partum* ſunt vel *veri, qui Uterum*, vel *nothi* qui *Inteſtina*, *Meſenterium*, parteſque connexas per conſenſum afficiunt. *Verorum cauſa* eſt continuus ſpaſmus Uteri irritati. Cauſa autem irritationis Uteri eſt 1. Frigus externum ſanguinem grumefaciens. 2. Violenta Placentæ avulſio, vel Mola aut fruſtum Secundinæ in Utero relictum. His adde flatus qui dant do-

lores

lores diſtendentes, & in ſpecie Lochia ſupprimunt. *Nothi* ſunt nil aliud quàm tormenta *colica* & *illiaca*, oriunda ex ſpaſmis contentorum Abdominis, propter excreta & retenta ante partum, vel effuſionem ſuccorum in Inteſtina, ubi effervefcunt. In *Veris* loca magis inferiora affliguntur. In *Prognoſi*, ad Anxietates, Febrem periculoſam, Convulſiones, Deliria, Virium proſtrationem, diſponere hos dolores dicendum eſt.

Cura. In retentione ſang. grumoſi nil melius *Decoct.* & *Aq.Chæref.* cum *Sperm. Cet.* In læſione Uteri proſunt *Corall. blanda martialia*, & *Hæmat.* In genere confert *Pulv.* & *Spir. Secund.human.* Nobile eſt *Decoct.Eſſent.* & *Ol.deſt.ſaphir.Chamomillæ Rom.* Hinc *Zedoar.ad* ℨi. in *Vino calido*; *Caſtor. Sem.* 4. *cal. maj.* & in graviori malo parum de *Opio*, ubi Lochia non ſunt ſuppreſſa. Externè applic. abdomini *Fomenta* vel *Sacculi* ex *Artemiſ. Matric. Puleg.* & *Chamom.* in *Vino* coctis; vel *Liniment.* ex *Axung. Caſtor.* add. *Ol. deſtil. Spic. Succin.Cumin.Angel.* & *Zibetho*, modò poterit Ægra odorem ferre; vel *Empl. de Galban. malax.* cum *Ol. deſt. Chamom.* vel *Catapl.ſequens.* ℞.*Cep.iv. coq.in ſ. q. Aq. add. fl. Chamom. m.ii. Sem. Lin.* & *Cumin. contuſ. an.m.* 1. *Farin. Hord. q.ſ.cum Aqua dicta f.Catapl.* Si dolores oriuntur ex Inflammatione Uteri, optimus eſt *Suffitus* ex *Nuce moſch.* Si ſunt *Nothi*, curantur *Clyſmatibus carminat.* uti etiam *Zedoariâ.*

Contingit interdum *Tumor Pudendorum* & *Inguinum*, in quo caſu nil melius *Fotu* ex *Fl. Cham.* & *Samb.* in *Vino* coctis, vel *Catapl.* ex *Beccab. contuſa* cum *Fl. Cham.* calidè. Si in Partu lædantur Pudenda applic. *Linim.* ex *Ol. Hyper.* & *Roſ.* cum *integris Ovis.* Si contrahant fiſſuras, ℞. *Balſ. Peruv.* ℨiii. *Axung. Porc.* ℥iii. *Ol.vitel. Ov.* ℨiii, *Tereb.Ven.* ℨi. *M.* & cum plumaceolis impone *Fiſſuris.*

Si in Partu difficili rumpatur Vulva, inſperg. rimæ *Pulv. Conſolid. maj.* & blandè illinantur *Balſ.Per.* & *Balſ. Sulph.*

Sulph. Tereb. cùm *Album Ovi.* Hinc anſulis applicatis & invicem connexis ad ſe ducantur labia Vulvæ ruptæ. Si neglecta ruptura cicatricem induxerit, abſcindatur Pellis cicatriſata, deinde per filum acu transfixum firmius jungantur Labia; hinc impon. ſeq. Balſamum.

℞. *Gummi Elem.* ℥ii. *Terebinth. Ven.* ℥iii. *Ol. Hyper.* ℥iiß. *Sangu. Drac. Myrrh. an.* ʒi. *Liqueſiant omnia & fiat l. a. Balſamum.*

ART. IV.

De Lypothymia, Diarrhœa, & Incontinentia aut Suppreſſione Urinæ in Puerperis.

L*Ipothymiæ* in & poſt partum *Paſſiones hyſtericas* præcedunt, adeoque ocius removendæ *Spir. Sal armon.* & *Liq. CC. ſuccin.* in vehiculo calido. Sin verò *Paſſio hyſterica* cum imminente morbo acuto complicetur, cauti ſimus in *Remed. volat.* exhib. adeoque conveniunt potius temperata ex *Myrrh. Caſtor. Sal. Card. b.* &c. Anxietas ſtomachi & præcordiorum, quæ paſſionem hanc comitatur, diſtinguenda eſt ab anxietate illa cum difficili anhelitu juncta, quæ Puerperium, propter pectus repletum, & vitiatam ſanguinis fermentationem præcedere ſolet.

Diarrhœa ſuperveniens Lochiis rectè fluentibus, *blandis ſudoriferis*, & *ſtypticis* compeſcenda; ſi verò Lochia ex parte vel ex toto ſuppreſſa ſunt, relinquenda eſt, quia ſæpè per *Diarrhœam* evacuantur *Lochia.* Si *Diarrhœa* juncta ſit Morbo acuto ſeu maligno, ſiſtenda eſt per *ſudorifera fixa*, addito pauco *Laud. op.* hinc *Styptica quoque jungenda.*

Si Sphincter Veſicæ in Partu lædatur, ſequitur *Incontinentia Urinæ*, ſæviſſimum ſymptoma; quod ſi inveteratum eſt, niſi forſan *Thermæ* aliquid conferant, incurabile eſt, inprimis ſi cicatricem contraxerit ſphincter

ab

ab Obſtetricum unguibus dilaceratus. Si recens eſt, conducunt *Injectiones* & *Linimenta vulneraria*, ſpeciatim *Buſon. vivi* in *olla rec. calcinati*, & Stomacho appenſi.

Grumi ſanguinis, in Vagina vel aliis locis hærentes, curantur per *interna grumos diſſolventia*, *Clyſmata acriora*, & *Ol. Scorp.* externè illitum.

In vagis poſt Partum doloribus ſæpè ſufficit *Ung. ex ſperm. Cet.* cum *Ol. Nucis moſch. exp. Cera* & pauco *Croco* calidè Abdomini applicatum.

ART. V.

De Febre lactea, Morbis acutis & Purpurâ Puerperarum.

LAc in mammis congeſtum tertiâ vel quartâ die æſtum febrilem infert, qui terminari debet per Sudorem & Lochiorum fluxum, hinc convenit *Antim. diaph. & Myrrh.* item *Emulſ. ex ſem. Cardui ben.* & *Napi* cum *Myrrh.*

Morbi Puerperarum *acuti* utplurimum ſunt *maligni*; in quibus reſpiciendum ſedulò ad Lochiorum fluxum, & ad primas vias, quarum ſucci ex retentis menſibus alterati & circa Partum commoti, varia Abdominis ſymptomata inferunt. Si ſupprimantur Lochia, ocyus revocanda; ſi jam rectè fluxerint & fluere deſierint, ſudor provocandus eſt. Cavendum etiam, ne Lochiorum nimius fluxus malignitatem augeat. Conveniunt itaque in genere *ſudorifera* additis blandè *Lochia ſtimulantibus*, ne nempe diaphoreſi ſupprimantur; aut ſi nimis fluant, *adſtringentibus*. In penitus ſuppreſſis, fortiſſimè provocandus ſudor per *fixa ex Antimonio*, *myrrhata*, *ſuccinata*, CC. &c. Inprimis *Cinnab. Antim* cum *Sal. vol. Succin. & Sal. vol.* CC. In his enim Febri-

Febribus primùm curationis punctum conſiſtit in Sudoris legitimâ provocatione. Purgantia noxia ſunt, imò & *Clyſmata*, adeoque 2do vel 3tio Puerperii die, ſi ſuſpicio eſt, imminere Morbum malignum, eluantur primæ viæ *v. g. Pil. Peſtil. Ruffi. Venæſectio* nociva eſt, niſi in ſanguineis Juvenculis mox in principio ſuppreſſa Lochia eam in talo poſtulent, præmiſsa *Ven. S.* in Brachio. Siquidem Lochia ſuppreſſa ſint, præmiſsâ *Ven. S.* conven. *grumos diſſolv.* & effuſo ſudore ſubinde *Lochia ſtimulantia*, *v. g. Myrrh. Caſtor. Sperm. Cet.* Ad ſitim tollendam acida Utero inimica & Lochia ſiſtentia, minùs conveniunt; præſtant itaque blandiora ex *Infuſ. fl. Viol. Cyan. & Aquileg.* in *Aq. Card. b.* cum *pauco Spir. Sulphuris.*

Inter omnes Puerperarum *Febres* peſſimæ notæ eſt *Purpura*, partim ex Scorbuto oriunda, unde *Antiſcorbutica* inſigniter promovent excretionem. In tempore ebullitionis, conven. *compeſcentia & blandè diaphor.* addito tantillo *Myrrhæ* vel *Salis* alicujus *vol.* Ubi imminet excretionis tempus, convenit *Cinnab. Antim.* CC. *Diaph. ſolar. Bezoard. miner.* cum parca quant. *Salis vol.* CC. *& Succini.* In progreſſu egregia eſt *Tinct. Corall. antiſcorbutica*, vel ſeq. mixtura. ℞. *Aq. Scord. Scorzon. an.* ℥iß. *Spir. Cochlear.* ʒiß. *Magiſt. Coral. cum Suc. Citr.* Antim. *diaph. an.* ʒß. *Syr. de* Calend. ʒvi. *M. cap. cochleatim.* Tandem *Emulſ. ex Sem. Card. ben. Nap.* Aquileg. *& Citr. cum Myrrh.* quæ potenter expellunt. Cautiſſimè interim à frigore caveatur, hoc enim dfficilem Reſpirationem, Anxietatem, Diarrhœam, &c. inducit. Si incipit prurire purpura, & ſub forma ſquamarum decidit, continuantur *Remedia antiſcorbutica.*

SECT. VI.

De Vitiis Lactis.

MAteria *Lactis* eſt Chylus ex ſanguine arterioſo per glandulas Mam̃arum tranſcolatus, & à Lymphâ acidulâ præcipitatus. Vitiatur autem, quando deficit, abundat, aut corrumpitur. *Deficit* in nimis macilentis ex defectu alimenti, in uberius per Lochia purgatis, nimio ſudore aut potu, mammarum Scirrho, aut nimia adſtrictione, cùm Fœminæ pectus conſtringunt, aut externa adſtringentia admovent; item in Suctionis defectu. Curatur *Lactis defectus* exhibendo *victum chyloſum*, *Decoct. fl. Sambuc* in *Lacte Vaccin. Decoct. ſummitat. & ſem. Fœnic.* item *ſem. Aniſ.* & ejus *Ol. ſtill.* Egregius fit *Pulvis* ex *Lactis Lun.* ℈ii. *Cryſtal. præp.* ʒi. *Ol. ſtill. Aniſ. Fœnic. an. gutt. ii. M. F. Pulv. pro 2. doſ. cap. in decoct. Fœnic.* Externè applicantur *Fomenta emollientia*, quo facto fricentur Mammæ moderatè cum pannis aſperis.

Lactis nimia Abundantia oritur ex uberiori alimentorum digeſtione, laxitate glandularum copioſarum, & volatili acido lac ex Maſſ. ſanguin. præcipitante. Subinde dolores in axillis & dorſo infert, unde & Mulieres utero gerentes dolorem dorſi patiuntur, qui evaneſcit ſub Lactis per Mammas exitu. Licèt in ſe non ſit malum, curanda eſt tamen, ne Lac in mammis coaguletur. Pro quo ſcopo conven. *Sem. Vitic. Coriand. & Myrrha.* Externè *Catapl. ex Pulv. Cumin.* cum *Aceto*; item *Fotus ex Rad. Ap. Sem. Cumin.* & *Coriand. in Aceto & Vino* coctis, addito pauco *Alumin.* Eminet *Alſin. contuſa*; item *Cicuta* & *Mentha* recenter contuſa & Mam-

mis

mis applicata. Conducit etiam Lac emulgere in ferrum candefactum. Dicta *Lactis proventum* impediunt: Sin verò hactenus *genitum* ſit *Lac*, continuetur blandus ſudor, & tegantur integræ Mammæ *Emplaſtro de Sperm. Cet. Mynſ.* Applicentur etiam Sacculi pollicis craſſitie interpaſſati ex *Coryzâ* vel *Milio* contuſo, probè calefacti crebrius repetendo; ſic enim Lac fluidum manet & ſponte per papillas emanat.

Corrumpitur *Lac* inprimis in *coagulatione*, quæ oritur ab aſſumptis vel applicatis acerbis auſteris, diutiori in Mammis retentione, Spirituum defectu in animi pathematibus eorum motum turbantibus; ſic enim acidum Lactis fit manifeſtum. Diſtinguitur Tumor coagulationem ſequens, à Tumore ſeu diſtenſione à Lacte nimio; in eo, quod Mammæ diſtenſæ æqualiter duriſſimæ ſint; Tumor autem coagulationis inæqualis *eſt*, nunc ſimplex, nunc duplex aut triplex, in principio ſine dolore.

Cura. Lac nondum concretum ocyus emulgeatur, ſaltem exſugatur; deinde propinentur ſudorifera volatilia, inprimis *Spir. Sal. armon.* probe rectif. ad ℈i. Ubi ſudaverint, mox imponatur calidè integræ mammæ *Empl. de Galban. crocat. Mynſ.* cum ana *Gum. Ammon.* cum *Sacculis* jam dictis. Niſi ſic diſſolvatur coagulatum, intra 2 vel 3 dies ſupervenit *Inflammatio* cum rubore & ſenſu pulſationis, quo in caſu fruſtraneus eſt diſcutiendi conatus; ſed promovenda eſt ſuppuratio internè per ſudorem provocatum *Oculis Canc. Myrrh.* & *Sal. Card. b. Externè* fovendo Mammas calidè cum *Spir. Sal. armon.* ex *Calce viva* & *Sp. Vini* parato, additis *Croco* & *Caryophyllis*, dein imponendo dictum *Empl.* vel *Empl. Diachyl.* cum *Gumm.* Si appareat Tuberculum & omnia ſub eo ſint molliora, aperiatur cultello. Alias promoveatur ulterius ſuppuratio *Cataplaſmate* ex *Rad. Ireos Cep. aſſat. an.* ℥iii. *Ferment.*

℥ii. *Vitel. Ovor no.* iii. *Axung. porcin. rec. ſine ſale*, *Ol. Roſ. Farin. Fab. Sem. Lin. an.* ʒi. *M. Cataplaſmata ex Mica panis* cum *Lacte & Succ. Apii*, faciunt dolores. Factus *Abſceſſus* mundificetur inſtillando *Ol. Momord. per infuſ.* vel *Balſ. Sulph.* cum *Ol. Papav.* ſeu *Amygd. d.* Diſtinguenda Inflammatio vulgaris Mammarum ab *Eryſipelate*, ſubitò poſt Terrorem, &c. ingruente, primò cum horrore, poſtea gravi æſtu, mammâ rubrâ, calidâ, coccineâ, & dolore lancinante, pungente in ejus ſuperficie. In quo caſu emulgeatur Lac, propinentur, dum calor durat, *ſudorifera fixa* ex *Antim. diaph. Sal. Card. bened.* CC.*ſ. igne*, &c. Externè applicentur crebro *Sacculi* interpaſſati ex *Fl. Sambuci*, irrorati *Sp. Vini rectif.* & ſuffumigati *Pulv. Succin.* & *Thuris*. In graviori malo applicetur *Empl.* ex *Theriaca* cum *Sale Abſinth*. Item *Roob. Sambuci* calidiſſimè, repetendo omni hora. Interea ſedulò provocetur Sudor, inprimis in Mammis, linteis calefactis probè tegendo, &c. Sin fuerit Inflammatio Mammarum ex *aliis cauſis*, diſſolvatur ocyus applicando *Papyrum cæruleam*, prope calorem, qui eſt ex lebete, *Melle virgineo* illitam. In gravior malo *Catapl.* ex *Farin. Fab. Lupin. & Lentium* in *Aqua & Aceto* coctis, addito pauco *Album. Ovi.* Quando ſuperveniunt Scirrhi, indolentes ſunt, ſi à cauſa externa, interdum verò dolentes, ſi ab interna pedetentim procedant. Hi ad *Cancrum* degenerant, adeòque relinquendi, ne exaſperentur: illi curandi, fovendo Mammam *Aceto* ſuper Lateres calefactos effuſo, & dein applicando *Empl. de Ran. cum Mercurii duplo.* Item ℞ *Diachyl. cum Gum. Empl. de Melil. Ceroti ſantal. an.* ℥i. *Gum. ammon. in Aceto ſolut.* ʒvi. M. & impone.

TRACT.

S E C T. VII.

De Regimine Fœtus, & Morbis Infantum.

FOetus ablutus aſſumat *Ol. Amyd. d.* cum *Sacch. penid.* vel *Syr. de Cichor.* cum *Rhabarb.* ut ejiciatur mucus ſtomachi & meconium, aliàs Lac inquinantia. Poſt *xxx.* horas (vix prius) ſugat *Coloſtrum Matris*, quod laxativum eſt & ſordes primarum viarum abſtergit. Sit Lac mulieris ſanæ; nulla autem ex odore, ſapore, colore Lactis petenda ſunt ſigna. Lactabit Nutrix annuo ſpatio, idque utraque mammâ, & vitando candelas aut feneſtras ad latera, aliàs luſcioſus evadit Infans. Ablactetur denique ſub incrementum Lunæ tempore vicario intra magnos Mundi cardines. *Morbi*, quibus obnoxii ſunt *Infantes*, originem trahunt ex quatuor *Cauſis*, nempe *retentione Meconii*, *inhibita tranſpiratione inſenſibili*, *vitiis Lactis*, & *Erratis Pultis*. De his ordine dicendum.

Meconium in Inteſtinis craſſis, & recrementa variegata in Ventriculo & Inteſtinis tenuibus, alvum adſtringunt, Lac corrumpunt, & ejus diſtributionem impediunt, Tormina & Epilepſias inferunt; adeoque partim vomitu, partim ſeceſſu expurganda veniunt. Præ cæteris recrementis malè audit *Meconium*, ſeu crudus caſeus à ſubſtantiâ nutritivâ ſeparatus, acore ſtomachi infectus, à Bile colorem ex nigro virideſcentem trahens, & in cellulis Inteſtinorum ſub mora firmius coagulatus.

Tranſpiratio inſenſibilis ſummè neceſſaria eſt Infantibus, cùm copioſo ſuſtententur nutrimento. Impeditur autem præcipuè à cruſtâ viſcidâ illorum corpora

obducente, à liquore nutritivo, in quo natârunt, ortâ. Hæc enim inhibet tranſpirabilia, adeo ut ſub poris Cutis ubique hærentia, cum ſint naturæ ſalinæ, acrimoniam facilè contrahant acido ſalſam, unde cutanei Affectus efflorescunt, nutrimentum partium corrumpitur, & harum fermentum nativum deſtruitur, inprimis ſi concurrant digeſtionis primæ aut Lactis vitia. Si hæc enim abſint vitia, temperata magis & pinguia ſunt retenta, quæ putrefacta ſuperveniente Alcali in animalcula pedetentim emergentia degenerant.

Lactis Vitia ſunt varia, 1. *Quando alienum eſt*, unde vitia tam materialia quàm moralia in Infantibus oriuntur. Cùm enim in omni Muliere ſpecialis ſit fermenti ſtomachalis differentia & idioſyncraſia, Lac Mulieris alienæ in Stomacho Infantuli, lacte ſuæ matris aſſueti, alterationem infert, digeſtionem turbat, & diſtributam craſin ſanguinis exindeque fermentum vitale & animi mores immutat. Accedit quòd Matrum opiparè viventium Lac nutritivum ſit, illud autem Nutricum pauperculärum, & quibuſcunque eduliis avidè veſcentium cacochymicum exiſtat. 2. *Quando morboſum eſt*, notum enim, Lithiaſin, Scorbutum, Luem venereamm, & quæcunque Semina morboſa ex Nutrice laborante in Infantem derivari. 3. *Quando etiam nimis nutritivum, pingue & butyroſum* eſt, inprimis in principio; Infans enim tenui nutrimento in Utero aſſuetus, *Lac ſpiſſius & magis coctum* digerere nequit, unde coagulatur Lac in Stomacho, & cruditati acidæ promptiſſimam ſuggerit occaſionem. Commodè itaque Natura *Coloſtrum* ſuppeditavit, quod ſeroſitate ſuâ ſalinâ Stomachum, Inteſtina & Vias urinarias abſtergit, & ſimul primis quatuor diebus tenuitate ſuâ nimium negotii Stomacho faceſſit, donec Lacti ſucceſſivè pingueſcenti adſueſcat; propinent ergo Matres ſuis Infantibus *Coloſtrum*. 4. *Quando ſuperfluè ingeritur*, ad quemcunqu[e]

cunque ejulatum Mammas admovendo, & priori lacti adhuc crudo ſubacido nondum concocto recens affundendo, unde grumeſcit, & pylorus irritatus aut vomitum excitat, aut pertinaciter ſe ſtringit: & hinc in Stomacho retenta in liquamen putridum, nidoroſum, vireſcens degenerant. 5. *Quando depravatur per malam Nutricis diætam*, idque 1. per aſſumpta acida, quæ Lacti veſtigia ſua, utut abſcondita, relinquunt, unde Tormina originem habent. Hinc Gravidæ acida ingerentes Fœtum nanciſcuntur epilepticum. *Vinum* itaque non ſemper prodeſt; quin & *Caſeus*, *Cereviſia* non ritè fermentata, *Fructus horæi*, *Muſtum*, *Pruna*, aliáque facilè aceſcentia, licèt Nutrici innoxia, Fœtui Tormina & Diarrhœas torminoſas excitant. 2. Per Affectuum exorbitantiam, Terrorem, Iracundiam, Lac inſpiſſantem, & Epilepſiam promptiſſimè in Fœtu producentem. 3. Per fermentationem menſtrualem, item fœcundum coitum, horridam impreſſionem Lacti inſinuantem, & Stomachum Tenelli adeo lædentem, ut coagulum Lactis, Caſeum nempe, per totam vitam abhorreat.

Errata Pultis. 1. Quando paratur Puls ex farina cruda cum Aqua vel Lacte ſubactâ; unde fit Pulmentum craſſum viſcidum aceſcens, & Lac matris butyroſum coagulans. 2. Quando Mulieres cacochymicæ pultem ſalivâ propriâ imbuunt, & poſtea in Os Infantis intrudunt; Salivæ enim talis eſt vis fermentativa, ut promptiſſimè quoſcunque Morbos propaget.

Patet itaque in genere, *Cauſam proximam* Morborum Infantum eſſe *acidum vitioſum* in primis viis peccans. *Lac* enim & *Puls farinacea*, quibus veſcuntur, citiſſimè aceſcunt, & licèt Mater ab acidis abſtineat, ſatis tamen eſt acidi in Pane & Cereviſia, quibus neceſſariò utuntur, quod, utut per ſe innocuum, datâ occaſione ſe exſerit, & Infantem lædit. Verum eſt quidem, Lac

alias etiam larvas induere, quatenus nunc in Stomacho nunc in Inteſtinis à Bile & Succo pancreatico diverſimodè alteratur, utut frequentiſſimum ejus vitium ſit coagul m acidum.

Hoc *acidum* membranas Inteſtinorum lædens & lancinans, *Tormina*, quæ ſubinde prodromi ſunt *Epilepſiæ*, excitat, unde ejulatus, & excrementa alvi acidum ſpirantia & viridia, ex acido nempe cum Bile permiſto. Subinde excrementa ſunt tantum grumoſa, ſeu caſeoſa materia Lactis ab acido coagulati; ſubinde virorem non contrahunt, donec extra corpus aliquamdiu aſſervata fuerint, partim quia acidum in corpore in Bilem non ſufficienter egit, propter Lac continuò affluens & acidum temperans, partim quia finis eſſerveſcentiæ & præcipitatio (unde viror) nondum facta eſt, donec aër externus accedat. Grumi Lactis viſcidi Pylorum obſtruentes *Apepſiam*, & eundem irritando *Vomitus* ſalubres, licèt debilitantes, inducunt. Sin verò ſine Vomitu in Stomacho hæreant, inſtar paſtæ aceſcunt, *Flatus* producunt, & ex horum impetu *difficilem Reſpirationem*, *Inquietudines*, *Anxietates præcordiorum*, *Contractionem pectoris*. Ex hoc fonte deducendæ ſunt *Inflationes Hypochondriorum*, non ſecus ac *Flatus* & *Symptomata hypochondriaca* ex acido viſcido, vitio digeſtionis primæ, oriuntur. Si hoc *viſcidum* acidum circa ſuperius Stomachi orificium ſtabuletur, per conſenſum Diaphragma irritat, unde oritur *Singultus*, ſubinde pertinax. Si in cavo Stomachi fluctuet, orificium ejus ſuperius, & ſub inſpiratione Diaphragma irritans halitibus acrioridus, *Tuſſim* infert *ſtomachalem*, *humidam*, ſubinde non ceſſantem niſi ſuperveniente vomitu. Rara eſt Infantum *Tuſſis ſicca*, niſi interdum in inclementia aëris. *Aſthmata* etiam Infantum ex Ventriculi cruditatibus oriuntur; ut & *Tuſſis Dentitionem laborioſam ſequens*, ratione nempe Salivæ copioſioris in Stomachum deflu-

defluxus, digeſtionem primam onerantis. Si cruditates Stomachi blandiores ſint & dulciores, in Lumbricos abeunt. Semina enim Inſectorum, in Farina & Lacte incluſa, ſub debiliori Stomachi digeſtione non ritè ſubacta, concurrente blando loci tepore vivos emittunt Fœtus. Accedit temperata Bilis acrimonia, aliàs ſuccos à putredine defendens, in Infantibus deficiens. Mucus hic acidus viſcidus loco nutrimenti diſtributus, Inteſtina incruſtando, aut oſcula & ductus Lacteorum obſtruendo, aut Glandulas Meſenterii infarciendo, *Abdomini Tumorem* & *Atrophiam*, ex denegato nutrimenti tranſitu, infert, utplurimum cum alvo laxiori. Si in Maſſam ſanguineam diſtribuatur, *Febres lentas* veſperi exacerbantes, & Lympham vitiando *Tumores glandularum* & *Affectus Catarrhales* inducit. Lympha hoc pacto viſcidior & acida exiſtens, non ſolùm Tumores glandularum ratione conſiſtentiæ, ſed & ratione acredinis *Pruritum*, hinc *Puſtulas*, *Favos*, *Tineam*, *Cruſtam lacteam* & *Furunculos*, in corpore infert; inprimis circa caput & collum, ubi copioſæ ſitæ ſunt Glandulæ; accedente interim ipſo partium nutrimento, non ritè aſſimilabili, ſed volatili acore prædito. Hæ defœdationes, inprimis Capitis, ſi materia acrior & tenuior ſit, in Ulcuſcula ſanioſa degenerant; ſin verò viſcida & minus acris ſit, in Cruſtas abeunt craſſiores, & ſemper ferè his Affectibus externis, Glandularum Capitis & Colli & Parotidum Tumores junguntur; ſi inſequantur aut recidivam, aut pejorem Affectum denunciant. *Cruſtæ lacteæ* quoad faciem externam ſimiles ſunt *Variolæ* & *Morbilli*, quorum cauſa eſt corruptum Lac, & acor viſcidus tam in Utero, quàm extra Uterum Infantem inquinans; qui commota occaſionaliter Maſsá ſanguin. ſucceſſivè quaſi coagulando efferveſcentias excitat, febriles, donec ſuccus inquinatus per vaſa capillaria beneficio Glandularum miliarium excernatur, in

Puſtulas coacervetur, ubi ulterius effervefcendo in pus abeat, quod in cruſtam ſquamoſam deſinit. *Pavor Infantum in ſomno* oritur ab acido hoſtili, nervos tenellos & ſubtiliores facilè irritante, adeo ut ex horum momentaneo uſu totius corporis inſequatur concuſſio, Unde hic *Pavor Epilepſiæ* prodromus eſt, & quo propinquiores ſunt partes fonti acido, in Stomacho, Inteſtinis & Glandulis Meſenterii ſtabulanti, eo citius Convulſionibus epilepticis corripiuntur; hinc ramificationes paris vagi & intercoſtalis priùs afficiuntur, atque Tormina Abdominis ſuperveniunt; donec repetita talia Pathemata in partibus internis, reliquum ſyſtema nervoſum in partibus etiam externis, mediante ſpirituum motu exploſivo, afficiendo *Epilepſiam univerſalem* producant. Ulcera autem acidum ad extra derivantia epilepticos Infantes liberare ſolent. *Febres Infantum acutæ* oriuntur ex corruptione Lactis internâ aut obſtructione Pororum Cutis externa. Nam præter cruditatem acidam lactis & pultis, datur etiam nidoroſa cum flavis excretis, non à Bile tingente, ſed à multiplici Lactis corruptione colorem nactis. Hæc autem cruditas Maſſam ſanguineam alterat eo citius, quo minùs tranſpirant Infantes propter neglectum Balneorum; item Linteaminum & aëris debitè calidi uſum.

Cura. Quoad quatuor *Univerſales* morborum *Fontes*: 1. *Meconium* expurgat *Coloſtrum*, vel hujus defectu tantillum *Mel. roſ.* item *Pulp. Paſſul.* cum ana *Syr. de Cichor.* cum *Rhabarb.* add. *Coral. & Ocul. Canc.* item *Syr. de Spin. cervin.* paratus cum *Melle* loco *Sacchari* ſed cautè, add. *Ocul. Canc.* 2. *Tranſpirationem* promovent *Balnea Aquæ dulcis*, addito *Sapone* & ſubinde *Lixivio communi*, quod beneficio ſui alcali etiam Affectus cutaneos præcavet. Iteretur balneatio, aliàs flavi evadunt coloris, item Febribus & Affectibus cutaneis obnoxii redduntur. 3. Emendentur *Lactis vitia*, de quibus ſupra.

4. *In*

4. *In pulte paranda*, loco *farinæ*, ſumatur *Panis ſimilagineus exſicc.* probè tritus cum *Lacte* vel *Aqua*, addito *Vitello Ovi* & *Sem. Aniſ.* & non nimia quantitate propinetur. Ratione *Succi acidi, viſcidi, pituitoſi, ſeroſi*, &c. hactenus geniti, mox à nativitate propinetur *Spir. Sal. armon. aniſat.* & *caryophyllat.* item *Liq. CC. ſuccin.* in *Lacte nutricis*, vel *Aquâ*, vel *Syrup. Menth.* aut *Fœnic.* Nec metuatur, licet mirè mutentur Infantes ſub hujus uſu, mox enim ad ſe redeunt. Accedunt alia *aromatica vel oleoſa*; inprimis *Sem. Aniſ. à* ℈i. *ad* ʒß. hinc *Caſtor. Myrrh. Eſſent. Myrrh.* cum *Spir. Sal. armon. parat. Elix. propr. ſ. acido*; item *Theriac. vel Mithrid. ad gr.* 1. *vel* 2. Hiſce *acida corrigentibus* addantur *fixa acidum* abſorbentia, viz. *Ocul. Canc. Margarit. Coral. r. CC. ſ. igne Ebur. Lap. Bez. Unicornu, Dens Hippopot.* & his jungatur parca doſis *Salis vol. CC.* vel *Sal. vol. Cran. human.* Temperatus ſic & reſolutus Succus acidus viſcidus foràs eliminetur per *Clyſmata* ex *decoct. Chamom.* acuata *ſale Tartar.* & in Affectibus doloroſis ex *Lacte* cum *Terebinth.* & *Vitel. Ovi*; interdum neceſſaria ſunt laxativa ex *Syr. de Spin. cerv.* vel *Pill.* tribus aut quatuor *muſcerdæ*; item ex *Jalap. pulv. gr.* 3. vel 5. cum triplo *pulv. CC. præp.* Purgatio Infantis mediante Nutrice incerta eſt. *Scammonium* nimis acre eſt, atq; *Manna* nimis fermentativa. Si *vomitus* poſtuletur, ſufficit *Pulv. Rad. Ireos fl. ad. gran. aliquot*; vel *gut.* 8. aut 10. *Syrup. emet. Angeli Salæ in Aq. Menthæ.*

℞ CC. *ſ. igne* ʒß. *Sal. Card. b. gr.* xv. M. *pro duabus doſibus exhibendis, blandè ſudorem expectando.*

℞. *Ocul. Cancr. præp.* ʒß. *CC. ſ. igne Coral. r. an.* ℈i. *Sal. Card. b. gr.* xii. *Thur.* gr. x. *Ol. deſt. Aniſ.* gutt. vi. *Miſc. F. pulv. in Lacte, Pulte, vel alio vehiculo propinand. Loco Salis Card. b. addi poſſet Sal. vol. CC.* vel *Cran. humani.*

℞. *Decoct. fl. Chamom.* ℔ i. *Mell. rutac.* ℥ß. *Salis Tartar.* ℈i. *Ol. deſt. Aniſ.* gutt. iv. *f. Enema.*

Quoad *Morbos Infantum in ſpecie*, *Tormina* cum *flatibus* aut *excretis viridiuſculis* levantur per *Pulverem compoſitum ſupra præſcriptum*, augmentando doſin *Ol. Aniſi*, addendo *Caſtor. Theriac.* aut *Mithrid.* & his irritis *Spiritum* aut *Sal. vol. C. C.* Egregium eſt *Aurum fulmin. ad* gr. i. *vel* ii. ad *Tormina*, & hinc *Epilepſiam* amovenda. Propinentur hæc in *Lacte* vel *Aq. ſi. Til.* aut *Ceraſ. nig.* Interea alvus ſervetur aperta per *Clyſmata* ex *Lacte* & *Terebinth.* ſi excreta ſint tenuia, liquida, plus minus flava & podicem excoriantia; ſi verò viſcida ſint, ex *Decoct. Chamom.* cum *Sale Tartar.* Accedunt *inunctiones* ſcrobiculi Cordis & Umbilici, *Oleis deſt. Carvi*, *Cumin. Fœnic. Aniſ. Chamom. Cort. Aurant.* & *Ol. Chamom. vulgari*, vel *Ol. Nuciſt. expr.* pro corpore; ſi tenacior ſit mucus & ſimul inflentur hypochondria, conveniunt *Unguenta* ex *Gummi ammon.* in *Aceto ſolut.* cum *Terebinth. Sevo hircin.* & *Butyro non ſalito.* In *Vomitu* conduc. *Pulv. Nuc. moſch. Coral.* & *Caryoph.* in *Aq. Cinamom* item *Theriaca iuternè* & *externè*; ablactatis convenit *Decoct. Caryoph. ad* ʒß. & *Maſtich.* *ad* ℈ii *in Vino.* Externè *fruſtulum Panis Vino Malvatico ebrium*; vel *Ol. deſt. Macis*, *exceptum Oleo Nuc. Moſch. expr.* regioni ſtomachi imponatur. Obſervandum autem, Vomitum ſinendum eſſe, donec mucus & latex vitioſus evacuati fuerint; inprimis ſi ſtertor anhelando audiatur. In *Tuſſi ſtomachali*, *difficili Reſpiratione* & *Aſthmate* præmittatur *Vomitus*, hinc propinetur *Syr. de Nicot.* vel *Syr. de Eryſ.* cum *Aq. Hyſſ.* & *Menth.* vel potius *Succus per deliquium* ex *Raphano excavato* & *Saccharo* repleto. In *Tuſſi pectorali* à lymphâ acriori vel aëre, optimum eſt *Sperma Ceti* in *Juſculo calido* ſolut. item *Spir. Sal armon.* præcipuè ubi dentitio Tuſſim excitat. In *Affectibus catarrhalibus* & hinc *Tuſſi ſicca*, omnibus præferatur *Liquor CC. ſuccin.* & externè inungatur plantæ pedum cum *Pinguedine Lucii piſcis.*

cii piſcis. In *Singultu* conducit *Vomitus*, hinc *Pulv.* ex CC. *uſt.* & *Coral. præp.* cum *Ol. deſt. Aniſ.* aut *Caryoph.* nec omittenda *Theriaca*, *Aniſum*, *Caſtoreum*. *Vermes* proliciunt *Clyſmata* ex *Lacte* & *Sacchаro*; internè necant *Decoctum Mercur. vivi in Aq. Aſpar.* vel *Graminis*; item *Mercur. dulc.* hinc CC. *ſine igne*, *Myrrha*, *Sal vol.* CC. *Liq.* CC. *ſuccinatus.* Externè applicetur *Aloë hepat.* cum felle Tauri, ſuperimpoſitâ veſicâ bubulâ. In *Atrophiâ* conveniunt *Salia volatilia* ob ſtructos meatus reſerantia; poſt ablactationem dantur *Liqu. Terr. fol. Tart. Tinctur. Vitriol. Mart. tartariſata*, & *Tartarus vitriolatus Tachenii.* Externè illinatur *Unguentum* ex *Gum. ammom.* ſupra laudatum, vel *Ung. martiat.* cum *Ung. Alth. comp.* & *Ol. Philoſophorum.*

In *Affectibus cutaneis* conveniunt internè *Sal. vol. Viper. Pulv. Viper. Liquor.* CC. *ſuccin. Tinctur. Antim.* Externè vitentur *Mercurialia*, quia ſubinde ad Epilepſiam diſponunt; item *Decocta* vel *Unguenta* ex *Nicotianâ*, quia vomitus & ſeceſſus cum Lipothymiis ſubinde excitant. Præferantur itaque *Linimenta ſaturnina* & *ſulphurea* cum *Sale Tart. v. g. fl. Sulph.* excepti *Unguento de Ceruſ.* vel *diapomphol.* cum ſ. q. *Ol. Nicot.* vulgari; item *Unguentum Panarol.* ex *Sulphure*, *Axung. porcin.* & *Succo Limon.* In ſpecie ſi *Ulcera* ſint *manantia*, abſtergantur Linteis *Aquâ Sperm. Ran.* imprægnatis, & inſpergatur *Pulv. Cret. Lact. Lun. Myrrh.* cum tantillo *Sal Tartar.* vel, quod melius, pulv. præcipitatus ex *Vitriolo Martis* ſoluto cum *Sale Tartar.* probè ablutus & exſiccatus. Si *Ulcera* ſint cruſtoſa, illinantur *Ol. Tart. per deliq.* cum *Ol. Amygd. d. exp.* Si Tinea ſit cruſtoſa cum copioſis pediculis dicto *Linimento* addatur *Ol. deſt. Spic.* vel loco horum ſufficit Lixivium non nimis acre Spongiâ admotum.

In *Variolis* & *Morbillis*, pro earum expulſione, convenit *Emulſ.* ex *Semin.* expulſivis, cum *Aq. fl. Samb.* & *Sabioſ.*

Scabioſ. add. pauca *Myrrha.* Nunquam negligatur *Myrrha*. Egregia eſt *Eſſentia* ex *Caſtor.* & *Asâ fœtid.* cum *Tinct. Tart. comp.* hinc *Succus* Stercor. *ovilli* in *Morbillis*, & *caprilli* in *Variolis.* Poſt eruptionem, ut prompte matureſcant, propina *Ocul. Canc.* cum *Myrrhâ*; externè præcavetur eroſio tangendo puſtulas ſpongiâ *Lixivio ſal. Tart.* ebriâ. Si gravior malignitas epilepticos inſultus inferat, convenit *Liq. CC. ſuccin.* & *Sal. vol. Cran. human.* atque in robuſtioribus *Sal. Artemiſ.* Nutrix interea quotidie utatur in potu Gelatinâ CC. ut Lac quaſi medicamentum reddatur. In *Epilepſia* conveniunt abſorbentia fixa; ſed ferè infallibilis eſt *Liq. CC. ſuccin.* Egregius eſt *Pulvis flavus* tempore verno è Julis Coryli collectus; item *Sulphur ex ſcoriis Reguli Antim.* ultima vice præcipitatum, quod forſan Vomitum ciebit, & inſequente blando ſomno curabit.

In *Febre intermittente*, quæ tamen rariſſima eſt, præmiſſo Vomitu, prodeſt *Spir. Sal. armon. Sal. Abſinth. Liq. CC. ſuccin. &c.* In *continuâ lentâ* & *catarrhali*, præmiſſo *Glyſmate*, convenit *Spir. Sal. armon. ſimp.* vel *aniſat.* item *Tinct. Myrrh.* In *continua ardente*, etiam rariſſima, præmiſſo *vomitorio* vel *laxante*, convenit *Antim. diaph. CC. ſ. igne, Nitr. antim. Arcan. dupl. Mynſicht.* Si malignitas adſit, uſurpentur *Emulſiones* in Variolis laudatæ, interdum etiam *Theriaca* & *Mithridatium.*

Cum Ablactati propter voracitatem ſuccos etiam crudos in corpore coacervent, eadem de illis monenda ſunt.

COL-

EPITOMES COLLEGII PRACTICI LIBER V.

De Chirurgia Medica.

Sect. I.

De Luxationibus.

CHirurgia *Medica* conſiſtit in legitima inventione remediorum; *manualis* verò verſatur circa ipſas Operationes chirurgicas, quæ nos non tangunt. Partes hic tractandæ ſunt vel duriores, quibus unctuoſa nocent & amariuſcula amica ſunt; vel *molliores*, quarum quædam ſunt ſanguineæ, faciliores curatu, minùs irritabiles & doloroſæ, facilius reſtaurabiles ſi ſemel ablatæ ſunt, idque ferè ſine deformitate, fermento minùs acri obnoxiæ, & à medicamentis acrioribus non adeo irritabiles; quædam autem nerveæ contrariis qualitatibus præditæ.

Inter *Affectus partium duriorum* occurrit primò *Luxatio*, facilis & cognitu & curatu; quando nempe capita Oſſium ex ſitu naturali removentur. *Cauſa* eſt violentia externa, vel interna, quando nempe Oſſis cavitas repletur ab acido vitioſo Synoviam coagulante,

te, ita ut Oſſis caput ex ſuo receptaculo trudatur, ut in Arthriticis & Iſchiadicis; vel quando ligamenta & funiculi ab humiditate ſeroſa ſalina v. g. ſcorbutica, relaxantur & flaccida fiunt, adeo ut Oſſa ex ſede ſua dilabi patiantur.

Cura. Si *Luxatio* ſit à *vi externa*, membro extenſo (muſculi enim in parte luxatá contrahuntur) reponatur Os, & commodá ligaturá firmetur, cavendo ne nimis ſtricta ſit, alias comprimendo vaſa Inflammationem aut Oedema inducet, vitando etiam *repellentia* & *adſtringentia*, ſanguinis & lymphæ motum impedientia. Ratione autem *Inflammationis*, quæ ordinariò repoſitionem aut præcedit, aut ſequitur, propinentur *ſalia volatilia alcalia*, item *fixa*, fiat *Venæjectio averſoria*, & externè applicentur *Fomenta diſcutientia* ex *vegetabilibus aromaticis* in *Vino* aut alio liquore coctis. Si Inflammatio repoſitionem præcedat, nil tentandum, donec diſcuſſa fuerit. Si ſuperveniat *Tumor œdematoſus*, propinentur *ſudorifera*, & illinatur locus luxatus & tumidus *Oleo deſt. Tart.* & *Oſſium human.* cum CC. *uſt.* vel *Calce viva* à fœtore rectificato. Ut pars repoſita firmetur, humectentur *lintea*, *faſciæ*, & ſubinde *ſacculi Vino decoctionis fl. Hyper. Chamom. Roriſmar. Stœchad. Arab.* ſemper enim humida & calida ſervanda. Si fiat Luxatio à coagulo gypſeo, illinatur pars *Petroleo* vel *Balſ. peruv.* cum *Vitello Ovi* ſoluto, add. *Spir. Juniper.* & applicetur *Empl.* ex *Succin.* & *Gummi Elem.* cum *Cerâ* & *Reſinâ*, ita ut extremitates *Emplaſtri* tenacius non coëant, quia ſic Tumorem partibus luxatis ſupervenientem inhiberet, quod non ſemper conſultum eſt. In omni autem Luxatione caveantur *oleoſa mucilaginoſa*, poros oblinentia, fibras laxantia, & pruritum ſeu excoriationem inducentia. His enim omiſſis præſtaret partem, abſque religatione, *decoctis nervinis*, addito tantillo *Lixivii communis*, fovere. Fugian-

tur

tur etiam *Empl.* & *Catapl. adſtringentia*, quæ poros claudunt & Inflammationem promovent, atq; interea fibras minimè roborant; vera enim fibrarum roboratio ſit per *aromatica fomenta*, vel *Empl. ex Succin. Balſ. peruv. Gummi Elemi.* &c. Quando itaque Luxatio fit à coagulo gypſeo, experta ſunt internè *volatilia ex Tartaro* & *Nitro* per retortam tubulatam deſtillatis, item *Sal. armon. volat. Sal Oſſium human.* Externè *Balſ. peruv.* cum *Vitel. ovi* & *Sp. Vini Spir. Lumbr. terr. per putrefact.* cum *Spir. Sal. armon. Oleum Tartari fœtidum* cum *Oleo Oſſ. hum. aliquoties deſtillat.* mixtum, *Empl. ſtypt. Croll.* cum *Oleo philoſ.* malaxatum, & omnia in *Malo iſchiadico* laudata. Si fiat Luxatio à funiculis relaxatis, uſurpentur crebrius ſudorem expectando *Saſſafrata*, *Spir. Sal. armon. oleoſus aromaticus*, & præ cæteris *Aurum diaphor. Poterii.* Externè conveniunt *Spirit.* & *Liq. Lumbric.* additis moderatè adſtringentibus; item *Empl. ſtypt. Crollii* cum *Petroleo* malaxatum, vel *Empl.* ex *Tacamah.* & *Caran.* cum *Ol. deſt. Succin.* articulo & tendinibus articulum firmantibus, applicatum. Luxata *Maxilla* utraque facilè reponitur, altera quidem per alapam inflictam. Luxatio *Oſſis Coccygis*, *v. g.* in Partu difficili moleſtiſſima eſt. Luxatio *Oſſis Femoris* difficillima eſt curatu, quia ligamentum, quod os cum ſuo acetabulo jungit, ſemel luxatum vix reſtituitur: & ſi factum ſit, impoſſibile eſt claudicationem avertere.

SECT.

Sect. II.

De Fracturis.

FRactura Oſſium utplurimum à violentia externa ortum ducit, rarius autem à nimiis Artuum convulſionibus oriri obſervatur. Si os *ſecundum longitudinem* frangatur, *Fiſſura* dicitur, quæ in occulto latet, & tardius ſymptomata pergravia prodit. Si *per tranſverſum* frangatur, ſuperveniunt ingentes dolores partium membranoſarum, eo atrociores, ſi feſtuca Oſſis ſeparata partes cutaneas vel membraneasl æſerit. Accedunt Tactus indicium, motus Oſſis per tranſverſum ceſſans, æqualis partis fractæ intumeſcentia, & ratione doloris ac tenſionis ſubinde Inflammationes ac Oedemtata. Hæ autem Inflammationes ex fibrarum ſtrictura, ſanguinis & lymphæ motum impediente, in principio Fracturarum, non confundendæ ſunt cum Eryſipelate 4to aut 7mo die ſupervenienté, propter partes nerveas læſas, quarum nutrimentum, inprimis in corpore cacochymico, alteratum, acorem contrahens partes nerveas irritat, & hinc Febrem excitat, ubi ſubinde ſolet eſſe ſuſpicio feſtucarum ex Oſſe procedentium, & partes vicinas lædentium. Oſſa Senum arida, & Lue venereâ infectorum carioſa, facillimè franguntur. Interdum in *Fiſſura* nutrimentum Oſſis proximum elapſum, ſenſim ſecundum longitudinem Oſſis defluens, circa loca articulis vicina congeritur, & tandem in Abſceſſum tranſmutatur, quem in loco Abſceſſus impoſſibile eſt curare, quia fiſſura ad diſtans continuò fomitem ſuggerit. Judicioſè itaque expiſcanda eſt *Fiſſura* *occul-*

occulta pertingendo totum membrum læſum, an aliquæ rimulæ, vel inæqualitas, vel in profundo aſperitas, aut ſignum Cariei percipi poſſit; inquiratur etiam an in caſu vel motu ſonus vel ſtrepitus, vel ſimilia fuerint audita in membro læſo. *Fracturæ tranſverſæ* ſine oſſis è loco remotione faciliùs curantur, quæ verò ſemotæ difficilius. Si *Os in fruſtula comminutum* fuerit, periculoſum eſt, propter Vulnus nunc ſenſibile nunc occultum partes membranoſas lædens, adeo ut Abſceſſus immineat. Ubi duo *Oſſa* junguntur, ſi *unum frangatur*, alterum loco fulcri eſt pro Oſſe fracto in ſitu retinendo, & membro formando: ſi *utrumq; frangatur*, majus eſt periculum. *Fractura circa Articulum* difficilior propter tendines, nervos circumpoſitos, & difficilem repoſitionem atque firmationem. Item *Fractura circa loca tendinoſa* & *fibroſa*, *v. g.* in *Talo*, periculoſa eſt; illa verò, quæ multis muſculis tegitur, minus habet periculi ratione ſymptomatum. *Fractura cum Vulnere* & *Contuſione* partium mollium, Inflammtiones, Convulſiones, & interdum Gangrænam infert. *Si Os fractum ſit in fruſtula*, ſeparentur, citius ſi minora ſint & penitus disjuncta, tardius ſi majora & adhuc cum membranis hærentia. Os femoris vaſtiſimis muſculis circumſeptum rarò conſolidatur, quin denuo elabatur, vel figuram vitioſam contrahat. Reliqua Oſſa utplurimum intra dies viginti quinque aut triginta conſolidantur; utut majora ſubinde ad quinquageſimum & ſexageſimum diem extendantur.

Cura. Oſſa fracta extendantur, extenſa coadaptentur in ſitum naturalem, & per faſcias vel ferulas firmentur, quo facto ipſa natura nutrimentum in ſpicula Oſſis fracti infundendo conglutinat; idque tardius in Senibus tabidis, &c. propter defectum nutrimenti; ſubinde in Gravidis non niſi poſt partum. Modus

ferruminandi fit per Callum genitum ex alimento circa poros, propter rectum eorum ſitum vitiatum, ſtagnante, atq; per foramina aperta tranſudante, & hinc in duritiem oſſibus ſimilem coagulato: adeo ut Chirurgi officium in ſolâ repoſitione & repoſiti firmatione conſiſtat. Interea tamen præcavenda ſunt ſymptomata, & ea admovenda, quæ balſamum naturalem Oſſium conſervant. Si adſit *Inflammatio*, curetur, priuſquam Fractura tangatur. Oſſi repoſito illinatur *Spir. Vini* cum tertia parte *Spir. Lumbr. terr.* Si adſit *Contuſio* partis, applicetur *Mel* cum *Spiritu Vini* probè temperatum. Illinatur etiam locus fractus *Oleo Hyper.* & *Lumbr. terr.* acuato *Ol. deſt. Terebinth.* & *Roriſm.* Hinc imponatur *Empl.* (ita ut extremitates leviter ſe contingant & intumeſcentiam ſupervenientem non inhibeant) *ex pulv. Rad. Barb. hirc. Extract. Ariſtol. rot. cum Sp. Vin. Succin.* cum *Reſina alba*, *Terebinth.* & *Cerâ*, tempore uſus cum *Balſ. peruv.* vel *Ol. deſt. Succini* malaxandum. Hoc facto, ſi locus ſit tendinoſus, muſculis deſtitutus, crebriores circumvolvantur faſciæ & adaptentur *ferulæ*; ſi verò multi circumſtent muſculi ſufficit *Emplaſt.* cum *ferulis*, ac fugienda ſunt *adſtringentia.* Interea Callum promovent *vulneraria interna*, viz. *Agrimon. Conſol. maj. Geran. Robert. Sabina*, quibus *Roſmar.* ſemper addatur; item *Lapis Oſteocol.* in *Vino vel Decocto Vinc. pervinc.* Poſt tres vel quatuor dies reſolvantur *Faſciæ*, & abluatur locus *Vino decoctionis nervinor.* & *vulnerariorum.* Si ex Fractura nervi contorti ſint, atque ligamenta & tendines translocentur, poſt diem ſeptimum impone *Ceratum* ex *Rad. Sigil. Salom.* ℥iv. *Alchymil.* ℥i. *Fol. Plantag. m.* ii. *Inſtar Pultis coque; cui adde Ceræ albæ q. ſ. ut fiat Ceratum molle: Miſce cum Ol. Myrtil.* ℥ii. *Ol. Terebinth.* ℥iß. *Ung. Agrip. Dialth. an.* ℥iß. *Bol. armen.* ʒvi. *Sang. Dracon.* ʒiii. *Thur.* ʒi. *M.*

In *Fiſſura*, ſi tumor ſit inſignis, mollis tamen & tractabi-

tractabilis, aperiatur ſcalpello, & *Abſceſſus* inſtar aperturæ cum *Vulnere* tractetur. *Recens Fiſſura* facilè curatur *Emplaſtro convenienti* ex *Rad. Symphyti, &c.* Si *Abſceſſus* ſponte obortus fuerit, factâ maturatione aperiatur, continuando apertionem ad locum *Fiſſuræ*, ut commodè *Caries* tollatur, inſpergendo *Pulv. Euphorb.* vel *Ol. deſt. Caryoph.*&c. Si ex *Fractura* lacerentur partes molles,& nihil deOſſe abſceſſurum metuatur, jungenda ſunt labia Vulneris vel ſuturis vel glutine, & *Balſamo vulnerario* tractanda. Si fracti Oſſis immineant prominentiæ, quæ vel dextrè reponi nequeunt, vel ab aëre cadaveriſatæ ſunt, neceſſe eſt,ut vel abradantur vel ſeparentur, vel Vulnus factum per digeſtivum diutius apertum ſervetur. Si jam ſeparatæ ſint, volſellâ extrahantur : ſi adhuc hæreant, naturæ committatur negotium. Si Os repoſitum debitam figuram non habeat, facilè corrigitur, ſi Callus non firmatus ſit; ſi verò jam firmatus eſt, ſine noxâ curari nequit. Si Os iterum frangatur, non frangitur in Callo, ſed circa Callum.

SECT. III.

De Vulneribus.

VUlnus eſt diviſio unitatis in parte molli, vel nerveâ vel ſanguineâ. Nunc eſt ſimplex; nunc complicatum cum contuſione & ſimil. Quoad *Prognoſin.* Vulnus eſt lethale, quod gravius lædit partem ad vitam neceſſariam, vel vaſa interna majora; quod Cerebrum, non ſuperficialiter, lædit; quod Diaphragma & partes nerveas ad Convulſiones irritat.

Cura. Natura ſola balſamo ſuo nutritivo partes ſeparatas unire poteſt; Balſamus hic naturalis eſt humor

gelatinoſus tenuis, imprægnatus Sale vol oleoſo temperato, inveſtitus ſubſtantia pinguiuſculâ. Chirurgi officium eſt hunc balſamum conſervare, ejuſque corruptionem impedire & emendare; idque & *internè* per *vulneraria Sale vol.* prædita, v. g. *Myrrh. Viper. antimonialia* &c. præmiſſis aut *purgantibus mediocribus*, aut *ſudoriferis ſalinis volatilibus blandis*; & *externè* aëris impreſſionem avertendo, ab aëre enim fit alteratio ſanguinis & ſucci naturâlis, unde acorem contrahit, qui omnium in Vulnere ſymptomatum author eſt, & intenſius in nerveis, quàm in ſanguineis partibus prævalet: fermentando enim *calorem* & *ruborem*, ſtagnando *Inflammationem* & *Tumorem*, rodendo *Ulcus* generat; & cum ſale vol concurrens *Pus* conſtituit. Variat hæc aciditas, 1. Ratione cauſæ lædentis v. g. in *Morſu animalium* & ſimplici *Vulnere*. 2. Ratione ſectionis, vel punctionis, vel contuſionis. 3. Ratione aëris in diverſis climatibus, item plus vel minus radiis ſolaribus imprægnati, qui deteriora reddit Ulcera. 4. Ratione ſucci nutritii vel ſanguinis affluentis, *v. g.* à *Lue venerea*, cruditate cachecticâ, aut Menſibus ſuppreſſis, inquinati, unde acor multo pejor redditur.

Remedia itaque *externa*, acidum corrigentia, balſamum naturalem conſervantia, ejuſque corruptionem ſiſtentia, ſunt *Balſ. peruv. Ol. Hyper. Ol. Terebinth. Balſ. Sulph.* & ſimilia pauca. *Acria vol. detergentia* dicta nocent balſamum colliquando, & fluxum doloroſum acrimoniâ ſuâ inferendo: nocent etiam *Olea expreſſa* ob unctuoſitatem & acidum, quod continent. Sola itaque *temperata alcalina oleoſa* conveniunt, in *Vuln. nerveis* quidem paulo fortiora, propter acorem magis intenſum, & majorem ſordium copiam. Si nihil extranei in Vulnera tranſierit & nulla ſit Contuſio, nec aliquid à parte ablatum, ſtatim conglutinentur inſtillando *Balſamum vulnerarium* cum moderatè *ad-*

ſtringen-

ſtringentibus, ſine ullo puris proventu. Sed ſi adſit Contuſio, ut in *Sclopetorum Vulneribus*, ſi eximendum ſit quid heterogeneum, ſi ſtudio apertum ſervandum ſit Vulnus, ut in *Capitis Vulneribus*, ſi in *Ulcus* degenerare incipiat, prius *digeſtiva* applicanda ſunt, quæ ſanguinem aut extravaſatum aut corruptum in pus mutant; hinc *mundificantia* & tandem *ſarcotica*. *Digeſtiva* ſunt *Terebinth.* & *Vitel. Ov.* quibus *Myrrha* vel *Balſ. peruv.* addend. ne putreſcat pars nervea; jungenda etiam ſunt *acidum abſorbentia*, ut *Ter. Vitriol. d.* remedia ex *Saturno*, item ex *Venere*. *Mundificantia* ſunt tantùm *digeſtiva acriora*. Interim labia Vulneris conjunget Chirurgus vel ſuturis vel faſciis, rebus heterogeneis prius extractis, exceptis ſanguinis grumis, qui relinquendi, ut balſamum nativum ab aere defendant. Extrahuntur autem heterogenea, *v. g. Feſtucæ Oſſium fruſtula*, *ſurculi Lignorum*, &c. vel per inſtrumenta appropriata, vel per medicamenta *vulneraria*, & *attrahentia* dicta; qualia ſunt *Pinguedo leporina*, *Vulpina ſicc.* & *in Vino macerata*, *Sabina*, *Vinca pervinca*, hinc *Emplaſt.* ex *Fermento*, *Melle*, & *Viſco querc. miſturæ ex Ocul. Canc. Pingued. Lepor.* & *Succin. alb.* item *Emplaſtr. ex Cer. alb.* ℔i. *Colophon. Theriac. an* ℥vi. *Liquefact. ſuper ign. add. Gum. ammon.* ʒi. *Bdell.* ʒii. *cum ſ. q. Axung. Lepor.* & *aprugn.* Quoad *Faſcias*, in Vulneribus non adeo gravibus ſufficit *Faſcia* in duplum complicata, cujus medium membro læſo applicatur, in parte plagæ oppoſitâ circumvolvendo per crucem. Sed in gravioribus, ubi fibræ per tranſverſum diſſectæ ſunt, aut partes abſciſſæ & adhuc pendentes, neceſſaria eſt *ſutura*, in qua cavendum, ne nimis arctè adducantur labia Vulneris, quia nonnihil intumeſcunt, & quia ſic Balſamo ingreſſus & puri egreſſus non pateret. Cavendum etiam, ne acu nervus lædatur. Fiunt etiam *Suturæ* mediante *glutine*, nempe linteo illito *Gum.*

Tragacanth. Gum. arab. Maſtich. Thur: Sarcocol. an. ℥i. pulveriſ. & cum *Album. Ovi* agitatis, donec in ſpumam & liquorem abeant. In *Vulneribus levioribus* punctim inciſis, item *ſinuoſis* & *fiſtuloſis*, optimè proſunt turundæ ex Lino contorto & linteo ſemiconvoluto, baſi in quatuor lacinias diviſâ, ne fundum Vulneris nimis premant, inprimis ſi partes ſint nerveæ in vicinia. Hæ rotundæ non nimis craſſæ, in apice teneræ, in medio nonnihil craſſiores, *Unguento* illitæ fundum Vulneris purificant, ita ut caro non citius in ſuperficie quàm in fundo accreſcat. Hiſce mediis curatum Vulnus *Cicatricem* relinquit, propter fibrarum coaleſcentium ſitum inæqualem, unde ſuccus nutritius coacervatur in cicatricem; inprimis ſi magis adſtringentia applicata fuerunt, hæc enim poros anguſtando fibras minus tractabiles reddunt.

Hactenus de Remediis in genere. Succedit ſpecialior horum conſideratio. Ipſa Natura *conglutinat* Balſamo ſuo naturali, quem conſervant ſale ſuo alcalino *vulneraria*, addendo *acidum abſorbentia*, inprimis *ſaturnina*, & moderatè *adſtringentia*, quæ fibras & carnem, à tenui humore tranſudante laxatas, reſtituunt. Talia ſunt *Sanicula, Pyrola, Plantago, Hyperic. Scabioſa, Centaurium min. Vinca perviuc. Veronica Ariſtol. Torment. Nicotian. Major. Sigil. Salom. fructus Momord. Symphyt. Gummi Tragac. Tacamah. Sarcoc. Sang. Drac. Olib. Bdell. Reſina Pini, Myrrha, Pix, Terebinth. Maſtiche, Hypociſt. Acac. vera, Aloe, Mumia, Lumbrici terr. Cerum. Aur. Mel, C.C.uſt. Oſ. Sep. Oc. Canc. Uſnea Cran. hum. Telæ aran. Litarg. Saturnus calcin. Ceruſ. Minium Succinum Bol. armen. Lac Lun. Sulph. Calx viva lota; Ol. Momord. Hyperic. Nuciſt. Ol. exp. Nicot. O Lumbr. Theriaca, Balſ. peruv. Balſ. Sulph. Balſamina, Unguentum de Beton. de Pomphol. de Nicot. de Ceruſ. de Tutia, de Minio Emplaſt. diaſulph. Ruland. Stiptic. Crol. de Gratia Dei*, &c.

&c. Ex his fiunt *Potiones* & *Pulveres vulnerarii*, *Injectiones*, *Balſama*, *Unguenta*, *Emplaſtra*. Sed revera pauca ſimplicia ſunt optima, *v. g.* ſufficiunt fere internè *Ocnl. Canc. Ebur. ppt. Antimon. diaphoretic.* & in æſtu febrili *Nitrum antimoniat*; ſicut in læſione partium nervoſarum *Liquor CC. ſuccinatus.* Inter *Balſamos*, ſimpliciores & ſelectiores ſunt *Balſ. Sulph. Peruv.* & *Tolut. Ol. expr. ex Sem. Hyper. cui proprii Flores infuſi ſunt; Cerumen Aur. cum Ol. jugl. expr. coctum & inſpiſſ.* in Vulneribus nerv. nulli æquiparandus *Liquor. follic. Ulmi*, inprimis in Vulneribus Oculorum. Pro promptâ & tutâ curâ eluatur Vulnus *Spir. Vini*, hinc applicentur *Pulv. Aloes. hepat* cum *Goſſypio Ol. Hyper.* imprægnato, & ſuperponatur *Empl. Rulandi.* Item

℞. *Benzoes* ℥i. *Aquæ vit.* ℥iß. *Maſtich.* ʒi. *Balſ. nig.* ℥ß. *M. f. Linimentum quod conſolidat & cicatrizat quæcunque vulnera recentia ſimplicia.*

Vulnera partium nervoſarum periculoſiſſima ſunt; inprimis ſi punctim lædatur nervus aut tendo, quo in caſu optimè inſtillatur Vulneri *miſtura* ex *Ol. deſt. Terebinth.* ℥i. *Spir.vin.*ʒi. *Camph.* ʒß. *M.* vel *Balſam. peruv.* cum *Ol. deſtil. Lavend.* vel inungatur locus *Ung. dialth.*℥iv. *Ol.Bacc.Laur. deſt.*ʒiß.*deſt.Succin.*ʒß. Imponatur etiam *Emplaſtrum* perquam calidè ex *Euphorb. opt.* ℈i. *Reſin. Terebinth.* ℥ß. *add. Cerâ paucâ M.* Si nervus tendo, aut ligamentum per tranſverſum lædatur, acuantur *Balſama vulneraria Oleo deſt. Terebinth.* vel *Salv.* vel *Succini*. Applicetur ſupra Vulnus *Pulvis Lumbr. terr.* cum *Terebinth.* & *Ol. Hyper.* vel inſpergantur *Exuv. Serpent.* cum *Ocul. Canc. pulveriſ.* Interdum Suturæ tendinum benè ſuccedunt.

Vulnera cnm contuſione ſunt omnium peſſima. Si leviora ſint, expectandum, donec contuſum per ſuppurationem ſeparetur. Si graviora ſint & metus adſit Gangrænæ, mox ſcarificando & incidendo ſanguinis

exitus promovendus, & quod reliquum eſt, ſub formâ puris, promovendum, addendo digeſtivis *Unguentum Ægyptiacum.* In principio ulteriorem Gangrænam præcavet *Ol. Cer.* vel *Philoſ.* ſuperimpoſito *Empl. de Cumin.* vel *Bacc. Laur.* Hiſce ſedata maximam partem Contuſione, præ reliquis remediis convenit illitus *Spir. Sal. armon.* cum *Calce viva* deſtil. Pertinent huc *Sclopetorum Vulnera*, in quibus præter internas *Potiones vulnerarias* egregium eſt *Nitrum.* Externè extrahantur Globi, hinc pro ſcopo ſuppurationis applicentur turundæ cum *Balſam. Paræi*, ex *Oleo Lil.* in quo *Catelli* ebullierint, additis *Lumbricis terreſtr.* illinendo ſemper turundas *Spir. Vini.* Poſt *ſuppurationem* applicetur *Mundificativum Vigierii*, viz ℞. *Terebinth.* ℥v. *Ol. Roſ.* ℥i. *Mellis Roſ.* ʒiii. *Myrrh. Aloes*, *Maſtich. Ariſtol. rot. an.* ʒiß. *Farin. Hord.* ʒvi. *M.* In locis non nimis nervoſis commodè additur parum de *Mercurio præcip.* qui nimiam putredinem arcet. Si in principio empyreuma adſit, nil melius *Cremore Calcis vivæ* cum *Melle.* Si poſt malè ſolidatum Vulnus doleant Oſſa, *Oleum Terebinth.* extrinſecus illitum promovet & coitum Fiſſuræ, & Abſceſſus ſeparationem.

Vulnera maligna venenata, ex Globis venenatis, vel Morſu animalium, ſymptomata habent Gangrænam, Anguſtiam præcordiorum, Sudores glutinoſos, Syncopes, *&c.* Si Vulnus ex morſu profundum ſit, ſcarificandum eſt. In *Veſparum puncturis* ſufficit *Oleum Nucis moſch. expr.* & *Empl. de Ran. cum Merc.* In *Viperarum* & *Serpentum Morſu* etiam imponatur *Bufo vivus contuſus*, aut admoveatur *ferramentum candens* citra ambuſtionem. In *Canis rabidi Morſu* applicetur *Empl. magnet. Angel. Sal. cum Pulv. Canc. fluv.* vel loco ſcarificato *Theriaca* cum Cepâ & *Capit. Allii.* Elicito ſic Veneno ſanetur Vulnus leni *digeſtivo, addito Ung. ægypt.* In *Vulnere à venenatis armis* applicetur idem *Empl.*

magnet.

magnet. vel *Empl. ex Cepis*, *Theriaca*, *Sterc. capr. & Ol. Nucis Moſch. expr.* His ſubjiciuntur internè *Acet. deſt.* cum *Theriac.* aut *Diaſcord. Tinctura bezoard. Fixa antimonialia* cum *Nitro* parata.

Inter *Vulnerum Symptomata* occurrit primò *Hæmorrhagia*, ſi nempe lædantur vaſa majora. Internè vix aliquid convenit, niſi, ratione iracundiæ, ebrietatis, &c. forſan *nitrata*. Potius locum habent *externa*, viz. *Crepitus Lupi* probè exſiccatus & compreſſus, vel immerſus in ſolutione *Vitrioli Martis*, & dimid. *Alum.* in *decoct. adſtring. frigido*, impoſitis *ſtupis cannabinis*. Si *Vulnera* ſunt profunda, immittatur *pulvis ex Lacte Lunæ, Lap. Hæmat. Bolo armen. & Cap. mort. Vitriol.* Conducit etiam Vulneri fortiter imprimere *Terram Vitriol. dulc. cum Ter. ſigil. & Album. Ovi* ſubactam; vel. *Fulig. fornacum Alb. Ovi* ſubactam. Accedit *Uſnea Cran. human. Stercus aſinin. rec. cum Sanguine* effluente exſiccato miſtum, linteum crebrius impregnatum *Alum.* & *Sperm. Ran.* vel, quod fortiſſimum eſt, ℞ *Croc. Mart.* ℥i *Ter. Vitriol. dul.* ℥ß. *Acet. deſt. Vini fortiß. aa.* ℥i. His Stupa madefiat.

Inflammationem ſiſtit *Aqua Calcis viv.* impregnata *Saccharo Sat. & Camphorâ*, *Aqua deſt. Cancror. putrefact.* vel *Succus Cancror. contuſ.* In *Eryſipelate* illinatur *Spir. Vini cum Theriac.* & inſpergatur *pulvis* ex *Flor. Sambuci*, *Creta*, *Ceruſ.* &c *Caro luxurians* oritur à fibris per ineptam curam laxatis; curaturque applicando *Alum. uſt.* vel *Croc. Metal.* vel *Ung ægypt.* inprimis *Aq. virides*, vel præ omnibus *Lap. infernal.* applicando poſt exeſionem *Empl. cicatrizans.* Dolores, inprimis tenſivos in partibus nervoſis, qui ſpaſmos earundem præcedunt, ſiſtunt, præter interna blanda, externa *Ol. Lumbr. terr. cum Ol. deſt. Succin. & Laur.* item *Ung. dialth. cum Balſ. peruv. & Ol. deſt. Lavend* ſeu *Spic. Fluxum Synoviæ & Atrophiam* curat *Ung. fuſ.*

cum Würzii, Ung. ægypt. Aq. ex Canc. fluv. comp. item ſeq. ℞. *Pulv. Caſtor.* ℥i. *Pulv. Lap. calam. Oſſ. Sep. Mandib. Lucii piſc. an.* ℈ii. *Spod. Terr ſigil. ãn.* ʒiß. *M.* & aſperge Vulneri. Si *Convulſiones ſuperveniant*, præter *ſuccinata* & *ſalia vol. ex animalibus* internè uſurpata, Nervi læſi ratio habenda eſt, vel ejus puncturam curando, ut ſupra, vel eundem tranſverſim diſcindendo ut pars ſenſu privetur. Si ſuperveniant *Febres*, præcedere ſolet ſenſus ardoris in Vulnere; *Cura* autem experienda per *abſorbentia*, viz. *Ocul. Canc. in Acet. deſt. Antimon. diaph. Magiſt. Coral. cum Succo Citri*; *Spir. Sal. armon.* cum debitis *vulnerariis*, & ratione Sitis *Nitr. antim.* & parum de *Spir. Vitrioli dulci.*

In *Vulneribus pectoris* ſemper occurratur imminenti *Pleuritidi* vel *Peripneumoniæ*; *vulnerariis* addantur *diuretica* propter occultum à Pectore ad Renes tranſitum; ſubinde applicentur *turundæ anſulatæ* ſub exſpiratione, ne ſuperveniat *Empyema*; notetur autem, Vulnera infra ſeptimam coſtam Diaphragma non penetrare, adeoque ad Abdomen pertinere.

In *Vulneribus Capitis* alvus ſemper ſit aperta. Si ſuperficialia ſint, facilè curantur *Ol. Hyper.* & *Balſ. peruv.* ſuperimponendo *Empl. de Betonic.* cum *Tacamah.* in *Balſ. peruv. malaxat.* Si Cranium lædatur, ſed non penitus perforetur, impediatur ejus Caries inſpergendo *Pulverem Rad. Irid. flor. Aloes*, & *Myrrhæ* impraægnatum *Spir. Vini* vel *Ol. Terebinth.* cavendo *unctuoſa.* Si Cranium penetretur, & lædantur Meninges, ſedetur Hæmorrhagia interna pulvere *Aloes*, *Thur. Boli armen.* cum *Album. Ov. conquaſſ.* atque immittantur *linteola* impraægnata tantillo *Ol. deſt. Terebinth.* Malè applicatur *Ol. Roſ.* ut & *Mel* niſi membranæ putreſcere incipiant. Hæc de *Vulneribus cæſim* factis. In *Contuſionibus gravioribus ſine Vulnere*, ſi poſſit diſcuti, diſcutiatur Tumor; ſi non, aperiatur in principio, ne pus ex retentione

ne acrius cranium lædat. Si ſint cum *Vulnere* & *Cranii læſione*, conſidrandum, an ſit depreſſio Cranii vel cum Fractura in Adultis, vel ſine Fractura in Infantibus, quorum oſſa cedunt; an verò *Fiſſura* ſit. Symptomata *Depreſſionis*, aut *Fiſſuræ*, ſunt Vomitus bilis, Vertigo, Sanguinis per os, nares aut aures effluxus, ſubitanea obmuteſcentia, & brevi ſuperveniens Delirium, Convulſiones, Paralyſis. Origo horum eſt feſtuca, vel ſanies, vel ſanguis grumoſus, membranas lædens. In *Fiſſuris Catapl.* ex *Farinâm Fabarum*, Capiti raſo applicatum ſecundùm ductum *Fiſſuræ*, non exſiccatur; item ſi Æger mandibulas fortiter contineat, aut Nucleum Ceraſorum frangat, dolorem percipiet in loco fiſſo. In quo caſu neceſſe eſt perforetur Cranium, ut ſanguini, ſaniei, &c. pateat exitus.

SECT. IV.

De. Ulceribus

SOlutio *Unitatis* ab acredine corrodente in parte molli *Ulcus*, in dura *Caries* dicitur. Acre corrodens eſt acidum, quod alimentum partis in excrementum acre tranſmutat, & fibras carneas ſenſim abſumit. Oritur hoc acidum 1. Ab alimento partis proximo corrupto, ut in *Ambuſtis*, &c. 2. Ab aciditate ſanguinis & lymphæ, ut in *ſcorbuticis* & *venereis Ulceribus*; item poſt Inflammationem propter ſanguinem ſtagnantem aceſcentem. 3. Ab excremento aliquo ſanguini & humoribus permixto, quod in partem determinatam defigitur, ut in *Ulceribus*, quæ aliis Morbis ſuperveniunt. Confirmant hoc acidum Emplaſtra ab Ulceribus detracta, acidum ſub-

ſubtile ſpirantia, & dolor Ulceris corroſivus, qui non ab alcali cauſtico, quod mortificat, ſed ab acido procedit. Pro vario aciditatis gradu alimentum variè corrumpitur, unde *Ulcus* aut *ſanioſum*, aut *vermiculoſum* aut *cancroſum*, aut *phagedænicum*, aut *doloroſum*, aut *purulentum* eſſe ſolet. In *partibus nerveis* alimentum ſale vol. acri non imprægnatur, & hinc faciliùs aceſcit, ipſo ſpiritu animali aut celerius diſtributo, aut faciliùs exhalante; unde harum Ulcera ſunt & frequentiora & difficiliora, quàm *partium ſanguinearum*. In *locis glandulosis* ipſa lympha acido ſubtili ſale imprægnata, facilè Ulceris impreſſionem ſuſcipit, unde tale Ulcus contumaciſſimum eſt, doloroſum & ſæpè cancroſum. In *Ulceribus Articulorum* os ſubjectum ab acore corroſum *Cariem* contrahit, quæ niſi corrigatur, Ulcera ſunt immedicabilia. Si ſanies ex alimento corrupto orta per interſtitia partium latius ſerpit, & partes molles cum ſtaminibus duris exedit, *Ulcera* infert *ſinuoſa* & *fiſtuloſa*, quorum canales in locis membranaceis quaſi in callum indurantur, inprimis horum orificia, ab acido vitioſo corrugante & indurante. Talia *Ulcera* ſolent eſſe graviora, ubi alimentum partis facilè acidi impreſſionem recipit, *v. g.* in Scorbuticis Lue venereâ correptis, Hydropicis, iis quibus Hæmorrhoides aut Menſes ſupprimuntur, item illis, qui ſpirituum defectu laborant. In Ulcere curato, ſi tantillum acidi non ritè correcti relinquatur, vel recidivat, vel per ſanguinis & lymphæ motum aliorſum defertur. In omnibus Ulceribus adeſt *Cavitas* propter acorem exedentem; in ſanguineis *Pus*, in nerveis ſanies, vel ſaltem Pus tenuius & acrius. *Labia Ulceris* raro ſicca ſunt, niſi aëri diu exponantur aut exſiccantia intempeſtivè applicentur. Quodlibet Ulcus ſponte & ſubitò ſic cum evadens, cum labiorum livore, Gangrænam aut mortem portendit.

Cura

Cura conſiſtit in acidi mortificatione; carnem enim generat & foramen occludit ipſa natura. *Remedia* ſunt vel *acidum temperantia* per ſalſum vol. alcalinum, vel idem *abſorbentia*. Priora acidum deſtruendo alimenti corruptionem ſiſtunt, adeo ut Ulcus nitidum reddant, & *detergentia* ſeu *mundificantia* dicantur. Sunt hæc vel *temperata*, *digeſtiva* dicta, quæ ſanguineis ſaltem in principio conveniunt, & acidum temperando, ita ut moderatius cum alimento partis effervefcat, pus laudabile & *ſuppurationem* promovent; vel ſunt *acriora*, in nerveis, *acerrima* verò in *putridis Ulceribus* laudata. Ulcere mundificato adjuvetur Natura in carnis generatione & conſolidatione, per *Balſama vulneraria*, quæ balſamum naturalem conſervant, & ſimul adſtrictoria vi carnis recentis laxitatem corrigunt, & quo magis adſtringunt, eo firmiorem cicatricem generant; adeo ut *Sarcotica* & *Epulotica* gradu tantùm differant. His Externis jungantur internæ *Potiones vulnerariæ*, remedia ex *Lignis ſudoriferis*, *antimonialia fixa*, *viperina*, & ſimilia alcali plus minus acri pollentia.

Remedia digeſtiva ſunt *Ol. Roſ. Butyr. rec. majal. Vitel. Ov. Gum. Elemi. Terebinth. Thus, Maſtich. Far. Tritic. Hord. Fœnumgr. &c. v. g.* ℞. *Tereb.* ℥i. *Vit. Ov. no.* 1. *Mel. Roſ.* ℥ß. *Ol. Hyper.* ʒi. *M.* Ubi pus genitum eſt, addantur *mundificantia*, & *acidum* vel *temperantia vel abſorbentia*, v. g. ℞ *Fol. Nicot. m.* ii. *Summit. Abſinth. Herb. Veron. an. m.* i. *Rad. Ariſtol. rot.* ℥i. *Bac. Junip.* ℥ß. *Alum. crud.* ʒi. *Coq. in ſ. q. Aq. Ferrariorum*. Colatura injiciatur in *Ulcus ſinuoſum* & *ſordidum*. Item; ℞. *Succ. Nicot. Plantag. Abſinth. Beton. Mel. roſ. colat. an.* ℥iv. ſubige probè lento igne, add. *Croci Mart. Mercur. præcip. Aloes. Myrrh. Fl. Sulph. an.* ʒi. cum *Balſ. peruv. q. ſ. F. Ung. mundific. Ulceris*. Laudatur *Balſ. Sulph.* aut *terebinthinatus*, aut cum *Oleo Lini* vel *Nuc. jugland. expr.* paratus, item *Balſ. peruv.* habito tamen delectu, an pinguia conveniant; ſi non, ſufficit *Mel* cum

ſucc

ſucco vulnerario. Optimum *mundificativum* ſit ex *Vitello Ovi ad durit. cocto* cum *Melle* & *Vino*; addito in malignis *Mercur. præcip.* vel *Merc. vivo* à quo *ſpiritus Nitri* abſtractus fuit. Pro Ulceribus conſolidandis ℞. *Calc. viv. bis vel ter lotæ & parum exſic. q. v.* Miſce cum *Ol. Lin. q. ſ.* & tingatur cum *Bolo armen.* vel *rubr.* ad carneum quaſi colorem. Internè uſurpetur crebrius *Merc. dulc.* cum *Extr. Helleb. nig.* item *antimonialia fixa*, *Tincturæ antimoniales*, *Corallia & Ocul. Canc.* cum *Aceto deſt. Myrrha*, *Crocus*, *Eſſentia Spiritus* & *Sal. vol. Viperarum*, & inprimis *Decocta Lignorum.*

Hæc in genere. In ſpecie *Ulcera cum oſſium Carie juncta* non curantur niſi corrigatur *Caries*, cujus ſigna ſunt aſperitas in fundo Ulceris, nigredo & perforatio Oſſis; item ſi Ulcus optimè ſuppuratum & conſolidatum ſubitò recidivet, Sanies enim ex Oſſe plorans ſemper novum Ulcus generat; caro etiam Ulceri ſuperveniens flaccida eſt atque minùs dolens, & ipſa ſanies acrior eſt quàm in Ulcere rectè ſe habente. Pro *Carie* corrigendâ dilatentur Labia Ulceris vel ſcalpello, vel turundis intumeſcentibus ex *Medull. Samb. compreſſâ* vel *Rad. Gentian.* hinc imponatur *Spir. Vini probè rectif.* vel *Oleum deſt. Caryoph.* cum *Oleo deſt. Guaiac.* vel inſperg. *Pulv. Euphorb.* & *Rad. Ireos.* Si hæc non ſufficiant, limâ vel ſcalpello rodatur Os donec punctula rubra appareant; vel ad Cariem funditus delendam tangatur Os ferro candente, poſtmodum applicentur prædicta, donec carioſum à ſano ſeceſſerit, & hinc conſolidetur Os *Spir. Vini* cum *Myrrh. & Aloe.* Si Os reperiatur carioſum in extremitatibus Fiſtularum, injiciatur ſolutio *Merc. dulc.* cum *Aq. Plantag.* Laudatur etiam ad Cariem *Ung. ægypt.* cum *Pulv. Terebinth. ad duritiem coctæ*, & *Ung. fuſc. Würzii.*

Si *Ulceri profundo*, cavo, ſinuoſo, jungatur *Callus internus*, *Fiſtula* dicitur. Inquiratur an deſinant *Fiſtulæ* in partem nerveam, ubi fundus admodum doloroſus; an

verò

verò in ſanguineam, ubi fundus eſt mollis minus dolens & materia ſimilis puri laudabili; item ſi deſinant in vas ſanguifluum, ubi materia eſt obſcuri coloris inſtar fæcis propter ſanguinem, & ſi vas eroſum ſit, prodit ſanguis vel rubicundus vel obſcurus ratione vel venæ vel arteriæ. Exploretur mollities vel durities fundi ſpeculo vel ſtylo, vel, ſi ſinus ſint admodum tortuoſi, candelâ ſubtili ex *Cera* & *Terebinth.* In *Cura* ſi prius orificium calloſum ſit, amplietur per *turundam* ex *Rad. Gentian.* addito pauco *Alum. uſti.* Hinc injiciatur *Merc. dulc.* ſolutus in *Aq. Calcis viv.* add. *Spir. Vini*; vel *Succus Nicotian.* cum *Spir. Vini* & *Pulv. exuv. Serpent.* vel *Merc. dulc.* ſolutus in *Succo Canc. fluv.* & *Nicotian.* Conducunt etiam *turundæ* illitæ *Ung. fuſco Würzii* vel *Ung. ægypt.* cum *Balſ. Sulph. terebinth.* & *Camph.* vel *Unguento* ex *Aloe, Thure,* & *Asâ fœtida* tritis cum *Melle deſpumato* ad aliquam glutinoſitatem cocto. Si hæc non ſufficiant, ℞. *Ung. ægypt.* ℥ß. *Merc. præcip.* ʒi. *Lixiv.* ℥iv. *Aq. Roſ.* ℥ii. *Aq. Plantag.* ℥iv. *Coq. ad conſumpt.* 3*tiæ partis*, & *illinatur Fiſtulis.* Si hoc propter dolorem applicari nequeat, neceſſe eſt aperiatur, & Callus, vel exedatur vel pedetentim ſectione auferatur, quo facto tractetur tanquam Ulcus ſimplex.

Ulcera ſordida ac putrida curantur abluendo cum *Spir. Vini*, in quo ſoluta ſit *Theriaca*, vel *Decocto Calc. viv.* add. *Merc. dulc.* hinc uſurpando *Ung. ægypt.* aut addendo *Unguentis Merc.* poſt abſtractionem *Aq. fortis* ſæpius *Spiritum Vini* abſtrahendo paratum. Laudat *Foreſtus* expreſſionem *Stercor. capr.* cum *Vino veteri. Ulcera inveterata* abluantur *Aq. Pomor. putrid. deſt.* in qua *Extract. Ariſtol. rot.* cum *Sp. Vin.* factum, vel *Merc. dulcis* ſolvatur, addito in ardoris caſu *Saccharo Saturni. Ulcera Phagedænica cancroſa* cautè tractanda ſunt. Conducunt *Saturnina*, v.g. *Linimenta* ex *Saturno* cum *Succ. Solan.* & *Geran. robert.* in mortario plumbeo mixtis, inſperſo prius *pulvere Bufon. calcinat.* vel *Stercore Felis Cancris fluv. nutriti.*

Schrö-

Schröderus in Cap. de *Empl.* mirabile habet *Emplaſtr.* modò addatur *Merc. vitæ.* Notandum autem quibuſcunque remediis addenda eſſe *arſenicalia fixa*, v.g. *Ol. Arſen. fixi per deliq.* item *Pulv. benedict.* ex *Fulig. furni*, *Arſenico* & *Rad. Ari.* Si Ulceri purificato ſuperveniat carnis Luxuries, inſpergatur *Pulv.* ex *Cort. Gallar. Granat* & *Spongia combuſta.*

Quoad *Combuſta* ſi ſolummodò calor & ardor externam Epidermidem alteravit, & Veſiculas aquâ acriuſcula turgidas excitaverit, applicetur *Linimentum* ex *Lixivio Calcis vivæ* cum *Ol. roſ.* vel ex *Ol. Rap. rec. expr.* cum *ſolutione Litharg.* in *Aceto tritis* in mortario plumbeo donec fiat gypſeum. Conducit etiam *Unguentum* ex colaturâ *Butyri non ſaliti cocti* cum *Canc. fluv.* contuſis donec rubeſcant; item *Succus Canc. fluv.* cum *Aq. Sperm. Ran. Succus Allii* vel *Cepar.* cum *Sapone ven.* & pauco *Sale.* Si ipſa Cutis comburatur & in Veſiculas corrugetur, Puſtulæ aperiendæ ſunt, & Cutis laxanda applicando *Pulp. Pom. dulc.* ſub *Ciner. coct.* add. *Farin. Hord.* & *Fœnigr.* cum *Croco.* Sin verò Caro etiam comburatur, & Cutis emortua in Eſcharam degeneret, primo vel ſecundo die ſeparetur *Eſchara*, applicando *Mucilag. Semin. Cydon.* cum *Aq. Sperm. Ran.* extract. add. *Butyro non ſalito*, *Ol. Lil. alb.* & *Vitel. Ov.* vel *Butyrum rec.* agitatum in mortario plumbeo cum *Decocto Malvæ*, quod cum *foliis Braſſicæ tepidis* applicetur. Si ſic non ſeparetur *Eſchara*, neceſſe eſt incidatur, ne coerciti humores Ulcus depaſcens inducant. Poſtmodum applicentur *digeſtiva* & *mundificantia*; atq; tandem incarnetur Ulcus *Unguento* ex *Calce viva* in *Aqua frig.* ſexies vel ſepties lotâ, add. *Ol. roſ.* & *Vitell. Ovorum.*

SECT.

SECT. V.

De Tumoribus.

MAgnitudo partis præter naturaliter aucta *Tumor* dicitur ; ſin verò nova moles adnaſcatur, *Excreſcentia* audit. *Cauſa* utplurimum eſt humor vel in motu impeditus, vel de novo congeſtus. Si humor in motu impeditus ſit Sanguis, *Inflammationes, Contuſiones, Eryſipelata* inducit; ſin Lympha fuerit, *Tumores ſeroſos, Hydropes particulares, Oedemata*, &c. infert. Humor de novo colligitur, quando coacervatur alimentum partis, aut corruptum à fermento vitioſo, ut in *Bubone venereo, Cancro Mammarum*, &c. aut alteratum plus minus, ut in *Excreſcentiis, Polypo*, &c. Quoad *Cauſas remotas*, ſtagnat humor, propter viarum anguſtias à Compreſſione, Infarctu, aut Contracturâ doloroſâ; humorum craſſitiem ratione chyli viſcidioris, frigoris acidi, aut cujuſvis externi coagulantis; particularum malam figurationem à recrementis in Abſceſſibus criticis à ſanguine depoſitis. Quoad novos humores, alimentum vel corrumpitur à fermento acido in parte latente, ut in *Carie Oſſium, Ulceribus, &c.* vel alteratur à pororum dilatatione, fibrarum laceratione aut extenſione nimiâ, membranarum diſciſſione, unde alimentum copioſius recipitur & retinetur.

Cura. Humori ſtagnanti reſtituatur motus naturalis, removendo impedimenta externa, materiam obſtuentem ſolvendo, frigus & acidum coagulans corrigendo. Evacuetur etiam humor vel inſenſibiliter diſcutiendo

& attenuando, vel apertione cum ferro aut cauterio, vel ſuppuratione, quæ oritur ex effervefcentiâ acidi (à diſſipatis ſpiritibus orti) cum ſale vol. oleoſo. Tumor per novam humoris generationem introductus, aut diſcutiatur, quod rarius, aut per aperturam evacuetur materia, ante emollientibus & ſuppurantibus alterata. Excreſcentiæ tollantur per ferrum & ignem. Interea ſocientur *interna, acidum abſorbentia, ſanguinem expurgantia, & blamdo ſudore humoribus motum conciliantia.*

Remedia itaque Tumorum *externa* ſunt I. *Reſolventia*, quæ craſſum viſcidum attenuant, coagulum ſolvunt, durum fundunt & emolliunt idq; vi ſua acidum temperandi, & ſimul poros partium penetrandi; ſuntque hæc in triplici differentia, 1. *Lenia* v.g. *Malv. Alth. Mercurialis, Branca urſina, Violaria, Lil. alb. Sem. Fœnigr. Lupin. Malvæ*, & ex his paratæ dein *Mucilagines, Caricæ, Uvæ paſſæ, Axungiæ, Pinguedines* (veteres ex femellis magis attenuant) *Ol. Amygd. d. & Lil. alb. Ung. dialth.* & *reſumpt.* 2. *Mediocria* v.g. *Apium, Helen. Cepæ coctæ, Cherefol. Beton. Verbaſc. Fl. Sambuc. Cicuta, Crocus, Chamom. Adeps vulp. urſ. cervin. Sevum hirc. Gum. Tacamahac. Elemi, Terebinth. Sperma Ceti; Ol. Chamom. Hyper. Aneth. Laur. Nicot. Ung. & Empl. de Cicuta, Beton. Diachyl. ſimp. de Melilot.* 3. *Fortiora*, v. g. *Bryon. Cucum. Cepæ crudæ, Cyclam. Sabin. Abſinth. Nicot. Semina Lini, Eruc. & Cumin. cum Aceto trita, Gum. ammon. Galban. Bdell. Sagap. Opopan. Ladan. Reſina Pini, Sterc. animal. Nidi Hirund. Spir. Urin. Sal. armon. Vini crocat. & camphorat. Vapor Aceti acerr. Ol. Later. Lumbr. Petrol. Nicot. Terebinth. Ceræ, Balſ. Sulph. Ung. martiat. Empl. Diachyl. comp. Vigonis cum Merc. Oxycroc. Mercurius laminæ Saturni illitus* II. *Inſenſibiliter*

biliter diſcutientia, viz *aromatica Sale vol. oleoſo prædita*, tam internè quàm externè. III. *Suppurantia*, viz. humectantia, acrimoniam humorum temperantia, fibras laxantia, & occulto ſale vol. conſtantia, v. g, *Rad. Alth. Lil. alb. Cep. coct. Allium*, *Semina*, *Flores*, *Olea*, *Unguenta & Emplaſtra*, *emollientia dicta*.

Inter *Tumores in ſpecie* primatum tenet *Inflammatio*, nunc *genuina* nunc *ſpuria*, *orta* à ſanguinis ſtagnatione, quam vel læſiones externæ, vel cauſâ interna infert. In *Cura* interna vide in *cap. de Inflammatione*; externè crebrò applicetur in principio *Decoctum Sulph.* cum *Urina*; vel *Succus Canc. fluv. rec. calidus*, vel *Spiritus aromatici* cum *Sp. Vin.* vel *Lixivium ciner. ſarment. Vitis* cum *Vitriol. Sale* & *Aceto*. Si his diſcuti nequeat, promoveatur ſuppuratio, temperatis quidem in *genuinâ*, acrioribus verò in *nothâ*; pro quò ſcopo egregium eſt *Lac*, in quo coctus *Sapo Venetus*. Tumor ſponte vel ſcalpello aut cauterio apertus cum *Balſ. ſulph.* & *Empl. diaſulph.* mundificetur & conſolidetur.

Suffuſio ſanguinis ſeu contuſio eandem ſortitur naturam cum Inflammationibus genuinis. *Internè* eminent *Ocul. Canc.* cum *Aceto*, *Carbones Tiliæ* in *Vino*; *Salia volat.* & ſi ſuſpicio ſit partis cujuſdam internæ læſæ, vel *blandè laxantia* vel *blandè diaphoretica*. *Externè* pro ſcopo reſolvendi convenit *Spir. Vini rectif.* nunc *camphorat.* nunc *crocat. Lixivium* cum *Vino factum*, *Spir. Sal. armon.* cum *Spir. Vini* paratus; *Balſ. peruv.* cum *Vitello Ovi* & *Spiritu Vini*, inprimis in partibus nerveis; item *Decocta* vel *Catapl. ex Rad. Symph. Sigil. Salom. Melil. Fl. Samb. Chamom.* & *Croco* cum *Vino*. Hæc in ſuffuſione leviori, grandior enim ſuppuranda & conſolidanda venit. *Graviſſimè* verò *Gangrænam* minitans profundè ſcarificanda, & hinc applicandum eſt *Ung. ægypt.* cum *digeſtivis*.

Eryſipelas tumor eſt non adeo inſignis, intensè rubens, ardens & dolens, latè diffuſus, digitis preſſus maculam albam ſubito rufeſcentem oſtendens, cum horrore & ſubſequente gravi æſtu incipiens. *Cauſa* eſt acidum volat. cum ſale ſanguinis febriliter efferveſcens, & ſanguinem in vaſis capillaribus circa partes utplurimum nerveas figens. *Internè* hoc acidum infringit *Roob.Sambuci.* *Externè* idem vi ſuâ alcalinâ diſcutiunt *Spir. Vini crocat.* & *camphorat.* Lintea *Spermate Ran.* imprægnata, *Fel. Carpion. Theriaca* cum *Sale Abſinth. Decoct. Oliban.* & *Myrrh.* cum *Camph.*& *Croco.* His jungantur *ſaturnina, acidum abſorbentia*, nempe *Sacch. Saturn. Ceruſ. Minium*, *actu frigida* & *adſtringentia*, item *pinguia* & *mucilaginoſa* valdè nocent. *Eryſipelas* malè curatum abit in *Ulcus ſerpens*, in quo caſu optimus eſt *Succus Naſturt.* cum *Ceruſ. Litharg. Lacte Lun.* & *Croco Martis*; vel *Ung.* ex *Litharg.* ℥iii. *Ung.populea de Ceruſſ. Refriger. Galen. an.* ℥iß. *Ol. roſ.* ℥i. *M. in mortario plumbeo.*

Tumores critici in Morbis acutis oriuntur ex partibus heterogeneis à Maſsâ ſanguin. præcipitatis, circa vaſa capillaria ejus motum impedientibus, primariò in locis glanduloſis, ſecundariò in nerveis. *Furunculi* facilè maturantur *Empl. Citrin.*& conſolidantur *Empl.de Meliloto*, *Bubones* (in Inguinibus) & *Parotides* (circa Aures) *benigni* maturandi & conſolidandi more conſueto: *Maligni* verò ſunt vel *peſtilentiales* vel *venerei.* Priorum curam, ut & *Carbunculorum* vide in *Cap.* de *Peſte.* *Venerei Bubones* oriuntur ab acido viſcido maligno in Inguinibus coacervato: mutantur *Empl. Vigon. cum Mercur.* malax. cum *Ol. deſt. Lign. Guaiac.* vel *Ol. Tartari volat.* Emolliti aperiantur larga apertione: hinc mundificetur Ulcus *Balſ. Hyper.* cum *Ol. deſt. Lign. ſancti & Tartari*, item *Ung. de Apio* cum tantillo *Mercurii præcip.* vel *Arcan.*

Arcan. corallin; ſuperimponendo *Empl. dictum.* Internè uſurpentur primò *Decocta Lignorum*, & poſtea *purgantia*, ac in fine *Sal & Spiritus Viperarum.*

Paronychia eſt tumor in Articulis, inprimis Digitorum, ſubinde univerſum Brachium ex conſenſu afficiens; ortus ex humore acri corroſivo Perioſtium & Tendines occupante, qui utplurimum nil aliud eſt quàm alimentum ex oſſe læſo tranſudans & alteratum. Siſtitur hic dolor *Linimento* ex *Sordibus Aur.* cum *Sacch. Saturn.* & pauco *Ol. Avellan. extr.* item Linteo cum ſterquilinio humectato. Sæpè ſupervenit Inflammatio, eaque in Apoſtema, vel ſine apoſtematione ad Gangrænam vergit.

Perniones præſervat & curat *Petroleum* illitum; item *Terebinth.* cum *Veſicâ bubula* impoſita. Si gravius à frigore læſæ ſint partes nerveæ, applicetur *Decoct. Rap. ſicc.* vel *Catapl. liquidum calidum.* Exulceratas curat *Linimentum* ex *Rapâ excavatâ*, repletâ *Oleo roſ.* & *ſub cineribus aſſatâ*, facta poſtmodum expreſſione; item *Mucilag. ſem. Cydon.* cum *Aq. Solani* extracta, add. tantillo *Tut. præparatæ.*

Tumores ſeroſi molles indolentes, à digito impreſſo nullum veſtigium recipientes, oriuntur à lymphæ impedito motu aut extravaſatione. Hos diſcutit *Aq. Calcis viv.* cum *Spir. Vini*; item *Stercus bubulum* cum *Pulvere Cumini*; & *Empl. ex Baccis Lauri* cum *Oleo*, *Sterc. capr.* & *Melle.* Jungantur interea internè *Decoct. Lign. junip.* & *Saſſafras.*

Oedemata, ſeu *Tumores laxi*, inprimis in Cruribus, digito cedentes, & hujus veſtigium diutius retinentes, oriuntur à lymphâ craſsâ viſcidâ cum chylo crudo è Maſsâ ſangu. hinc inde diſtributâ & ſtagnante. Utpluri-

mum Morbis ſive chronicis ſive acutis ſuperveniunt. Sed ſi per ſe appareant, metus eſt ne Morbus chronicus ſuperveniat. *Internè* conveniunt *ſtomachica*, *anticatarrhalia*, & *antiſcorbutica*. *Externè* egregia ſunt *Lixivia*, item *Fomenta* & *Catapl.* ex *Roremar. Bacc. Junip. Origan. Chamom.* in *Lixivio* decoctis; item *Empl. de Bac. Laur.* cum *Ol. deſt. Succin.* quotidie bis repetitum; item *Suffitus* ex *Succin. pulveriſ.* ℥viii. *Acet. deſt.* ℔ i. in Lapidibus candefactis. Si acria deſiderentur, convenit *Lixiv. ciner. Sarment. Vitis*, in quo bulliat *Sulphur commune*; *Ol. Tartar. Vol.* aliquoties à CC. *uſt.* rectificatum; cui non cedit *Ol. Guaiaci. deſt. probè rectif.* In contumacioribus Tumoribus fiat *Catapl. calidum* ex *Sterc. capr.* cum *Urina humanâ*; vel ex *Fimo equino* cum *Farin. Hord.* & *Aceto.* Si hujuſmodi Oedemata aliis morbis ſuperveniant, optimum eſt *Chelidon. maj. rec. contuſum*, & plantis Pedum applicatum.

Scrophulæ & Strumæ oriuntur à lympha acido auſterâ in meatibus glandulоſis collecta. Quædam ſunt mobiles, & quædam firmius radicatæ; quædam ſunt legitimæ, benignæ & indolentes; & quædam illegitimæ, malignæ, & cancroſæ. Inter *Reſolventia* eminet *Ol. deſt. Helmontii* (in tract. *Tartarus non eſt in potu*) *Ol. Lacert. cum Aceto præpar.* (harum pulvis internè nobilis eſt) *Empl. de Gum. ammon.* & *Cicuta crocatum Mynſicht.* cum *Merc. vivo*; *Catapl. ex Fol. Cucum. aſinin.* Habetur *Amalgama mercuriale*, cum quo *Emplaſtra* parata forſan ſunt egregia. Si hæc non diſcutiant, ſuppurentur applicando *Empl. de Meliloto cum Ol. Amygd. d.* & *Pingued. Serpent.* vel *Empl. magnet. Ang. Salæ* mixtum cum *Empl. diaſulph.* Suppuratæ non ſtatim aperiendæ, ſed quamdiu fieri poteſt relinquendæ, ut eo major glandulоſa pars ſuppuretur. Aperto Abſceſſu applicetur *digeſtivum cum Merc. præcip.* hinc pro mundificatione *Balſ. ſulph.* Si

Glan-

Glandula ſit pendula, ſeta equina pedetentim conſtringatur, ut ſenſim marcida ſponte ſeparetur. Si propriis tunicis incluſa ſit, tollatur tota membrana manu Chirurgi, ſaltem ubi non magna vaſa aut nervi ad glandulam tendunt. His jungantur internè fixa acidum abſorbentia, ut *Spongia combuſta*, *Oſſa Sepiæ*, *Remedia viperina*, *Arcanum duplicatum*, *Pumex præparatus*, *Piper*, *Pulv. ſternutat.* cui accedunt *purgantia appropriata.*

Scirrhus ſeu *Tumor durus*, tactui renitens, oritur utplurimum ex ſanguine aut chylo crudo coagulatis. Si dolens ſit, in *Cancrum* ferè degenerat. Inter *Reſolventia* eminet *Empl. ſucculentum* vel *Catapl. ex Cicut. Mandrag. Nicot. Cucum. aſinin.* &c. hinc *Empl. de Cicuta cum ammon.* vel *Empl. Vigon. cum Mercur. dupl.* item *Lamina Saturni Hydrargyro* illita. Si his non cedat, ſuppurandus, *temperatis* tamen, nam *fortiora* facilè Gangrænam exulceratam inducunt. Scirrhus dolens, cancroſus, aut intactus relinquendus, aut in duritiem lapideam indurandus, *Nitro* in *Aceto* ſoluto.

Cancer eſt Tumor ſub initio magnitudinis piſi cum punctione, nigricans, interdum lividus, ſucceſſivè incrementum capiens, in progreſſu vehementius dolens cum pulſatione, & nigritie venarum circa tumorem ſanguine turgidarum; tandem exulceratus cum vicinarum partium depaſcentia & dolore miſerabili. *Cauſa* eſt acidum volatile naturæ arſenicalis. Hoc acidum *occultum* eſt in Cancro incipiente; in exulcerato verò manifeſtius propter novum acidum vitioſum effervefcentiam ciens quod ferè incurabile eſt. Occultum itaque ſaltem palliativè tractetur per temperata; *internè* remedia ex *Cancris fluv.* *externè* *Empl.* ex *Saturno* diutiùs trito cum *Ol. roſ.* & *Croco* in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo calidè; item *Empl.* ex *Ol. Ran.* cum CC. *uſt.* & *Saturno* ſimi-

liter ductis. Cancri exulcerati ſeu manifeſti, vix niſi *Arſenico*, aut *Amalgamate Mercurii* cum *Saturno* cedunt; *vid. de Ulceribus.* Notetur autem, Scirrhos, Strumas, & quaſvis excreſcentias facilè ad Cancros exulceratos degenerare, inprimis ſi per acriora mucilaginoſa ad ſuppurationem adigantur, illa enim tranſpirationem impediendo retenta acriora reddunt, & ſimul acidum occultum in actum ducunt.

Gummata Gallica ſunt tumores duri in Oſſium medio perioſtio incumbentes, ſubinde cum dolore nocturno oſtocopo, partes molles ſubjacentes & ipſa oſſa rodentes. Oriuntur ab acido venereo oſſa infeſtante, adeo ut horum alimentum corrumpatur & coaguletur. In *Cura* conducunt *internè ſudorifera* ex *Lignis* & *mercurialia*; *externè Ol. deſt. Guaiac.* & *Terebint.* cum *Merc. viv.* addito *Opio* (quod in Tumoribus ſanguineis & dolorem ſiſtit, & reſolvit) item *Lamina Saturni Merc. vivo illita.*

Calli, *Ganglia* & *Sarcomata* fiunt, quando fibrillæ partium læſæ alimentum proximum ulterius recipiunt, & diutius retinent, unde magis quàm par eſt aſſimilatur. Calli Oſſium & Ganglia reſolvenda ſunt per *Laminam plumbeam Merc. vivo*, vel *Ol. deſt. Junip. inunctam*; item *Folia Semperviv. maj.* quibus detracta ſit inferior cuticula, mane & veſperi renovandam, item *Empl. Vigon. cum Mercur.* item *Lamina Saturni Spiritu Vini. & Aceto deſt.* infuſa, aſperſo *Euphorb.* Ganglia ſucceſſivè evaneſcere cogit. *Sarcomata*, nervis non adhærentia, aut cum vaſis arterioſis inſignioribus non conſpirantia, exſcindenda ſunt, heterogeneam ſubſtantiam poſtmodum eradicando cum *Ung. ægypt.* & *ſuppurantibus.*

Excreſcentiæ partibus diſſimiles, propriis follicul. incluſæ, fiunt ex nutrimento partis nerveæ retento, alterato, & in aliam ſubſtantiam mutato; & ſæpè Lunæ phaſes imitantur.

tur. Cauſa eſt eroſio membranæ ab internis, vel dilatatio & laceratio ab externis. *Folliculi* fiunt à fibris craſſis ſeparatis, à nutrimento diſtendente longius protenſis, adeo ut inde fibras emittant, mutuo ſui concurſu membranam conſtituentes, quæ nutritur & dilatatur. Materia in folliculis contenta, nunc ſevo, nunc melli, aut pulti ſimilis eſt, quia alimentum conglomeratum coacervatur. In *Cura* Tumor recens reſolvendus, quod rarò fit: vel ſuppurandus. Sed ſi tumor confirmatus ſit, & membranæ firmiter coaluerint, aperiendus eſt Tumor & tota cyſtis radicitus evellenda, vel cultro ſucceſſivè ſeparando, vel erodentibus, cavendo ne tantillæ fibræ remaneant. Primò itaque maturetur Tumor *Empl.* ex *Pice nav. Gum. ammon.* & *Sulph.* Aperto Tumore auferatur Cyſtis *Ung. ægyt.* cum *Terr. Vitriol. d.* & pauco *Virid. Æris.* Tales Tumores in Capite propter denſam & firmiter circumtenſam cutem, non tam extrorſum prominent, quàm latius ſub cute expanduntur, & *Teſtudo* vel *Talpa* audiunt, qui ſuppurandi vel incidendi ocyus, ne materia retenta acrior reddita Cranium carioſum reddat ſed ſi ex fibris duræ Meningis per ſuturas oriantur, relinquendi ſunt intacti, ne periculum Inflammationis duræ Meningis inferatur.

Verrucæ nunc planæ, nunc ex anguſto collo penſiles, pro *cauſa* agnoſcunt fibras nerveas laceratas, & nutrimentum foras emittentes; in digitis pedum *Clavi* dicuntur, qui ſi ex ſolis fibris nerveis oriantur, facilè, ſin ſimul ex læſis Tendinibus, difficiliùs curantur, propter Inflammationis & Gangrænæ metum. In *Cura* Verrucas tollit Planta, *Cieporon* dicta, contuſa & applicata; item *Succus Chelid. maj.* crebrius repetitus; item *Lac Tithym.* ſeu *Eſul.* leniter vulnerando Verrucam ſi tenacior ſit. Laudantur *Ammon.* in *Aqua* ſolutum, *Linimentum* ex *Spir. Sulph.* aut *Vitriol.* cum *Melle*, *Humor ſalivalis à Lima-*

cibus ſale abſterſis ejectus. Emolliri poſſunt Clavi & Verrucæ *Empl.* ex *Cera* cum *Merc.d.* aut *Vigon.cum Merc.* partem emollitam ſemper abſcindendo. Ad *Verrucas venereas* in locis pudendorum : ℞ *Aq. Plantag.* ℔ ß. *Merc. præcip* ℈iv. *Alum.* ℥ ß. diſſolvantur invicem, & cum penna huic liquori intinctâ tangatur Verruca, quæ pedetentim marceſcens decidet.

Fungus eſt Tumor mollis, albicans, circa Articulos ex membranis aut tendinibus læſis excreſcens. *Cauſa* eſt humor nutritius retentus & collectus; cui ſi ſe jungat Synovia, interdum *Fungus* evadit *cancroſus.* In *Cura* mox in principio ſupprimatur, quia nutrimentum abſumit & corpus ad Tabem diſponit. Exſcindendus itaque aut exedentibus tollendus eſt; vel ſi hoc periculoſum ſit inſpergantur *Pulveres exſiccantes* & *acidum temperantes*, ex CC. *uſto*, *Myrrh. Pomphol.* & niſi hæc *ſuffecerint Mercur. præcip.* quæ ſi non ſuffecerint lethale eſt malum.

Aneuriſma eſt Tumor pedetentim collectus ex ſanguine arteriæ à quacunque cauſa vulneratæ, mollis, digito cedens, ſed ſtatim recurrens, laxus, interdum pulſatorius, coloris ſæpè ejuſdem cum partibus vicinis; utplurimum in partibus externis, idque ferè ſine periculo; utut etiam in partibus internis obſervatus fuerit, & mortem induxerit. *Cura.* Cum frequentiſſima cauſa ſit pertuſio Arteriæ loco Venæ, imponatur *Lamina Saturn.* cum forti ligaturâ. & in oppoſita parte ſecetur Vena. Alias applicetur *Empl.* ex *Sumach. Hypociſt. Sang. Drac. Aloes, Thuris, an. cum Album. Ovi.* Si his neglectis *Aneuriſma* jam factum ſit, premat Chirurgus Arterias ex ramo axillari in Brachium decurrentes, ita nullus percipietur pulſus in Carpo; hinc factâ largâ inciſurâ Sanguis ſemi-grumoſus evacuetur, poſtea comprimatur Arteria & applicentur globuli ex *Vitriolo albo* bombaci involuti,

poſt-

poſtmodum inſpergendo *pulv.* ex *Sarcocol. Colophon.* & *Reſin.* cum *ſtupis cannabinis* hoc pulvere imprægnatis, & deſuper applicando *plumaceola* cum forti ligatura. Sic ſanguis ſucceſſivè tranſudando liquefacit *Vitriolum*, & *Vitriolum* erodit labia Vulneris, quo facto denuo coaleſcit. Hi *Globuli* tamdiu relinquantur, uſque dum decidant, quod non fit niſi Arteria ſit conſolidata.

Varices ſunt Tumores à ſanguine hærente in Venis diſtentis, quarum tunica laxata eſt. *Cauſa* eſt vel ſanguis craſſus melancholicus, Venas circa valvulas diſtendens, & earum tunicas laxans; vel ſanguinis motus in trunco quodam impeditus, hinc, propter vaſa iliaca venoſa àb Utero tumido in Gravidis compreſſa, Varices in Cruribus apparent. Si nimius ſit hujuſmodi Tumor *i.e.* ſi ob vaſorum ruptionem, aut propter aciditatem Ulcus aut Gangrænam minetur, evacuetur ſanguis craſſus per puncturam acûs, & applicetur *Lamina ſaturnea.* In leviori malo applicetur *Ung. ex Succ. Canc. fluv. p.ii. cum Butyr. majal. p.* I. *coctis.* Vel *Catapl.* ex *Farin. Lup.* ℔i. *Sterc. capr. exſicc.* ℔iii. *Aceti non valde fortis, in quo Mars ignitus quinquies ſit extinctus, q. ſ.* In Varicibus coſtarum *Fernelius* laudat *Fotum* ex *decoct. Alum. roch.* in *Aceto acerr.* & *ſtrictiſſimam ligaturam*, continuando per menſem.

SECT. VI.

De Gangræna & Sphacelo.

Gangræna communis eſt affectio quibuſcunque læſionibus ſuperveniens, & non differt à *Sphacelo* niſi gradu. Ita verò generantur, & partis color floridus in obſcurum, quaſi carneum, mutatur, hinc pedetentim nigreſcit; in incipiente *Gangrænæ*

græna adeſt ſenſus pulſationis, qui cum calore ſubito perit, partes molles paulatim flaceſcunt, & in *Sphacelo* cutis ſponte à partibus ſubjectis ſeparari poteſt. *Cauſa proxima* eſt jactura acidi volat. ſpirituoſi, partem in ſuo eſſe conſervantis, adeo ut hic peccet *alcali*, à quo, ſulphur partis diſſolvente & in acidum agente, fœtor & putredo deducenda ſunt. *Cauſæ remotæ* vel *mediatæ* fomitem hujus acidi, viz. influxum ſanguinis & ſpiritus vitalis impediunt, ut *Contuſiones* & *Læſiones Vaſorum externæ*; vel *immediatè* acidum deſtruunt, inſenſibilem tranſpirationem prohibendo, & hinc retenta acriora reddendo, ut *Frigus*, inprimis partium nervearum; huc faciunt Venena, & Morbi maligni. Notandum autem, in *Sphacelo*, partem, licet mortificatam, interdum motum adhuc habere, quatenus movetur à Tendine oblongo, cujus muſculus adhuc ſanus eſt; item *Gangrænas* à causâ internâ vix curabiles eſſe, quia amputatâ parte in alterâ erumpit; item partes nerveas & facilius his Affectibus corripi, & difficilius curari.

Cura. In *Gangræna*, ejus progreſſus inhibendus, *internè* quidem per *Theriac*. & inprimis *Camph*. *Spir*. *Vin. camphorat*. *Spir*. *theriac*. *camphorat*. *Citrata* cum *Camphora*, & ſimilia, expectando ſudorem; *externè* verò per lintea *Spir*. *theriacal*. *camphorato* imprægnata, *Pulvere Aloes* & *Myrrh*. *conſperſa*. Elegans eſt *Jus Braſſicæ acidæ*; item *Decoct*. *Calc*. *viv*. & *Sulphuris*; vel *Decoct*. *Calc*. *viv*. *add*. *Merc*. *dulc*. & *Spir*. *Vini*; item *Decoct*. *Sal*. *armon*. in *Urina Ægri*, *vel decoct*. *Scor*. *Antimon*. *in Aceto*. Accedit Catapl. *ex fimo equino in Vino cocto*, vel ex *Farin*. *Lupin*. & *Fab*. cum *Oxymel*. Item *Panni lintei intincti decocto Capit*. *mort*. *Aquæ fortis contuſi* in *Aq*. *roſ*. In *Sphacelo* ſeparanda eſt pars ægra à ſana, vel *ferro candente*, vel *Butyro Antimonii*, quo etiam circulus ducatur circa mortificatum, ut impediatur ulterior mortificationis progreſſus.

In

In leviori Sphacelo fiant ſcarificationes profundæ eluendo loca ſcarificata cum *Sp. Vin.* & *Aceto* & dein illinendo *Ung. ægypt.* vel *Linimentum Hartman.* ex *Merc. præcip. cocto ad conſiſt.* cum *Oleo Nucum.* Dum hæc fiunt, impediatur ulterior progreſſus *Epithemat.* ex *Scord. Abſinth. Bacc. Junip. Myrrh.* & *Aloe* in *Aceto, Vino,* vel *Lixivio* coctis, add. *Alum. Vitriol.* & *Sal. marino.* In graviori verò *Sphacelo* amputetur pars vel per cultrum incurvatum frigidum, & ſerram poſtmodum pro Oſſibus; vel per cultrum planum candefactum. Poſterior methodus magis doloroſa eſt, ſed minus cruenta. Si *Sphacelus* ſit à causâ externâ, ducatur deorſum cutis tam firmiter, ut aliquid de parte ſana amputetur. Si verò à causâ internâ oriatur, largiter in parte ſanâ fiat ſectio. *Abſceſſus* in parte factus curandus ſuppurantibus & mundificantibus, inſtar Ulceris recentis.

F I N I S.

DISSERTATIO MEDICA
DE
ADQVIRENDA VITÆ
LONGÆVITATE,

Quâ non ſolùm

Humani Corporis ſtatus naturalis, ejusque Vitæ durationis cauſa ſuccinctè exponitur,

Sed &

Quâ ratione, quibuſve mediis adhuc hodierna die ſuam Homines ætatem ultra centum annos producere valeant,

diſtinctè, ſolidè & perſpicuè docetur.

Additur in fine

Idea *Conſultationum Medicarum.*

AUCTORE

THEODORO ZVINGERO,

Anatom. & Botan. in Academ. Baſil. Prof. Ordin. S.R.Imp. Natur.Curioſ. Collegâ ac Sereniſſ. Ducis Würtemb. Conſil. & Archiatro.

BASILEÆ,

Impenſis JOH. GEORGII KÖNIG.

Typis JOH. JACOBI GENATHII.

QUOS EXCELLENS
PROSAPIÆ ANTIQUISSIMÆ SPLENDOR
MAGNA INDOLIS GENEROSITAS
RARA INGENII FELICITAS
MAXIMUS PULCHERRIMARUM VIRTUTUM
PIETATISQUE CULTUS
INCOMPARABILIS LITTERARUM AMOR
BONIS OMNIBUS
AD INVIDIAM USQUE COMMENDANT

PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS
DOMINIS, DOMINIS

JOHANNI
CASPARO
ET
WILHELMO
LUDOVICO

LIBERIS BARONIBUS à DORINGENBERG

DOMINIS HIRTZBERGÆ

IN HAUSEN BRANDERSHAUSEN

CASTELEN ET AUENSTEIN

DYNASTIS IN WILDENSTEIN &c.

DOMINIS AC MECOENATIBUS SUIS
GRATIOSISSIMIS,

QUIC-

QUICQUID HOC EST QUALECUNQUE EST
DISERTATIONIS DE
LONGÆVITATE COMPARANDA
SPECIMEN ACADEMICUM

THEODORUS ZVINGERUS,
ANATOMICUS ET BOTANICUS
BASILIENSIS

OBSERVANTIÆ DEBITÆ AMORIS SINCERI
MEMORIÆ ACCEPTORUM BENEFICIORUM
GRATÆ CONSTANTISQUE
MONUMENTUM
NON SINE VITÆ DIUTURNÆ
SANITATIS INCONCUSSÆ
REGIMINIS SUBDITORUM FELICIS
SUCCESSUS CUNCTORUM MOLIMINUM
FORTUNATI
PROSPERITATIS TANDEM OMNIGENÆ
VOTO ARDENTI
AC SUI INSUPER SUORUMQUE
COMMENDATIONE SUBMISSA

D. D. D.

DIS-

DISSERTATIONIS MEDICÆ
DE
Adquirendâ Vitæ Longævitate

CAPUT I.

Humani Corporis Origo. Ejus Natura, Vita, Sanitas, Partes, Actiones variæ.

§. I.

NOndum abſolutam ſtatuerat rerum Univerſitatem Conditor omnipotens, cùm jam Cœlum ac Terram, & quæcunque horum ambitu continentur, infinitas ferè corporum ſpecies ſex dierum ſpatio è nihilo produxiſſet, eaſque velut ex abditiſſimâ ſuæ ſcientiæ abyſſo in publicam hanc Mundi adſpectabilis ſcenam effudiſſet. Singula quidem Divinæ Sapientiæ viſa inventaque fuerunt optima, utpote in quibus nihil vel mole grandius, vel formâ magnificentius, vel varietate amœnius, vel ornatu & pulchritudine elegantius, vel ordine partium decentiſſimo admirabilius, vel denique perfectione abſolutius deprehendere licebat. Deeſſe tamen videbatur adhuc rationalis Creatura, quæ in multijugem, continuo mundanæ hujus Machi- *Mundi fabrica admiranda.*

næ intuitu, admirationem rapta, illius Opificem, & Plaſmatorem ſupremum, Conſervatoremque optimum, indeſinenti laudis, honorum, atque venerationis cultu proſequeretur. Protinus hinc Deus, ad complenda ſexti diei, totiuſque adeo creationis opera, Telluris rudem & ſine imagine glebam, ignotas hominum juſſit induere formas, utque novum hoc opus ſuam feliciùs imaginem exprimeret, vitalem ipſi auram cum rationis uſu clementer inſpiravit. Sic igitur ortus eſt *Homo*, totius veluti creationis compendium, Univerſi hujus exemplar, Animal, ut *Cicero* vocat, rationis & conſilii-pleniſſimum, quod omnes uno propemodum ore *Microcoſmum* nuncupare voluerunt, cùm nihil intra anguſtos ſui corporis limites continere videretur, cui non ſimile quid in ampliſſimo Macrocoſmi theatro ſpectare detur. Hominis eſt autem hæc præ reliquis animantibus excellentia & prærogativa, ut obtinuerit corpus longè majore, ſubtiliore, & elegantiore partium apparatu concinnatum; ut cum animâ ſuâ cogitante divinam acceperit imaginem; ut inſuper dominium in ſingulas Telluris creaturas adeptus, ac denique Vitam præ reliquis viventibus magis durabilem nactus fuerit, imò in æternum duraturam, niſi fœdus primorum Parentum lapſus interveniſſet, hicque moriendi neceſſitatem ipſis ſimul & poſteritati toti, nefando inobedientiæ crimine, adduxiſſet.

Creatio hominis.

Homo microcoſmus.

Ejus excellentia præ aliis animantibus.

§. 2. Liceat autem in Homine triplicem omninò Vitam ſtatuere, *primam* quidem in *Animâ rationali*, quæ conſiſtit in perpetuo cogitandi actu: *alteram* in *Homine*, quæ nihil eſt aliud, quàm unio corporis & mentis ſeu animæ rationalis,

In Homine triplex Vita.

nalis, utpote quâ durante vivit homo, ceſſante verò eadem vivere ſimul hic deſinit: *tertiam* denique in *corpore ſolo*, quam credimus ſitam eſſe in continuo pulſu cordis & arteriarum, indeque contingente aſſiduo partium fluidarum per ſolidas decurſu, cum ſubſequentibus diverſis actionibus corporis vitalibus, quemadmodum ſunt *Reſpiratio, Pulſus Cordis, Sanguificatio, Secretiones humorum, Nutritio, &c.* Etenim ex his ipſis actionibus præſentibus corpus vivere concludimus; ſicut viciſſim, ſi illæ penitus ceſſaverint, corpus etiam mortuum eſſe, hominemque è vivis exceſſiſſe deprehendimus. Quod *vitam Animæ* ſpectat, immortalis ea eſt, ab interitu prorſus immunis, ſive dein illa corpori ſit juncta, ſive ab hoc ſeparata. Reliquæ autem duæ *Vitæ* à ſe invicem quodammodo dependere videntur, ita quidem ut, cùm vita corporis ceſſat, hocque ineptum planè evadit, in quo mens ſuæ voluntatis operationes exercere queat, Anima quoque emigret, locumque à Judice ſupremo deſtinatum petat. Sicut viciſſim, quando in Generatione Hominis corpus conceptum formatumque vivere per omnes ſui partes incipit, ipſa ſimul Anima rationalis infunditur, hacque ſui unione cum corpore Hominem viventem conſtituit.

Vita animæ immortalis.

Vita hominis quodam modo à vitâ corporis dependet.

§. 3. Major difficultas eſſe videtur in deſignandâ vitæ corporis noſtri *Cauſsâ*, vel *Principio vitali*, à quo vitalitatis origo & continuatio dependet. Obſervamus enim, diverſum heic Eruditos ſtatuere ac ſentire, quoad quidem *ſecundam* in rerum naturâ ſtabilitam cauſſam. Nam de *primâ*, quæ ſolus eſt Deus, nulla hactenus mota fuit controverſia. *Secundam* verò il-

Principium & cauſa vitæ humanæ.

non eſt Anima rationalis. lam cauſam, eamque principalem, ante omnia non dicimus cum Ariſtotelicis variis, eſſe *Animam rationalem*, ſine hâc enim corpus vivere incipit, inſciaque illâ vitales in corpore noſtro actiones contingunt. De Vitâ loquimur corporis humani, non hominis totius, hujus enim vita ſine corporis conjunctione cum Animâ ſubſiſtere nequit. Si quis verò cum aliis Peripateticis Vitæ principium *Animæ vegetanti* aut *ſenſitivæ* attribuere malit, cum illo ſimul diſſentire non erubeſcimus, quoniam per *vegetativam* animam nihil niſi ipſiſſimam vitam, de cujus causâ quæritur, per *ſenſitivam* autem vel motus ſolùm corporeos, à vitali ſpirituum motu dependentes, vel rationalem certè Animam, quæ propriè ſentit, intelligere poſſumus. Neque facimus cum illis Hippocratico-Galenicis, qui Vitæ continuationem à *Calido* quodam *nativo*, jugiter *Humidum* in partibus ſolidis *radicatum* conſumente, dependere ſtatuerunt. *nec Calidum nativum.* *Calidum* ejusmodi partibus nullum ineſt, uti nec *Humidum* qualecunque *radicale*, niſi quod ab humoribus atque ſpiritibus apportatur. Adde, quòd vivere Aquatilia notemus, quibus nullum tamen calidum ineſt; quòd partes etiam corporis noſtri ſummè refrigeratæ vivere nihilominus pergant. *nec Spiritus vivificus, Archæus, Calor balſamicus &c.* Minùs adhuc accedimus ad Hermeticos, vel Spagiricos quosdam, qui *Spiritum* neſcio qualem *vivificum* ſub obſcuris nominibus *Archæi*, vel *Caloris balſamitici*, aut *Mumiæ nativæ*, aut *Naturalis ignis*, *Flammulæve vitalis*, in corde habitantis, aut *Materiæ* cujusdam *perlatæ*, aut *quintæ, cœleſtisve Eſſentiæ*, in vitali ſulphure latitantis, pro Vitali principio obtrudere voluerunt; cùm enim hæc vocabula indigeant pro-

lixâ

. lixa explicatione, ac tandem ſignificare forſan poſſint ſubſtantiam, in cujus motu perenni vitam conſiſtere jam ſupra docuimus, quomodo quæſumus pro Vitalitatis causâ admittere poſſemus? Nec denique iis facilè aſſentimur, qui vel *Spiritus animales* per nervos jugiter decurrentes, vel *Spiritum humani ſeminis plaſticum*, ceu corpus tenuiſſimum, mobiliſſimum, fulgentiſſimum, æthereo ſimillimum, è puriſſimâ ac nobiliſſimâ materni ſanguiuis evaporatione per naturalem partium principum calorem elaboratum, pro Vitæ causâ principali, & principio continuante venditant; arbitramur enim, in hisce potius cauſam Vitalitatis proximam in corpore latentem conſiſtere, à quorum motu determinato & Vita in ovulo immediatè excitetur, & pulſus cordis atque arteriarum proximè producatur.

Spiritus animales, Spiritusq; ſeminis humani plaſticus eſt cauſa immediata Vitalitatis.

§. 4. Altius itaque *Principium vitale* eſt petendum, nec tam intra corporum noſtrorum pomœria, quàm verò extra illa quærendum eſſe ſtatuimus. Et cùm hactenus, re adcuratiùs penſitatâ, deprehenderimus, ſine *Aëris*, tellurem circumfluentis, continuo uſu & inſpiratione Vitam per repetita pluries momenta ſubſiſtere haud poſſe, minimè dubitavimus, eundem unâ cum intercurrente Æthere pro vitalitatis & motûs humorum *cauſſa principali* adgnoſcere, *Aëris enim moles*, ut cum *perſpicaciſſimo* Bergero, *Phyſiol. Medic. pag.* 76. loquamur, *incumbentis atmoſphæræ pondere, & hinc pendente preſſurâ, liquidi interioris elaterium rectè temperat & moderatur, unaq; renitentiam ſolidarum partium, propulſionemq; ſanguinis per vaſcula pulmonum & cutis ac muſculorum promovet atq; conſervat. Id quod nemini facilè obſcurum amplius eſſe poteſt, &*

Aër, vel circumfluens tellurem Atmoſphæra cauſa eſt principalis vitæ.

Quomodo motum ſanguinis progreſſivum conſervet?

mutato æquilibrio aëris, ſuo ſæpe damno, multi experiuntur, quando is excedens pondere, vel deficiens, corpora plus æquo ſtipat & comprimit, vel temperando elateri interiori minùs eſt ſufficiens, atq; utroq; modo motum humorum graviter nonnunquam turbat, itaq; labefactat & evertit, ut inde graviſſimæ pronaſcantur paſſiones, & repentina interdum mors ſuboriatur. Quod etiam animalia, campanis vitreis incluſa, nos docent, quando in noſtrâ poteſtate ſitum eſt, aëris miniſterio antliæ excuſſione & reſtitutione adimere illis & reddere vitam. Videlicet Aëreæ ſubtiles, ſummè mobiles, atque elaſticitate præditæ particulæ in ſanguinem quocunque modo intromiſſæ, motum ſibi impreſſum retinent & ita non partium duntaxat ſolidarum poros facilè penetrant; ſed & à molecularum ſanguinis magis minusve ſolidarum reſiſtentiâ variam ſortiuntur determinationem, diverſisque hinc niſibus, preſſionibus vel alliſionibus moleculas dictas quaquaverſum concutiunt, indeque repulſæ reſiliunt, ut ita ex hoc continuo reciprocoque niſûs & renitentiæ particularum inter ſe actu motus humorum intrinſecus vitalis producatur atque conſervetur. *Objici* tamen heic ſolet, *Inſecta* varia, etiam *Serpentes* per biduum & ultra ſine aëre in vacuo vivere poſse, adeoque aërem ad Vitæ continuationem non abſolutè neceſſarium eſſe. Sed reſpondemus, Vacuum tale vix dari vel effici poſſe, in quo nullus planè aër exiſtat, quod experimenta cum Antliis pneumaticis inſtituta nos abundè docuerunt; paucus verò ille aër, qui remanet in vaſe per antliam exhauſto, ſufficiens eſt ad conſervandam per aliquot dies vitam in talibus Inſectis. Sed inſufficiens exiſtit ad vitam diu-

Quomodo aër motum ſanguinis inteſtinum producat?

diutius producendam, ut vel hinc neceſſitas aëris denuo pateat. Habent ſanè talia Inſecta vitales ſuccos ita diſpoſitos, organaque corporis ſolida ſic elaborata, ut quieſcere, vel lentius aliquamdiu moveri, ſed facilè iterum priſtinum motum vitalem à fluido ambiente recipere queant. Quod ſi verò omnis planè aër è Recipiente vaſe, in quod Serpens immiſſus fuit, exhaurire-tur, haud certè multas eum horas victurum eſſe credimus.

§. 5. Ex dictis ſufficienter conſtare arbitramur, tamdiu Hominem vivere, quamdiu corpus ejus vivit. Ad Vitam autem corporis conſervandam tantus, tamque ſubtilis partium diverſiſſimarum apparatus requiritur, ut mirum cui videri queat, quî tamdiu vita hæc durare valeat? Diximus ſuprà, eam conſiſtere in pulſu cordis & arteriarum, indeque proveniente perenni fluidarum partium per ſolidas motu. *Fluidas* partes memineris eſſe *Humores* & *Spiritus*; in utriſque profectò motus tam *inteſtinus* ſive *internus*, quàm *progreſſivus* ad Vitam eſt neceſſarius. *Internum* motum rectè dicunt eſſe particularum fluidi cujuſcunque inſenſibilium jugem inter ſe, eamque inviſibilem agitationem, dum interea totum illius corpus intra vas aliquod quietum manere poteſt; ſicuti v. g. vinum in dolio, aqua in vitro immota ſubinde manet, utcunque inſenſibiles talium partes inter ſe perpetim moveantur. *Progreſſivus* motus eſt, quo fluidæ partes de loco in locum, de vaſe in vas impulſæ progrediuntur. Ita enim *Succus nervoſus*, quem ob maximam ſui ſubtilitatem & agilitatem, cum doctiſſimis tam veteribus quàm neotericis Medicis, *Spirituum* aptiſſi-

Ad vitā corporis continuandam mirus partium apparat⁹ requiritur.

Motus partium fluidarū internus.

Progreſſivus. Succus nervoſus per nervos fluit, Spirituū nomine inſignitur.

tiſſimo nomine inſignire malumus, per tubuloſam nervorum ſubſtantiam continuè urgetur, & protruditur, atque hinc ad ſenſum, motumque corporis voluntarium, ceu actiones animales producendas apprimè confert. *Sanguis* autem è Corde quidem per Arterias, uſque & uſque minores, in totum corpus, ſingulaſque ejus partes tam internas quàm externas pulsûs ope fluit, ac diſtribuitur; indeque per venas ſenſim majores ad Cor refluit. Atque hunc fluxum refluxumque Sanguinis, dum Vita ſubſiſtit, perennantem, qui primus invenit celebris in Angliâ Medicus *Guil. Harvæus*, *Circulationis* nomine ideo donavit, quòd Sanguis in hoc ſuo motu velut in circulum abeat. Inventum æternâ memoriâ vel eapropter dignum, quòd antehâc motus humorum tam ab hepate, quàm à corde verſus corporis peripheriam aſſertus, maximas difficultates paſſus fuerit, imò ne quidem à perſpicacioribus ingeniis concipi unquam potuerit.

Sanguinis Circulatio.

Actiones corporis diverſæ.

§. 6. Plures in corpore vivente *Actiones* contingere, jam remotiſſima notavit antiquitas. Non omnes æquè ad Vitam neceſſariæ creduntur; vivimus enim, etiamſi non ſentiamus; vivimus, etiamſi non loquamur, de loco in locum non moveamur, etiamſi non vigilemus, aut dormiamus. Atque tales vocârunt *animales actiones*, eò quòd maximè ab animâ rationali dependeant. E contrario ſi vel reſpiratio, vel pulſus cordis & arteriarum non procedunt, ſi humorum ſecretiones, ſi chylificatio, & ſanguificatio ceſſent, Vita profectò aut ſtatim extinguetur, aut diu amplius protrahi minimè poterit: unde & has Actiones magis *Vitales* nuncupare conſueverunt.

Quæ Animales?

quæ Vitales?

§. 7.

§. 7. Non æquè requiritur ad Vitæ prolongationem perfectiſſima corporis *Sanitas*: tum enim perfectè & integrè ſanum dicitur corpus, quando omnes illius partes, fluidæ & ſolidæ, maximæ, medioxumæ, minimæ, optimè ſunt & naturaliter, ſive ſecundùm naturam diſpoſitæ; quando fluidæ naturali particularum ſuarum temperie, & proportione ſive craſi, magnitudine, figurâ, ſitu, motuque indeſinente blando & æquabili pollent; quando in ſolidis neque quoad conformationem, ſive magnitudinem, figuram, numerum, atque meatus; neque quoad compoſitionem, ſive ſitum; neque quoad continuitatem ſive unitatem quidquam deſideratur. Jam verò multæ ſunt, partium inprimis ſolidarum, ægritudines, cùm quibus vita etiam ultra Neſtoreos ſubſiſtere annos poſſet. Teſtantur hoc facilè, qui *Verrucis*, qui *Nævis*, aut *Lentiginibus*, qui digiti unius vel alterius, aut membri etiam amputati defectu laborant; teſtantur, qui vel *Oculorum Caligine*, vel *Auditûs imminutione* prehenſi ſunt; teſtantur *Calvi* omnes, *Caſtrati*, & ſexcenti alii, in quibus certè prædicta, vel ſimilia vitia levia nullatenus impediunt, quo minus vitam longiſſimè producere queant.

Ad vitæ prolongationem non requiritur perfectiſſima Sanitas.

Quid Sanitas corporis perfecta ſit?

§. 8 Ad quid igitur, inquis, tantus partium in humano corpore apparatus, ſi aliquibus earum absque diſpendio Vitæ carere poſſumus? Equidem non inficias imus, potuiſſe omnino Hominem vivere, etiamſi multiplicem adeo partium apparatum non adeptus fuiſſet: ſed minimè tamen credimns, corpus humanum tali ratione omnem perfectionem, abſolutamque integritatem habuiſſe. Debuerat enim ille

Ad quid tantus in corpore partium apparatus.

crea-

creatura eſſe omnium perfectiſſima, ſimul & nobiliſſima; debuerat habere dominium in ſingula Telluris corpora; debuerat diligenter laborando vel inter faciei ſudorem de victu & amictu ſibi proſpicere. Ad hæc omnia requirebantur multiplices corporis exercitationes, diverſiſſimaque opera, quæ certè feliciter nemo ſine tam artificioſo tot partium, mutuo inter ſe conſenſu & harmoniâ ſibi invicem aptiſſimè junctarum, apparatu peragere & expedite potuiſſet.

Corpus humanũ vivens dici poteſt Machina naturalis.

§. 9. Quòd ſi enim *Corpus* jam ipſum *hominis* paulo adcuratiùs, imò anatomicis oculis contemplemur, mirificum ſtatim plurimarum partium contextum obſervabimus, vi motûs, ipſi à Deo primitus impreſſi, αὐτομάτως mobilem. Hinc non adeo malè quis illud cum *Automato*, vel *Machinâ hydraulico-pneumaticâ*, per aquas & aërem agitabili, comparaverit. *Machina* enim dici poteſt *naturalis*, in quâ Creator Sapientiſſimus *Truncum* conſtituit, in tres Ventres, nimirum *Caput*, Cerebri domicilium, *Thoracem*, Cordis Pulmonisque habitaculum, & *Abdomen*, Hepatis, Ventriculi, Lienis, aliorumque viſcerum tabernam diviſum. Huic Trunco annexit *Artus*, tam ſuperiores, ſive *Brachia* & *Manus*, quibus varii labores in humanum commodum peragi ſolent, quàm inferiores ſive *Crura* & *Pedes*, quibus inſiſtens Truncus beneficio Articulorum, & Muſculorum de loco in locum moveri, diverſaque voluntatis imperia, non ſecus atque Artus ſuperiores exequi poſſunt. Uſque adeo ut gratis quis dicat, fortuito quodam molecularum vel atomorum concurſu membra omnia in humanum corpus coaluiſſe; tam providè enim, tam ordinatè, tam aptè

Diviſum eſt in Truncũ, cujus tres ſunt ventres,

& Artus.

Non excitatum fuit à fortuito atomorum concurſu.

aptè omnia formata, harmonice juncta, involucroque cutaneo tecta fuere, ut ope tam artificioſi contextus Homo ſpirare, cibos appetere atque aſſumere, nutriri ac ſuſtentari, vigilare, dormire, ridere, flere, generare, loqui, & quæcunque ſunt reliqua Vitæ munia, obire valeat.

§. 10. Atque ut jam præcipuas *Partes*, earumque *Actiones*, quas Anatomici aliàs deſcribere ſolent, obiter attingamus, in Abdomine quidem ante omnia *Ventriculus* occurrit, pars utris inſtar cava, triplici tunicarum apparatu conſtans, & Appetitu urgente aſſumta in os Alimenta, ibidemque, ſi fuerit opus, maſticata ac ſalivali ſucco imbuta, Deglutitionis ope per gulam & œſophagum addmittens, tamdiuque fovens, donec à præſente Liquore ſtomachali minimè acido, ſed ſalſo-volatili aquoſo, (quem Lympha gaſtrica atque Saliva potiſſimùm componunt) per modum nec fermentationis, nec coctionis aut elixationis, ſed diſſolutionis ſolius, ſpatio quinque, ſex, vel plurium pauciorumve horarum, in Maſſam chyloſam, ptiſanæ cremori haud abſimilem, fuerint converſa. *Chylificationem* hoc opus vacant, quâ abſolutâ Succus chyloſus motu Ventriculi tunicarum periſtaltico, per dextrum ſive inferius ejus orificium, quod Pylorum vocant, in canalem Inteſtinorum tenuium, à Duodeno incipientem, protruditur, ſicque continuè per illa ulterius pellitur. In hoc ipſo autem itinere, per accedentem ex Hepate *Bilem*, *ſuccumq; Pancreatis lymphaticum*, Maſſa illa chyloſa valde diluitur, atque in Chylum perfectum, lacteo-dulcem, nec non excrementoſam fœcum materiam

In Abdomine Ventriculus Chylificationis negotium expedit.

Chylificatio abſolvitur in Inteſtinis tenuibus.

riam faceſſit, quæ dein à perpetim durante motu periſtaltico ad craſſa Inteſtina, ac tandem per Alvum maximo cum ſanitatis fœnore promovetur; dum ipſe Chylus interea ſub lactis formâ in Vaſorum quamplurimorum lacteorum, maximè tenuium, atque valvulis donatorum, oſcula impellitur, hincque glandulas Meſenterii majores transeundo, per pauciores ductus, quos Vaſa lactea ſecundi ordinis appellant, in Receptaculum chyli, (ceu expanſionem magni Trunci lymphatici, à Venâ ſubclaviâ uſque ad Ilia deſcendentis, ibidemque varios in ramos ſeparati) demittitur, ulteriuſque ſine morâ, unà cum confluente eundem in Truncum variis è partibus Lymphâ, ſurſum per canalem Ductûs ſic dicti thoracici, (à Trunco illo minimè diſcrepantis) urgetur, tandemque in Venam ſubclaviam effunditur, ac Sanguini ad Cor refluenti permiſcetur.

Neceſſarius chyli ſuccus

§. 11. Utilis eſt maximè, imò neceſſarius iſte *Chyli ſuccus*, tum ad Sanguinem, tum ad ſolidas Partes nutriendas. Quod ſi proin is fuerit naturalis, ac ſine labe, h. e. lacteus, & balſamico-dulcis, conſiſtentiâ debitâ, figuraque molecularum globuloſo plicatili, ſub quâ facilè per anguſtiſſimos etiam tubulos penetrare, ac circulari valet, præditus, tum aptus omnino eſt, non ſolùm ad præſtandam Nutritionem, ſed & ad Vitalitatem prolongandam. E contrario, ſi vel in quantitate vel in qualitate idem ſuccus peccet, ſi à ſalſis, acidis, acribus, pituitoſis, viſcoſo-mucoſis, aliisve particulis heterogeneis inquinatus ſit, tum certè occaſionem non unam præbet ſanguinis turbationi, aut vitalium ejuſdem motuum immutationi, ſimilique phænome-

Ad nutritionem & vitalitatem.

nome-

nomeno, à quo dein vitalis Principii debilitatio, cum tempore cauſa mortis acceleratur.

§. 12. Chyloſus porrò Succus in Sanguinis laticem ſemel intromiſſus, & cum hoc jam Circulationis motum inchoans, ſenſim alteratur, atque per repetitas in ſuo per cor & arterias itinere, conquaſſationes, poſt aliqualem ſuarum molecularum in ſanguineas niſum, harumque renitentiam, mutatâ quomodocunque craſi & configuratione in Sanguinis formam convertitur; ſi non primâ ſtatim, ſaltem multiplicatâ circulatione. Atque hoc ipſum negotium *Sanguificationis*, eſt ſeu *Hæmatoſeos*, cujus officinam neque Cor ſolum, neq; Vaſa hæc aut illa tantùm, neque Sanguinem ipſum, ſed totius corporis arterioſa præcipuè Vaſa pronunciare audemus. Sanguificatio autem iſta ad Vitæ continuationem adeo eſt neceſſaria, ut ſi illa vel nullatenus vel vitiosè contingat, noxæ ſtatim hinc in Corporis œconomia oboriantur, citam allaturæ ruinam, niſi ſuæ Hæmatoſis integritati maturè reſtituatur. Contribuunt ad hanc tam nobilem corporis functionem, partim motus ipſorum Liquorum circulantium inteſtinus; partim Reſpiratio, ſive expanſio & contractio veſicularum pulmonalium, ſub quâ probabiliter corpuſcula aeris puriora in Venulas pneumonicas admittuntur; partim denique cordis & arteriarum Pulſus. Ab hiſce enim cauſſis contingit, ut moleculæ chyloſo lymphaticæ, cum ſanguine circulantes, ſub continuá intra pulſantes arterias conquaſſatione, in minores uſque & usque moleculas faceſſant, hinc particulas novas aereas ſimul & ſanguineas ſubinde admittant, cumq; illis tandem poſt variam præcedentem inter ſeſe col-

Sanguificatio.

Ejus officina.

Quæ ad Hæmatoſin contribuant.

Sanguificationis modus.

liſionem, ac inde contingentem debitam craſin & configurationem, in ſpumantes globulos rubicundos, ſive Sanguinem perfectum convertantur.

Sanguis & Chylus ſunt humores corporis principales.

§. 13 *Sanguis* proin hic unâ cum *Chylo* principales ſunt noſtri corporis *Humores*, quintam alimentorum eſſentiam, & balſamicam quidem illam, in ſeſe continentes, è quantitate maximâ aquoſo-gelatinoſarum, minore ſulphurearum, ſalino-alcalinarum & acidarum, minimâ tandem terreſtrium ac ſalino fixarum molecularum compoſiti; atque pro vitæ continuatione, uti ſuprà monuimus, non tantùm inteſtino, ſed & progreſſivo motu præditi. Quæ autem in Sanguine conſiſtentia deprehenditur, lacti qualicunque ferè ſimilis, robuſta quidem ſatis eſt; & juxta plures Medicos in ſtatu naturali fibroſo-gelatinoſa; ſed non adeo tamen firma, quin variis in partibus viſceribusque glanduloſo-ſecretoriis, moleculas diverſas, ceu totidem novos Humores, ſive *utiles* illos, ſive *inutiles*, ex ſeſe dimittat; & quidem ſolius *Transcolationis* miniſterio, non autem per præcedaneam quandam in ſecretoriis partibus Fermentationem, Coctionem aut Præcipitationem, quemadmodum nonnulli etiam celeberrimi aliàs Medici aſſeverârunt. *Tranſcolatio* autem illa ſimpliciſſimo modo contingit, dum particulæ qualeſcunque ſecernendæ, poſt impetratam priùs ſub circulationis opere debitam ſuam configurationem, in anguſtiſſimis canaliculis ſatis preſſæ, per poros ſibi convenientes extruduntur, appenſisque ſecretoriis tubulis excipiuntur, unde poſtmodum ſua quæque in loca à naturâ deſtinata ulterius progrediuntur.

Sanguis in circulatione varias partes amittit per Tranſcolationem ſolam.

Tranſcolatio ſimplici modo per preſſionẽ contingit

§. 14.

§. 14. Atque ita fit, ut in extremitatibus Arteriolarum capillarium poroſis *Lympha* ſecernatur, humor ille gelatinoſo-limpidus & ſalſo-volatilis, poſtquam per peculiaria vaſcula ſua lymphatica Glandulas hinc inde globoſas, (à *Malpighio* ſatis adcuratè deſcriptas, quas etiã *Nuckius* muſcoſas appellavit,) tranſiit, in iisque per aliqualem motum carnearum fibrarum ſyſtalticum aut compreſſivum novam vim aut impetum adeptus eſt, Sanguini deinceps venoſo, vel etiam Chylo, quorum motum tam inteſtinum quam progreſſivum juvare, coagulationemque præcavere debet, reddendus; in Pancreatis viſcere glanduloſo autẽ *Succus* ſic dictus *Lymphatico-pancreaticus*, per ductum illius communem in Inteſtinum Duodenum, ad chyloſæ Maſſæ præſtandam dilutionem; in Hepate *Bilis*, ceu ſuccus amarus, ſalſo-volatilis, oleoſo-reſinoſus, turbidus, & obſcurè flaveſcens, per ductum cyſticum ac porum bilarium in idem Duodenum pro Chyli à fœcibus commodiore ſequeſtratione & perfectione transfundendus; in Glandulis ſalivalibus & ſtomachicis *Humor Lymphatico-ſalivalis* pro exhibendo Ventriculi menſtruo, ad cibos diſſolvendos neceſſario; in Acinis dein glanduloſis aliis, v. g. Pericardii, Articulorum, aliarumque etiam partium membranoſarum humor ſeroſus aut gelatinoſo-mucoſus pro facilitando partium motu, ſequeſtretur. In Liene verò *Lympha* ex arterioſo ſanguine copioſa ſequeſtrari videtur, quâ per ſuos canales ad Truncum lymphaticum magnum ſecedente, reliquus cruor, generandæ jam Bili aptiſſimus, per ramum ſplenicum, tranſverſim ſub Ventriculo per Omenti ſuperiora ex-

currentem, vaſaque ſtomachi brevia in itinere ſuſcipientem, fluit, & hinc in Venam Portæ ad exhibendam ſufficientem pro exhibendâ Bile, venoſi Sanguinis quantitatem debitam amandatur. Ut falſiſſimum hinc ſit, Lienem eſſe Viſcus inutile, ſine quo Animal vivere commodè queat, cùm revera non contemnendus, prorſusque Vitalitati prolongandæ noxius bilioſi Humoris defectus contingeret, ſi Lien vel abſens eſſet, vel ſuo officio minùs probè defungeretur.

Inutiles humores è corpore eliminandi.

§. 15. Atque hi ſunt præcipui *Humores excretitii utiles*, qui ſcilicet in corpore manentes inſignem ei utilitatem ad Vitæ Sanitatisque propagationem afferunt, uſque adeo ut, ſi deficiant, vel vitioſi exiſtant, labes hinc ſtatim oriatur Longævitati offenſa: ad quam tamen producendam non ſufficiens erat, *utiles* tantùm *ſuccos* à ſanguine ſecerni, ſed neceſſe ſimul fuit, *inutiles* ac ſuperfluos, etiam inde ſequeſtratos, prorſus ex ipſo corpore eliminari, ne ſuâ in corpore permanentiâ ſenſim cumulati *Cachexias*, *Hydropes*, *Apoplexias*, aliaque mala excitarent. Quamobrem provida ubique Natura de variis ſimul partibus colatoriis & tubulis proſpexit, per quos illi facilè ſeparari poſſunt. Hinc in craſſis Inteſtinis *Fæces*, in Glandulis ſubcutaneis *Vapor tranſpirans* ac *Sudor*, in lachrymalibus Glandulis & Carunculis *Lachrymæ*; in Glandulis Narium & Palati *Mucus*; in Tunicâ Aurium glandulosâ *Cerumen*, in Glandulis & Vaſculis uterinæ Vaginæ *menſtruus Sanguis*, in Renibus verò binis, ceu Viſceribus Abdominis lentiformib⁹ glanduloſo vaſculoſis *Humor ſeroſo-ſulphureo-ſalſus*, ſub *Urinæ* nomine ſecernitur, quæ poſtmodum in

Quinam illi, quibusque in partibus ſecernantur.

pelvim

pelvim Renum delapſa per Ureterum canales, in Veſicam triplici tunicarum ad paratu bonſtantem protruditur, & hinc demum è corpore per Fiſtulam urinariam prorſus excernitur. In Teſticulis autem virilibus *Semen* ſpumoſo-album ac valdè ſpirituoſum producitur, *Semen virile.* quod dein per vaſa ejaculatoria ſive deferentia in ſeminales Veſiculas ad futurum uſum deponitur; humor utcunque Individuo, in quo gignitur, parum utilis, neceſſarius tamen ad producendam atque propagandam prolem. Ita quoque in Mammarum muliebrium Glandulis numeroſiſſimis poſt partum *Lac* ſecernitur, itidem *Lac muliebre.* Humor, non tam ipſi alendo Individuo, quàm verò nutriendæ Proli utilis, ac ferè neceſſarius. In Teſticulis muliebribus denique nullum de novo ſemen generatur, ſed ibidem à nativitate jam factum adeſt, ſub *Ovulorum* formâ, in *Semen fœmininũ, ſeu Ovula* quibus ſeminalia colliquamenta, ceu futurorum Fœtuum rudimenta hærent, fœcundanda tamen illa, formanda, & expandenda in Concubitu fœcundo, ſub quo auram maſculini Seminis per Tubas Uteri Fallopianas ad Ovaria aſcendere, Ovulum unum alterumve obvium ſuâ volatilitate penetrare, hinc aëri reliquisque particulis in ipſorum colliquamento exiſtentibus actuationem ſive motum vitalem, à quo Fœtûs futuri formatio, formatique ſtatim explicatio, & per ipſam ſeminalis in Ovulo colliquamenti ſubſtantiam aliqualis augmentatio contingit, exhibere, ſicque *Conceptionem* fieri opinamur.

§. 16. Quod *Spiritus* ſic dictos *animales*, (de *Spiritus animales* *Spiritu vitali* & *naturali* nihil novimus) attinet, quos *fluidi* vel *liquidi nervei* nomine alii inſignire maluerunt, contingit illorum ſequeſtra-

tio in corticali vel cineritia Cerebri & Medullæ ſpinalis ſubſtantiâ, quam ex innumeris glandulis conflatam eſſe, oculi Microſcopio Malpighiano armati jam diu detexerunt. Aut profectò, ſi Glandulæ nullæ adſunt, quemadmodum adcuratiſſimo hujus ſeculi Anatomico *Ruyſchio* placet, *fluidum* tamen illud *ſpirituoſum* è porulis minimarum Arteriolarum, mirè admodum intortarum, tranſmittitur ad cerebri Medullam. *Spiritus animalis* autem eſt ſubſtantia vel portio ſanguinis arterioſi maximè ſubtilis & mobilis, ex Aëreis plurimis, ac paucioribus longè aquoſo-vaporoſis, & blandiſſimis ſalino-tartareo-volatilibus particulis conſtans, atq; in poris Cerebri ac ſpinalis Medullæ ſecreta, indeque per infinitas Nervorum propagines ad Senſus Motusque tam vitales, quàm animales præſtandos in totum corpus diſtributa. Uſque adeo neceſſarius eſt Liquor hic nerveus, ut nulla omnino ſecretio, ad conſervandam vitam neceſſaria, abſque illo contingere queat; etenim tonum & firmitudinem præbet naturalem fibris membraniſque omnibus, quæ ſi nimiâ quantitate implentur, ſicque fortius quam par eſt, in Secerniculis tenduntur, tum ſecretio liquorum hebetatur; ſi verò parcius, vel nullatenus Spiritibus implentur, tum humores ob fibrarum & pororum nimiam laxitatem & flacciditatem copioſius è ſanguine elapſi diffluunt; utrumque non ſine ſanitatis diſpendio. Præter hæc latex iſte ſpirituoſus vinculum quaſi eſt Corporis & Animæ, ita quidem ut ſi ille in Organis corporeis certam quandam ab impulſu objectorum externorum agitationem ſive motum undulatorium, ad medietatem uſque Cerebri continua-

Ejus neceſſitas & uſus.

Vinculū quaſi eſt corporis & Animæ.

tinuatum, fuerit adeptus, certæ quoque cogitationes eapropter in Animâ ſive Mente excitentur, ſicque perceptiones, ſenſationes, atque dijudicationes contingant; & vice verſâ, ſi Mens aliquid judicet, velitque ab his illisve corporis partibus expediri, Spiritus animales in earundem muſculis fibras tranſverſas ſtatim fortius tendāt, moxq; ſimul excitatâ fibrarum carneo-motriciū contractione voluntarium Motum præſtent.

§. 17. Ut autem Senſationes, Motusve tam *animales* & *voluntarii*, quàm *vitales* & *Involuntarii* tanto certius feliciusque contingere poſſent, proſpexit Natura de variis Organis, per quæ ejuſmodi functiones peragerentur. Motuum organa ſunt inprimis *Oſſa* & *Muſculi*, horumque *fibræ motrices* & *carneæ*, per longitudinem extenſæ, atque tranſverſalibus membranaceis fibris ſtipatæ, in quibus Fluidum nerveum ſive Spiritus animales, elaſticitate quadam gaudentes, ad moderatam plenitudinem ſunt expanſi, ita tamen ut, ſi à qualicunque impetu vel contentione acceptâ fibras transverſales magis expandant aut tendant, fibræ hinc carnoſæ, per quas ſanguis decurrit, ſimul conſtrictæ atque contractæ Muſculum abbrevient, motumque partis ſuſcitent, tanto fortiorem illum, quanto major fibrarum dictarum à Spirituum elaſticitate fit expanſio vel tenſio. *Quod* enim *cauſam* motûs *muſculòrum attinet*, verba ſunt Caſp. Bartholini, *Thom. Filii*, *Specimin. Hiſtor. Anatom. Cap. VII. p.m.* 163. *Neutiquam probabile videtur*, muſculos *ita moveri à ſpiritibus eos inflammantibus, ut extrema propius ad invicem accedant; nec veriſimilius eſt nonnullorum commentum, per ſucci nervoſi & ſanguinis concurſum ef-*

Organa ſenſuum & motuū

ferveſcentiam fieri, quâ intumeſcat venter muſculi, & , tumore facto, extrema propius ad invicem accedere. Certam autem eſt, ſolam fibram carneam breviorem fieri, & ſecundùm totum ductum æqualiter; an verò hunc motum à ſe habeat, an à fluido aliquo, an utrumque concurrat, dubium eſt. Certè ligatâ aortâ in cane vivo, inferiorum partium motum voluntarium ceſſare deprehendimus, & reſecto vel ligato nervo, vel aliter utcunque impedito, partium omnium, verſus quas idem ramos mittit, ſenſus ceſſat, & obedientia deſideratur animæ debita, licet non ideo motus ipſis fibris denegetur. Itaque admitti quidem debet, Spiritus animales & ſanguinem concurrere ad Muſculi motum voluntarium, nempe ſpiritus animales, quatenus voluntatis imperium deferunt, modo quodam nobis ignoto, cùm, nervo integro voluntatis imperium conſtet, & abſciſſo eodem pereat; ſanguis autem in contractione fibræ carneæ conſiderandus, quaſi cauſa, ſine quâ non peragi poteſt, quatenus illam irrigat, & vitali rore imbuit. Senſuum organa ſunt varia, & quidem *Interiorum* eſt Cerebri medium vel Centrum ovale *Vieuſſantio* nuncupatum, à quo Nervi plerique ſuam trahunt originem; & in cujus poris tubuliſque innumeris diverſiſſimæ Spirituum undulationes, fibrillarumque ab objectis perculſiones, ad quas Anima præſens ex ordinatione Divini Conditoris admirandâ diligenter attendit, contingunt. *Exteriorum ſunt* v.g. *Oculi, Aures, Nares, Lingua*, & *Fibræ Cutis* aliarumque partium *membranaceæ*, in quibus certè ſingulis expanſæ ſunt *Nervulorum fibrillæ*, ac *papillulæ*, Spirituum latice turgidæ, quæ à diverſiſſimis objectis externis, diverſimodè perculſæ, ſpecificum ſuum motum, indeque ſimul productas ac

certis

certis modis determinatas Spirituum undulationes, vel tremulas agitationes ad Centrum ovale Cerebri continuant. Neque enim ipſum objectum, aut ejus aliqua ſpecies Cerebrum ſubit, ſed tantùm motus, qui ab impreſſione in Senſûs inſtrumento factâ proficiſcitur. Medium verò ac vehiculum, quo illa Organorum ſenſoriorum motio, ab objectis facta, ad Cerebri meditullium defertur, Spiritus eſt animalis, ſive ut *Clariſſimus* Bergerus *Phyſiolog. Medic. Cap. XXIII.* §. *6.p.* 329. loqui amat, *Succus nervoſus, quo placidè perfuſæ Cerebri ac Nervorum Fibræ ita oportunè ac ſeparatè omnes extenduntur, ut vix ulla pars corporis, cui aliqua earum innectitur, tangi moverique poſſit, quin ſimul moveatur ſuccus iiſdem comprehenſus, atque per concitatas ejus undas, fibrarumq́ue fortè ipſarum tremomores, conſimilis motus ad communem illarum ſtirpem* (ſenſorium commune Cerebri) *traducatur, dum nimirum ſucci illius partes poſteriores premendo priores, eædemq́ue porrò ſibi proximas urgendo, impreſſionem ab objectâ re factam, continuatis undis tremoribusq́ue per totam fibræ longitudinem ad Cerebrum propagant.*

§. 18. Omnes denique Partes, quarum vel ſuperficiaria hactenus mentio fuit facta, *Arteriis* foventur, à quibus Sanguis pro nutritione ac vitalitate præſtanda advehitur; *Venis* item, per quas idem Sanguis in Arteriolarum extremitatibus, vel appendicibus, à variis ſive utilibus, ſive inutilibus humoribus liberatus ad Cor refluit: *Vaſis* porrò *lymphaticis*, quibus ſequeſtrata in plerisque corporis partibus Lympha decurrit, & ad venoſum Sanguinem, dilutionis fine tranſmittitur: *Nervis*, per quos Spiritus *Partes corporis tubuloſæ.*

animalis in omne corpus diſtribuitur, ſuiſque muniis obiter ſuprà expoſitis defungitur: *Membranulis* tandem *fibroſis*, quibus integræ partes obteguntur, atque à variis externis injuriis tutæ præſtantur. Subjecta quoque ſunt omnibus *Oſſa*, dura illa, ſed tubuloſo-fibroſa corpora, quæ Cartilaginum interventu, ac mediantibus ferè paſſim Tendinibus cum Muſculis colligata, partes omnes molles fulciunt, ſuſtinent, & ad varios corporeos motus ſubeundos apta reddunt; dum videlicet diverſis articulationibus ſibi invicem juncta, nunc Corpus totum, nunc Membra hæc illave, pro voluntatis multiplici imperio huc vel illuc flecti & moveri, diverſáque vitæ munia obire ſolent.

Involucra corporis communia. §. 19. Ut autem Vitales motus partium fluidarum, ab omnivariis ambientium corporum injuriis tuti manere poſſent, Natura partes prædictas omnes *Cuticulâ*, *Cute*, & *Membranâ adiposâ*, pinguedinem heic uberiorem, illic parciorem ſuas intra cellulas membranaceas continente, ſimulque fibras hinc inde carnoſas vel motrices, à quibus ſub *Panniculi carnoſi* nomine Cutis rugari vel laxari v. gr. in fronte ſolet, complectente, ceu communibus involucris; ſingulas verò partes adhuc Membranâ propriâ & ſpeciali veſtivit. Quanquam hæc ipſa Involucra ex parte quoque Secernicula exiſtant, in quibus lymphaticus maximè Humor ex arterioſo Sanguine ſequeſtratur, & vel externas in auras plus minus ſenſibiliter excernitur; vel ad communem Lymphæ truncum confluit.

Conceptio vivificatio, & formatio fœtus. §. 20. Habet ergo Vita noſtra, ut brevibus omnia complectamur, ſuum ortum in materno Ovulo, in cujus liquamine gelatinoſo admiſſus

miſſus maſculini Seminis Spiritus, ſummè volatilis & activus, ſub concubitu fœcundo blandum excitat particularum motum, per quem tantiſper cum increſcente Ovuli mole continuatum, non ſolùm lineamenta ſeu rudimenta novi Hominis incomprehenſibili quodam modo (niſi jam cum Carteſiano-Medicis ea vel à nativitate poſita adeoque præexiſtentia ſtatuere velimus) ponuntur, ſed & Guttula rubicunda ſaliens formatur, quæ ipſius Embryonis corculum exiſtit, adeoque prima in corpore pars vivens, ſicut & ultima moriens obſervatur. A continuante verò hinc Corculi iſtius motu vitali particulæ colliquamenti ſpermatici alimentoſæ paulatim ad ſingularum partium rudimenta apponuntur, donec formatio & explicatio rudimentorum Fœtûs ſive Embryonis ſit abſoluta. Cùm autem materia ſufficiens pro augenda Hominis jam formati magnitudine in ovulo non ſit, neceſſe fuit, illud ab Ovario ſeparari, inque Uteri capacitatem per Tubam Fallopianam (ceu canalem membranoſum ab Oviario in latus Uterini fundi protenſum) detrudi. In Uteri proin cavitate ſic ampliata cicatrix Ovuli, ſive punctum cruentum, quo antea Ovarii ſubſtantiæ adnatum fuit, ſtatim Uteri ſpongioſæ ſuperficiei adhæreſcit, ac ita paulatim in molem carneam, Secundinæ nomine donatam, faceſſens, ex hiantibus interea vaſis Uteri ſanguinem maternum circulantem adquirit, qui dein per Venam umbilicalem in Hepar Embryonis, hinc & Cor ejuſdem tranſiens, ac poſtea per totum Corpuſculum circulari motu decurrens, ubique nutrimentum affert; cujus ope Fœtus ſic grandior redditus tan-

Nutritio & Augmentatio fœtus.

tandem gelatinoſum quoque nutrimentum, in Amnii membranâ proximè Fœtum ambiente, è materno Sanguine per Chorii papillulas depoſitum impetrat; quod aliquot imprægnationis menſibus Fœtus ore ſubinde haurit, ac in Ventriculum deglutit. Atque ita vivere Homo intra Ovum incipit, vivere ſine reſpiratione, nutriri & augeri pergit, donec tandem ſub finem noni menſis maturitatem adeptus, & reſpiratione jam indigens, Uteri fibras ad excretionem ſtimulando, pariendíque dolores excitando, in hunc Mundum protrudatur.

Infans in lucem editus pro vitæ conſervatione eget Alimento & Spiritus.

§. 21. In lucem autem editus ſic Infans, non maternam amplius vitam vivere poteſt, ſed propriam agere tenetur; quem in finem pro continuando Cordis & Arteriarum pulſu, reliquiſque vitalibus motibus non *Alimento* tantùm, quo vitales Succi perpetim ſunt refocillandi, ſed & *Reſpiratione* indiget, functione Pulmonis, muſculorumqué Thoracis & Diaphragmatis beneficio peragi ſolitâ, quâ circumfluus aër alternis vicibus in Pulmones impellitur, iterúmque expellitur. Duas proin actiones habet, *Inſpirationem*, & *Exſpirationem*. *Inſpiratio* fit maximè per coſtarum dilatationem, quâ aër Thoraci proximus repellitur, hicque alium ſibi vicinum trudit, donec tandem aliquis per nares & os in pulmonum tracheas & veſiculas recipiatur, ſicque locum repleat à coſtis dilatatis derelictum. Maximum tamen momentum huc contribuit virtus aëris elaſtica, ejuſdemque valida preſſio, ab incumbentis Atmoſphæræ pondere, multis experimentis demonſtrabili, facta, quâ quidem fit, ut dum ſpira aëris intra Pulmonum veſiculas contenti propter expanſum Thoracem debilita-

Reſpirationis negotium.

Inſpiratio.

bilitatur, externus aër pondere atque elatere ſuo tanto facilius per os & fauces in aſperam Arteriam, tracheas atque Pulmones irruat. Uſque adeo ut Pulmones quidem dilatentur, quia aër ingreditur, aër autem in Pulmones non ruat, niſi pondere atque elatere ſuo dilatatus eo pellatur. Dilatant, atque à ſe invicem diducunt coſtas Muſculi ſubclavii, ſerratique majores & minores; imò & intercoſtales, non ſine tenſione muſculorum Septi transverſi. Sed quid ſit, quod illos muſculos in Infante recens nato ad talem actionem præſtandam, ac deinceps per totum Vitæ curriculum continuandam irritet, ac ſtimulet, non æquè manifeſtum eſſe autumamus. Probabile tamen nobis videtur, incumbentem Atmoſphæram elatere & pondere ſuo Infantis Pulmones ſubire, eosque ad coſtas ita appellere, ut hinc irritati Muſculi intercoſtales majorem Pectoris dilatationem præſtent. Facit etiam huc fortè non parum ipſa voluntaria Thoracis expanſio, ad quam prævia quædam præcordiorum anxietas, reſpirationis ad circulandum per Pulmones ſanguinem neceſſitate inductâ, contribuere poteſt. Quando autem ab ejuſmodi pectoris dilatatione, aërisque in pulmones illapſu, partim Diaphragmatis muſculi, in Inſpiratione tenſi ac irritati reſiliunt, partim varii Abdominis muſculi, non ſecus atque Bronchiorum fibræ carnoſo-nervoſæ ſimul ſtimulantur & contrahuntur, tum verò Pectus contrahitur, & ſic Aëris è pulmonibus expulſio, ſive *Expiratio* contingit. Dum verò ita reciprocæ diverſorum Muſculorum irritationes ſemper excitantur, neceſſe eſt, etiam Inſpirationem & Expirationem, quamdiu vita ſubſiſtit, perpetuari. Non autem utile

Cauſæ coſtas Inſpiratione dilatantes.

Expiratio.

utile tantùm, ſed prorſus neceſſarium eſſe ad Vitam producendam negotium, Reſpirationem, omnium conſenſu patet. Sine illa certè neque inteſtinus, neque circularis ſanguinis motus continuari poſſet: dum enim bronchia Pulmonum, ad extremas uſque veſiculas, pro individuis comitibus habent Arterias & Venas pneumonicas, per quas Sanguis circulari ſolet, dum etiam Chylus per ductum thóracicum in venam ſubclaviam aſcendere debet, jugiter profectò hos motus juvat trachearum atque veſicularum in Pulmone dilatatio, vaſa illa ſingula comprimens, ſicque Liquorum per ea decurſum promovens. Ut jam varios alios Reſpirationis uſus ſicco pede prætereamus, de quibus Anatomicorum libri conſuli poſſunt.

Reſpirationis uſus.

CAPUT II.

Longævitas. Cauſæ illius in Hominibus ante Diluvium. Mutati ſubinde Vitæ termini.

§. 1.

Longævitas.

HActenus Vitæ noſtræ, aut Vitalitatis rationes tumultuariâ quadam prolixitudine dedimus: *Longævitatem* nunc ſi propiùs conſideremus, nil ſtatim hoc nomine aliud indigitatum cupimus, quàm *Vitam longam, diuturnam, Vitam diu protractam*, aut *productam*, *Vitæ diuturnitatem*, vel *longitudinem*, *Vitam* per plurimos annos, imò ſecula annorum *durantem*. Apud Græcos compoſito vocabulo audit Μακροβιότης, quâ qui gaudebant *Longævi*, μακρόβιοι, & μακραίωνες nuncupati fuerunt.

§. 2.

§. 2. Contigiſſe autem hanc *Vitæ diuturnitatem* hominibus, nemo opinor eſt, qui dubitare auſit. Confirmare id poſſunt exempla, quacunque Mundi ætate notata, quanquam Vitæ humanæ terminus maximopere mutatus fuerit, & ab initio quidem Mundi longiſſimus usque ad Diluvium, poſtea verò intra pauca ſecula adeo contractus, ut jam tempore Moyſis ultra centeſimum trigeſimum, & Davidis ævo ultra centeſimum ætatis annum raró extenſus ſit, ab eoque tempore ad hunc usque diem terminus ſemper idem permanſerit. Equidem Protoplaſti primique noſtri Parentes, *Adam* & *Eva* in æternum vivere, atque in Paradiſo ſemper manere potuiſſent, ſi Creatori ſuo obediviſſent, ejuſque præceptum ſanctiſſimo Zelo perpetim obſervâſſent. Sed cùm nefando ſcelere acceptam tranſgrederentur legem, atque loco Fructuum *Arboriis Vitæ*, qui velut *Antidotum* & *Panacea* eſſent contra quascunque infirmitates, vetitum *Arboris cognitionis boni & mali* fructum deguſtâſſent, mortis pœnæ illicò ſubjecti tantam vitæ longitudinem, tam ſtupendam vitæ annorum ſeriem ſibi amplius promittere haud potuerunt, ſed ſolo diu vivendi deſiderio contenti eſſe & acquieſcere debuerunt. *Terminus* tamen *vitæ* eâ mundi ætate ad milleſimum prope annum extendebatur, durabatque is per integra ſedecim ſecula usque ad univerſale Diluvium, & aliquandiu poſt, quemadmodum ex *Sacris* id *Literis, & Libris* quidem *Moſaicis* abundè patet, in quibus catalogus extat primorum Mundi Patriarcharum, quàm diutiſſimè viventium; inter quos licèt nullus reperiatur, qui milleſimum ætatis annum attigerit, (cum *Mathuſalah* ætate ma-

Longævitas quibus contigerit.

Terminus vitæ mutatus.

maximus tantùm per 969. *Jared* 962. *Adam* per 930. *Seth* per 912. annos vixerunt) credibile tamen eſt, plures fuiſſe alios, quorum generationis lineæ deſcriptæ non ſunt, qui milleſimum fortè annum plenè exceſſerunt: etiam inter impios & à Deo rejectos homines, quibus æquè diuturna ſubinde vita atq; piis fuit conceſſa. Ita enim ante Diluvium recenſitas quidem deprehendimus ſanctorum Patrum generationes undecim, cùm tamen filiorum Adami per Cainum ad 910 annos viventem, generationes tantùm octo reperiantur, ut adeo Poſteritas & Progenies Caini longævior videri poſſit, quàm dictorum Patrum.

Apud pios æquè ac impios.

Ante Diluvium communis hominum longævitas.

§. 3. In univerſum ergo *Longævi* fuerunt homines ante diluvium: poſtea verò ſatis citò *vitæ Terminus* fuit imminutus, atque in tertia jam generatione ad quartam primitivæ ætatis partem, ducenteſimum videlicet annum reductus. Nec diu & ſic manſit, quin paulatim ad centeſimum annum deſcendit, imò hâc adhuc ætate inferiorem, ubi dein usque ad noſtra tempora ſubſtitit, quanquam rari amplius ſint, qui nonageſimum aut centeſimum annum vegeti ſatis attingant. Multis rem exemplis probare nil attinet; qui Sacras diligenter Paginas legit, ſatis ex illis diſcere poteſt, unicum fuiſſe *Noachum*, qui ſexcentos quidem annos ante, & trecentos quinquaginta poſt Diluvium, atque ita ſummatim, noningentos quinquaginta annos vixerit, ætatéque Poſteros omnes ſuperaverit. Etſi enim *Arphaxad*, qui ducentis poſt Diluvium annis naſcebatur, trecentos, ipſiusque filius *Salem* quadringentos & triginta; *Heber* dein filius *Salemi*, à quo Hebræi originem habuiſſe ceduntur.

Contractus vitæ tdrminus poſt Diluvium.

duntur, quadringentos ſexaginta quinq; años vixiſſe referantur, trecentis tamen poſt Diluvium añis natum *Abrahamum*, à Noacho decimum, non niſi centeſimum ſeptuageſimum quintum, ejusque filium *Iſaacum* duntaxat centeſimum octuageſimum ætatis annum attigiſſe conſtat. *Jacob* autem *Iſaaci* filius ad centeſimum quadrageſimum ſeptimum; *Joſephus* in magnâ apud Ægyptios authoritate ad centeſimum decimum annum perveniſſe legitur. *Levi* tamen, frater *Joſephi*, filiusque *Jacobi*, centeſimum triceſimum ſeptimum complevit; eandemq; ferè ætatem attigerunt *Levi* Filius atque Nepos, qui Pater fuit *Aaronis* & *Moſis*. *Moſes* autem annos vixit centum & viginti; *Joſua* annos centum & decem. *David*, utut ætate admodum gravis, vix tamen ſeptuageſimum evaſit annum, conqueſtus hinc ſuis in Pſalmis de Vitæ brevitate. *Anna* Propheteſſa, quæ annos ſeptem in matrimonio, & per octuaginta annos vidua fuit, ultra centum & aliquot annos vixiſſe debuit. *Simeon* Propheta nonageſimo ætatis anno, valde tum ſenex, petitam ex hâc vitâ dimiſſionem impetravit. *S. Johannes Apoſtolus* ad nonaginta tres, *Lucas Evangeliſta* ad octoginta quatuor vixiſſe creduntur. Atque hanc ætatem adhuc hodie pluribus in locis & Regionibus, præſertim in Helvetiâ noſtrâ homines attingere certum eſt. Dum anno 1705. menſe Julio Lucernâ Bernam, variorum naturæ crioſorum inquirendorum gratiâ tranſirem, in pago *Legnau*. Ruſticum ante aliquot hebdomatas ſepultum eſſe audivi, qui centeſimum & quartum ætatis annum exceſſerat. Eodem tempore in pago *Signau* Ruſticum vidi, cujus nomen *Hans Elleberger* vegetum atque robuſtum,

nonageſimum ætatis annum agentem, qui ante ſeſquiannum tertio matrimonio ſibi Juvencam Virginem junxerat, ex eaque filiolam ſuſtulerat, in cujus Baptiſmi die cum Amicis ſeſe inebrians Os humeri luxaverat, feliciterque reſtituebatur. Heic Baſileæ ante menſem ſepelivimus *Ambroſium Salatheum, Sutorem*, qui ſanus vegetus & incolumis ferè nonageſimum tertium ætatis annum attigit. Imò Avia mihi adhuc dum eſt materna, nonageſimo anno proxima, ſatis firma ac ſana, niſi quod annui Arthritidis fixæ inſultus hactenus nimium hanc Matronam torſerint. Ante decennium humi mandavimus Senatorem pium atque honeſtum Dn. Theodorum Burcardum, qui per ſexaginta duos in uno matrimonio annos vixerat, tandemque anno ætatis nonageſimo tertio è vivis exceſſerat. Hujus Avus paternus Chriſtophorus Burcardus ad annum ætatis 88. pervenit, atque in duplici matrimonio viginti duos liberos ſuſtulit, quos inter filii ſex fuerunt, à quibus hodierna Burcardiorum familia omnium ampliſſima atque numeroſiſſima deſcendit, quæ Reipublicæ quidem Baſilienſi à longo tempore Conſules, Tribunos Plebis, & Senatores, prudentiâ, fortitudine atque dexteritate potentes; Academiæ verò ſimul Profeſſores in omnivariâ literaturâ maximè celebres conceſſit. Quod ſi Catalogum longævorum noſtræ Helvetiæ exhibere vellem, in conſiderabilem ille molem excreſceret; in quo certè non ſolùm Mater mea ſeptuagenaria, atq; nonagenaria propemodum Avia materna, ſed egregius profectò numerus hinc inde adhuc proſperè valentium utriuſq; Sexûs perſonarum facilem locum inveniret. *Clar.* Joh. Jac. Bajerus, *Med. D. &*

D.& Prof. Altdorff. in *Diſſertat. epiſtolari de Longævitate Medicorum*, ſeriem notabilé producit ejusmodi Virorum diutiſſimè variis in Regionibus viventium. Liceat eis accenſere Celeberrimum noſtrum Medicum *Joh. Caſparum Bauhinum*, qui per 55. annos apud nos Medicinæ Profeſſor, & quidem in Collegio Medico ultra triginta annos Junior fuit, nec ante octuageſimum ætatis añum vitam cum morte commutavit. Ante hac Conſul nobis heic fuit Vir Ampliſſ. Dn. *Joh. Rudolphus Feſchius*, qui ad 84. ætatis annum maximè vegetus aſſurrexerat, atque undecim viventes poſt ſe filios cum tribus filiabus in matrimonio reliquerat, liberorum nepotumque plurimorum parentes & avos. Dum hæc ſcribo, famulus Capitanei cujusdam me convenit, è Moguntino territorio oriundus, cujus Pater briefly centeſimum & ſextum, mater verò ſecundum & centeſimum ætatis annum attigerant, quatuordecim liberorum parentes. *Celeberrimus* Guido Patinus, Regius Lutetiæ Pariſ. Medicinæ Profeſſor, Epiſtolâ 161. mentionem facit Guerini, *Senioris Scholæ Pariſinæ Medic.* 89. annum agentis, atque in ſuburbio S. Germani ex equo ſuo delabentis, citra notabilem inde noxam ſtatim ſubſequutam, licet aliquot poſt menſibus, die nimirum 26. Febr. Anno 1660. è vivis exceſſerit. Taceo plurimos, de quibus Novellæ ſubinde referunt, quod ætatis annum centeſimum transgrediantur ac ſuperent. Catalogum quoque ſufficientem quamplurium, etiam inter Ethnicos viventium, congeſſit *Franciſcus Baco, Baro de Verulamio*, in *Hiſtoriâ Vitæ & Mortis*, quam conſulere pro lubitu quisque poterit. Sufficit nobis, inde patere, *Terminum vitæ* jam à tribus

annorum millibus ſimilem propemodum fuiſſe, annorum videlicet centum, quem utut pauci attingunt, nonnulli tamen adhuc ſubinde excedunt.

§. 4. Cùm autem major pars Hominum ante ſenectutis annos è vivis excedat, interea pauci reperiantur, qui *Longævitatem* ſpernant, atque ſtudio evitare contendant, jure merito inquirendas atque explorandas eſſe credimus *Cauſas* tum *primitivæ* illius, tum *hodiernæ Vitæ diuturnitatis*. Differentia enim tanta eſt inter omnium temporum ætates, ut quos hodie *Longævos*, & vel decrepitæ ætatis *Senes* appellamus, in primitivo illo Mundo nonniſi *Juvenes* extiterint Viri. Quod ſi ergo *Cauſas* Longævitatis, & inter illas quidem primò *Finalem Cauſam* conſiderare, eamque obiter attingere lubet, videtur omnino, Deum primævis hominibus longiorem vitam vel eapropter largitum eſſe, ut tanto citius humanum Genus in his Terris multiplicaretur, dominiumque in cœteras Mundi incolas exerceret. Cùm enim primò non eſſet niſi par hominum, *Adamus* & *Eva*, (Præadamitarum enim hiſtoriam credimus ludicrum fuiſſe otioſi ingenii commentum) Deus eorum generationi adeo lárgiter benedixit, ut brevi, gignente ſimul & obſtetricante primitus Adamo, in Populos evaderent. Conceſſa tamen etiam fuit Vita longior eam ob cauſam, ut quæ in Paradiſo facta eſt à benigniſſimo Creatore promiſſio, perfectè cognoſci, longâ contemplatione, accurataque conſideratione probè expendi & penetrari, hinc Poſteritati tanto melius inculcari, imò inviolata ſemper conſervari, propagari, & à nocentiſſimis Satanæ corruptelis tuta præſtari poſſet.

Longævi & Senes hodierni olim fuiſſent Iuvenes.

Finis Longævitatis patrum ante diluvium.

ſet. Cùm enim nullus eo tempore uſus ſcriptionis adhuc eſſet, traditionibuſq; meris omnia conſtare deberent, facilè res primâ Mundi ætate geſtæ oblivionis æternæ tenebris immerſæ fuiſſent, ſi homines eo tempore tam breviter vixiſſent. Tum verò etiam primævi Patres omnivarias Artes atque Scientias excogitare & invenire debebant, ad quod certè longa experientia, & per conſequens Vitæ diuturnitas requirebatur. Antequam Verbum Dei Scripto conſignatum, atque in Libros, quos *Sacra* appellamus *Biblia*, translatum fuiſſet, Patriarchæ illi inſtar Bibliorum viventium erant. Verbum Dei enim tum conſiſtebat in Revelationibus Divinis, quæ Patribus primævis obtigerant, à quibus dein illæ ad Poſteros uſque ad tertiam, quartam & quintam, pluresque ſequentes generationes propagari debebant.

§. 5. *Cauſam efficientem* verò atque *conſervantem* Longævitatis duplicem ſtatuimus, *communem* quidem vel *generalem* unam, ac *ſpecialem* vel *propriam* alteram. Prior illa *communiſq;*, omni tempore Mundi non fuit alia, quàm liberrima Dei Creatoris voluntas & providentia, quâ quidem hos voluit majorem, alios minorem vitæ annorum numerum attingere. Quòd autem attinet *ſpecialem* atque *propriam* magis cauſam Longævitatis primorum Patrum, nollem certè ſtatim heic cum *Rabbinis* quibuſdam ſtatuere, *Divino* illam *miraculo* eſſe adſcribendam: miracula enim ſunt inſolita quædam, & extraordinaria phænomena, à Deo in hâc rerum naturâ producta, adeoque effectus minimè cõmunes: illa autem vitæ primorum hominum diuturnitas ante Diluvium univerſalis, communis & or-

Cauſa efficiens & conſervãs Longævitatis eaq; communis.

Specialis, adſcribẽda.

non miraculo Divino.

dinaria erat; paucique admodum fuerunt, qui maturâ morte naturaliter obierint.

nec ſolius Naturæ viribus.

§. 6. Neque iis facilè aſſentimur, qui contendunt, ſoli *Naturæ bonitati* ac *robori* tam prolixam illam vivendi conſuetudinem attribuendam eſſe; valetudinem nimirum, vigoremque Naturæ primâ Mundi ætate fuiſſe maximum; ſenſim autem ac ſenſim dein, fatiſcente illius robore, contractum adque pauciores annos redactum eſſe vitæ humanæ Terminum, tandem & illam primævorum Longævitatem prorſus evanuiſſe. Verùm ſi res ita haberet, breviorque indies vitæ Terminus ex invaleſcente ſolâ Naturæ rerum ſenectute ortus fuiſſet, cur quæſo illa hominum ætas à termino mille annorum tam citò poſt Diluvium deſcendiſſet ad dimidiam, moxque iterum ad quartam, imò brevi ad decimam uſque partem illius? Cur, inquam, jam inde à temporibus Moſis aut Davidis, per tria circiter annorum millia idem Vitæ humanæ Terminus immobilis ſubſtitiſſet, dum interea Mundus extremam ſenectutem attingere debuiſſet? Annon enim neceſſe fuiſſet, decrepitâ hâc Mundi ætate hominum generationem, propagationem, imò vitam ipſam penitus extingui & ceſſare?

nec amori Divino extraordinario.

§. 7. Aſt fortè *chariores* fuerunt illi Patriarchæ Deo, quòd tamdiu vixerint? Eſto hoc, quòd *chari* ſatis, dilectique fuerint Conditori ſuo, ſed eapropter minimè cenſendum eſt, diutius vixiſſe: communis enim fuit illa diu vivendi ſors, impiis non minus quàm piis conceſſa, quemadmodum id *Caini*, hujusque Poſterorum exemplo manifeſtum ſatis redditur. Quin potius viſum obſervatumque eſt omni ferè tempore, pien-

pientiſſimos, Deoque eapropter chariſſimos, longè citiùs quàm alios ex hâc miſeriarum valle ereptos fuiſſe, ſi id videlicet Gloria Dei & talium hominum ſalus requirebat.

nec ſalubriori ante Diluvium aëri, aut alimento.

§. 8. Qui verò Longævitatem illam à *puriore ante Diluvium aëre, ſalubrioribus alimentis efficacioreque terrâ* deducere conati ſunt, & hi certè falſi magnopere fuerunt. Si enim ab univerſali terræ inundatione iſta omnia pejora reddita, corruptaque fuiſſent, cur Noachus ejusque Poſteri tamdiu adhuc per aliquot generationes vixiſſent? Aut cur non hodierno ſeculo ad eam, quâ Primævi gaudebant, ætatem perveniremus, cùm poſt tot à tempore Diluvii annorum myriades & Aër optimè depurari, & ſalubriora iterum alimenta reddi debuiſſent? Imò, cùm hodie adhuc obſervemus, ab Imbribus & Pluviis ſubinde Aërem impuriorem, & malignum corrigi, purificari, & ſereniorem reddi, Terram etiam ab omnis generis Inſectis, Muribus, aliisque nocivis animantibus liberari; cur non potiùs dicere poſſemus, Terram poſt diluvium longè defœcatiorem, aërem puriorem, alimentaq; ſalubriora comparuiſſe? Sed idē tamen, quod ante illam inundationem, Cœlum Terræ imminebat, idem Sol affulgebat, fovebat, & recreabat; iidem ſpirabant Venti, nec niſi limpidis Aquis manabant fontes; & fruges & fructus æquè feliciter ac lætè proveniebant, tantâ certè Inſectorum ſorditie non conſpurcati; ut vel eapropter Animantium carnes ſalubriores eſſe debuerint.

Nec deniq; Ciborũ Crudorũ uſui.

§. 9. Multo minùs cum Joh. Beverovicio, *Theſaur. Sanit. cap.* 3. Longævitatis cauſam dicere poſſumus, fuiſſe eſum Ciborum crudorum,

nullâ coctione, aliave præparatione, primævis ignotâ, maceratorum, adeoque viribus adhuc integris, ſub ignis torturâ & coctionis labore aliàs diffluentibus, pollentium. Neſcitur enim certò, an illi Primævi cibis ſemper crudis uſi ſint, cùm ſcientiam Naturæ à Conditore ſuo infuſam habuerint, imò ignem ſuis in ſacrificiis adhibere ſciverint? Et ſi vel maximè Cibis crudis uſi fuiſſent, nihil tamen hi profectò ad Vitæ procurandam diuturnitatem contuliſſent. Unuſquiſque enim in ſemet ipſo experiri facilè novit, plus Stomachum crudis, quàm ſcitè delicateque coctis gravari Cibis. Adde quòd per ipſam coctionem laudabiliores alimentorum particulæ in apricum prodeant, faciliusque in Ventriculo digeſtæ Chylum nutriciumve Succum præſtantiorem exhibeant.

Sed Longævitas adſcribenda venit voluntati ac Providentiæ Dei, & variis cauſis ſecundis.

§. 10. Qui tandem Longævitatis illius primitivæ circumſtantias omnes probè expendit, facilè nobiſcum conſentiet, *primariam*, *veram* ac *principalem* ipſius *Cauſam* eſſe *Voluntatem*, *Decretum*, *Ordinationem* ac *Providentiam* Numinis Divini ſapientiſſimam, præter quam tamen *ſupernaturalem* cauſam *naturales* quoque *Cauſas*, ſive *ſecundas* interveniſſe, & quidem duas præcipuè, ad vitam adeo diuturnam contribuentes, palam eſt, nimirum *Naturæ bonitatem*, ſeu firmam admodum conſtitutionem & ſoliditatem in partibus corporis; atque *ſimplicem inſuper vivendi rationem*, *Diætamque* cum perpetuo ſalubrium *Aquarum* potu per omnia exactam, quâ quidem Primævi illi homines uſi ſunt. Certè Adamus & Eva in ſui creatione tantam vitæ ſanitatisq; perfectionem, tantum corporis qualiumcunque partium robur

Bonitati complexionis.

Simplici Victus. Diætæ exactus.

acce-

acceperunt, ut in æternum victuri fuiſſent, ſi in ſua mentis rectitudine, atque innocentiâ perſeveráſſent. *Natura ipſa*, inquit Cl. Deodatus *Lib. I. Panth. Hyg. Cap. 6. è primis ſtatim naſcentis Mundi primordiis Hominem, (utpote cui multis de cauſis & ſaniſſimè, & diutiſſimè vivendum erat) firmum ac robuſtum, erectum magno corpore, lato & amplo pectore, vultuq́; amplis humeris, magnis extremitatibus, magnis item oculis, ſupercilio incurvato, mento quadrato, collo craſſo, nervoſoq́;, coſtis validis, lateribus firmis, ventre concavo, coxis oſſeis, brachiis, tibiis, ac talis nervoſis articulatis, fortibusq́;, ſuris deorſum contractis, pedibus manibusq́; articulatis, ac magnis, benè formatis, & nervoſis, omoplatis fortibus, magnis ac diſtantibus, metaphreno articulato, carnoſoq́;, denſo, magno amplo, robuſto & benè coſtato, oſſeis ac validis lumbis, &c. præditum produxit; animalis ſcilicet & robuſtiſſimi & diutiſſimè victuri ideam, & ſimulacrum.* Quamprimum autem de prohibito fructu comediſſent, ſicque Divinum præceptum nefando ſcelere tranſgreſſi eſſent, tum ſtatim mortalitatis pœna ſecuta fuit, hominumque corpora fragilitati ſubjecta. *Quo die*, ſonat Divini Numinis comminatio *Geneſeos II. 17. manducabis de Arbore cognitionis boni & mali, morieris:* non eo quidem commiſſi peccati die, ſed certò tamen morieris. Voluit nimirum Judex & Conditor altiſſimus ſuæ juſtitiæ ſanctiſſimum rigorem ita commonſtrare, & nihilominus ſimul admirabilem Clementiæ ac Miſericordiæ ſuæ bonitatem interponere, quando hominibus illis adhuc in Paradiſio verſantibus, ἱλαστήριον, ſeu propitiatorium obtulit, benedictum videlicet Mulieris ſemen, quod

pro lapſis hominibus reſpondendo irati Numinis vindictam expiare. Sed & ſimplicior vivendi ratio, Diætaque per omnia exactior, medium quoque non contemnendum ad vitam diutius producendam extitit. Benè videlicet eſſe potuit Corpori, cùm nec cibo potuque frequenter oneraretur, neque curis animi conficeretur. Quamprimum autem exceſſus in his illisve rebus committi inciperent, quamprimum corpus alimentis qualibuscunque immoderatè atque intempeſtivè ſaginaretur, cùm Baccho jam, Venerique homines ſtrenuè litarent, ſimulque mentis paſſionibus & frequentibus & vehementibus indulgerent, tum verò & moriendi neceſſitas citiùs ingruebat.

Longævitas hodierna, quouſque extendatur.

§. 11. Quod hodiernam ætatem hominum concernit, quanquam ab illâ primævorum Patrum vivacitate longiſſimè diſſiti ſint, *Longævos* tamen adhuc ſubinde videmus, talesq; omnino, qui ordinarium & maximè communem hodiernæ vitæ terminum excedunt. *Celeberrimus* autem *Helmſtadienſis Profeſſor* Meibomius, *in Epiſtola de Longævis* tres ejuſmodi terminos, quos hiſce ævis attingere homines obſervetur, fecit, velut Climactericos; videlicet 1. *Annum octuageſimum*, quem præter *Moſen Pſalm* XC. 10. etiam *Solon* apud *Laërtium* in vitâ ejus, & *Staſias* Peripateticus apud *Cenſorinum de Die natal. cap.* 14. agnoverunt. 2. *Centeſimum*, quem omnes ferè Auctores cum *Syracide cap.XVIII.*8. admittunt. 3. *Centeſimum vigeſimum*, juxta ætatem *Moſis Deuteronom. XXXI.* Verùm hic ipſe terminus hodie vel nunquam amplius, vel rariſſimè profectò attingitur, quanquam *Clar.* Deodatus *Panth.Hyg.Lib.*1.*cap.*6.ætatem noſtram adhuc

huc hodie naturaliter ad centum & viginti annos extendi poſſe, rationibus, exemplis, obſervationibus & experientiâ fuſiùs probare conatus fuerit. Longævorum talium indicem ſuperius jam dedimus, & catalogum; verùm non ſimpliciter heic æſtimamus tantam vitæ diuturnitatem, quin conſiderabilem magis arbitramur eorum Senectutem, in qua vires adhuc vegetæ ſunt & robuſtæ, quemadmodum variæ Hiſtoriæ nobis exempla non pauca tradunt. *Abrahamus*, uti habetur *Geneſ.* 25. ℣. 7, 8. ad bonam ſenectutem vivax & vegetus pervenit. De *Moſe* dicitur *Deuteron.* 34. ℣. 7. quod mortuus ſit Anno ætatis 120. viréſque corporis & animi uſque ad obitum habuerit integras; *non* enim *caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti ſunt.* Ita *Caleb*, explorator ille Terræ Canaan à Moſe miſſus, ait *Joſue* 14. ℣. 11. *Ecce hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, ut eo valebam tempore*, (ante 40. annos) *quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.* *Cyrus*, Perſarum Rex, utut valdè Senex, nihilominus in ultimo ſuo ante mortem habito Sermone confeſſus eſt, *ſe nunquam percepiſſe, Senectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet.* De *Lucio Metello*, Conſule Romano perhibent Hiſtorici, ipſum in Senectute ſuâ tam benè valuiſſe, *ut adoleſcentiam non requireret.* *Julius Auſonius*, Medicus Gallus à Filio ſuo *Auſonio* Poëtâ ita introducitur, in *ſuo Epicedio* loquens:

Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
Exegi cunctis integer officiis.

Hieronymus inter alia ad *Paulum concordienſem* ita

ita ſcripſit : *Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur, & oculi tamen puro lumine vigent: pedes imprimunt certa veſtigia : auditus penetrabilis : dentes candidi: vox ſonora: corpus ſolidum & ſucci plenum : cani tui cum rubore vultûs diſcrepant: vires cum ætate diſſentiunt: non calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundit: non contractæ rugæ frontem aratam exaſperant.* Celebres illi Reformatorum Theologi, *Theodorus Beza*, *Andreas Rivetus*, & *Petrus Molinæus*, ad bonam Senectutem pervenerunt, & quidem primus ultra annos octoginta , ſecundus prope octoginta, & tertius ultra nonaginta ætatis annos; ſinguli autem ad extremam uſque Senectutem non tantùm publicis ſuis Profeſſionum & Paſtoratuum muniis defuncti ſunt, ſed & Libros doctiſſimos conſcripſerunt, juriſque publici fecerunt. Æſtate anni 1705. obiit in Angliâ Vir quidam nomine *Jean James*, ætatis 122. qui ad ultimos uſque ætatis annos vegetus fuit. Ejuſdem anni menſe Auguſto ex Angliâ ſimiliter perſcriptum fuit, Salisburii Virum adhuc iu vivis eſſe, annum agentem ætatis centeſimum decimum quintum, natum Anborni in Angliâ, cui nomen *William Wildi*, qui ſenſibus adhuc integris gaudeat, atque recordetur etiamnum, ſe Reginam Eliſabetham, Regemq; Jacobum I. vidiſſe; quique erecto adhuc corpore incedat, & Avus ſit Mulieris annos 71. natæ. *Auguſtus Thonerus*, Medicus, palam confeſſus eſt *Lib. VI. Epiſt.* 4. accommodum vitæ regimen præcipuam fuiſſe cauſam, quod conſtanti valetudine annum ætatis 82. exceſſerit. *Thomas Finckius*, in Academiâ Haffnienſi per 13. luſtra Prof. Med. è Conjuge unicâ novem ſuſtulit liberos, & ex horum quinq; naſci ſibi vidit

dit 79. poſteros; non tamen Avus ſolùm, ſed Proavus etiam & Abavus tandem factus eſt, obiitque Ann. 1656. Ætat. 96.

§. 12. Equidem præſtituta eſt unicuique mortis hora, numerati ſunt noſtri dies, nec eſt, qui eos qualicunq; demum arte præterire queat. Sed cùm quotidiana experientia nos doceat, plures adhuc hodie ad extremam ſenectutem, ad centeſimum ætatis annum, imò ultra hunc etiam terminum vivere, qui quæſo certus eſſe potes, ex eorum numero te non eſſe? Fortè enim cauſas ejuſmodi Longævitatis tuo in corpore circumgeris, ut non niſi in te, in tuâ vivendi ratione ſitum ſit, ad magnum annorum numerum pervenire. Naturalibus verò mediis ad eum uſque Vitæ terminum progredi oportet; qui ſi remotior fuerit, frugali, honeſtaque vitâ impetrabitur; ſi propior extiterit, omni velut arte niſuque ad illum homo, per plurimos Diætæ errores, aliove modo properabit. Poſſumus ergo varias hodiernæ *Longævitatis* cauſas adducere: certè diutinam ſibi vitam polliceri poteſt, qui firmiorem partium corporis ſui conſtitutionem vel à nativitate adeptus eſt; neque enim contemnenda hæc eſt diſpoſitio hæreditaria. Si ſani fuerunt, ſi robuſti, ſi vivaces & vegeti Parentes tui, cùm te genuerunt, ſi Mater, cùm te geſtabat utero, Diætam obſervavit inculpatam, nulloque prehenſa morbo decubuit; ſi poſt nativitatem lacte probo, & nutrimento optimo nutritus es, ſeram admodum ſenectam expectare potes, modò laudabilem quoque Diætam obſervaveris. Novimus hinc Familias quaſdam, tanto naturæ robore gaudentes, ut plerique in illis diu admodum vivant, & ad bonam ſene-

Certa cuiq; mortis hora, eaq; immutabilis.

Cauſæ hodiernæ longævitatis.

ctutem

ætutem perveniant, dummodo plurimis Diætæ erroribus Vitæ ſibi filium non decurtent.

Diæta exacta principalis cauſa Vitæ longæ. §. 13. *Diæta* enim ſatis exacta, *ſimpliciorq; Victus* mirum quantum ad Vitæ *longævitatem* contribuere ſolet; neque illa ſolùm in *Cibo* & *Potu*, ſed & in moderamine *Paſſionum animi* &c. valdopere obſervata. Multos gula peremit, & crapula, qui autem temperanter vivit, diu vivet. Ita ex *Triſtitiâ* venit mors, cordisque *mæſtitia* debilitat vires: vide *Syrach. XXXI.* 30. & *XXXVIII.* 19. *Vivendi ſimplex ratio apud ruſticos.* Non pauca verò habentur in præruptis Helvetiæ noſtræ montibus exempla *Ruſticorum*, aliorumque non ſine animi tranquillitate, integris propemodum viribus ad centeſimum ætatis annum pervenientium, *qui* certè, ut cum Deodato *Panth. Hygiaſtic. Lib. I. cap.* 6. loquamur, *ſimpliciſſimo victu contenti, omnis generis cupedias, ferculorumq; irritamenta, importunas comeſſationes, crapulas, ebrietates & ejuſmodi vitæ morticinia in ultimas terras, ad Garamantas & Indos, relegare conſueverunt; uti in quodam mihi notiſſimo & familiari Ruſtico,* Joh. Henrico Schulotto, *apparet, qui mihi hæc ſcribenti retulit, ſe* 106. *annorum eſſe, ita tamen robuſtum, vegetumq;, ut & altos ſcandere montes; & aratrum ducere adhuc commodiſſimè poſſit. Quæſitus à me, quâ ratione ad tantam longævitatem perveniſſet? Reſpondit, ſe primis quidem Adoleſcentiæ annis ſubinde ob varios victûs vitæq; errores valetudinarium extitiſſe, ac vivendi licentiâ in frugale vitæ genus permutatâ, neglectoq; utplurimum vini uſu, hanc ætatem, citra alicujus morbi incurſum, attigiſſe, ſperareq; ſe alios etiam annos ſubſequentes citra labem ſupervicturum.* Rob. Baco Baro de Verulamio, *in Hiſtor. Vitæ*

& *Mortis* inſignem nobis grandævorum homi-num catalogum exhibet, quos quidem non tam per temperantiam, in cibo & potu obſer-vatam, quàm per *Virtutes* omnivarias, *lauda-bileq́;* pathematum Animi *moderamen* ad tantam ætatem aſcendiſſe ſibi imaginatus eſt. Qui enim placidam ſemper mentem habent, qui ſuâ per-petim fortunâ contenti, nec ærumnis & cala-mitatibus mundanis frangi, nec felicitate ni-miâ inſolentes reddi ſolent; qui Irâ vehementi nunquam excandeſcunt; qui Triſtitiâ & Mœro-re non anguntur; quibusque adeo res hujus Mundi qualeſcunque indifferentes exiſtunt, ut inde parum ad has illasve Paſſiones commove-antur, illi verò, ſi cœtera ſimul conſenſerint, omnium diutiſſimè vivere deprehenduntur. E contrario paucos mihi monſtrabis iracundos, meticuloſos, triſtes, melancholicos, venereos, hujuſque mundi voluptatibus nimis deditos, qui bonam ſenectutem conſecuti ſint. *Vita tranquilla & in animi paſſionibus moderata.*

§. 14. Aëris dein *conſtitutionem bonam* non parum ad *Longævitatem* contribuere credimus. Unus enim Aër altero aptior eſt ad conſervan-dum diutius motum humorum vitalem. Hinc *Clima* unum altero ſalubrius, *Regio* una alterâ ſalubrior notata, & credita fuit ab Hiſtoricis. Qui tamen adcuratius ætates hominum in qui-buſvis Regionibus obſervârunt, illi profectò ſe ubique terrarum longævos inveniſſe teſtati ſunt. In Helvetiâ inprimis noſtrâ, Regionum ferè o-mnium, uti altiſſimâ, ita ob magnam Aëris le-vitatem ac puritatem, temperatiſſimâ & ſalu-berrimâ, non ſecus atque notante *Verulamio l.c.* in Angliâ, aliisque Regionibus vix amplius Vil-la paulo populoſior reperitur, in quâ non ali-quis. *Aëris bona conſtitutio.*

quis Vir aut Mulier ex octagenariis exiſtat. Quando autem purior, ſerenior, levior, atque ab heterogeneis, craſſis, verminoſis, corruptis, venenatis particulis immunis Aer, diu vivere geſtientibus maximè conducit; palam eſt, Loca excelſa, orientalem vel meridionalem cœli plagam ſpectantia, ventis perſpirabilia, omniûm eſſe ſaluberrima. Quamobrem ſanitatis ſtudioſi non tantùm habitacula quærunt editiorum locorum, ſed & in ipſis ædificiis Conclavia ſeligunt ſuperiorum contignationum, dictas Cœli plagas reſpicientia.

Cibus & Potus ſalubris.

§. 15. Si dein *Cibus*, non *multiplex* ille, bonæ fuerit notæ; ſi tempeſtivè & modicè aſſumtus; ſi *Aquæ ſaluberrimæ*, aliusve optimè conſtituti *Liquoris*, potus acceſſerit, temperatus is ſemper, & complexioni cuicunque conveniens; ſi nec *Otio* & *Torpori*, neque *Somno largo* ſuum quis corpus expoſuerit; ſed variis *Motionibus* illud quotidie exercuerit; ſi ſubinde in *Balneis* vel *Laconicis* ſordes cutaneas abſterſerit, atque ſuperfluis ſeroſitatibus corpus per *Sudorem* ſublevárit; ſi debitas excretiones ſemper promoverit, ſi vel nullam, vel moderatius ſemper extiterit Veneris exercitium; hæc certè omnia & ſingula maximum quisque pondus habere perſentiet in Sanitatis Vitæque diutinæ conſervatione.

Aliæ res nonnaturales benè conſtitutæ.

Vita religioſa.

§. 16. Tandem *Vitam piam* & *religioſam* è numero cauſarum Longævitatis minimè excludendam cenſemus, promiſit enim Deus fidelibus & piis hominibus diuturnam vitam paſſim in *Scripturâ Sacrâ*; v. g. *Exod. XX.* 12. *Deuteron. IV.* 40. *Deuteron. XXX.* 16. *Pſalm. XCI.* 16. *Ad Epheſ. VI.* 2. Nec obſtat, quod ſæpè etiam Pii citò

tò moriantur, ita enim providet Dei clementia, quando ſuæ Gloriæ magis convenientem, ac ipſis utiliorem eſſe maturam mortem novit, ut eripiantur calamitatibus ſuper terram & populum venturis. Vid. *Eſaj. LVII.* 5. & 2. *Reg. XXII.* 10. Facit autem *Pietas*, & diligens Legum Divinarum obſervatio, ut à Diætæ erroribus abſtineamus, ut ſobrii, humiles, patientes, manſueti, ſorteq; noſtra contenti, in pace & concordia cum Proximo vivamus, ſicque à morboſis Inſultibus tuti ſemper maneamus.

CAPUT III.

Longævitatis adquiſitio poſſibilis. Nil obſtant Anni climacterici. Media ad comparandam vitæ diuturnitatem neceſſaria. Optima partium diſpoſitio, vel in ipsâ nativitate incorrupta. Educatio proba. Diæta ſaluberrima.

§. 1.

ANtequam media ad Vitam prolongandam maximè conducentia in apricum producamus, ſcire oportet, *Utrum Vitæ longævitas revera adquiri poſſit?* Quæſtio non fruſtanea, cùm diverſas hác de re opiniones Literati foverint hactenus, ac etiamnum fovere ſoleant. Equidem inter ſe omnes facilè conſentiunt, Vitam hanc ſine Mortis interventu in æternum produci haud poſſe, cùm unicuique homini ſtatutum ſit ſemel mori, & quiſque appropinquantibus *Senectusis*, v. g. ſeptuaginta vel octuaginta annis, manifeſtè depre-

Longævitatis adquiſitio poſſibilis eſt.

hendat, ſuas enervari vires, ſpirituum vigorem imminui, partes corporis ſolidas torpeſcere & ſiccari, ſeque tandem, niſi Morbus quidam alius intervenerit, *Marasmo* paulatim conſumi & emori. Atque hunc Senectutis marcorem vel ipſe quoque *Galenus* immedicabilem judicavit; quanquam auxilium ferri, ut quàm diutiſſimè extenderetur, poſſibile omnino crediderit. Scilicet ingenita cuicunque eſt ſenii atque interitûs neceſſitas, verumque ſemper illud, dies noſtros jam ab æterno numeratos eſſe, præſcriptum Vitæ terminum, quem præterire nemo poſſit, quemque adeo gratis mutabilem eſſe nonnulli contendant. Moriuntur Infantes Puerique multi, moriuntur Adulti atque Viri quamplurimi, pauciores Senectutem attingunt vegeti & alacres. Non eſt tamen inter hos vel unicus, qui ſcire queat exactè, ſe Juvenem aut Senem moriturum. Latet enim qnemque mortis hora, hinc cûm plerique ſano vivoque corpore in mundum prodeant, ſaltem contra naturæ ordinem non erit, quàm diutiſſimè vitam protrahi, ſenectutem retardari, corporis animique vires conſervari, aut ſi opus fuerit, roborari, & contra graſſantium Morborum incurſiones probè muniri. Ne tamen heic tibi imagineris, ita præſtitutum à Deo vitæ terminum eſſe, ut nullis ad eum conſequendum mediis naturalibus opus ſit. Vult quidem Deus vivere te, vult te ſanum eſſe, moveri, quieſcere, loqui &c. Sed vult ſimul, ut edas, bibas, & alimenta debita aſſumas, aliaque agas, quibus vitæ ſanitatisque uſum naturaliter conſervare queas. Hæc ſi vel neglexeris, vel contempſeris, fame ac ſiti citò peribis, vitamque, quam exopta-

Ignotus quanquã vitæ terminus.

exoptares longiorem, tuâ ipſiuſmet culpâ abbreviabis. Quod ſi ergo Metallum ab ærugine, Plantam vel Cadaver animalis alicujus à putredine præſervare licet, cur non & viventia noſtra corpora ab interitu quàm diutiſſimè vindicare poſſemus? Præſertim cùm illa ad ſui conſervationem per ſe ſatis diſpoſita ſint, neque adeo vel Naturæ facultatibus repugnet, vel Artis noſtræ limites excedere videatur, langueſcentes corporis vires priſtino vigori reſtituere, ætatique hinc decrepitæ juvenilem vigorem reddere.

Cur Reges Principes & Nobiles non riddantur longævi?

§. 2. Verùm, inquis, ſi poſſibile hoc eſſet, cur tot hodie Reges, Principes atque Nobiles, qui nullis parcunt ad comparandam Vitæ longævitatem ſumtibus, vel Juvenes planè morerentur, vel certè provectam, centum v. g. annorum, ætatem nunquam attingerent? Sed facilis reſponſio; non perveniunt hi Viri ad tantam ætatem propriâ ſuâ culpâ, dum plurimos diætæ errores quotidie committunt, & ita corporum ſuorum texturam valde debilitant, ineptamque eam reddunt ad vitales motus diutiſſimè ſervandos: ſuo volunt genio vivere, gloriæque ducunt, optimorum etiam Medicorum conſilia diætetica alto ſupercilio contemnere. Quoties hinc vel leviter ægrotant, ſi à ſuis ſtatim Archiatris non ſublevantur, Agyrtas quoſcunque obvios illicò arceſſunt, parumque curant, ſi ab illorum medendi methodo naturæ vires debilitentur, modò promtum levamen ſuorum dolorum, aliorumve urgentium ſymptomatum adipiſcantur. Atque hinc, notante etiam *Paracelſo Libr. de Vitâ longâ*, non rarò adipiſcuntur Medicos, qui Artem Medicam

longè minus, quàm Agyrta quivis, intelligunt, ſuaque curandi ratione mortem priùs accelerant, quàm notabilis terminus ætatis fuit impetratus. Sic & plebejis multis idem fatum contingere ſolet, dum videlicet impia vivendi conſuetudine, negligentiore à puero educatione, effreni libidine, præſentis ſeculi ingluvie, gulâ, crapulâ, luxu, inſalubris aëris continuo uſu, ſubinde & noxiorum pharmacorum aſſumtione latentem vitæ terminum vel eminus arceſſunt, tantò id promtius, quando ſimul imbecillem atque depravatam Corporis diſpoſitionem à nativitate obtinuerunt.

Plurimi plebeji etiam ad ſenectutem bonã non aſcendunt.

Anni climacterici quid ſint?

§. 3 Multi heic *Annos* ſic dictos *Climactericos* in apricum producunt, eosque pro impedimento Vitæ longioris venditant. Appellant autem annos tales, in quibus inſolentes quædam, ac inſuetæ prorſus, ſive ad bonum, ſive ad malum morboſumve vitæ ſtatum tendentes mutationes ex naturæ quadam neceſſitate contingunt. *Climacterici*, hoc eſt, *ſcalares*, *ſcanſiles*, *vel gradarii*, imò & *genethliaci* dicti, quoniam ab ipſâ nativitate inchoantur. Audiverunt & *hebdomatici*, quòd ſeptenario numero non ſecus atque dies hebdomadarum definiantur. Veteres quamplurimi ad hos ſtudioſè attenderunt, ſibique perſuaſi ſunt, homines illis ætatis annis plerunque in ſtatu periculoſo verſari, morbiſque vehementibus obnoxios eſſe; præſertim cùm obſerváſſent, multos celebres, magnoſque viros eâ ætate mortuos eſſe. *Differentias* ejuſmodi annorum etiam varias conſtituerunt, quarum *præcipuas* vel *principales*, à ſeptenario numero deduxerunt; atque hoc modo inter Climactericos *minores* poſuerunt ſeptimum, 14.21.28.35. & 42.

Eorum effectus,

& Differentiæ.

& 42. Pro Climactericis *magnis* autem habuerunt 49.56.63.70. & 77. Pro *maximis* tandem numerarunt annos 84.91.92. & ſequentes, ſi placet, qualeſcunque. *Minus principales* computarunt numero novenario, & hinc *Emmecaticos* vel *decretorios* vocarunt; ſunt autem hi nonus, 18.27.36.&c. Inter omnes hos annos pro periculoſioribus æſtimarunt illos, qui per tres annorum hebdomadas aſcendunt, uti ſunt 21.42.63.84. & 105. Periculoſiſſimos autem crediderunt quadrageſimum nonum, eo quòd in ſe contineat ſeptem hebdomadas, id eſt ſepties ſeptem annos; & ſexageſimum tertium, in quo Climactericus ſeptenariæ & novenariæ computationis coincidunt; continet enim in ſeſe ſepties novem, vel novies ſeptem annos.

Quas ob rationes effectus quoſdam iis adſcripſerint?

§. 4. *Rationes* autem vel *Cauſas* tantæ in hominum corporibus mutationis, ſeptenario quovis anno contingentis, Aſtrologi ex *influxu* quodam Planetæ *Saturni maligno* deducunt, eo quòd hic planeta, uti ſeptimæ hominis poſt nativitatem diei, ita ſeptimo ſimul cujuslibet ætatis anno præeſſe, dominaríque ſoleat. Alii verò ſpretis his Aſtrologorum næniis, *ſeptenario numero* poteſtatem vel facultatem tam notabilem attribuerunt; numero, inquam, à Deo in opere creationis ſelecto, aliisque modis in Scripturâ Sacrâ celebrato; imò huic numero vim quandam vel à Naturâ præ aliis conceſſam eſſe autumârunt, hincque in Arte noſtrâ Criticos etiam Morborum acutorum dies ſeptenario numero diſcreverunt; præterea ſeptem dies formando fœtui; ſeptem menſes expellendis dentibus; ſeptimum annum reſtituendis dentibus elapſis; bis ſeptem deniq; annos ætatis Pubertati aſſignârunt.

Rationes annorum climactericorum ſunt ſuperſtitioſæ.

§. 5. Sed quàm vanæ, quàm ſuperſtitioſæ, quàm ridiculæ ſint hæ circa dictorum annorum efficaciam ratiocinationes, ſana quemque ratio docet. Ut enim prætercam abſurdas illas Judiciariæ Aſtrologiæ illuſiones, ſapientibus nunc omnibus, eruditisque Viris exoſas, quis, quæſo, amplius eſt adeo præfractæ mentis, ut in *numero*, & quidem *ſeptenario*, in *accidente* hoc, imò non niſi *ente rationis*, tantam efficaciam, tantam potentiam & virtutem ponere audeat? Si quod enim phænomenon, ſi quæ ſanitatis mutatio hominibus obtingit, non illa certè *numero*, qui tantùm eſt in mente numerantis, non his aut illis *ætatis annis*, (qui non ſunt niſi certa durationis vitæ menſura, & proin ſimiliter ens rationis,) ſed ipſi potiùs *diſpoſitioni corporis*, ab aëre, ab alimentis, ab animi paſſionibus, rebusque aliis mutatæ adſcribi debet. Et cùm hæc ipſa mutatio non Climactericis ſolùm, ſed quibuscumque aliis ætatis annis evenire ſoleat, multo minùs aliquas in illâ producendâ partes ſeptenarius numerus habere poterit. Qui autem fundamentum talium, ſeptimo quovis anno ætatis contingentium mutationum, in ipsâ *hominis naturâ* ſtabilitum eſſe contendunt, hem & illi magnopere falluntur, ſuamque in rerum paſſim quotidie contingentium obſervatione negligentiam publicè produnt; annon enim quotidianâ experientiâ clariſſimè patet, non ſeptenis tantùm annis, ſed qualibet ætate naturam hominum mutari? Annon, inquam, ſatis conſtat, quoslibet vitæ annos Climactericos exiſtere, nullúmq; diem, nullam hebdomadam, nullum menſem, nullúmque adeo tempus ætatis præterire, quo non vel graviter ægrotent, vel mo-

moriantur planè homines? uſque adeo ut, qui extra Climactericos annos fatis concedunt, infinities ſuperent numerum his ipſis annis demortuorum.

§. 6. Ut igitur tandem ad ipſa, quibus *Longævitas* procurari poteſt, *media* accedamus, ea quidem ex *diætetico Fonte* principaliter, ſed & interdum è *chirurgico* atque *pharmaceutico* petenda eſſe autumamus. Cùm autem multum in hoc ſitum ſit, qualem quiſque ortum habeat, qualémque ſui corporis machinam in hunc Mundum proferat, robuſtamne vel debilem, magis vel minùs durabilem, operæ pretium eſſe arbitror, rem ab ovo repetere, atque ſic regulas primò ipſis Parentibus commendare, quas quidem tum in procreandâ, tum in educandâ, & ad Juvenilem ætatem elevandâ prole obſervare poſſent. Quibus demum ſubnectamus media, quorum ope Adulti, Viri atque Senes ad centeſimum ætatis annum, vel illo etiam majorem pervenire queant. *Media ad Longævitatem ducentia.*

§. 7. Quod ergo primùm attinet Deſponſatos, Juvenes, aut Viros, quibus equidem volupe eſt, non tam exercendæ pravæ libidinis, quàm gignendæ vivacis, vegetæ atque ſalubris prolis gratiâ matrimonium inire, illis omnino ſuademus, ut ſi familiam ad ſuum gaudium atque ſolatium jugiter aſſurgentem florentemque exſpectare deſiderant, ante carnalis copulæ vinculum, ſuam conſtitutionem probè examinent, neque prius invicem torum ingrediantur, quàm ſanas & tranquillas in ſanis vegetisque corporibus mentes exiſtere deprehenderint. Poterunt ergo non tantùm, uti Chriſtianos, ſed & ut ſanitatis atque longævitatis amantes decet, ſeſe *Diæta ad prolis longævæ generationem neceſſaria.* *Requiſita ad generationis opus præparatio.*

ſtudio ad Generationis negotium præparare, atque hunc in finem illud non ebrio, ſed ſobrio; non curis & ærumnis fracto, aut gravioribus paſſionibus commoto, ſed libero tranquillo, ac læto animo; non item motibus & exercitiis nimium fatigato, ſed alacri & vegeto, ab omni ægritudine libero, corpore illud inſtituere, quò ſic nullum in Prolem ſecuturam malum hæreditarium tranſire queat. Mirum enim quantum ipſis Natis ad vitam diu protrahendam conducit, ſi corpora ab ipſâ nativitate firma vegetaque obtinuerint. Obtinere autem poſſunt ac ſolent, ſi in cohabitatione Parentum matrimoniali maſculini ſeminis aura maximè volatilis extiterit, efficaciſſimoque motu plaſtico prædita; ſi quoque fœminini ſpiritus ſub lætitiæ plenâ mente ad fœcundandum Ovulum penetrarint. Fieri enim nequit aliter, quàm ut per tantam ſpirituum plaſticorum activitatem, perq; eorum in Ovuli colliquamentum niſus, talia futuri fœtûs rudimenta ac fundamenta ponantur, quæ poſtliminio firmam robuſtamque omnium partium texturam excitent. Dum è contrario, qui infirmâ corporum conſtitutione præditi ſecum invicem congrediuntur, infirmam etiam Prolem, Liberosq; nec longævos nec vegetos proferre obſervantur. Ita enim ebrii Parentes ebrioſos ac bibulos, Venerei libidinoſos, Arthritici podagricos, Molles & Delicati imbecilles, Bilioſi cholericos, Triſtes melancholicos, Nephritici nephriticos, imò, quod mirum, Claudi interdum claudos, ac Surdi ſurdos Infantes procreare ſolent. Accidit & prudentiſſimis quandoque Parentibus, ut eorum Nati non raro ſtupido, vel imbecilli admodum ingenio

Quales Parentes tales Liberi.

nio pollentes evadant, quando nimirum talium hominum ſpiritus inter mundanarũ occupationum ſtrepitus ita fatigantur, ut prolificum hinc eorum ſemen non ſpirituoſum & activum, ſed nonnihil torpidum reddatur, atque ita in Natorum corporibus ſpirituum quoque torporem excitet. Dum viciſſim ſimplicioris ingenii, debiliſque judicii Parentes, quorum prolifici ſpiritus activitate majore gaudent, ſubinde liberos proferant, ingenio judicioque ſubacto pollentes, ſuaque hinc animi prudentiâ ac virtute ad ſummos quandoque honores ac dignitates evectos. Conſultum hinc etiam non ſine ratione arbitramur eſſe, ut Deſponſati ante concubitum uno vel altero remedio laxante ſua leniter corpora purgent, atque ab omnibus ſordibus, futuræ proli nocivis, liberent; ut inſuper aliquandiu probæ notæ alimentis ſeſe nutriant; & animos, à gravioribus curis atque ſollicitudinibus liberos, decenter ac honeſtè ſæpius exhilarent, reliquasque tandem bonæ Diætæ regulas probè obſervent.

Corpus ante nuptias purgandum.

Animus exhilarandus.

§. 8. Quando autem *Mulier* ex fœcundo, læto, ſanóque concubitu *concepit*, principaliter quidem ipſi jam incumbit, omni modo conceptum hunc *Fructum* decenter fovere, probè nutrire, & ad maturitatem commodè deducere. Præſtabit id feliciter, atque ſic *Abortum* præcavebit, ſi diætetica continuè præcepta ſtudiosè obſervabit, ac eapropter Aëre ſemper puriore, quantum poſſibile erit, fruetur; ſi nullis dyſpeptis, nullis acido ſalſis aut aromatico-acribus cibis, neque horæis quotidie fructibus Stomachum gravabit; ſi blandos corporis motus inſtituet, ſi vehementioribus Animi pathematibus

Diætæ gravidarum.

frenum minimè laxabit, ſed tranquillam ſemper mentem tuebitur; ſi in graviore plethora ſingulis bimeſtribus aut trimeſtribus ſanguinem ex ſectâ brachii venâ mittet; ſi denique *Fœtum corroborantia* auxilia in uſum trahet, quemadmodum ſunt v. g. *Embryonum balſamus*, ſubinde ad unum vel alterum cochleare ſumtus, *Tragema* itidem ex *Speciebus diatr. ſantal. Diamargar. frig. Dianthos*, *Imperatoris*, *Coral. rubr. ppt. Ungul. Alc. ppt. Oculis Canc. ppt. Matr. perl. ppt. Ebore ppt. Diaphoretico ſolari*, *lunari*, *martiali aut joviali. Semine Fœniculi*, *Granis Chermes*, *Floribus Salviæ*, *Betonic. Primulæ veris*, & ſimilibus, cum ſufficiente quantitate *Sacchari* concinnatum, & quotidie ad ℥j. ℥ij. vel ℥iij. etiam contra *Picam*, *Nauſeam*, *Vomitum*, & *Cordis imbecillitates*, ſumptum. Euporiſtum in hoc caſu quoque eſt quotidianus uſus *Amygdalarum* aliquot *dulcium excorticatarum*, cum tantillo *Mellis* comeſtarum. A refrigerationibus corporis nimiis porrò Mulier gravida abſtineat; *Alvum*, ſi ſponte non reſpondeat, ſubinde *Olei Olivarum*, vel *Suppoſitoriorum*, vel *lenientium Clyſmatum* ope ſollicitabit. Ut autem in his omnibus tantò felicius ſeſe expedire poſſit, ipſe Maritus ſuam Gravidam benè habebit, lætè atque comiter cum illâ ſemper verſabitur, & ita ſimul impedimenta omnia probæ nutritionis curâ ſollicitâ avertet.

Nutritio Infantis in lucem editi.

§. 9. *Infans* ſic probè in materno Utero nutritus, quando felici partu lucis hujus uſuram eſt adeptus, atque à cutaneis Sordibus, balnei vel ablutionis alius ope, diligenter purgatus, ita continuè eſt nutriendus, ut à morborum qualiumcunque ſeminibus perpetim immunis exi-

exiſtere queat. Quem in finem omnia ad conſervandam Chyli, Succique Infantis nutritii dulcedinem conſpirabunt. Hinc ſtatim atque natus is eſt, ad expurgandum, quod ipſius Inteſtina ante nativitatem cumulârunt, meconium, per 24. horas, imò per aliquot dies lambendum præbebis *Butyrum recens* non ſalitum, vel *Amygdalarum dulcium recens expreſſum Oleum*, cum tantillo *Syrupi Violarum*, vel *Sacchari penidiorum*, aut *Mellis & pulveris Corallorum rubr. ppt.* Dum autem interea Puerpera ſatis aliàs ſana, per aſſumpta diligenter juſcula, blandáque aliquot *diaphoretica*, ac potum *Decocti Raſuræ C. Cervi, Eboris, Hordei, Herb. Agrimon. &c.* ſanguinis æſtum atque acrimoniam temperavit, & jam *Lac* in mammis habere incipit, tum illud, utcunque ſeroſum adhuc coloſtrum exiſtat, ſuo Infanti ſugendum præbebit, ceu remedium ad extergendum meconium omnium præſtantiſſimum, quod ubi per biduum vel triduum duravit, *Lac* ſequetur, illudque, ſi Fœmina ſana & non cacochymica fuerit, bonum ac dulce, Tenelli ſtomacho, poſt expurgatas ſordes, apprimè gratum, corporisque nutritioni maximè conveniens, quod proin Infans ad juſtam unius vel duorum annorum ætatem ſugere poterit, ita quidem ut primis hebdomadis aut menſibus aliquot, quouſque copioſum Lac adfuerit, nullum aliud alimentum præberi neceſſe ſit. Sequenti verò tempore demum Cibus dabitur, pulmentum videlicet è farinâ triticeâ vel ſiligineâ optimâ & lacte vaccino melioris notæ probè coctum, nec tenue nimis, neque craſſum & viſcidum. In principio exhibebis ſemel, poſtea etiam bis vel ter quotidie, & quidem eam quantitatem,

Meconii expurgatio.

Coloſtri lactei Suctio non inſalubris.

Non ſtatim pulmentare-cens natis præbenda.

Sed demum poſt.

tem, quam notabis facilè & cum appetitu ab Infante deglutiri; offeres etiam aliquid de Decocto *Radic. Liquirit. ſemin. Aniſ.* & *Hordei* ſuperbibendum, quò ſic & huic potui ſenſim aſſuefiat. Ne autem vel Lac maternum, vel Alimentum hoc in Tenellorum interaneis facilè aceſcat & coaguletur, ſicque *Tormina*, & *Inſultus epilepticos*, alioſve affectus *morboſos*, Vitæ longitudini offenſos, excitet, *pulvis* etiam *abſorbens* & *antiſpaſmodicus* cum pulmentis, aut decocto ſupra dicto, aliquoties de die præbebitur, qualem quidem præſcribere ſolemus ex C. C. *phil. ppt. Ocul. Canc. ppt. Corall. rubr. ppt. Matr. perlar. ppt. Ebore ppt. Cinnab. nat. opt. vel Antimon. corr. Dente apri*n. vel *Hippopotami ppt. Unicorn. marin. ppt. Ungul. Alc. ppt. Radic. Pæon. Ireos flor. Antimon. diaphor.* aut ſimilibus cum *Saccharo candid. alb.* vel *penidio* permixtis. Quod ſi *Lac maternum* vitioſum fuerit, v. g. ſeroſum, lividum, ſalſum, acre, viſcidum, craſſum aut pingue nimis, tum verò illud frequenti hauſtu *Aquarum deſtill. Cherefolii, Scabioſ. Lactuc. Hed. terreſtr. Flor. Til. Sambuc. Apii ſelini, Beccabung. Naſturt. aquatic.* vel *Decocti Folior. Saniculæ, Agrimon. Scabioſ. Heder. terr. Brunell. Hepatic. nobil. Alchymill. Seminum Aquileg. Aniſ. Fœnicul. Radicum Caryophyllat. Chinæ, Sarſæparill. &c.* cum additâ, ſi placet, matutinâ ac veſpertinâ doſi Pulveris ſupra dicti cujuſdam abſorbentis, emendare ac edulcorare ſtudebis. Si autem corrigi nequit, tum *Nutrix* aliqua, mammis lacte optimo turgentibus prædita, ſed quæ nec impudens & libidinoſa *Meretrix*, neque bibula vel garrula *Netrix*, neque iracunda, querula, aut ſordida *Lotrix* fuerit, quæratur, eique lactandus Infans præbeatur. In defectu bonæ Nu-

Aquæ potus.

Præſervativus pulvis.

Correctio Lactis materni.

Nutricis adhibendæ qualitates.

Nutricis ſolis *Pulmentis* & *Aquæ potu* Tenellus nutriendus venit, utut hâc ratione vix Longævitatem impetraturus. Ipſo autem tempore Lactationis ſingulis octo vel quatuordecim diebus Infans *Balneo Aquæ dulcis*, cum admixtâ portione *Vini*, vel *Lactis*, cui v. g. *Salvia*, *Meliſſa*, *Betonica*, *Bellis*, *Chamomilla*, *Origanum*, *Serpillum*, *Scabioſa*, *Agrimonia*, *Althæa*, *Chamædris*, *Calamintha*, *Tuſſilago*, aut ſimilia incoqui poſſunt, immittatur, ut inde robur partibus ſolidis maturè concilietur, obſtructionesque Meſenterii & aliarum partium internarum vel præcaveantur, vel, ſi fortè jam factæ ſint, reſerentur. *Diætam* interea *Nutrix* vel lactans *Mater* exactam ſemper obſervet, atque inprimis à nimiis membrorum refrigerationibus, à cibis acidis, flatulentis ac ſalſis, à gravioribus animi Paſſionibus ſibi temperet. *Nutricis ratio vivendi.*

§. 10. Abſoluto *Lactationis tempore* Alimentum *Tenellorum* adhuc per aliquot annos erunt *Pulmenta*, aliáque *Lacticinia*; illique non niſi tardè paulatimque ſalitis ac ſolidioribus cibis adſuefient, quò ſic omnes Morbi cutanei præcaveantur, aut ſaltem non ita copioſi & ſordidi efflorescant. Hilaris dein in ipſis mens excitabitur, & ab enormibus ſic pathematibus ſtudioſè præſervabuntur. Magis autem Adoleſcentes non deliciis & cupediis ſaccharatis, mellitisque, ſed ſimpliciſſimo victui; non otio, ſed aſſiduis ſenſim laboribus; non luxui, ſed rerum parſimoniæ; non licentiæ ac petulantiæ, ſed timori Dei, & Parentum vel Præceptorum venerationi diligenter adſuefaciendi ſunt. Et ſicubi jam ad literas addiſcendas applicabiles illos, aptosque inveneris, non eorum ſtatim ingenia *Diæta ablactatorum.* *Educatio bona.*

mirum

mirum quantum torquebis, ac ſpiritus à nutritionis augmentationíſque opere diſſipabis, ſed paulatim eorum memoriam & ingenii vires exercebis; non enim cogi ſe patitur, ſed pedentim duci vult Natura. Si quos dein Pueros obſervabis bonis Naturæ dotibus, aut indole felici præditos, tum eos quidem, ſuo munere diligenter fungentes, præmiis ſubinde datis ad continuandam induſtriam moderatámque ſimul ambitionem ſtimulabis; delinquentes verò cum moderamine & judicio caſtigabis. In *Diæta* denique Aëris mutationi quotidianæ ac omnivariis Cibis eupeptis debito cum regimine aſſuefacies. In potum Aquam optimam, vel Cereviſiam defœcatam bonæ notæ, quandoque tantillum Vini boni concedes, ſed uſui Spiritûs Vini ſimiliúmque interdices. Somnum ad octo vel plures etiam horas permittes, neque tandem ab exercitio corporis moderato, & proborum, modeſtorum optiméque moratorum Adoleſcentum conſortio deterrebis.

Diæta Adultorum & Senum.

§. 11. *Adulti* & ad *Juventutis* ætatisque *Virilis* annos jam progreſſi, non minùs exactâ opus habent *Diætâ*, ſi *Senectutem* attingere, atq; inter Canos vegeto corpore integríſque adhuc Viribus ſedere cupiunt. Ipſi verò *Senes* ſimiliter certas vivendi regulas obſervare debent, ſi vel Juvenilem recuperare vigorem, vel certè vegetam diu ſenectam protrahere deſiderant. Cum igitur maximum heic momentum habeat *Aër*, quem inſpirare cogimur, pro Regionum, Climatum, Anni temporum & ventorum, hinc inde ſpirantium, varietate, maximè diverſus, frequenterque mutabilis, quiſque Homo benè faciet, ſi ab ineunte ſtatim omnivario Aëri ſeſe aſſuefaciet,

neque

neque tamen uno nimis diu & continuè fruatur. Inprimis autem ſeliget, quantum poterit, Aërem ſublimiorem, & leviorem illum & puriorem, à cujus frequentiore uſu, tum ſpirituum majorem activitatem, tum digeſtionis ſtomachicæ, ſecretionumque omnium feliciorem progreſſum ſibi polliceri valebit. Non poſſumus heic non magnopere eapropter *Aërem* noſtrum *Helveticum* præ cœteris commendare, & quidem iis in locis, ubi ſalubriores ſimul limpidarũ Aquarum fontes ſcaturiunt, quemadmodum noſtra hoc nomine *Baſilea*, Helvetiorum Macropolis, meritò ſuperbire poteſt, utpote in quâ plures hinc inde Fontes ſcaturiunt perennes cryſtallinis atque puriſſimis Aquis, conſervandæ hominum ſanitati maximè convenientibus, divites, juxta quas tamen ſimul tanta purioris aëris clementia, tanta optimorum fructuum ubertas, tantus Annonæ qualiſcunque proventus eſt, ut Exteri hanc Incolis ſubinde ingratiſſimis felicitatem non ſine ratione invideant; idque eo magis, quod non ſolùm intra Urbis pomœria amœniſſima habeantur Tempe, veluti ſunt Lucus petrinus, Rheni pons, & Area Templi Mariani, ſed & quacunque Portâ extra Urbem obambulare velis, jucundiſſima hinc inde ambulacra, mirificè hominum animos recreantia, invenies. Si planiciem ames, ridentia ubique prata offendes, ſi colles deſideres, amabiliſſimi prope Urbem ſunt, in quibus circumjacentium Regionum intuitus eſt excellentiſſimus; ſi Sylvas præferas, ex utraque Urbis parte in viciniâ Lucos ſpectabis, mirificis Umbris & amœniſſimo Avium diverſarum cantu delectantes. Si Aquas & Flumina malis, non Rheni ſolùm, Ur-

Baſilienſis Urbis ſalubritas.

bem

beni dividentis, dulciſſimas Undas, ſed & Birſicum Amnem Majoris Urbis vallem perreptare; deinceps extra eandem Urbem aliquot Telorum jactibus Birſæ torrentem magnum decurrere, extra Minorem Urbem verò non majore diſtantiâ Wieſam placidum Amnem præterfluere; ac ambos in Rhenum ſeſe præcipitare; denique ramos ab iſtis, utramque in Urbem deductos, ac Molendinarum uſui inſervientes pulchrè manare videbis, omnes certè piſcium optimorum proventu divites. Quæ cum ita ſe habeant, mirum eſſe non debet, ſi finitis bellorum motibus ex omnibus Mundi angulis, ſicuti olim factum, ad nos iterum ſive Studiorum omnivariorum proſequendorum, ſive incolumitatis melioris recuperandæ, aut ſaltem ſtabiliendæ & in plurimos dein annos conſervandæ gratiâ Peregrini numeroſè acceſſuri, atque nobiscum aliquandiu commoraturi erunt.

Selectus conclavium in ædibus non ſpernendus.

§. 12. Quod ſi diverſitatem aëris in quibuſque ædibus ſpectemus, ſeliget quiſque in ſuis habitaculis Conclavia ſuperiora, hyberno quidem ac verno tempore orientalem ac meridionalem, æſtivo autem & autumnali borealem magis & occidentalem cœli plagam ſpectantia. Laudamus hinc morem quorundam Regum & Principum, qui non ſolùm talem conclavium ſuis in Palatiis ſelectum inſtituunt, ſed & varia hinc inde Palatia erigunt, ut diverſum ſic Aërem certis anni temporibus, heic aut alibi ſalubriorem, haurire queant. Senes præprimis editiori, atque maximè tenui, ſerenóque aëre, tanquam ſibi convenientiſſimo, quotidie *gaudebunt & fruentur.*

§. 13. Cùm autem non ſemper conceſſus

ſit

ſit aëris optimi uſus, frequenterque vivere teneamur in impuriore illius temperie, variis à cauſis, v. g. fimetis, platearum & cloacarum male purgatarum fœtoribus, cadaverum minus profunde ſepultorum peſtilentibus exhalationibus, ſtagnorum & paludum putridis evaporationibus, aliisque rebus contractâ, meritò ejus qualemcunque correctionem inſtituimus. Emendatur autem *humiditas* illius partim accenſis frequenter *Lignis*, v. g. *quercino*, *abietino*, *juniperino &c.* partim crebro uſu *Fumi Tabaci*, partim denique accenſo *Pulvere Pyrio*, aut *calefactis Hypocauſtis*, in quibus verſamur. Imò hac ipsâ methodo, excitati præprimis ignis, peſtilentem quoque Aërem depurare, & à venenatis particulis, quas flamma comburere ſolet, liberare poſſumus. *Contagioſam & peſtiferam* Aëris *qualitatem* corrigere præterea ſolemus vel *Suffumigiis* frequentibus è *Thure, Maſtiche*, *Ladano*, *Styrace*, *Flor. Roſar. rubr. Primulæ Veris*, *Salviæ*, *Radicibus Ireos*, *Cyperi*, *Angelicæ*, *Dictamni &c.* conficiendis: vel *Acetis prophylacticis* qualibuſcunque, per pavimenta ædium quotidie ſemel aut aliquoties diſpergendis, quemadmodum ſunt *Acetum rutaceum*, *roſaceum*, *ſambucinum*, *juniperinum*; vel tale, cui *Radices Doronici*, *Dictamni*, *Petaſitidis*, *Angelicæ*, *Imperatoriæ*, *Cyperi*, *Herbæ Rutæ*, *Alliariæ*, *Scordii*, *Majoranæ*, *Ocymi*, *Origani*, *Abſynthii*, *Anethi*, *Lavendulæ*, *Matricariæ*, *Baccæ Juniperi*, *Cinamomum*, *Caſſia lignea vera*, *Cubebæ*, aut ſimilia prius infuſa fuerunt.

Correctio Aëris humidi.

Contagioſi.

§. 14. *Siccum Aërem calidumq́;*, humores noſtros valde diſſolventem & acres reddentem, temperabimus, pavimenta ædium *frigidâ* ſæpius

Calidi & Sicci.

Aquâ irrorando; aut folia *Vitis, Salicis, Quercûs*, vel *flores Roſarum, Lilior. convall. Nymph.* per illa interdum diſpergendo; aut *ſolarium Radiorum*, *Aërisq; æſtuantis* acceſſum quomodocunque arcendo. *Frigidus* Aer, humores corporis incraſſans, igne mitigabitur, ſive ſub caminis accenſo, ſive in fornacibus excitato: ſed ne tamen refrigerata nimiùm membra ſtatim igni admoveamus, quoniam ſic per rapidiorem in particulis cutis ſtagnantibus motum illico excitatum, indeque contingentem fibrillarum plurimarum conſtrictionem, Circulatio humorum præpeditur, & ita Gangræna ac Sphacelus excitatur. Ipſa Hypocauſta quoque ne nimis ſint vel depreſſa, vel anguſta, utroque modo Catarrhis, & humiditatibus in corpore noſtro gignendis aptiſſima. *Aëris* porrò *fœtor* è Conclavibus Ædium frequenter *Ignis* ope expellitur, per *Ligni juniperi, Roriſmarini*, vel *fagini &c.* accenſionem; ſubinde etiam *Suffumigiis* aliis corrigitur, fragrante odore commendatis, quemadmodum in Pharmaceuticis Officinis ſub formâ *Liquorum, Trochiſcorum, Candelularum, Maſſarumq;* variarum parari ſolent ex *Aromatibus, Lignis & Reſinis ſuaveolentibus, Moſcho, Ambrâ, Zibetho* & aliis.

Frigidi.

Denique fœtidi.

Venti ſalubres & inſalubres.

§. 15. Quoad *Ventos* notandum, *frigidos* & *humidos*, quemadmodum ſunt *Zephyrus* ſeu *Favonius*, & *Aquilonaris* ſive *Septentrionalis*, omnium maximè adverſos eſſe Vitali humorum circulantium motui, quamobrem in illis non diu nimis verſandum erit, imò contra illorum vim Senes inprimis ſua munire corpora debent. Mane, antequam radii ſolares, vel venti qualeſcunq; malignas terræ exhalationes aut nebulas diſſipaverint, in liberum aërem ſanitatis ſtudioſus ne temerè

mere ſe conferat, aut certè in ipſo minus diu maneat. Appropinquante Hyeme Ignis opem maturè quærat, ne vaporum mole preſſus humorum craſſitiem valde nocivam adquirat.

§. 16. *Victûs ratio* debita, atque *temperantia* in Cibo ac Potu ſtudiosè obſervata, magnum ad Vitæ Sanitatisque conſervationem momentum contribuere credimus. Etenim rectè ſonat monitum Scholæ, *pone gulæ metas, & erit tibi longior ætas.* Hippocrates, *Artis noſtræ facilè Princeps*, nonageſimum quartum, vel, ut alii autumant, centeſimum & quartum annum ætatis attigit, cùm autem aliquando cauſa longævitatis tantæ ab ipſo expoſceretur, reſpondit, ſtatim, *quia ſatur de mensâ nunquam ſurrexi.* Seculum modò elabitur, quo heic Baſileæ per plures annos, ad ſuæ uſque vitæ finem, apud Proavum meum *Jacobum Zvingerum*, Philoſophum ac Medicum, Græcæque Linguæ Profeſſorem commoratus eſt aliquot Galliæ Regum & Maximiliani Imperat. Archiater celeberrimus, *Guilielmus Arragoſius*, Toloſates, *Chymicus expertiſſimus*, cujus plura Manuſcripta Chymica & Alchymiſtica in Bibliothecâ meâ inter rariora aſſervo, qui omnem ſibi victum, antequam caperet, menſurari curavit, ac demum Anno 1610. peſtiferâ Lue obiit, Ætatem 97. annorum feliciter emenſus. Quoad *Cibos*, eorumque varietates & utendi modum integer nobis tractatus foret ſcribendus, ſi ſingula vel obiter attingere vellemus. In *quantitate* autem & *qualitate* illorum delectus eſt habendus, ubi ſtatim quisque ſuæ complexionis & naturæ robur, menſtruique ſtomachici vim atque activitatem examinare debet, neque adeo plus ciborum ven-

Victûs ratio.

triculo ingerere, quàm commodè & facilè diſſolvere, inque Chylum laudabilem vertere queat. Cibum itaque niſi eſuriens non aſſumito, eum probè ſi fuerit opus maſticato, ac tum demum deglutito: neque feſtinanter nimis ingerito: tantum denique capito, quantum urgebit appetitus, ſedandus magis, quàm nimium ſatiandus, ne moles aſſumtorum liquoris digeſtivi activitatem obruere, & ita cruditates gignere valeat. Cibis utitor variis, modò his, modò illis, ſed non quamplurimis, iisque immodicis ſimul. Si quis Cibus à ſtomacho valde appetitur, is tamen credatur ſanitati quoad aliquam qualitatem adverſus, comedi nihilominus, ſed moderatè poterit, quod enim ſapit, illud non malè etiam dicitur nutrire. Palam verò eſt, Juvenes Viroſque, duris laboribus quotidie addictos, duriores etiam ac ſolidiores Cibos requirere, atque digerere; Senes autem ac Literatos delicatioribus & eupeptis, iisque non copioſis indigere: in utriſque enim ſtomachicum menſtruum non ita activum eſt, adeòque paucis tantum, & eupeptis cibis diſſolvendis aptum. Quod ſi quandoque in conviviis & commeſſationibus, quemadmodum id rariùs fieri deberet, ſtomachus ciborum multiplicium onere gravatus nimis fuerit, jejunium pòſt inſtituito, parúmque alimenti per aliquot dies aſſumito, ſimul tamen *Potum Thée*, *Coffée* vel *Succolatæ* ſorbillato, donec ventriculi digeſtionem benè rurſus procedere notabis. Tandem quiſque fugere debet uſum Ciborum appetitui adverſorum, vel Chylum Sanguinemque ſalſum, acidum, acrem, viſcoſum, ſeroſum, pituitoſum, aut bilioſum nimis exhibentium. *Vaccarum*,

Immodica cibi ingeſtio nociva.

Exceſſus quomodo corrigendi.

rum, hauſtóque per aliquot tempus aëre ſubtiliore, redibant ſani, vegeti & alacres. Monſtratur in Cimeliarcheis Principum Numiſma Imperatoris *Getæ*, in cujus averſa parte extabat Vacca, quam Incolæ illius Montis repræſentari curârunt ob excellentiam illius Lactis. Similem virtutem & *Lacti* quoque *Vaccino* Alpium Montiumque noſtrorum Helveticorum attribuere poſſumus, dum experientiâ multiplici tenemus, non *Valetudinarios* ſolùm, ab ejuſdem in Montibus potu per plures hebdomadas continuato reverſos eſſe, firmâ pòſt ſanitate gaviſos; ſed & *Sanis* morem illum, Lac in Alpibus vel Montibus hauriendi, ad ſuæ vitæ prolongationem non parum contribuiſſe. Loco vaccini Lactis *Guido Patinus Epiſtolâ* 310. aſinini Lactis potum ſatis commendare neſcit ad Vitæ ſanitatisque conſervationem; exempláque adducit plura eorum, qui ejus diligenti uſu ad decrepitam ætatem pervenerint. *Socrus*, inquit, *mea, quæ anno ætatis* 84. *apoplectica obiit, per ſexaginta annos uſa fuit Lacte aſinino. Mater quoque Dn. du Laurens, Senatoris, mortua eſt anno præterito, cum* 87. *annum ætatis compleviſſet; bibebat autem quotannis Lac aſininum jam inde à* 22. *ætatis anno. Hujus porrò Fratria, Andreæ Laurentii, Anatomici Vidua, ejusdem Lactis frequentiſſimo potu* 85. *ætatis annum attigit. Lac hoc mira facit, præſertim Vere & Autumno, quando debitâ cum circumſpectione in uſum trahitur. Nunquam autem ordino bibendum, niſi primæ viæ probè ſint expurgatæ & præparatæ Lenientibus remediis*; hæc *Patinus*.

§. 17. *Intempeſtiva* quoque Ciborum *ingeſtio*, quando priores Cibi nondum fuerunt pro-

Intempeſtiva ciborum aſſumptio noxia. bè diſſoluti, maximè nociva eſt, materque cruditatum omnivariarum, indeque naſcentis hujus vel illius Cacochymiæ, non niſi breviorem vitam pollicentis. Quamobrem ſi ventriculum tuum probè ſaginaveris, exſpectato per ſex, ſeptem, pluresve horas, antequam novos Cibos aſſumas. Si autem, qui perditus omnino eſt recentium ſeculorum mos, honeſtatis, ut ajunt, gratiâ, ne Amicum vel Patronum tibi benè volentem fortè offendas, ſubinde aliquis exceſſus à regulâ committendus venit, illum ſubſequente *Jejunio*, atque etiam *Potu Thée*, vel *Coffé*, vel illius *Succolatæ Indorum*, modicè ſumpto, corrigere ſtudebis.

Ciborum ſelectus. §. 18. Cùm autem Ciborum numerus infinitus ferè redditus ſit, inque Culinis Norimbergenſibus eorum jam quinque pluraque millia parari queant, operæ pretium erit quorundam, quos Sanitati & Vitæ conſervandæ maximè conducentes arbitramur, meminiſſe. Atque in *Regno* noſtro *vegetabili* ſuâ ſe bonitate & ſalubritate commendant, pro panificio quidem, *Semen Tritici* atque *Siliginis*, è cujus farinâ, cum Fermento & modicâ Salis doſi fermentatâ, Panis optimè coctus in uſum trahendus, non recens quidem ille & adhuc à Clibano calens, qualiter ſtomachum maximè gravaret, ſed refrigeratus, & nonnihil jam ſiccatus. Ex *Oleribus hortenſibus*, ſimilibusque, *Braſſica*, *Beta*, *Atriplex*, *Blitum*, *Lactuca*, *Portulaca*, *Endivia*, &c. ſpirituoſo-ſulphureis particulis fermè carentia, aquoſis verò turgentia, palato quidem ſapiunt, ſed nimiâ tamen quantitate non ſunt comedenda, utpote flatus & cruditates excitantia; correctione hinc per aromatica in præparatione indigentia. Sale

In Regno vegetabili.

magis

magis volatili pollent, faciliusque in ventriculo ſolvuntur *Scolymi* & *Cardui hortenſes*, *Cherefolium*, *Paludapium hortenſe ſive Apium ſelinum*, *Petroſelinum*, *Naſturtium aquaticum*, *Cochlearia*, *Radices Scorzoneræ*, *Siſari*, *Rapunculi*, *Cichorii*, *Petroſelini*, *Raparum*, & *Raphanorum* qualiumcunque. Neque contemnendus eſt uſus *Cicerum*, *Milii*, *Piſorum*, *Phaſeolorum*, *Hordei*, *Orizæ*, & ſimilium, modò probè cocta ſint, ſic enim nec multos flatus, nec adeo contemnendum ſuccum chyloſum exhibent. In *Carnium claſſe* commendamus, è *Terreſtribus* quidem, *vitulinam*, *bubulam juniorem*, *vervecinam*, *hœdinam*, *cervinam*, *aprinam*, *agninam*, *ac leporinam* juniorem aliásque. E *Volatilibus* præferuntur *Pulli gallinacei*, *Capones*, *Anſeres*, *Gallinæ*, *Anatesq́ʒ*, *juniores*, *Columbæ*, *Alaudæ*, *Ruſticulæ*, *Perdices*, *Coturnices*, *&c.* Ex *Aquatilibus* optimi ſunt Piſces *Lucii*, *Gobii*, *Naſones*, *Carpii*, *Funduli*, *Salmones & Salmunculi*, *alii* quos tamen per *Aromata* & coctionem cum *Vino* præparare atque corrigere oportet. *Ex Regno animali.*

§. 19. Quoad *Potum*, omnibus commendamus talem, ex quo quisque ſibi bene eſſe animadvertit. *Vinum* ſeligat album vel rubellum, tenue, probè defœcatum, minimè tartareum, per urinæ vias probè tranſiens. Modicè bibet hoc, neque intempeſtivè. Si tamen occaſione datâ, quam non frequenter nimis quæres, plus juſto bibendum fuit, *Jejunio* iterum & *Potu Theé* vel *Coffeé* error corrigetur. Qui verò ſingulis menſibus exceſſum quendam in Vini potu commendant, viderint illi, quid proderint, ſi Crapulam magnam non eximant. Quando autem familiaris eſt *Cereviſiæ* potus, ſeligatur itidem *Potus quinam ſalubris.* *Menſtrua compotatio.*

tenuis, non acida, probè etiam fermentata & defœcata: odimus in hoc genere Liquores turbidos, craſſos, fœculentos, ventrem inflantes, atque Chylificationem turbantes, ad quam certè poſt tales potus reſtituendam ſubinde *Spiritus vini* aliusque *ſulphureus*, vel *Vinum* quoddam *generoſum* bibendum. Inter A*quas fontanæ* ſunt optimæ, præprimis ex ipſis fontibus recenter ſcaturientes, reliquæ omnes correctione per coctionem opus habent.

Diæta quoad Excreta & Retenta. Motum Corp.

§. 20. In cœteris *Rebus nonnaturalibus Excernenda* quotidie promoveantur arte, ſi ſponte non prodeant; *Retinenda* medicamentis urgente neceſſitate coërceantur. Bonum tamen, ſi quandoque alvus magis lubrica fuerit, dum Appetitus probè ſingulis diebus ſatiatur. *Motus & Exercitia* corporis quotidiana inſtituantur, non exceſſiva tamen poſt paſtum. *Somnus* & *Vigiliæ* in decenti moderamine teneantur. *Veneris* uſus rarior ſit, & continentiam magis, quam libidinis œſtrum ſapiens, ne ſpiritus nimis exhauriantur, viresque ante ſenectutis annos valdè diſſipentur; ad exemplum Senis illius, qui, cùm aliquando fuiſſet interrogatus:

Somnum & vigilias.

Cur tibi tam levis eſt, cur tam jucunda ſenectus?

Reſpondit:

Libera quod vitiis tota juventa fuit.

Planè ſicut de Sene quodã *Epiſcopo Olmucenſi* perhibetur, quod de Senectute ſuâ quæſitus reſpondere conſueverit: *cruda vitavi, dulcia guſtavi, calidè me tenui, & ita conſenui.* In Animi *pathematibus*, neque *Iræ frena* laxentur, unde Febres ſæpè ardentes & malignæ, aut Diarrhœæ colliquativæ excitantur; neque *Triſtitiæ* locus conceda-

Animi pathemata.

cedatur, à quâ torpor facilè ſpiritibus inducitur; neque *Terrori* via ſternatur, à quo ſæpe ligati ſpiritus motum humorum vitalem cohibent, & mortem quandoque ſubitaneam inducunt. Nec denique *Curis & Sollicitudinibus* multum indulgeatur; quin ſapientem ſe quiſque & manſuetum præbere ſtudeat, omnia occurrentia, ſive bona ſive mala, placidâ pacataque animi tranquillitate ferat, ac citra commotionem enormem expendat; & ita planè ſe gerat, ut ob oculos ſemper poſitâ rerum mundanarum vanitate, neque ab adverſis ſe multum terreri & contriſtari, neque à lætis ſe nimio gaudio affici, aut elatum ſuperbumque reddi patiatur. Multum denique ſitum eſt in *cutaneis ſordibus* probè extergendis; hunc in finem ſuæ maximè ſanitati perennandæ conſulunt, qui ſingulis propemodum hebdomadis corpus in qualicunque *Laconico* probè ſudare faciunt, & finito ſudore, abſterſoque probè corpore in lectum ſeſe calidum recipiunt; aut qui etiam nullo cum ſubſequente ſudore caput ſuum, totumque adeo corpus ſingulis propemodum diebus ope calentium linteorum fricare curant; qui denique ſemel aut bis quolibet menſe *Balneum Aquæ dulcis* ingrediuntur, ac hebdomadariis *Pediluviis* uti non detrectant. Sed & Gallorum proverbium huc inſeri meretur, quo modus producendæ vitæ indigitari ſolitus ſequenti tono exprimebatur: *Lever à ſix, diſner à dix, ſouper à ſix, font l'homme vivre dix fois dix.*

Curæ & Sollicitudines.

Sordes.

§. 21. *E Pharmaceutico fonte* pauca petere licet, ſi *præſervativa remedia* excipias, quæ certè nec numeroſa ſunt, nec frequentem in uſum trahuntur. Quod ſi tamen fortè nunc ab Aëris in-

Remedia Longævitatis è fonte pharmaceutico petita.

intemperiebus, nunc ab improviſis Animi paſſionibus, nunc à perverſa victûs ratione noſtri corporis œconomia debilitatur, tum verò non ſaltem jejuniis, ſed & lenibus quandoque purgantibus vitia ſunt corrigenda. Atque hunc in finem commendari ſolent *Pilulæ Francofurtenſes*, vel aliæ qualeſcunque laxantes, paulo ante cœnam juſtâ doſi ſumendæ. Vel annuatim *Vinum medicatum purgans* ſumi poterit, à prudenti Medico ita præſcriptum, ut complexioni hominis ſit conveniens. Habentur & Remedia quædam particularia, v.gr. *Aura potabilia*, *Eſſentiæ prophylacticæ*, *Syrupi Longæ vitæ*, ac ſimiles arcanæ *Panaceæ*, ſed quas tamen ita Univerſales eſſe non credimus, ut promiſcuè omnibus temperamentis, pro ſubjectorum varietate maximè differentibus, conveniant, indeque magna virtus in conſervandâ perpetim vitâ, & avertendis omnibus noxiis phœnomenis exurgere queat.

Panaceæ univerſales non ſunt.

§. 22. Quanquam igitur in hoc maximum conſervandæ valetudinis momentum ſit ſitum, ut ſuam quiſque complexionem cognoſcat, & ea omnia, quæ ipſi conveniunt, probè obſervet, placet tamen nonnulla præſervativa in medium proponere, quorum frequenti uſu quiſque à cruditatibus, tanquam morborum fomitibus liberari, felicémque ſemper humorum circulationem adipiſci ac retinere poteſt, modò ſimul exactiſſimum Animi Pathematum regimen obſervare valeat. Primum *Remedium prophylacticum* eſt *Syrupus macrobius*; cujus ſequentem in uſum trahimus formulam: ℞. *Radic. recent. Ireos noſtrat.* ℥vi. *Rad. Cich. rec.* ℥iiij. *Herb. Card. bened. Borragin. Alchymill. Naſturt. aquat. rec.*

Complexionum varietati conveniunt Remedia diverſa.

Syrupus macrobius.

rec. Summitat. Abſynth. Centaur. min. aa. mj. Inciſis affunde Vini albi veteris ℔iiij. *Stent per* 24 *horas in loco tepido, poſtea exprime ac filtra vel cola ſuccum, inq; hoc diſſolve & coque leviter Mellis optimè deſpumati pondus æquale, Syrupumq; hunc in pluribus vitris probè munitis ad uſum aſſerva.* Non ſolùm præſervat à *Febribus* qualibuscunque, à *Pleuritide, Apoplexia, Epilepſiâ*, & pluribus aliis morbis; ſed & *Iracundiam* omnem mitigat, *Stomachum*, ejusque *chylificationem* roborat, *Febres intermittentes, Colicam, Icterum* &c. ſanat; *Appetitum* reſtituit; *Lumbricos* necat & pellit; *Ventrem laxam* tenet. Poterit autem ab Adulto quidem ſæpius ad duo vel tria cochlearia per diem aſſumi; Pueris autem ad cochleare annum dabis quotidie per aliquot dies; ac interjectis dein pluribus, paucioribusque diebus repetes. Similis alius *Syrupus præſervativus*, & ad *prolongandam vitam* conveniens, hinc inde in Pharmaceuticis Officinis ſequens habetur: ℞. *Succ. recenter expreſſi ac filtrati ex Herbâ Mercurialis quidem* ℔viij. *E Borragine autem & Bugloſſ. aa.* ℔ij. *Mellis albi Narbonenſ. opt.* ℔xii. *Coque invicem ad ebullitionem unicam poſt filtra aut cola per linteum craſſum; dein* ℞. *Radic. Gentian. major.* ℥iv. *Ireos noſtrat. aquaticæ luteo flore rec.* ℥viii. *Inciſis tenuiter affunde Vini albi optimi* ℔iiß. *Stent Infuſa per* 24. *horas, ſæpius agitando, poſtea colatum ſine expreſſione Liquorem miſce cum ſuperiore Herbarum Succo, coque invicem ad conſiſtentiam Syrupi tenuioris, ſpumam ſubinde auferendo; dein aſſervabis eum in vaſis probè clauſis in loco frigidiuſculo.* Quotidie mane ſæpius cochleare unum plenum aſſumi poteſt, ad cruditates primarum viarum debellan-

Syrupus præſervativus alius.

das

das alvum ſemper laxam tenendam, ſanguinem purificandum, circulationem humorum intemeratam ſervandam, fibrarum qualiumcunque tonum naturalem conſervandum, roborandumve, Apoplexiam alioſque Morbos præcavendos. Atque talibus quidem Syrupis, qui Temperie pituitoſâ, aut melancholicâ præditus eſt, cum fructu utetur, tanto magis, ſi quandoque ſimul *Spiritum* Cochleariæ, aut *Eſſentiam Trifolii fibrini*, aut *Tincturam Antimonii*, vel Corall. *rubrorum*, aut *Elixir propriet. Clauderi* aſſumet.

Quæ Cholericis & Bilioſo-melancholicis remedia proſint.

§. 23. Qui verò *Cholericus* eſt, vel *Bilioſo-melancholicus*, is quidem *ſulphurea*, & *aromatico-acria* non multum uſurpabit, omnemque bilis accenſionem, omnem Iræ anſam magnopere fugiet; hincque *Panacæas* ſic dictas *anticholericas* ſibi confici curabit, easque in uſum frequentem trahet, quemadmodum ſunt *Elixir proprietatis ſine acido*, vel *illud Clauderi*, *Clyſſus* item *Antimonii*, *Tinct. Corallor. cum Nitro parata*; *Tinctura Martis* cum *Succo Acetoſellæ*, vel *Pomorum Citri*, & *Cardui benedicti*, atque tantillo *Spiritûs Vini tartariſati* parata. Æſtate potus *Acidularum* maximè conducit.

In Sanguinis, & phlegmaticis quin notanda.

§. 24. In *Temperie ſanguineâ* vel *ſanguineo-phlegmaticâ* conveniunt Balſamico-ſpirituoſa, *Salia volatilia oleoſa* qualiacunque, *Sal volatile Cornu Cervi*, aliudve ab omni oleoſo fœtore depuratum, *Spiritus Cochleariæ*, *Spiritus Salis armoniaci urinoſus*, imò etiam amara ſpirituoſa ſubinde uſurpata, quemadmodum v. gr. eſt *Elixir noſtrum amarum* ſequentis deſcriptionis: ℞ *Aloës ſuccotrin.* ℥j. *Myrrh. elect. Rhabarb. opt. Agaric. trochiſcat; Radic. Calam. aromat. Galang. Herb.*

Elixir noſtrum amarum.

Ab-

Abſynth. Beton. Card. bened. aa. ℥ij. *Semin. Fœnic.* ℥iß. *Croci oriental. veri* ℥j. *Theriac. Androm.* ℥ß. *Salis Tartari* ℥iiß. Inciſis & contuſis affunde Spiritus Ceraſorum nigror. vel Spiritus Vini dephlegmati ℔iij. Stent in loco per aliquot dies calido benè munita, ſubinde agitando, poſtea in loco temperato uſui ſerva. Poteſt Adultus vel Adulta etiam hyſterica ſubinde cochleare ferè plenum aſſumere; mirè Stomachum roborat, cruditates pellit, ac diſſipat, ab omni Morbo contagioſo ac venenato præſervat.

§. 15. Qui *seroſâ*, vel *ſeroſo-ſalsâ*, atque *ſcorbuticâ* diatheſi ſunt inſtructi, à ſalſo victu, à craſſi, humidi, ſalſi aëris uſu abſtinebunt. Vinum aut Cereviſiam maximè defœcatam ordinariè ac modicè bibent, vel ſi etiam à tantillâ Vini quantitate Stomachi imbecillitatem percipient, ejus uſui valedicent prorſus per aliquod tempus, atque interea leniſſimum Decoctum *Lignorum Gujaci & Saſſafras* cum *ſemine Fœniculi* aut *Aniſi*, pro potu ordinario bibent, præterea verò *Elixir propr. Clauderi, Spiritum Cochleariæ, Eſſentiam Trifolii fibrini*, aliorumve *antiſcorbuticorum* ad 20. *vel* 30. *guttas* quotidie pro doſi accipient. Vel in hâc non minùs, quàm in præcedenti *phlegmaticâ diſpoſitione* Tragema ſequens, aut ſimile, uſurpabunt: ℞. *Spec. Imperat. Diatr. Santal. aa.* ℥ij. *Corall. rubr. ppt.* ℥ß. *Spod. ppt.* ℥ij. *Unicorn. mar. ppt.* ℥iß. *Semin. Fœnic.* ℥j. *Fol. Senæ opt. mund.* ℥ij. *Sacch. alb.* ℥iiiiß. *M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſis* ℥ij. *vel* ℥iij. *quotidie per aliquot hebdomadas.* Singulis æſtatibus Thermæ calentes ſunt potandæ; cœteris autem temporibus Anni frequenter *Infuſum foliorum Thée*, aut ſequens cum fructu bibitur: ℞. *Raſur. Lign. Saſſafr.*

Diatheſis ſeroſo-ſalſa & ſcorbutica quæ requiratur.

Tragema prophylacticum.

Infuſum Théecompoſitum.

ſaphr. & Guajac. aa. ℥ß. *Radic. Calam. aromat.* ʒiiß. *Ireos flor.* ʒij. *Fol. Thée optim.* ℥iij. *Fol. Betonic.* ℥ij. *Meliſſ. Beccabungæ, Cochlear. Sanicul. Alchymill. Pyrol. Pulmonar. Hepat. nobil. Veronic. Chamædr. aa.* ℥j. *Cortic. Winter.* ʒiiß. *Semin. Fœnic.* ʒij. *Inciſa & contuſa* uſurpentur quotidie inſtar ſimplicium foliorum Thée.

Podagricis quid proſit. §. 26. Ad *Podagram* inclinans magno cum fructu idem noſtrum compoſitum Thée frequenter ſorbillabit, ac præterea in potu ordinario *Decoctum Raſur. Lign. Guajac. Saſſaphr. & Radic. Chinæ*, cum *Semine Fœnic.* diligenter bibet. Præterea per aliquot annos à Crapulâ, ab Irâ, à Venere abſtinebit, & ita certus de mitigatione Podagræ, ac longiore vitâ eſſe poterit; tanto id magis, ſi ſingulis æſtatibus aëre montoſo Solem meridianum ſpectante, ut & *vaccino* vel *aſinino Lacte* per aliquot menſes quotidie frui ac uti poterit.

Quid Nephriticis. §. 27. *Nephritidi* deditus juxtam cœteras Diætæ regulas frequenter in potu ordinario uſurpabit Decoctum ſeqq. ℞. *Raſur. Ligni Saſſaphr.* ℥ij. *Radic. Filicis, Gramis, aa.* ℥ß. *Semin. Fœnic.* ʒij. *Inciſa & contuſa tenuiter d. ad Scatul. Cochleare plenum ſemper coquatur in Aquæ fontanæ Menſ. ij. ad Ovi duritiem. Colatura bibatur.* Præterea ſequentem pulverem antinephriticum quotidie per aliquot tempus cum fructu uſurpabit, qui lapillos è Renibus pellere, forteque comminutos per Urinam mittere, numero ſubinde magno conſuevit, ac deinceps ab ulteriorum Calculorum generatione homines præſervare à me aliisque notatus fuit: ℞. *Radic. Calam. aromat. Saxifrag. Liquirit. Ononid. Pimpinell. Zedoar. Zingiber. Galang. aa.* ʒiiß. *Herb. Sicc. Card. bened.*

bened. Centaur. min. Plantag. aquatic. Naſturt. aquat. ſalviæ nob. Cinam. Elect. Macis aa. ʒij. *Caryophyll. arom.* ʒi. *Semin. Aniſi, Fænic. Dauci, Petroſelin. Urtic. Milii Solis. Geniſt. aa.* ʒiiß. *Lapill. Meſpilor.* ℥ß. *Baccar. Juniper.* ʒiij. *Fol. Senn. opt. mund.* ℥iß. *Rhab. elect.* ʒij. *Crem. Tartar.* ℥ß. *Sacchar. penid.* ℔iß. *M. F. pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis eſt* ʒij. *vel* ʒiiß. *Purgat per Renes, Flatus diſcutit, Appetitum movet, Chylificationem promovet:* atque *Alvum* ſimul *apertam tenet.* Mirum eſſe dices, inconditumque hujus Remedii ingredientium adparatum, ſed quia à quamplurimis Nephriticis hucuſque maximo cum fructu uſurpatus fuit, & adhuc uſurpatur, ideo ejus formulam immutatam communicare placuit; non ſecus atque ſequentem *Elixirii nephritico-anodyni* noſtri, quod in mitigandis doloribus nephriticis, etiam juxta priorem pulverem, effectum ſemper excellentem præſtare ſolet; perque Urinam ſenſim phlegmata, ſabulum & calculos numeroſè pellere; ſi modò ſimul ſtatim Balneum Aquæ dulcis ingredi non detrectabit Æger: ℞. *Rad. Rhab. elect. Liquirit. aa.* ʒiß. *Zingiber. Galang. min. Calam. arom. ana* ℈ij. *Semin. Aniſ. Fænic. Petroſelin. Agaric. trobiſc. aa.* ʒß. *Bacc. Juniper.* ʒj. *Cinam. opt. Macis aa.* ℈j. *Croci oriental. ver.* ℈ß. *Mithrid. Damocr.* ʒij. *Laud. opiat.* ʒß. *Inciſis & contuſis affunde Spirit. Vini rectif. vel Spirit. Ceraſ. nigror. rectif.* ℥viii. *Stent per aliquot dies in digeſtione leni, poſtmodum filtrato Liquori adde Vini Malvatici opt.* ℥xvi. *Stent adhuc per octiduum in digeſtione, poſtmodum filtra iterum, & in Liquore hoc ſuſpende duo grana Moſchi oriental. veri cum* ℈j. *Sacchari, in Sindone ligati. Doſis cochleare unum vel duo plena, bis vel ter de die,* quando dolores

Tragema anti-nephriticii & Lithontripticii.

Elixir noſtrum anodyno-nephriticum.

dolores urgent ; alias ſingulis octiduis ſemel præſervationis gratiâ.

In Stomacho debili quæ conducant.

§. 28. Qui debili eſt Stomacho, cujusque Chylificatio laborioſa exiſtit, ac difficilis, utcunque appetitu gaudeat bono, quod Litteratis, ac Vitæ ſedentariæ, meditationibusque profundis deditis obtingit, is certè per plures menſes ſuo quietem animo concedet, à curis, à meditationibus omnibus, à ſollicitudinibus ſibi cavebit, mentisque vehementia pathemata carne pejus & angue fugiet. Interea victu optimæ notæ veſcetur, potúque gaudebit Vini generoſi, aut Cereviſiæ optimæ; ſed Vinum moderatè bibet tamen, atque dilutum Aquâ ſæpius, prout Ventriculi conditio poſtulabit. Inſuper ſequens Tragema ſtomachicum diligenter in uſum vocabit : ℞. *Cinam. elect.* ℥i. *Cubebar. Zingiber. Mac. Garyophyll. arom. ſemin. Aniſ. Fœnic. aa.* ʒß. *Flaved. Cort. aurant.* ℈ij. *Ocul. Canc. ppt. Raſur. Ebor. Corall. rubr. ppt. aa.* ʒij. *Radic. Aron. Irid. flor. aa.* ʒj. *Folior. Auri num. vi. Sacch. cand. alb.* ℥iiij. *Miſc. F. pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſis ante vel poſt paſtum* ʒij. Scutum etiam ſtomachicum è *Gummi Tacamahaca*, *Maſtiche*, *Myrrhâ*, *Nuce moſchat. Cinamom. Macis*, & ſimili factum portabit; vel *Unguento Roſaceo* cum *Balſamo peruvian. Oleo Nuciſtæ expr.* & *Oleo deſtillat. Carvi*, *Aniſ. Cumini*, aut *Abſynthii*, Stomachi regionem inunget quotidie, ac ſimul eandem, noctu inprimis *Pulvinari* molli è plumis facto probè tectam ſervabit.

Aura potabilia ſubinde putabilia.

§. 29. Denique omnibus convenientia hominibus eſſe Remedia ex *Auro* facta, quemadmodum olim ſub formâ *potabili*, vel magis *putabili* in uſum conſervandæ vitæ ſanitatisque ven-

vendita fuere. Neque parvi pendendam cenſeremus ejuſmodi *Solis Tincturam*, ſi modò quædam genuina haberi poſſet, quæ ſine ullo corroſionis veſtigio humanum Corpus, ejuſque vitales Liquores blandiſſimè percurrendo, in iiſdem & naturalem vigorem, fluiditatem atque æquabilem motum conſervare, & dulcedinem maximè balſamicam, vivificamque perpetim fovere, aut ſi illa fuerit ablata, reſtituere queat. Equidem de ejuſmodi Remedio quodam inveniendo ab aliquo hinc tempore fuimus ſolliciti, neque deſperaremus tandem efficax aliquod impetrare, modò ſufficiens ad ejusmodi negotia tempus & otium Praxis Medica amplior concederet. Interim à *Christiano Friderico Richtero*, *Medico-Practico Orphanotrophii Halæ-Saxonum*, in peculiari *Tractatu* magnopere extollitur, quæ ibidem præparatur, ac undiquaque divenditur, *Eſſentia dulcis* ex Auro confecta, cujus effectus mirandi atque excellentes plures in multis morbis à dicto Richtero enarrantur. Nos tamen, dum ſimilis nobis obtinget Panacæa, contenti erimus *Diaphoretico ſolari*, & *lunari*, vel *Croco Solis*, indéque cum *Cinnabari Antimonii optimè correctâ*, parato *Arcano pulvere ſolari*, cujus grana aliquot frequentius in conveniente liquore aſſumta, non curativum tantùm, ſed egregium quoque ſanitatis conſervativum remedium exiſtere poſſunt.

Eſſentia dulcis Hallenſis commendata.

§. 30. *Chirurgicus fons* pauca ſimiliter Longævitatis *media* nobis ſuppeditat. In *Plethoricis* tamen bis quotannis *ſecare Venam*, ac ſubinde etiam *Cucurbitulas* cum *ſcarificatione* dorſo applicare poſſumus. Vel certè harum operationum vices *Jejunia* ſubinde inſtituta præſtabunt.

Remediũ ex Chirurgico fonte.

Clyſmatibus lenientibus ac *detergentibus* ſegnem quoque Alvum ſubinde eluere, cruditatésque educere poteris. Si Cacohymicus quis ſit, atque in hos illosve morbos facilè inclinet, vel *Setaceum* in Nucha, vel *Fonticuli* in Brachiis aut Pedibus excitabuntur, atque diligenter curabuntur.

Celſo compendium diæteticum.

§. 31. Concludimus omnia verbis *Latini* noſtri *Hippocratis* Celſi, Lib. 1. cap. 1. de Victus ratione ita ſcribentis. *Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, ac neq; Medico neq; alipta egere. Hunc oportet varium trahere vitæ genus, modo ruri eſſe, modò in urbe, ſæpius in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere; ſiquidem & ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam exhibet. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modò ungi, modò id ipſum negligere: nullum cibis genus fugere, quo populus utatur, interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modò plus juſto, modò non amplius aſſumere: bis de die potius quàm ſemel Cibum capere, & ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat.* Quibus coronidis loco addere liceat, quod *M. Val. Martialis* ad ſe ipſum ſatus eſt *Lib. X. Epigram.* 47.

Martialis remedium pro longævitate.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa:

Nox

Nox non ebria, ſed ſoluta curis:
Non triſtis torus, attamen pudicus:
Somnus, qui faciet breves tenebras:
Quod ſis eſſe velis, nihilq; malis:
Summum nec metuas diem nec optes.

Atque hæc ſunt, quæ inter occupationum plurimarum ſtrepitum feſtinante calamo in chartas conjicere datum eſt, quæ ſicubi ad palatum fuerint, gaudium qualecunque apud nos excitabunt, ſin minus arridere obſervabimus, ſolatio nihilominus erit, voluntatem nos & in hujus rei difficultate monſtraſſe. DEUM verò Ter. Opt. Max. Cœleſtemque noſtrum Archiatrum ſupplici prece veneramur, ut, quoad Vitam conceſſerit, noſtris ſemper conatibus ex alto benedicere, aut, ſicubi forſan immenſæ benignitati ſuæ placuerit nos ex hoc Miſeriarum Theatro, éque calamitosâ hac, curarumque plenà vitâ ad cœleſtem quietem, æternæque felicitatis poſſeſſionem ante Senectutis annos evocare, nihilominus hoſce labores noſtros ad ſui Nominis Gloriam, Proximique longævam Salutem gratiosè dirigere velit.

IDEA CONSULTATIONUM MEDICARUM.

Conſulta tio Medica.

CONSULTATIO MEDICA, ἰατροβουλεία Græcis, eſt exacta conſtitutionis humani Corporis per ſingulas circumſtantias inquiſitio, hincque inſtituta inter plures paucioresque Medicos deliberatio de modo Sanitatem ejus præſentem quidem conſervandi, amiſſam verò probatâ medendi ratione citò tutò & jucundè reſtituendi.

Ejus

In *Conſultatione* proin hac conſideranda veniunt tum *eſſentialia*, tum *accidentalia*.

Eſſentialia quoad.

Eſſentialia Conſultationum, quæ earum eſſentiam & rationem conſtituunt, quatuor diſtinctis conſtant partibus, *Hiſtoriâ*, *Propoſitione*, *Analyſi* & *Concluſione*.

Hiſtoriâ Hominis Sani.

HISTORIA complectitur in ſe deſcriptionem Hominis vel *Sani* vel *Ægri*. Ubi *Sanus* quidem præſervativa à Morbis remedia deſiderat, naturali ſuæ Temperiei, Staturæ, Idioſyncraſiæ in benè maleve tolerandis his vel illis cibis aut potibus, ætati etiam, ſexui, &c. convenientia.

Ægri.

Ægri Hominis deſcriptio inſtituitur quoad illius Statum tum *antecedentem*, tum *præſentem*.

In de-

In deſcriptione *Status antecedentis* recenſenda veniant Temperies Ægri naturalis, Sexus, Ætas, Morbi antecedentes, atque Diæta per aliquod tempus præteritum quoad uſum ſex Rerum nonnaturalium obſervata. *Reſpectu ſtatus antecedentis.*

In deſcriptione *Status præſentis morboſi* attendimus ad *Tempus*, *Modum* & *Occaſionem* invaſionis, quoad Symptomata varia plus minus excruciantia; ut & quoad Remedia hæc illæcve jam uſurpata, atque eorundem effectus. *Ac præſentis.*

PROPOSITIO Conſultationis Hominem introducit vel *Sanum*, ſibi à Morborum inſultibus valde metuentem, & hinc partim Diætam prophylacticam, partim Remedia quoque præſervativa ſibi ordinanda poſtulantem : vel *Ægrum*, commodiſſimam medendi Methodum pro citâ tutáque Sanitatis ſuæ reſtitutione à Medicis in conſilium vocatis anxiè petentem. *Propoſitionem.*

ANALYSIS ſive RESOLUTIO expoſiti Casûs in Conſultatione ſub ſe continet vel *Sanitatis* in Homine *ſano* conditionem, atque hinc juvantium ac lædentium conſideratione habitâ, methodum tradit prophylacticam, certis Regulis diæteticis comprehenſam, & ſimul quorundam, ſi opus erit, Medicaminum præſcriptione comitatam; quorum obſervatione Homo in ſtatu Sanitatis permanere, & à Morborum inſultibus immunis ſubſiſtere queat. Vel comprehendit *Ægritudinis* in Homine ægrotante variam conſtitutionem, ubi exponi debent Morbi *Diagnoſis*, *Prognoſis* & *Curatio*. *Analyſin Casûs propoſiti.*

In *Diagnoſi* Morbi inquirere ſolemus in illius *Speciem*, *Magnitudinem*, *Malignitatem*, *Symptomata*, *Tempora* : item in *Partem primariò* vel *ſecundariò affectam*; in *Cauſas proximas*, *antec*- *Morbi diagnoſin.*

dentes ac *procatarcticas*; denique in *Modum*, quo Ægritudinem in Patiente ſuſcitatam eſſe credimus. Atque hæc omnia inſuper è variis in Caſu expoſitis ſignis demonſtramus.

Progno-ſis. In *Prognoſi* prædicitur, explicaturque *Morbi eventus*, hujuſque *Species* per *Hæmorrhagiam*, *Sudorem*, *Diarrhœam*, *Urinam*, *Abſceſſum* &c. Traditur etiam modus, quo Morbus finiturus ſit, ad ſalutemne vel ad mortem. Denique Tempus durationis Morbi indigitatur. Singulaque hæc è certis ſignis ulterius demonſtrata confirmataque exhibentur.

Curatio per Indicationes. In *Curationis* expoſitione ſtatim *Indicationes* eliciuntur, *Curatoria* quidem è Morbo ejuſque Cauſâ proximâ; *Præſervatoria* è Cauſis antecedentibus; *Vitalis* è Viribus; *Mitigatoria* è Symptomatibus vehementibus valdeque urgentibus. Dein *Remedia* proponuntur Indicationibus ſatisfacientia, è triplici *Fonte* nimirum *diætetico*, *pharmaceutico* & *chirurgico* petenda. Tandem verò *ſpecialius* exprimitur Rerum in Curatione agendarum, obſervandarumque *Methodus*; *Methodus ſpecialis agendi.* ubi definiendum eſt præcisè, non ſolùm quæ Remediorum formulæ ſint præſcribendæ, ſed quonam inſuper ordine ab Ægro veniant uſurpandæ; quænam in principio, quæ in progreſſu, ſtatu & declinatione Morbi ſint adhibenda? Scilicet bonæ Curationis impedimenta citò tollenda, antecedens Cauſa potenter imminuenda, proximaque, ſi quæ adeſt, feliciter deſtruenda; urgentibus quoque Symptomatibus valida Medicamenta opponenda; Viribus ſive conſervandis, ſive roborandis & augendis ſollicitè proſpiciendum; denique Liquoris gaſtrici activitas, ipſeque hinc Appetitus, perfectaque Chylificatio-

cationis opus integritati ſuæ reſtituendum eſt.

In CONCLUSIONE Conſultationis repetuntur breviter, quæ dicta ſunt circa Remedia ſelectiora præſcribenda, eorundem ordinem; votumque annectitur, pro ſalute ipſius Ægri, & Remediorum divinâ benedictione fundendum. *Concluſio*

ACCIDENTALIA Conſultationis ſpectant modum procedendi in Conſultando, qui conſiſtit in variis Officiis tum *Præſidis*, tum *Medici ordinarii*, tum denique *Collegarum conſultantium ſingulorum.* *Conſultationis accidentalia.*

Præſidis officium eſt viam generali exordio ſternere ad conſultationem; dein ſententias rogare à præſentibus Medicis couſultantibus; tandem addito quoque ſuo calculo totam Conſultationem concludere, definiendo è collectis ſententiis, quid agendum, quidve linquendum ſit; vel etiam, ſicubi diſcordantes fuerint Conſultantium opiniones, eaſdem qualicunque commodá ratione conciliare, ut tandem certi quid, in ſalutem Ægri faciendum, ſtatuatur, quod certè vel omnibus, vel ſaltem majori Conſultantium parti arrideat. Inprimis verò Præſes ante omnia Caſum ab ordinario Medico, ni vel Æger ipſum ſatis expoſuerit, vel Medici omnes ſimul fuerint ordinarii, explicandum ac recitandum poſtulabit, antequam commune conſilium ineatur. Hoc verò impetrato Juniorum primùm, ac demum Seniorum Medicorum ſententias ordine ſciſcitabitur. *Officium Præſidis.*

Medici ordinarii munus eſt Caſum Ægrotantis fideliter per omnes circumſtantias exponere, incipiendo à primâ Morbi origine, ſenſimque procedendo ad omnia Symptomata, de quibus *Medici Ordinarii.*

Æger conqueritur, ut & ad Remedia hactenus in uſum tracta, eorundémque effectus enarrandos, donec ad eum, in quo pro tempore verſatur, ſtatum Ægrotantis pervenerit.

Et Collegarum Conſultantium. Denique Officium *Collegarum Conſultantium* ſingulorum eſt, ſuas ordine ſententias dicere, nec ſtudioſè Caſum jam expoſitum multis verborum ambagibus repetere. Sed qui inter Conſultantes primus ſuam opinionem explicat, fuſius nonnihil Morbi naturam, cauſas, diagnoſin, prognoſin atque medendi methodum tradet; reliqui verò brevius ſingula percurrent, & inprimis ſuam in ſanandi ordine mentem dilucidè explicabunt, confirmando, ſi quid jam benè ordinatum putant, mutando, addendoque, ſi quid adhuc deficere exiſtimabunt. Neque tamen heic privatæ cuidam animi Paſſioni, invidiæ aut odio erga alios Medicos locum in Ægrotantis perniciem concedant; neque etiam in exemplis, rationibus, atque obſervationibus proponendis fuſi prolixique ſint, ne alios docere velle videantur. Denique quilibet Conſultantium in Concluſione judicio & cenſuræ reliquorum ſeſe ſubmittat, & Ægrotanti ſalutem priſtinam apprecetur.

FINIS.

1 ed Gen Ettmüller